BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
D
23

Digitized by Google

Digitized by Google

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS,

Phyſici, ac Chirurgi toto orbe clariſsimi,

IN TRIBVS GYMNASIIS ITALIAE FLORENTISSIMIS, Ferrarienſi, Piſano, Patauino, rem Botanicam, Anatomicam, Chirurgicam mira cum laude, ac honore, apertaque diuini ingenij, ac ſummæ rerum peritiæ ſignificatione quondam profitentis, & exercentis.

OPERVM GENVINORVM, VT AB AVCTORE IPSO CONSCRIPTA SVNT,

TOMVS TERTIVS

Complectens ſex Tractatus.

Cum triplici Indice: Primo Tractatuum: Secundo capitum cuiuſque huius Tomi tractatus: Tertio generali, & accurato rerum, & verborum, quæ omnibus tribus Tomis occurrunt obſeruanda.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS, MDCVI.

Apud Io. Antonium, & Iacobum de Franciſcis.

Digitized by Google

INDEX TRACTATVVM, QVI IN TERTIO TOMO COLLOCATI SVNT.

Tract. I. *De Tumoribus præter naturam, fol. 1.*

II. *De Decoratione. 110.*

III. *Expoſitio libri Galeni de Oſſibus. 121.*

IV. *De Luxatis, & fractis Oſſibus. 157.*

V. *Methodus Conſultandi. 192.*

VI. *De Compoſitione medicamentorum. 195.*

ELENCHVS
OMNIVM CAPITVM,
QVAE SINGVLIS HVVS
Tomi Tertij Tractatibus comprehenſa ſunt.

Capita Tractatus I. de Tumoribus præter naturam.

Præfatio. 1. a.

1 *De varijs tumoris præter naturam appellationibus. 1. b.*
2 *De Tumoris definitione. 3. a.*
3 *De cauſis tumorum. 8. a.*
4 *De differentijs, & ſpeciebus tumorum. 11. a.*
5 *De ſignis. 12. b.*
6 *De curatione tumoris in vniuerſum. 14. b.*
7 *De abſceſſu. 30. b.*
8 *De inflammatione. 40. b.*
9 *De Carbunculo. 46. a.*
10 *De Gangræna, & Sphacelo. 54. a.*
11 *De Carbunculo, ſeu Bubone peſtilenti. 61. a.*
12 *De Eryſipelate. 70. b.*
13 *De Oedemate. 77. b.*
14 *De Scirrho. 79. b.*
15 *De Nodis, hoc eſt, de Meliceride, Atheromate, & Steatomate. 81. b.*
16 *De Aneuriſmate. 86. a.*
17 *De Hernia gutturis, ſeu de Botio. 87. b.*
18 *De Strumis. 88. a.*
19 *De Cancro non exulcerato. 90. b.*
20 *De Ganglio. 92. a.*
21 *De Hernia, vel Ramice. 93. a.*
22 *De Lepra, ſeu Elephantiaſi. 96. b.*
23 *De tumoribus Narium. 98. a.*
24 *De Hydrócephalo, & eius curatione exquiſita. pag. 99. b.*
25 *De Coſſis, ſiue Ionthis iuuenibus occurrentibus in facie. 100. b.*
26 *De Ranula, ſeu Batracho. 101. b.*
27 *De Gingiuarum parulidibus. 102. a.*
28 *De Epulide, ſeu gingiuarum tumore. 102. b.*
29 *De Panaricijs vnguium, ac digitorum affectibus. pag. 103. a.*
30 *De Prominentia vmbilicali. 104. a.*
31 *De inflammatione teſtium. 104. b.*
32 *De affectibus glandis pudendi ad tumores pertinentibus. 105. b.*
33 *De Caruncula ſupercreſcente in canali vrinario. pag. 106. a.*
34 *De ani affectibus illis, qui ad tumores pertinent, & manu indigent. 106. b.*
35 *De Hæmorrhoidibus. 107. a.*
36 *De affectibus partes extremas occupantibus, & & primum de Pernionibus. 108. a.*
37 *De Callis, ſeu clauis. 108. b.*
38 *De Poris, ſeu Verrucis. 109. a.*

Capita Tractatus II. de Decoratione.

Præfatio. 110.

1 *Definitio decorationis, ad quam artem pertineat. pag. 112. a.*
2 *De turpitudine, & primò de obeſitate, & quid nominis. 11. b.*
3 *De Cauſis, & Præſagijs obeſitatis. 113. b.*
4 *De indicationibus curatiuis. 114. a.*
5 *De Gracilitate. 115. a.*
6 *De Maciei curatione. 116. a.*
7 *De diminutione, vel paruitate alicuius membri reſtaurandi. 117. a.*
8 *De quibuſdam partibus natura tenuibus incraſſandis, atque magnificandis. 118. a.*
9 *De Præputij reuitate corrigenda. 119. a.*
10 *De Naſi regeneratione, Labiorum, & Aurium. pag. 119. b.*
11 *De Mammillarum amplificatione. 119. b.*
12 *De Papillis. 19. b.*
13 *De partibus craſſis extenuandis. 120. a.*
14 *De Mammillarum extenuatione. 120. a.*
15 *De Teſtium extenuatione. 120. b.*

Capita Tractatus Tertij, qui eſt expoſitio libelli Galeni de Oſſibus.

1 *De libri inſcriptione, & cuius ſit. 121. a.*
2 *Cuius artificis ſit pertractare de hoc libro. 121. a.*
3 *Quid ſit Anatome. 121. b.*
4 *Quæ veniant cognoſcenda in anatome, atq; de eius inuentione. 12. a.*
5 *De anatomes ſubiecto, quod ſit, & animalia ſint apta pro diſſectione, & qui auctores de ipſa pertractarint. 12. b.*
6 *De huius libri ſubiecto, & quid ſit ſceletos, & vnde dicatur. 12. b.*
7 *Quo loco ſit diſponendus hic liber inter Anatomicos, atque de eius vſu, ac diuiſione. 123. a.*
8 *De oſſium natura. 123. a.*
9 *De affectionibus naturalibus, & præter naturalibus oſſium. 125. b.*
10 *De differentijs oſſium. 126. a.*
11 *Quod neceſſaria ſit medico cognitio eorum, quæ contingunt circa oſſa. 127. a.*
12 *De articulationum ſpeciebus. 129. a.*
13 *De Capitis oſſibus, & primò quid cognoſcendum ſit circa ea. 133. a.*
14 *De oſſe iugali. 13. b.*
15 *De oſſibus maxillæ ſuperioris. 140. a.*
16 *De dentibus. 141.*
17 *De maxilla inferiore. 142. b.*

18 *De*

18 *De ſpina,& quæ obſeruanda de vertebris.143.a.*
19 *De vertebris ceruicis. 144.b.*
20 *De vertebris dorſi.146.a.*
21 *De vertebris lumborum.147.a.*
22 *De oſſe ſacro.147.b.*
23 *De oſſe coccyge.148.a.*
24 *De Thorace.148.b.*
25 *De oſſibus ſcapularum.150.a.*
26 *De clauiculis,ideſt,iugulis.150.b.*
27 *De humero, eiuſque ac reliquarum totius manus partium denominatione.151.a.*
28 *De cubito,& radio.152.a.*
29 *De brachiali,ſiue carpo.152.a.*
30 *De poſt brachiali, & reliquis manus oſſibus. pagina 153.a.*
31 *De oſſibus, quæ cum oſſe ſacro iunguntur. pagina 153.b.*
32 *De femore.154.a.*
33 *De crure,ſiue tibia.155.a.*
34 *De patella.155.b.*
35 *De pede.155.b.*
36 *De numero oſſium corporis humani.156.a.*

Capita Tractatus Quarti de Luxatis, & Fractis oſſibus.

Præfatio.157.
Cap.1. De natura luxationis.159.b.
2 *De cauſis luxationum.159.b.*
3 *De differentijs luxationum.160.b.*
4 *De ſignis.161.a.*
5 *De prognoſtico.161.b.*
6 *De curatione ſimplicis luxationis.163.b.*
7 *De luxatione cum inflammatione.174.a.*
8 *De luxatione cum vulnere,& oſſe detecto. pagina 175.a*
9 *De luxatione cum vulnere, & oſſis prominentia. pag.178.b.*
10 *De luxatione cum conuulſione.179.b.*
11 *De luxatione cum oſſe deetcto, & inflammatione. pag.179.b.*
12 *De luxatione cum gangræna. 179.b.*
13 *De luxatione cum poro oſſeo ligante articulum. pag.180.b.*
14 *De luxatione recidiuante.182.a.*
15 *De articuli elongatione.183.a.*
16 *De articuli diſtorſione.183.b.*
17 *De ſimplici fractura.184.*
18 *De fractura cum vlcere.189.b.*
19 *De fractura cum vlcere, & oſſe prominente.*

Tractatus Quintus de Methodo conſultandi in capita non eſt diuiſus.

Capita Tractatus Sexti, de Compoſitione medicamentorum.

Cap.1. Libri propoſitum,& vtilitates.194.b.
2 *Medicamenti definitio eiuſque examinatio. pagina 195.a.*
3 *Quot ſint in medicamentis alterationis,ſeu facultatum genera,& ſpecies. 196.b.*
4 *De gradibus, ſeu ordinibus, qui in medicamentis reperiuntur,qui,& quot ſint.197.b.*
5 *Quid ſit facultas, & quotupliciter capiatur. pagina 198.b.*
6 *Quæ à facultate proueniant actiones, & quot. pag.199.a.*
7 *An in medicamentis ambæ propoſitæ facultates reperiantur.199.b.*
8 *De medicamentorum actuatione ſecundum aliorum ſententias.200.a.*
9 *De actuatione medicamentorum ſecundum propriam ſententiam.201.b.*
10 *Quomodo agant medicamenta in noſtrum corpus. pag2.203.a.*
11 *De medicamentorum materia. 204.b.*
12 *Quid medicamentum ſimplex, quidque compoſitum, & quæ compoſitio, & quotuplex. pagina 205.a.*
13 *De inuentione compoſiti medicamenti,difficultate,& vſu ipſius.205.b.*
14 *Quot ſint modi compoſitionis medicamentorum inter ſe.207.a.*
15 *Quot ſint genera ſumma medicamentorum compoſitorum vſualium.207.b.*
16 *Quid præcognoſcendum ad medicamentorum compoſitionem.208.a.*
17 *Præcepta quædam præſcienda duum generum, mechanica, & rationalia, ac quæ circa ipſam quantitatem,& qualitatem. 209.a.*
18 *Pręcepta,quæ ſunt obſeruanda circa ſubſtantiam medicamentorum.211.a.*
19 *Præcepta circa modum actionis, & compoſitionis medicamentorum obſeruanda.211.a.*
20 *Quomodo medicamenta ſimul agant, & repatiantur.211.b.*
21 *De proportione ſingulorum medicamentorum inter ſe, & vt in miſtis reperiuntur, ſecundum duas ſententias, Auerrois, & Alchindi. pagina 213.a.*
22 *Confutatio opinionis Alchindi.214.a.*
23 *Confutatio opinionis Montani de intenſione, & remiſſione medicamentorum.214.b.*
24 *De proportione medicamentorum inter ſe ſecundum veram ſententiam.215.a.*
25 *Nunquid remiſſio,& intentio reperiatur in ſecundis, & tertijs, & quartis qualitatibus. pagina.215.a.*
26 *An facultates medicamentorum contrariæ inter ſe agant,tam primæ,quam ſecundæ, & quomodo.216.a.*
27 *Num medicamenta extra corpus in maſſam redacta inuicem agant, & refrangantur. pagina 217.b.*
28 *Circa particularia compoſita quem ſit inſecuturus,& quot,& quæ compoſitiones, & de quibus primum.219.a.*
29 *De aromatici roſati Gabrielis deſcriptione. pagina 219.b.*
30 *De Diambra.220.b.*

31 De

INDEX

31 *De Diacalamentho Meſues, & altero Galeni. pagina 221.b.*
32 *De Diacymino. 222.a.*
33 *De Diacinnamomo. 222.b.*
34 *De Dianthο ſecundum deſcriptionem Nicolai. 223.b.*
35 *De Diagalanga ſecundum deſcriptionem Meſues. pag. 223.b.*
36 *De Diapenidio ſecundum deſcriptionem Nicolai. pag. 224.*
37 *De Diaireos Salomonis ex Nicolao. 224.b.*
38 *De Tragacantho frigido ſecundum deſcriptionem Nicolai. 224.b.*
39 *De Tragacantho calido ſecundum deſcriptionem Nicolai. 225.a.*
40 *De manu Chriſti perlata. 225.a.*
41 *De Dialacca maiori ſecundum deſcriptionem Meſues. 225.b.*
42 *De Diacurcuma ſecundum deſcriptionem Meſues. pag. 226.a.*
43 *De Diapraſſio ſecundum deſcriptionem Nicolai. pag. 226.a.*
44 *De Diatriaſantalo ſecundum deſcriptionem Nicolai. 226.a.*
45 *De Electuario Ducis ſecundum deſcriptionem Nicolai. 227.a.*
46 *De Electuario de Gemmis ſecundum deſcriptionem Meſues. 227.a.*
47 *De Electuario Iuſtino ſecundum deſcriptionem Nicolai. 227.b.*
48 *De confectione liberantis. 227.b.*
49 *De Confectione cordiali. 227.b.*
50 *De Electuario lætitiæ Galeni, ex Nicolao, & de letificante Raſis. 228.a.*
51 *De Electuario Pliris ſarcotico ſecundum deſcriptionem Nicolai. 228.a.*
52 *De Lithotribo ſecundum deſcriptionem Nicolai. pag. 228.b.*

Digitized by Google

GABRIELIS FALOPPII MVTINENSIS,

Phyſici & Chirurgi præclariſsimi,

DE TVMORIBVS PRAETER NATVRAM,

Tertij Tomi Tractatus Primus.

Præfatio.

ENVMERATIS partibus ſimplicioribus corporis, atque iiſdem optimè perpenſis, ex quibus organa ipſa componuntur, ac conſtant, iam opportunum eſt, vt quemadmodum anno ſuperiori fecimus, aliquam iſtorum organorum, ac ſimilium partium ægritudinem explicemus, tunc enim de vlceribus tractauimus ea adhibita diligentia maiori, quæ à nobis adhiberi potuit, primoq; ſimpliciſsimum vlcus, vt ſanandum ſit, diximus: ſecundò ad compoſitum venimus: tertiò morbi gallici curatio adiuncta eſt: hæc vna erat inſtrumentorum corporis ægritudo. Additur & alia, quæ vulnus vocatur; alia, quæ luxatio; alia, quæ fractura: alia etiam, quæ tumor præter naturam eſt, ac plurima alia, quæ opem chirurgicam expetunt; minimeq; iam à me enumerantur, cum de his omnibus hoc anno haud tractaturus ſim; ſed de eo tantùm morborum iſtorum capite ego ſermonem inſtituam, quod vtilius, ac vberius vobis fore cenſeo; idque eſt tumorum ipſorum genus tam frequens, tamq; hominibus varijs nominibus noxium.

Alludit tractatui de partibus ſimilaribus, de quibus egerat antea, in ſuis partib.

De tumoribus igitur præter naturam tractabo, fauente Deo Optimo Maximo, in quibus explicandis omnem meam diligentiam, atque ſtudium ſum adhibiturus, vt vos & medici doctiores, & ſolertiores, atque exercitatiores tandem hac mea opera fiatis. Cui & hoc vnum addendum eſſe exiſtimo non inopportunè, quòd inter legendum horis ijs, qui-

Proponit quid erit tractandum.

Digitized by Google

bus à gymnaſio vacabitis, mecum ad eos, qui his morbi generibus laborabunt, vos ducam, vt quæ in ſcholis audieritis, ea praxi etiam ipſa confirmetis, quod maxima vobis vtilitati fuerit, cum præſertim non omnia poſsint à me ex hoc loco vobis declarari: ſunt enim quædam ita ardua, atque ita inuoluta, vt niſi oculis conſpiciantur, apprahendi nullo pacto poſsint. Et quoniam difficillima hæc tractatio eſt, præter id, quòd longa ſit, & plurimos morbos in ſe contineat, hoc vnum vos non oratos tantum; ſed etiam exoratos velim (pro præmio meorum laborum, atque illius animi, quo non obfaſtum, aut ambitioſam honoris cupiditatem; ſed affectu fraterno, atque paterno vos ſemper amplector) exoratos vos, in quam, velim, vt animis attentioribus frequentiores adeſſe velitis, ac domi in hanc rem diligentius priùs inuigiletis; & huc ſemper parati accedatis, vt ſi quid noui à me aliquando citra antiquorum dogmata proponatur, illud cognoſcatis, quantique ſit faciendum optimè ſciatis. Præterea vt, ſi qua ex illorum ſcriptis in veſtram vtilitatem à me expreſſa fuerint, illa præmeditati ſitis: quod nequaquam vobis ſuccedet, niſi proponantur libri, ac loca, è quibus tamquam è fontibus ſitis doctrinæ huius liquorem hauſturi: quare qui inter medicos de hac materia tractent eos iam enumero: ſimiliter & ordinem ſeruandum explicabo, ac tandem ad rem ipſam veniam.

Qui Medici de hac materia egerunt. Galenus. *Inter Græcos igitur primas tenet Galenus, qui libellum doctiſsimè ſcripſit de tumoribus præter naturam, in quo omnes ferè tumorum ſpecies enumerat, & tractat: præterea ſecundum librum ad Glauconem, & decimumtertium, & decimumquartum libros Methodi, in quibus omne genus curationum tumoris præter naturam ex arte profert: hos libros voluatis diligentiſsimè: ſimulq́; & quartum, & ſextum librum* Paulus Ægineta. Ætius. *Pauli Æginetæ, & partem decimitertij, & decimiquarti, & totum decimumquintum librum Aetij legatis. Ex Latinis, præter pauca quædam, quæ diſſeminauit Octauius Horatianus in ſuo volumine rerum* Corn. Celſus. *medicarum, vnum ſolum habemus Cornelium Celſum, qui quinto, ſexto, & ſeptimo libro ſparſim de his tractauit, elegantiſsimè tamen, atque doctiſsimè. Ex ſchola Arabica ij, quorum opera vſus ſum, & pro* Raſis. *batiores ſunt, vnus Raſis eſt lib. 27. Continentis: loquor de eo Raſi qui philoſophus, & medicus fuit præſtantiſsimus, non autem de empirico Raſi, cuius ad Almanſorem extat liber. Raſis ergo ille vir maximi nominis, & auctoritatis in 27. Continentis doctè admodum de tumo-* Halyabbas. *ribus agit. Succedit Halyabbas in octauo libro Theorices, quamuis illud opus non Halyabbatis ſit, ſed illius doctiſsimi, & numquam ſatis laudati viri Iſaac Iſraelitæ, quem librum conſulo, vt legatis: nam*

pulcher-

pulcherrima, & noua res plurima in ipſo habentur, & opus illud, quod dico eſſe Iſaac Iſraelita continetur inter volumina illius, & inſcribitur Iſaac Pantechni, qui liber ſæpe à Raſi adducitur pro libro Iſaac, vt Symphorianus Campegius prodidit. Serapionſimiliter tractatu quinto aliquid ſcripſit. Albucaſis etiam in opere chirurgico quædam hic, atque illic diſſeminauit. ac tandem Auicenna, quem Principem vocarunt, & hos omnes ſuperauit; & de tumoribus præter naturam 2 primi doctrina prima communiori methodo loquitur; atque partiales poſtea tumores tertia quarti explicauit; hunc ſanè magni facio, neque contemno, vt vos interim videbitis. Inter hos Barbaros (ſi barbari ſint dicendi, fortaſſe enim Arabes iſti, qui nobis videntur barbari, ſuo idiomate non ſunt tales) ſunt & quàm plurimi noſtrates chirurgi, vt Nicolaus Florentinus, Gulielmus Placentinus, Brunus, Lanfrancus, Theodoricus, Henricus, Petrus ab Argilata, Gordonius, Ioannes de Vigo vir doctiſſimus in explicandis medicamentis, ſed in reddendis morborum cauſis imperitus ſatis; Fuchſius Germanus, quem non legi, & Guido à Cauliaco, qui quodammodo hos omnes, nullo nec Græco, nec Latino, nec Barbaro excepto, ſuperauit, quippe qui non ſolùm diligenter Hippocratis, Galeni & reliquorum Auctorum probatiſſimorum mentem, ſententiamq; ferè ſemper acceperit, expoſuerit, illuſtraueritq;, licet ea tempeſtate vixerit, qua medica facultas veluti in obſcuriſſimo carcere adhuc erat obruta; verùm etiam multa, & illa quidem doctiſſima ex ſuo addiderit, inuenerit, docueritq;: hunc ideò vobis legendum propono, iuuenes optimi: & ſi quis veſtrum ſui ſermonis barbariem abhorreret, poterit Tagaultium ipſius loco legere, qui propemodum alter Guido eſt, niſi quòd ipſe appoſitè, & ornatè admodum ea omnia docet, quæ Guidò rudi, craſſo barbaroq; ſermone exponit. Sunt & alij multi noſtrates, barbari tamen, quo ad idioma, chirurgi, qui de tumoribus ſcripſere; ſed valdè profectò ineptè: ideò eos omitto omnes, & ad ordinem, quem ſum ſeruaturus venio.

Serapion. Albucaſis. Auicennas. Iuniores. Guido. Tagaultius.

Ordo igitur noſter erit talis. Primò quid nominis rei declarabo, quid ſcilicet ſibi velit nomen iſtud tumor præter naturam. Secundo eſſentiam, ſeu naturam tumoris explicabo. Tertiò cauſas, quæ, & quot ſint, recenſebo. Quartò de tumorum differentijs, ac ſpeciebus agam. Quintò de ſignis. Sextò de curatione in communi. Vltimò ad curationes particulares deſcendam.

Ordo ſeruandus.

De varijs tumoris præter naturam appellationibus.
Cap. I.

PRIMVM igitur caput aggrediens dico affectũ hunc donatum eſſe varijs nominibus: nam Græci, & præcipuè Attici vocant ὄγκον, teſte Galeno in lib. de tumoribus præter naturam cap. 1. quamuis propriè vox iſta non tumorem præter naturam, nobis ſonet; ſed eleuationem quamlibet, & magnitudinem in molem elatam ἀπὸ τῆς ὀγκίδου, ſcilicet à magnitudine, Antiqui enim ὄγκῳ quantitatem dicebant eleuatam; vnde poſtea vox iſta ὄγκος eſt deducta, quæ inflationem (ita vertit Leonicenus in lib. 4. aphoriſmorum com. aphor. 14.) vel eleuatam molem, vel tuber, vel tuberculum latine videtur reddere: eſt enim veluti generica vox: & ideo non exquiſitè affectum hunc, qui tumor præter naturam dicitur, nobis explicat. Alias etiam voces apud Græcos inuenio, quæ eundem hunc morbum videntur explicare; ſed quæ appoſitè, & propriè id efficit, eſt vox iſta ὄγκος παρὰ φύσιν, quę nihil aliud quam tumorem præter naturam, de quo nos acturi ſumus, ſonat, & explicat. Cæterùm vt melius vocũ iſtarum ſignificationem intelligatis, oportet vos ſcire, quòd prominentiarum alia eſt quæ ſemper naturalis exiſtit, qualis ea eſt, quam in capite conſpicimus, & in articulis, vt in genu, & in lacertis, & hanc prominentiam ὄγκος propriè denotat. Altera eſt prominentia, quæ nec perpetua, nec naturalis, nec præter naturam eſt, ſed ſupra naturam, vel vltra naturam dicitur, cuiuſmodi eſt illa, quæ in obeſis corporibus apparet, vt legitur de Nicomacho Smyrnæo, qui ad tantam corporis totius pinguedinem, ac molem creuit, vt loco moueri non poſſet; verum ab Aeſculapio liberatus eſt, vt teſtatur Galenus in lib. de diff. morborum cap. 9. Idem accidit Leoni Bizantino ſophiſtæ, qui adeo pingui, & obeſo corpore fuit, vt cum ad pacandam factionem Athenis, vbi tum legatus agebat, ſuggeſtũ aſcendiſſet, riſum vnicuique mouerit. at ille quid ridetis, inquit Athenienſes? an quòd vobis videar pinguis? ſcitote vxorem eſſe mihi longè pinguiorem, tales tamen, ac tantos cum ſumus concordes breuis admodum lectulus capit: diſcordes ne tota domus quidem: quibus verbis tempeſtiuè & pro re adductis populum reſtituit paci. Talis quoque fuit magnitudo Ludouici Craſſi Regis Gallorum; ſed huiuſmodi magnitudo, vel tumor non dicitur præter naturam, quia actiones non impedit; ſed nominatur ſupra naturam, vel vltra naturam. Talis quoque eſt tumor pudendorũ in coitu; & inflatio mammillarum, dum lac concipiunt; & magnum linguæ incrementum, quod ſe vidiſſe teſtatur Galenus in lib. de diff. morborum cap. 9. huius quoque generis eſt venter in prægnantibus: teſticulorum incrementum, & ſimilia. Alia eſt prominentia, quæ naturæ fines excedit, actiones lædit, & partes corrumpit, ac conformationem ſimul; & hæc non ſimpliciter ὄγκος ſed ὄγκος παρὰ φύσιν, hoc eſt tumor præter naturam appellatur à Græcis. At Latini cùm hunc affectũ volunt nobis explicare omittunt vocem illam præter naturam, & tantũmodo tumorem dicunt, ita vt tumor apud Latinos idem ſit quòd ὄγκος παρὰ φύσιν apud Galenum. vnde melius & magis appoſitè locutus eſſet ille, qui libellum Galeni de tumoribus præter naturam latinum fecit, ſi de tumoribus, ſimpliciter vertiſſet, omiſſa voce illa præter naturam ita vt inſcriptio eſſet, Galeni liber de tumoribus, quia tumor apud Plinium, Ciceronem, Celſum, & reliquos elegantes viros denotat propriè tumorem præter naturam. Hæc eadem affectio, ideſt tumor præter naturam, ab Hipp. lib. 2. aphor. 15. & lib. 3. aphor. 26. vocatur φῦμα, quam vocem Leonicenus vertit tuberculum & potuit etiam vertiſſe tuber, nam tuber metaphoricè ſignificat etiam omnem corporis eminentiam apud Latinos; & dicitur φῦμα; quia, quemadmodum e Terra plantæ erumpunt; ita tubercula videntur ex cute oriri, & creſcere, Sed ſciatis hanc vocem φῦμα non eſſe communem apud omnes Auctores, vt hoc in loco apud Hippocratem; ſed ſpeciem quandam tumorum ſignificat apud Græcos poſteriores, vt apud Galenum, Oribaſium, Paulum, Aetium, nec non apud Celſum, de quo ſuo loco dicam. Ab eodem etiam Hipp. appellatur οἴδημα, ideſt oedema licet apud alios Græca vox iſta, οἴδημα, peculiarem quandam tumoris ſpeciem ſignificet: apud Hipp. tamen atque apud alios Hippocrate antiquiores, communis eſt vox, quæ indifferenter de omnibus tumoribus dicitur, vt conſtat ex 4. aphor. 34. Morbus ergo iſte, de quo verba ſumus hoc anno facturi, à Gal. & reliquis Græcis (vno Hipp. excepto) ὄγκος

Prominẽtiarum diuiſio.

dicitur,

dicitur, & adhuc magis propriè ὄγκος παρὰ φύσιν: ab Hipp. οἴδημα & φῦμα: à Latinis tumor, inflatio, tuber, & tuberculum: ab Arabibus autem apoſtema, licet ἀπόστημα, ideſt apoſtema apud Græcos determinatam quandam tumoris ſpeciem ſignificet; quinimmo & apud Auicennam vox iſta (apoſtema) aliquando denotat tumorem, in quo cōtinetur humor, quam ſignificationem retinet etiam apud Græcos. Interdum quoque apud eundem Auicennam (apoſtema) ſignificat tumores magnos: & quandoque apud Arabes (apoſtema) notat omnes tumores, vt colligi poteſt ex Serapione, ex Auicenna, atque ex alijs. Igitur apoſtema ſignificat quandoque abſceſſum, quandoque tumorem magnum, quandoque omnem tumorem. Apud Arabes habemus & vocem hanc (bothor,) quæ ex ſui natura ſignificat tumorem cum ſolutione continui: nam bezer apud Hebræos etiam, vt notat Sanctes Pagninus, diuiſionem partiū, & partem ipſam diuiſam aliquando ſignificat; tamen aliquando bothor ſignificat tantum variolas, quas pueruli pati ſolent, vt conſtat apud Auicennam tertia primi; & apud Bellunenſem in tabula: aliquando ſignificat omnes paruos tumores, nam Auicenna 2. primi ait: bothor eſt apoſtema paruum: aliquando ſignificat omnes tumores: vnde Auicenna inquit, apoſtema eſt bothor magnum. ecce quòd prædicatur de omnibus, quamuis magis propriè de paruis tumoribus, & adhuc magis de variolis. Barbari recentiores & ipſi ſuas habent appellationes, quibus explicent morbum hunc ideſt tumorem pręter naturam: nam vocant ingroſſationem pręter naturam, excreſcentiam præter naturam, eminentiam pręter nat. & varijs alijs modis. Colligamus igitur morbum hunc apud Hippocratem vocari οἴδημα & φῦμα: apud Galenum & reliquos Græcos ὄγκοι παρὰ φύσιν. apud Latinos vocatur tumor, tuber præter naturam, tuberculum præter nat. inflatio præter nat. apud Arabes, & barbaros bothor, apoſtema, eminentia præter naturam, naſcentia præter nat. ingroſſatio præter nat. groſſities præter nat. eleuatio præter nat. & excreſcentia præter naturam, quæ voces, omnes idem vt plurimū ſignificant, ac quaſi ſynonyma ſunt. & hæc de primo capite: iam venio ad definitionē.

Apoſtema. *Bothor.*

De tumoris definitione. Cap. II.

ESSENTIAM, ſeu naturam tumoris præter naturam varijs modis fuiſſe explicatam reperimus: Chirurgi enim antiqui, qui quatuor magiſtri ſunt vocati (fuerunt autem Theodoricus, Brunus, Lanfrancus, & Henricus) vnanimes vt teſtatur Guido affectum hunc hoc modo definiuerunt: Apoſtema eſt groſſities & inflatio facta in membro vltra ſuam naturam, & formam: hanc definitionem recenſet Guido noſter, ipſamq; damnat, & iure optimo, quoniam nimis communis eſt, cùm nō ſolùm conueniat huic morbo, de quo agimus, verū etiam tumorem quem ſupra naturam, vel vltra naturam vocauimus, nobis explicet: nam tumor colis, vteri prægnantis, & obeſi corporis ſunt inflationes vltra naturam, ac propriam formam; tamen non ſunt tumor præter naturam, vt ait Galenus in libro de tumoribus. Sed ſi vera fateri volumus, vt certè volumus, Guido imponit illis quatuor viris, vt ex eorum ſcriptis cuique perſpicuum eſſe poteſt; habemus enim nunc Guidonem à Iuntis impreſſum, cui etiam volumini adnexa ſunt ſcripta quatuor Magiſtrorum, in quibus quænam ipſorum extiterit definitio, clarè apparet, quæ talis eſt; Apoſtema eſt groſſities, & inflatio facta in membro præter propriam naturam, & præter formam; ſi enim legamus præter naturam, non autem vltra naturam, vt malè legit Guido, definitio erit ſatis accommodata: longè etenim differt dicere vltra naturam, & dicere præter naturam. Hanc definitionem cum damnarit Guido, aliam affert dicens. Apoſtema eſt tumor præter naturam in quo materia aliqua replens, & diſtendens eſt aggregata, & hanc definitionem dicit ſe accepiſſe ab Halyabbate lib. 8. Theoricæ cap. 8. Sed (eius pace dixerim) decipitur, quoniam Halyabbatis, vel potius Iſaac Iſraelitæ definitio eſt, quòd Apoſtema eſt groſſities, & tumor, qui membro ex materiæ fit abundantia eius replentis concauitates, & diſtendentis. Bonus Guido addiderat præter naturam, & quædam poſtea prætermiſerat. Verùm nec talis definitio eſt admittenda, cum nugatoria ſit potius deſcriptio quædam, quàm definitio, quia idem per idem explicat: nam nihil aliud videtur dicere, quàm quòd apoſtema eſt apoſtema, cum groſſities, & tumor præter naturam

Quatuor magiſtri antiqui. *Definitio quatuor magiſtrorum.* *Guidonis definitio.* *Halyabbatis definitio.*

idem prorſus ſint. Præterea non ſolum tumoris præter naturam, de quo nunc eſt ſermo, eſſentiam nobis aperit; verum etiam tumoris ſupra naturam, atque alterius, qui vltra naturam vocatur: tumor enim, quem in prægnantibus conſpicimus, fit & ipſe ex abundantia humoris diſtendentis, & partes vacuas replentis. Hernia quinetiam inteſtinalis eſt tumor præter naturam, vt fatentur omnes, nulla tamen ibi humiditas reperitur diſtendens, & replens, cum tumor ille non aliunde naſcatur, quàm ex inteſtino in ſcrotum prolapſo. Addatis quòd poſſunt repleri ſpatia, & cauitates ſine tumore, vt fit in obſtructionibus venarum, cutis, & ſimilibus, ſine tumore, quoniam non additur extenſio. Nec debet aliquis dubitare quòd per materiam intelligat humorem, aut rem, quæ ſit reducibilis ad humorem, quoniam ita interpretatur Guido ipſe, quod etiam confirmo ex Iſaac Hebræo: nam ab eo aſſumitur totum illud caput, vt eſt videre apud ipſum in 8. lib. Theoricæ Pantechni Iſaaci, qui inquir: Apoſtema eſt groſſities, & inflatio, quas de ſuperfluis humoribus membrum aliquod patitur. Tamen dantur apoſtemata, quæ non fiunt ex humoribus, vt enterocele, epiplocèle, & ſimilia alia, vti ſupra eſt dictum. Et ideo aliam tradidit nobis definitionem Guido, eamque dicit eſſe Auicennæ, (quem vocat principem) in 2. primi doctr. prima, & eſt, quod Apoſtema eſt ægritudo compoſita ex triplici morborum genere in vnam magnitudinem aggregata, definitionem hanc Guido approbat, & cum eo Albertus (ait) Bononienſis: quis autem ſit iſte Albertus, neſcio. Similiter eam approbat Conciliator, Petrus ſcilicet ille Aponenſis differentia 75. immo eò ſublimitatis eam extollit, vt exquiſitiorem, ac meliorem reperiri non poſſe affirmet. Tria autem morborum genera, quæ in apoſtemate reperiri dicunt, & quæ ipſum componunt, ſunt, vt dicunt, ægritudo malitiæ complexionis: alter morbus eſt compoſitionis malitia, hæcque eſt vel in figura, vel in dimenſione, & plerumque in ſitu, nullum enim fit apoſtema, quin cum eo fiat læſio figuræ & dimenſionis, & aliquando in ſitu. tertius morbus eſt ægritudo communis, quæ eſt ſolutio continui. Ex hac definitione primum elicimus morbum compoſitum, vnum tamen, & non multiplicem: nam quidam ſunt morbi, qui occupabunt aliquod membrum, ſed ita diſtincti erunt, vt vnuſquiſque poſſit curari per ſe, & iſti non faciunt morbum compoſitum vnum, ſed multiplicem, ita dicit Nicolaus Florentinus; alij verò ſunt morbi, qui in vnam ægritudinem coeunt; iſtique verè faciunt morbum vnum compoſitum. & ideo dixit, in vnam magnitudinem aggregata.

Auicenna definitio aſcripta ex Guidone.

,, Et quoniam dici poſſet, quòd dum incipit tumor, non-
,, dum vlla adeſt intemperies in parte, & ideo videtur quòd mala iſta complexio non ſit de eſſentia tumoris. Reſpondent quod duplex eſt intemperies, gradualis, & proportionalis: Gradualis dicitur illa, quum tempeties particulæ excedit in gradu; hęcque duplex eſt: nam vel parua, & accidens eſt; vel magna, & eſt morbus. Proportionalis verò eſt illa, quæ in materia fluente eſt, quæ reſpectu partis eſt intemperies; & hæc adeſt. Præterea addunt, quòd quamuis tres iſti morbi componant tumorem, non tamen ex æquo omnes, ſed vnus magis, alter minus illud facit, ita ait Nicolaus. Vnde Conciliator aſſerit, quòd intemperies primum habet locum: ſecundum ſolutio continui; tertium compoſitio, ratio autem eſt, quia cum omnis tumor fiat ex materia, neceſſariò peccat temper complexio ob malitiam materię. Alij contra volunt quòd compoſitio principalis ſit, quoniam ſi adſit intemperies, & ſolutio continui, & non adſit mala compoſitio, non eſt tumor quare ſequetur compoſitionem principalem eſſe. Sed vtcumque ſit, ſciatis, quod dictam definitionem eliciunt potius ex præcitato loco Auicennæ, quàm quòd inibi clara, & expreſſa habeatur; ipſam tamen noſter Guido multum laudat ita, vt dixerit definitiones traditas à Galeno eſſe potius deſcriptiones per accidentalia traditas, quam definitiones; & hoc quia Galenus ipſe potius ſenſui, quàm intellectui manifeſtare tumoris naturam voluit.

Aduerſus Guidonem.

Ego autem non poſſum Guidonem hac in re laudare; immò dico, quòd hac in re maximè hallucinatus eſt, quamuis alijs in rebus quàm plurimis oculatus admodum vir extiterit, ita vt ego mirer de ipſo, quo modo auſus ſit damnare definitionem Galeni, & accipere illam, quam Auicennæ aſcribunt. Sed ego tantum abeſt, vt definitionem quam dicunt eſſe Principis, approbem, vt potius illam ineptam, & nullo modo tumoris præter naturam eſſentiam explicare aſſeram, quod oſtendam, & primò negatur, quod tumor præter naturam ſit morbus compoſitus, vt ipſi volunt, immo tumor in ſe, & ex ſui natura ſimplex morbus eſt: non loquor iam (vt fortaſſe quiſpiam exiſtimaret) de tumore, qui eſt accidens, ſed de tumore, qui morbus eſt, & actiones lędit. Sed vt res hæc clarior fiat, ſciatis, vt diffusè tractat Galenus in primo capite de

Tumorẽ pręter nat. non eſſe compoſitum morbum.

diff.

diff. ſympt. & in lib. de diff. morborum cap. 12. quòd plures ſunt paſſiones, ſeu alterationes, quæ noſtrum corpus immutant; verùm non omnes eiuſdem ſunt naturæ, quoniam aliquæ ſunt, quæ ſiue intenſæ, ſiue remiſſæ fuerint, nihilominus paſſiones vocantur, & quantumuis intendantur, numquam morbi euadunt, & corpori obeſſe nequeunt, vt eſt nigrities cutis, aut albedo eiuſdem pauca, vel multa, & ſimilia alia quæ πάθη vocantur, vel paſſio, vel affectio præter naturam, numquam tamen iſta ſunt morbi dicenda; ſed paſſiones, aut ſymptomata communiori ſignificatione, de quibus egit Galenus in locis prædictis. Alterum genus alterationum immutantium noſtrum corpus eſt illarum, quæ ex toto ſunt præter naturam; & cum ſunt in corpore, ſtatim dicuntur morbi, ſiue intenſæ, ſiue remiſſæ fuerint: vt verbi gratia, augeatur oculi quiuis humor, ſit modò humor ille multus, vel paucus, ſtatim dicitur morbus, quoniam actiones lædit, vt ſuffuſio vix incipiens vocatur morbus in numero ipſius oculi. Similiter eſt dicendum de luxatione oſſis ex propria ſede, & de reliquis eiuſmodi, nam & minima articulorum luxatio appellatur morbus in ſitu. Datur & tertium genus alterationis corporum, quæ alteratio; ſi leuiſſima ſit, non impedit actiones, niſi diu permaneat, aut intendatur: nam intenſa vtique actiones lædit, vt ſi leuiter refrigeratum ſit membrum aliquod; refrigeratio illa non dicitur morbus, nec debet vocari intemperies præter naturam; ſed ſymptoma, vel ſimplex affectio. Idem dico de humiditate, de caliditate, de ſiccitate, de ſolutione continui, ac de ſimilibus alijs, quæ ſi debeant vocari morbus, requirunt magnitudinem, vnde quando non habebunt tantam magnitudinem, vt impediatur actio particulæ, in qua reperitur, quodlibet iſtorum vocatur σύμπτωμα, vel πάθος, vel συμβεβηκός; non autem dicentur conſtitutio morbifica, & præter naturam, nec morbus, cum non lædant actiones. At ſi refrigeratio ſit tãta, vt impediatur actio partis, tunc refrigeratio illa vocanda eſt morbus: idem dico & de ſolutione continui, & de tumore: nam tumor aliquando eſt veluti ſymptoma, vt quando non eſt tantus, vt poſſit impedire actionem, vixque ſenſu cognoſcitur, quod teſtatus eſt Gal. in lib. de diff. morb. cap. 12. loquens enim de morbo compoſito proponit vlcus, intemperiem calidam, ſiue inflammationem, & tumorem, quæ ſimul iuncta componunt morbum, vt tumor ſi cum alijs copuletur, cum ita paruus ſit, vt actionem non impediat, non morbus, ſed accidens, vel paſſio appellatur, vt facit dolorem: ex quo apparet, quòd requiritur magnitudo. At quando tumor actionem impedit, tunc morbum vocat ipſum Galenus, & hac ratione primo de cauſis ſympt. cap. 2. tumores præter nat. dixit eſſe morbos inſtrumentorum & morbos vocauit; & vt morbos etiam ipſos curauit in lib. meth. med. & in 2. ad Glauc. Supponamus iam nos Guidonem, & Auicennam loqui de tumore tamquam de morbo, tunc neceſſariò requiritur læſio actionis; & tamen dico, quòd non eſt morbus compoſitus, immò dico, quòd tumor eſt morbus ſimplex, qui in magnitudine tantum conſtat particulæ: at magnitudo partis aucta eſt morbus ſimplex inſtrumentorum, vt teſtatur Galenus in lib. de diff. morb. cap. 9. Sed dicetis, additur intemperies, ſine qua numquam fit tumor. Præterea Conciliator diff. 75. ait, quòd in tumore illud, quòd primò, & magis per ſe peccat, eſt intemperies immutata: ergo intemperies erit de eſſentia tumoris præter nat. quod & Galenus videtur voluiſſe in lib. de diff. morb. cap. 12. vbi connumerat tumores inter morbos illos compoſitos, qui intemperiem habent coniunctam: In libello etiam de inæquali intemperie cap. 1. & vltimo vult tumorem eſſe inæqualem intemperiem in parte cum fluxione, vel ſaltem vult, quòd in omni tumore ſit intemperies inæqualis; & ſic videtur, Auicennam, & eius ſectatores probè ſenſiſſe. Verum aliter res ſe habet & ideo ad Conciliatorem primò dico falſam eſſe ſuam ſententiam, quia ſi tumores partiales obſeruemus, certè frequentiſſime aderit intemperies, cum ij non ſint tantum tumores, ſed tumores compoſiti, vel morbi cum tumore, vt vtar verbo Gal. in lib. de inæquali intemperie cap. 9. at ſi tumorem in ſe obſeruemus, dico quòd ſi intemperies ſimplex reperitur, habet etiam propriam naturam diſtinctam: ianique iungatur cum tumore, opus eſt, vt tumor ipſe propriã ẽt naturam habeat, ac ſimplicem: & ſi eſt compoſitus, non eſt ex ſe; ſed quia habet adiunctam intemperiem, & ideò Conciliatoris dictum habet veritatem in hoc, vel illo tumore particulari, non autem de tumore, quatenus tumor eſt, quo modo à nobis in præſentia conſideratur, qui affectus communis eſt, nec intemperiem habet adnexam: & ſi tumores particulares accipiamus, verum eſt quòd coniunctam habent intemperiem: & hoc pacto intelligendus eſt Conciliator; alioqui deciperetur, & falſum diceret. Quoniam, ſi intemperies eſſet de eſſentia tumoris, quatenus tumor eſt, ſequeretur, quòd

Paſſiones noſtrũ corpus immutãtes.

Primum genus.

Secundum genus.

Tertium genus.

Tumor eſt morbus ſimplex.

Num intemperies ſit de eſſentia tumoris.

Tumores particulares coniunctam habent intemperiem non generatim.

Ratio.

quòd intemperies non eſſet quid per ſe, & à tumore realiter diſtincta, quod maximè & rationi, & veritati ipſi aduerſatur, quoniam quamuis intemperies per ſe non appareat ſenſibus exiſtere, cum per ſe in hoc, vel illo tumore particulari reperiatur, & ſit; non ob id tamen ſequitur, quòd non ſit quid per ſe re ipſa diſtinctum; ſicut non valet, ſi quis dicat, humanitas, vel animalis natura non videtur quo ad ſenſus ſeparata à particularibus hominibus, ſed ſemper cum ipſis, & in ipſis reperitur, ergo humanitas, aut animalitas (ita dixerim) non diſtinguitur re ipſa à Socrate, à Platone, & ab alijs particularibus hominibus: Eodem modo non ſequitur: intemperies ſemper reperitur cum hoc, vel illo tumore, ergo non habet eſſe per ſe, ſed eſt de tumoris eſſentia. *Altera ratio.* Præterea ſi intemperies eſſet de natura tumoris, ſequeretur, quòd quilibet tumor, inquantum tumor, coniunctam ſimul haberet intemperiem: conſequens eſt falſum, ergo & antecedens: falſitas conſequentiæ patet ex hoc, quando aneuriſma in arteria tumor eſt, nullam tamen habet coniunctam intemperiem. Sed vt hoc intelligatis, debetis ad memoriam reuocare, ſi quando Tonſorem aliquem venam ſecantem vidiſtis, qui quandoque propter rei imperitiam non venam duntaxat ſecat, verum & arteriam ſimul pungit ſublteſcentem: arteria itaque compuncta cum non poſſit, vel ſaltem difficilè, conſolidari, ſuccreſcit caro, & facit tumorem aneuriſma appellatũ, qui quidem verè tumor eſt, quis tamen, Dij boni, auderet aſſerere tumorem hunc habere intemperiem aliquam coniunctam? Hernia item inteſtinalis tumor, & verè tumor eſt, attamen nullam habet intemperiem ſibi copulatam: nullum enim in hoc tumore curando admouemus medicamentum, quod intemperiem remoueat. Callos etiam oſſeos tumores eſſe quis inficias iret? at intemperiem aliquam habere coniunctam nemo eſt, qui fateatur. Oſſium quoque affectiones illæ, quas Galenus lib. de tumore præter naturam, cap. 14. & lib. 14. meth. cap. 17. vocat ἐξοστώσεις, oſſium eminentias iſti vertunt, vere ſunt tumores; qui ex virtute vegetali valida plus humidi, quàm ſibi opus ſit, ad partem alendam attrahente, naſcuntur inſtar fungorum, & ſpongioſæ cuiuſdam ſubſtantiæ, tamen in his nulla eſt intemperies. Vidi ego hic Patauij quendam, & adhuc ſuperuiuit, qui cornu ad digiti longitudinem ſatis ſibi moleſtum in crure habet: quod quidem cornu ab eadem cauſa eſt ortum in crure, qua fungi illi, quos eſcam vocat vulgus, & vos iuuenes vtimini ad accendendum ignem, quando ſummo mane ſurgitis ad ſtudendum; nempe à facultate vegetante robuſtè attrahente, & plus etiam, quàm oporteat: cornu autem iſtud verè tumor eſt, ſicut & callus oſſeus, nullam tamen habet coniunctam intemperiem; non calidam, non frigidam, nec aliam: ergo falſum eſt, quòd intemperies ſit de eſſentia tumoris. In inflammatione rurſus incipiente, quam non negabunt eſſe tumorem, nulla eſt intemperies; at poſtea cum facta fuerit obſtructio, & ſanguis proinde efferueſcere, ac ebullire cæperit, tunc ſanè incipit fieri intemperies; priuſquam verò fuerit facta ſanguinis ebullitio, intemperies nulla vt plurimum adeſt. nullus tamen Arabum negabit inflammationem eſſe tumorem, immò dicunt, quòd inflammatio fit à ſanguine laudabili, at vbi eſt materia, ibi eſt etiam tumor. quare patet intemperiem non eſſe de tumoris eſſentia.

Obiectio. Sed reſpondent, quòd quamuis non adſit gradualis intemperies, adeſt tamen intemperies improportionalis, quia adeſt materia, quæ ſua temperie non habet proportionem ad membrum. *Solutio.* Verum demus quòd fiat in hepate. quæro ego an adſit iſta improportionalis intemperies? non adeſt certè; concedo tamen quòd adſit; ſed quid ad me? dummodo non laborent partes: contineatur in venis ſanguis, ſanies, venenum etiam, dummodo non afficiantur venæ, nihil curo. at ſi daretur iſta improportionalis intemperies pro morbo, ſequeretur quòd venæ, & arteriæ eſſent ſemper morboſæ, quoniam non ſolum in cauitate, ſed in ipſamet ſubſtantia continetur ſanguis, qui non habet proportionem ad materiam illam frigidam & ſiccam, quare hoc minime dicendum eſt.

Ad primã auctoritatẽ Galeni. Ad primam autem auctoritatem Galeni, qui enumerabat tumorem præter naturam inter morbos compoſitos. Dico, quòd Galenus meminit tumorum in eo loco tanquam morborum ſimplicium, qui cum ſoluta vnitate, atque intemperie faciunt morbum compoſitum. Verum opus eſt vt notetis, quòd inflammatio, ſcirrhus, & ſimilia ſunt morbi compoſiti ex tumore, intemperie, ſolutione continui, & ſimilibus, quod ſi vt compoſiti ſunt, poſſent collocari & ſub intemperie, & ſub ſolutione continui, & ſub tumore, non ob id tamen accidit quòd tumor natura ſua ſit compoſita ægritudo, quia iſti morbi coniuncti cum tumore ſint compoſiti, & ſi quærat ali-

quis,

Digitized by Google

quis, cur, dum componuntur iſti morbi ex intemperie, & tumore, Medici collocarunt ipſos potius ſub genere tumoris, quàm intemperiei? Reſpondeo quia ars hæc ſenſata eſt, & tumor magis ferit ſenſum, quàm intemperies præcipuè frigida, ſicca, vel humida; ideò ad hoc tamquam manifeſtum caput retulere. Ad alteram auctoritatem in libello de inæquali intemperie, ex quo loco Excellentiſſimus Braſauola Ferrarienſis ſolebat colligere intemperiem eſſe de eſſentia tumoris. Dico quòd Galenus intendit ibi explicare intemperiem inæqualem, quæ reperitur in morbis cum fluxu materiæ, & ideo vt res clarior fieret, accepit in exemplum quoſdam tumores, in quibus eſt intemperies inæqualis, & humor, vt cancrum, & huiuſmodi alios, non quòd cancer ſit tumor cum intemperie, ita vt intemperies ſit de ipſius eſſentia; ſed quòd cancer proueniens ex fluxu materiæ habet coniunctam inæqualem intemperiem, loquitur ergo de fluxione cum intemperie; & quia huiuſmodi fluxio cum intemperie raro reperitur abſque tumore; ideo Galenus accepit exemplum in tumoribus particularibus.

Ad alteram auctoritatē.

Sed notate in iſto loco Galeni de inæquali intemperie, quòd vltimo capite ait, φ in morbis compoſitis cum tumore ineſt inęqualis intemperies: ex quibus verbis colligimus tumorem non eſſe compoſitum, ſed componere alios morbos, vt ſcirrhum, œdema &c. qui morbi non ſunt tantum tumores; ſed tumores cum alijs morbis. cur verò ſub genere tumorum ſint poſiti, dictum eſt ſupra. hæcque occaſio decepit iſtos quia, cùm viderint hos omnes morbos ſub genere tumorum contineri, omneſque eſſe compoſitiſſimos, opinati ſunt tumorem eſſe compoſitum morbum, & non viderunt eſſe componentem. Abunde itaque ſatis demonſtratum eſt, quòd primum morborum genus, quod in tumore pręter naturam reperiri dicebat Auicenna nullo modo eſt de tumoris eſſentia.

Quòd autem nec alterum quod immutatam, & corruptam compoſitionem, conformationemve, aut figuram dicebat, oſtendo exemplo accepto ab oedemate: Corripiatur manus, verbi gratia, tumore illo, qui oedema dicitur, ita vt oedema totam occupet manum: tunc quæro, an manus compoſitio immutata ſit, vel corrupta? certè non, neque extrinſecus, neque intrinſecus, nulla enim vena eſt transformata, nihil obſtructum, nihil laxatum aut apertum; nec vlla manus particula locum mutauit; nec ipſius manus figura eſt corrupta, licet manus tota, quo ad molē ſit aucta, quia aucta eſt magnitudo, & hoc concedimus: nam morbus eſt in quantitate, & ſimplex, & ſimplicem habet naturam, quę tamen componi poteſt, immò crebrò componitur. Altero etiam exemplo idipſum oſtendo: Mulieres à partu ſolutæ ſolent ex imbecillitate à partu relicta, cum vel in victus ratione, vel alia in re eiuſmodi errarint, ac licentioſe nimium vixerint, varios magnos, inſanabileſque tumores contrahere, vt manus, verbi cauſa, altera reddatur maior reliqua: tunc quæro, an manus grandior reddita, fuerit quo ad conformationem immutata, nec ne? profectò non poteſt dici quòd ſic; tumor tamen eſt, & quidem præter naturam. Satirialis etiam, virilis pudendi morbus, eſt tumor præter naturam, cum totum pudendum intumeſcit, tantum tamen abeſt, vt ipſius compoſitio fuerit immutata, & corrupta, vt potius elegantius, venuſtiuſque ac fœminis gratius appareat, & ſit. Præterea in ſcrofis, ideſt tumoribus ſcirrhoſis, nulla apparet illarum glandularum tumidarum compoſitio immutatio, aut corruptio, ſed eadem eſt earum figura, licet præ humiditate exuberante maiorem adeptæ ſint molem. Quare falſum eſt, quòd immutatio compoſitionis ſit de natura tumoris, cum multæ partes tumore afficiantur, & nullam inde compoſitionis immutationem contrahant. Verum tamen eſt quòd dimenſio, vt ait ipſe Auicenna, immutatur, quoniam ex tumore augetur quantitas; magnitudo autem eſt ſpecies quantitatis, vt notat Galenus in lib. de diff. morb. cap. 8. & quantitatem ſequitur.

Non tumor immutet cōpoſitionē mēbri.

De ſitu verò quòd immutetur falſum eſt: neque enim glandula, cum patitur ſcrofam, mutat locum. quare nec mutata compoſitio eſt de tumoris eſſentia, quod erat alterum morborum genus ſecundum Auicennam.

Situm non immutari.

Quòd verò nec tertium genus, ſcilicet ſoluta vnitas conueniat tumori, quatenus tumor eſt, iam monſtrabo. Sciatis igitur, quòd ſolutio continuitatis eſt duplex, quędam clara ſenſui, quæ ſolet ſępe actiones impedire, & eſt morbus; quædam verò occulta, quæ licet affectio quædam ſit præter naturam, tamen cum non impediat actiones, non dicitur morbus, ſed affectio non naturalis. Si itaque, cum dicunt ſolutionem continui eſſe de tumoris eſſentia, intelligunt de ea ſolutione, quæ ſenſui apparet actionemque lædit, hoc prorſus à me negatur; ſin autem de occulta, & actiones non

Neque ſoluta vnitas cōuenit tumori.

Duplex ſoluta vnitas.

impediente

Digitized by Google

impediente poſſumus concedere, quamuis & hoc eſſet dubitabile admodum, quia dantur tumores plurimi, in quibus nulla nec occulta, nec manifeſta reperitur vnitatis ſolutio. Iam ergo patet definitionem tumoris ex Auicenna collectam eſſe ineptã.

Definitio tumoris ex Galeno vera.

Quæ nam igitur erit bona? nulla ſanè alia, niſi illa, quam ex Galeno accipimus. Galenus itaque in 17. meth. cap. 1. ait ſic in hoc verò totius operis decimotertio de tumoribus, qui præter naturam incidunt, diſſerere incipiemus, in quibus ſcilicet partes à naturali habitu in quantitate receſſerunt. hæc ſunt Galeni verba, ex quibus colligitur clarè, quòd tumor præter naturam eſt morbus, quo membra à naturali habitu ſecundum quantitatem auctam recedunt. Definitionem hanc comprobant quatuor Magiſtri, ideſt Theodoricus, Brunus, Lanfrancus, & Henricus.

Rationes aliquorum contra definitionem Gal.

Alij tamen contra ipſam argumentantur, atque deſcriptionem vocant, & aſſerunt non tradere eſſentiam apoſtematis: Et prima eorum ratio eſt, quia inflatio non eſt de eſſentia apoſtematis, ſed accidens, quòd conſequitur morbum in compoſitione, & quantitate.

Prima Ratio.

Secunda Ratio.

Secunda ratio eſt, quia quantitas aucta non eſt ſemper morbus, ſed aliquando accidens, & ſymptoma, quando videlicet eſt parua: at quando nimis augetur, fit morbus: quod & dolori accidit, qui tamen natura ſua eſt ſymptoma. quare ſi ſymptoma eſt, non poteſt eſſe morbus, neque eſſentia tumoris.

Tertia Ratio.

Tertia ratio eſt, quoniam quantitas aucta non ſemper eſt cum apoſtemate, veluti apparet in apoſtematibus partium durarum, & mollium, in quibus nulla eſt eminentia. in eryſipelate etiam nulla adeſt eminentia.

Reſponſio.

Reſpondeatis, & primò ad primam rationem, quòd per magnitudinem illam non intelligimus ſuperficiem mutatam per ſitus mutationem, quia illud accidens eſt, ſed intelligimus ipſam quantitatem, & molem partis auctam, quæ re vera morbus eſt. ad ſecundam dicatis, quòd omnis diſpoſitio morboſa habet intenſionem, & remiſſionem, excepta illa, quæ eſt in numero: nam intemperies, ita remitti poſſunt, vt morbi non ſint, neque lædant actiones, ſed erunt accidentia: ita quantitas, ita ſitus, ita figura; numerus autem non, quia numquam ita remitti poteſt, vt non ſemper ſit morbus. Et ideo dico, quòd quamuis tumor remiſſus aliquando non ſit morbus, communiter tamen ſumptus eſt morbus, & de hoc loquimur. Ad tertiam falſum eſt, quòd non adſit aucta quantitas; & ſi non adeſt, falsò illi affectus vocantur apoſtemata; ſed per quandam ſimilitudinem, ita dicuntur. quare Galeni definitio ſtat adhuc in ſuo robore. Ex qua definitione, & maximè ex illa particula (membra) habemus tumorem præter naturam eſſe morbum organicum, hoc eſt habere pro ſubiecto partes inſtrumentales, & non ſimiliares; quod etiam patet auctoritate eiuſdem Gal. in 2. de cauſis ſympt. cap. 2. vbi ait, quòd tumores ſunt morbi inſtrumentales; & hoc bis, terue reperit. Probatur, & ratione, quia partes ſimilares, inquantum ſimilares, non læduntur à magnitudine; & quantitate, ſiue magna, ſiue parua fuerit: caro verbi gratia, ſiue ſit ſub magna mole, ſiue ſub minima, quæ naturæ carnis conueniat, nihil minus nutritur, & augetur ab humido tranſmiſſo: partes enim ſimilares habent tantam molem non propter ſe, ſed propter organa: & ideo cum tanta moles ſit illis conſtituta pro organo, ſequitur quod illa mole alterata, alteretur organum; non autem pars ſimilaris: itidem intelligatis de pinguedine, & de reliquis ſimilaribus partibus. Cum itaque ſimilares partes, quatenus ſimilares, non aſcribant ſibi determinatam quantitatem, ſed tantam duntaxat, quanta pro ſuſtinenda ſua forma ſit ſatis, ſequitur ipſas non eſſe ſubiectum tumoris præter nat. Contra autem cum partes organicæ quantitatem determinatam ſibi aſcribant, (alioqui non agerent) & ex immutata quantitate patiantur; palàm eſt ipſas eſſe tumoribus obnoxias.

Tumorem eſſe morbum organicum.

Obiectio ex Galeno.

Sed in oppoſitum ſunt auctoritates Gal. & magni quidem momenti, & primò in lib. de diff. morborum cap. 12. enumerans morbos compoſitos partium ſimilarium, proponit ſcyrrhum, eryſipelas, oedema & inflammationem: iſti autem ſunt tumores præter naturam, ergo tumor erit morbus communis, & ſimilaribus, & organicis partibus; vel ſaltem aliqui tumores erunt partium ſimilarium. Præterea eodem lib. c. 5. duas ſpecies morborum ſimilarium conſtituit: primam, quando adeſt ſola qualitas mutata: ſecundam, quando fluit aliquis humor qualitatibus præditus, atque tumor magnus fit parti adiectus; tunc eſt intemperies cum humore, ac tumore. Ecce quòd tumor eſt etiam affectio ſimilaris partis. Cum igitur in hoc genere morborum, quod eſt in intemperie cum fluxione materiæ, contineatur tumor; & morbus talis in ſimilarib. fiat, ſequitur quòd tumor præter nat. habeat & ſimilares partes pro ſubiecto.

Rurſus

Rurſus idem Galenus in eodem lib. cap. 13. inquit: inflammatio eſt morbus partium ſimilarium, nec per inflammationem intelligit φλόγωσιν, ſed veram inflammationē, quoniam in ſuperiori capite explicat ſe intelligere de vera inflammatione: debetis namque ſcire, quòd phlegmon, ideſt, inflammatio, teſte Gal. in 13. meth. cap. 1. & in lib. de diff. morb. cap. 12. duo ſignificat: nam apud antiquos quandoque ſignificat feruorem alicuius partis, ſcilicet intemperiem calidam & ſiccam ſine alicuius materiæ fluxione, vt cū, verbi gratia, manus caleſit, & fit rubra; caleſactio, & rubedo illa vocabatur inflammatio, & hæc propriè φλόγωσις eſt: aliquando etiam apud ipſos ſignificabat tumorē præter nat. cum materię fluxione, in quo tumore eſt calor, tenſio, dolor, ac rubor magnus. Dico itaque quòd inibi Gal. non intelligit de illa inflammatione, quæ φλόγωσις propriè appellatur ſed de vera, quæ eſt tumor compoſitus ex tot morbis, & ſic videtur, quòd Gal. ſibi ipſi, & noſtræ opinioni aduerſetur.

Ex Auicenna.

Eſt præterea & ratio ſumpta ex Auicenna in 2.1. doct. 1. vbi ſic argumentatur: partes oſſeæ & dentes nutriuntur, ergo faciunt excrementa, & illa excernunt: ſi excernunt, ergo poſſunt & illa retinere, & ſic fieri poſſunt tumores in illis partibus: A ſimili dicam ego: partes ſimilares ſunt quantæ, ergo poſſunt pati affectiones quantitatis, vt diuiſiones &c. & per conſequens patientur tumores.

Ex conciliatore.

Conciliator diff. 75. cum vidiſſet hanc difficultatem, poſt multa dixit tandem, quòd tumor non eſt ſolummodo partium organicarum morbus, verum & ſimilarium; & ita morbus eſt communis.

Reſponſio ad auctorit. dictas.

Cæterum (bona ipſius venia dixerim) decipitur, quoniam ſequeretur quod diuiſio morborum à Galeno tradita eſſet diminuta, quia quartum omiſiſſet membrū. diuidens namque morbos Gal. dicebat, quòd aliud genus eſt partium ſimilarium tantum, quod in intemperie conſiſtit, ideſt in quatuor qualitatibus immutatis: alterum genus ad inſtrumentales duntaxat partes attinens, & hoc quatuor habet differentias, ſeu ſpecies, aut enim morbus iſte eſt in numero, aut in quantitate, aut in compoſitione, aut in ſitu. tertium morborum genus dicebat eſſe commune, & eſt ſolutio continui, quæ eſt morb. per ſe partium tam ſimilarium, quam organicarum. quartum etiam morborum genus, ſcilicet tumor præter nat. eſſet his tribus adiungendum; ſi Conciliatoris eſſet vera ſententia: quo nihil magis abſonum.

Sed dices: nonne habemus morbum communem, ſicuti eſt extortum membrum? Dico quod extorſio membri non eſt communis, quia ratione figuræ competit organo; ratione autem intemperiei partibus ſimilaribus: eſſet verò communis, ſi non magis ſecundum figuram, quam ſecundum intemperiem competeret his, atque illis partibus, ſimilaribus videlicet, atque organicis.

Quod ad Galeni auctes.

Sed quid ad Gal. auctoritates? Difficiles profectò admodum ſunt, & quam plurimos, vel doctiſſimos viros defatigarunt, & neminem adhuc legi, qui difficultatem enodarit. Ego autem ſoluam vt potero, atque ea lege, vt & veſtrum cuique integrum ſit ſuam dicere ſententiam, quam libenter & ipſe audiam: & ſi rei difficultati ſatisfaciet, libentiſſimè accipiam. Verum, antequam ad ſolutionem veniam, ſciatis, quòd intemperies mixtæ partium ſimilarium ſæpe carent nominibus proprijs, & ratiò eſt, quia raròſine aliquo alio morbo reperiuntur: at intemperies ſimplices habent nomina propria, vt calor, frigus, humiditas, ſiccitas præter naturam: compoſitæ verò non habent, vt dixi propriam, ac vnicam appellationem, excepta tamen febre, quæ per ſe explicatur, quod ſit paſſio calida & ſicca: cæteræ autem affectiones compoſitę ſimilarium partium explicātur per aliud, nam dicimus v.g. quod eſt intemperies calida & humida, vel frigida & humida, & huiuſmodi. Cum autem intemperies ſimplices compoſitæ non habeant vnū, nec proprium nomen, tanto minus habebunt intemperies diſſimiles. j. inæquales vocatæ, vt ſi ſit humida & calida & ſicca, vel humida frigida & calida, non nominabimus ipſas iſto modo, quia eſſet veluti per carmen ipſas vocare, quòd eſt turpe. Vnde cum quidam morbi reperiantur communes organis, & ſimilaribus partibus in quibus hę intemperies reperiuntur, & vnicum habeant nomen: ideo intemperies has hoc eodem nomine Medici ſolent nominare; & ita ſi volo dicere humiditatem & caliditatem intemperatam cum rubore, cum hæc in inflammatione compoſitori adhuc morbo reperiantur, inflammationem appellabo, ſed impropriè. Quia igitur raro accidit, vt iſti morbi ſint per ſe, ſed vt plurimum ſunt coniuncti cum ſolutione continui, cum quantitate aucta, & cum materia fluente; iccirco affectus iſti ſunt innominati, & ſortiuntur nomen aliorum, vt quando exempli gratia in cute reperitur intemperies calida & ſicca cum ſoluta vnitate & vlcere, appellabitur herpes: at ſi auferas quantitatem. j. vlcus, non di-

Intemperies mixtæ partium ſimilarium carent nomine.

cetur

cetur amplius herpes, ſed intemperies. idipſum intelligatis de intemperieb. inæqualib.

Secundò ſciatis, quod ab humore, varij proueniunt morbi, vt in intemperie, in ſolutione continui, in formatione, in quantitate & huiuſmodi; ſed dicamus de qualitate, quæ duplex in humoribus eſt, vna quæ actu eſt humida, quæ in omnibus humoribus reperitur, qua humiditate partes ſimilares laborant præter ſtatum ſuum, & ita intemperies introducitur: altera humiditas eſt potentia in ipſis, fitque in actu ob calorem, & ſic alterantur particulæ: nam ſicceantur, humectantur, calefiunt, & ſimilia. hinc cum ſola intemperies ſit paſſio ſimilarium partium, appatet, cu ralia dicatur à Galeno, quæ ſolā patitur qualitatem, alia quæ habet adiunctum humorem: nam in hac per fluxionē humoris ſemper quælibet pars fit humidior ſtatim præter vſum naturalem: præterea etiā ſuccedunt qualitates reliquæ humorum, hæcque intemperies, quæ ſemper coniuncta eſt cum tumore, magis patet, & præterea etiam, quia habet coniunctam cauſam.

Qualitas duplex in humoribus.

His ita poſitis, reſpondeo facilimè ad argumenta: Et primum erat ſumptum ex auctoritate Galeni qui enumerat tumores præter naturam, vt inflammationem, ſcirrhum, & ſimiles, inter morbos partium ſimilarium. Dico, quòd Galenus ponit ibi intemperies compoſitas & de ipſis loquitur; ſed quia carent proprijs nominibus; ideo nominat ipſas per illos morbos, cum quibus reperiuntur, nempe per tumores illos. Sed dices obijciendo: ſi Galenus intellexiſſet de intemperie, potuiſſet ipſam vocare phlogoſin, non autem inflammationem, quia phlogoſis denotat intemperiem calidam & ſiccam. Reſpondeo quòd obiectio non valet, quia dato, quòd phlogoſis intemperiem calidam & ſiccam ſignificet, non tamen ſignificat illam inflammationem quæ ab humiditate actu, & humiditate potentia, & caliditate potentia fit, quam cum vellet exprimere, dixit ſe de inflammatione loqui, non autem de phlogoſi, ideſt, de exarſione. Ad illam auctoritatem Gal. in lib. de diff. morborum cap. 5. vbi enumerat, & proponit duo genera morborum, quæ accidunt partibus ſimilaribus, & alterum illorum generū videtur, quòd ſit tumor ex ipſius ſententia. Dico, quòd tumor eſt alterum genus, ſed intemperies, quæ oritur partim à qualitatibus humorum potentia, & humorum actu, & hac ratione differt ab alia, quia etiam habet cauſam præſentem.

Hanc credo (Domini) eſſe mentem Galeni: qui difficilis valdè eſt, & à multis non intelligitur: quare cautè legatis præcipuè caput duodecimum; aliter erit contradictio cum ſecundo capite primi de ſymptomatum cauſis, cum dicat inflammationem, & reliqua huiuſmodi eſſe morbos inſtrumētales; hic verò inter morbos ſimilares enumeret.

Ad aliam authoritatem in eodem lib. de differentijs morborum cap. 13. vbi habetur, quòd inflammatio ſit morbus ſimilarium partium: Dico quòd intemperiem compoſitam vocat inflammationem. Ad rationem: partes ſimilares ſunt quantæ, ergo poſſunt augeri, & minui, & ſic poſſunt pati tumorem præter naturam. Ratio hæc eſt eadem cum illa, quæ à quibuſdam profertur quòd ſolutio continui ſit morbus ſimilarium, quia partes ſimilares ſunt quantæ, & ideo poſſunt diuidi, & pati. Sed Domini aliæ ſunt paſſiones corporis naturalis, aliæ corporis ſimpliciter quanti: nam corpus quantum diuiſum, patitur vt quantum, non autem vt naturale vegetans; & id vt inſtrumentum ſubiectum, non vt quantitas tantum, quia vt quantum habet rationem inſtrumenti: quod probo, quia actio quantitatis in corporibus eſt, vt fulciat qualitates agentes in entibus, & numero entium, & ſeruiat illis, quæ in loco ſunt. vnde minori quanto, æqualiter tamen extenſo, minor eſt ius, & actio: in maiori autem maior. at ſimilares partes non ſunt factæ propter aliud; ſed propter ſe: expellunt enim ſua excrementa, trahunt, coquunt, & aſſimulant propter ſe. ergo nihil ad ſe pertinet ſiue ſoluta, ſiue integra ſit quantitas. idem dicendū eſt de magnitudine aucta. Quare colligendum eſt, quòd ſimilares partes quātis, vt quantæ, patiantur; non tamen patiuntur vt temperatæ, ac naturales, & nutritæ: quatenus quidem inſtrumenta ſunt, patiuntur, dum patitur quantitas inſtrumenti. vnde caro, vt habet talem temperiem, talem colorem, aut talem mollitiem, aucta, aut diminuta nihil patitur: vt verò inſeruit alteri rei tanta in quantitate, tali loco, ita copulata patitur; ſed tanquam inſtrumentum. quare dico concludens, quòd partes ſimilares, quatenus quantæ, ſapiunt naturam organorum; & ideo patiuntur affectiones quantitatis: in quantum verò ſimilares exiſtunt, non ſunt obnoxiæ affectionibus quantitatis, & per conſequens nec tumoribus.

Similares partes etiam organicæ dici poſſunt.

Similares non patiuntur, vt naturales, ſed vt quantæ in tumefactione.

At aliquis iam veſtrum quæreret, an omnes partes inſtrumentales tumorem pati poſſint, vt oſſa, dum inſtrumenti rationem ſubeunt: ſimiliter & cerebrum: & videtur, quòd non, quia alterum eſt ita durum, alterum ita molle, vt non poſſit extendi.

An omnes partes inſtrumentales tumorem pati poſſint.

De oſſi.

Sed dicamus primum de oſſe: Multi in hac ſententia fuerunt, oſſa, & præcipuè dentes

pati

Auicenna. Auerroes. Conciliator. Aliorum diſcedi modus. Galenus.

pati tumorem præter naturam: nam Auicenna ſecunda primi doctrina ſecunda, teſtatur dẽtes pati apoſtemata: ita & reliqua oſſa. Auerroes 2. colligit tractatu 6. c. 2. inquit, quòd oſſa ab infuſis humoribus mordicatiuis ingroſſantur. Item ibi capitu. quinto ait à regimine groſſo inordinato ingroſſari oſſa, atque à patre ſe audiuiſſe, dicit, cuidam os dorſi creuiſſe vt cornu, minus tamen durum oſſe, & docet ibi curationem, qua eius pater vſus eſt tum in illo, tum in ſe ipſo filio: nam & Auerroi ortum eſt os dorſi ſupra alia, vt ipſemet refert. Quidam, vt Conciliator differentia 196. dicunt dentes, & oſſa non pati omnem tumorem, ſed illos tantum, quòd non à fluxu humorum, ſed ex collectione excrementorum fiunt; & hos dicunt pati os. Alij dicunt, quòd duplex eſt tumor, alter verus, alter non verus, qui potius ob ſimilitudinem dicitur tumor, & hunc dicunt pati dentes, vt habetur ex Serapione in 2. breuiarij c. 16. qui inquit, ſi dentes tota ſubſtantia uireſcunt, non mirandum, ſi quid ſimile apoſtemati illis accidit. Pariter Gal. lib. 6. Methodi cap. 5. inquit: non mirum videtur, ꝙ quid ſimile inflammationi in oſſibus fractis oriatur. Item lib. 5. de compoſit. medic. ſecundum loca cap. 8. loquens de affectionibus dentium colligit ipſos pati morbum inflammationi carnis ſimilem. Itidem dicit Auicẽna ſecunda primi doctrina prima. Similiter idipſum affirmat Iacobus de partibus, & collegit ex Galeno.

Rationes probantes oſſa pati tumorẽ.

Sed præter authoritates ſunt rationes, & prima eſt: Oſſa creſcunt, & naturaliter intenduntur ad quamlibet poſitionem, & præcipue dentes, nam ipſi in omni ætate comminuuntur, quod apparet in iis nimium auctis, quorum contrarius auulſus eſt, vt in mulis vetuſtioribus: ergo etiam præter naturam extendi poſſunt. Secunda ratio ſumitur ex Galeno, quia dentes, & reliqua oſſa creſcunt, & recipiunt alimentum: ergo redundantiæ, & defectui erunt ſubiecta: igitur & maciei, & tumori, & per conſequens paſſionibus retenti excrementi: cum enim faciant excrementa, & illa excernant, poſſunt etiam ea ipſa excrementa retineri, quibus retentis, excitabitur tumor in ipſis. Tertiò dentes, & oſſa habent meatus, & poros, in quibus recipiuntur humores, qui ſæpe corrumpuntur ibique (vt vtar verbo Iacobi) incuneantur, & excitant maximos dolores in ipſis, quod & Gal. teſtatur in ſe ipſo expertum ſe fuiſſe, vnde ipſi humores extenſi faciunt tumores. Quarto, dentes, & oſſa poſſunt putreſcere, vt docet experientia: illud autem, quod putreſcit, fit humidius, & dum fit putredo augetur calor præter naturam, & humiditas. Igitur ſi dentes molliores redduntur, poſſunt extendi, & ſic etiam intumeſcere. ergo ſequitur tandẽ oſſa, ac dentes poſſe tumores pati, ac aliquando ad actum id perduci.

Oſſa non patiuntur tumorẽ ex ſententia auctoris. Prima ratio. Tractilis, & ductilis diſcrimen.

Ad hanc quæſtionem primò dicendum eſt, & petendum, quid per tumorem intelligant, an appoſitionẽ ſimilis, aut diuerſæ ſubſtantiæ an extẽſionem partis, exempli gratia, an loquantur de appoſitione pori oſſei geniti ob fracturã, aut ob luxationẽ, aut ob deſtillationẽ, aut propter morbum gallicũ. Puto, ꝙ rñdent, ſe non intelligere de hmôi tumoribus, quia cũ forma tumoris ſit extenſio, vt audietis, ob id de his nõ eſt loquendum, ſed de tumore, qui fit per extenſionem. de hoc igitur tumore loquimur, in quo moles extẽditur, & dicimus, ꝙ corpora duriſſima non poſſunt extendi, ſed potius franguntur: talia ſunt oſſa, & dentes. Ergo non patiuntur tumorem. Ratio iſta valet, qm̃ extẽſio & vis, qua aliquid eſt tractile, atq; ductile eadem eſt, licet tractile, & ductile differãt inter ſe aliquo pacto: nam tractilia dicuntur illa, quorũ ſuperficies eſt continua, tñ à mouente tranſponi in latus poſſunt, ex Ariſt. in 4. Meteor. c. 9. vt pili, lorum, nerui, maſſa triticea: ductilia verò vocantur, quæ in latus, & in imum tranſponi poſſunt: Contraria ſunt, vt lapis, lignũ, & reliqua dura. Cum ergo oſſa ſint talia, ſequitur, ꝙ non poſſint pati tumores præter naturam. Adeſt præterea authoritas Serapionis in primo breuiarij c. 20. ꝙ oſſa non pñt tẽdi, quia ſunt dura, frigida, & ſicca valde.

Secunda ratio. Obiectionis ſolutio. Tertia ratio. Dubitatio.

Præterea inter partes corporis humani nulla extendi poteſt ad quamlibet extenſionem, quæ non habeat fibras: exemplo ſint veſicę, quę extenduntur continuò, & ob id fibras plures habent. at oſſa ſunt duriſſima, & non habẽt fibras: ergo non poſſunt extendi. Sed dicet quis contra: quædã res ſunt duriſſimæ, & carent fibris, tñ extenduntur, vt vitrum, cornua, pili: Ad hoc dicendum, ꝙ poſſunt ẽt extendi, quæ viſcida & glutinoſa ſunt: nam ſunt tractilia, teſte Ariſt. in 4. Meteor. c. 9. tale eſt vitrum eliquatum viſcoſum multum: tale eſt cornu maceratum aqua calida: de pilis eſt aliqua dubitatio, an habeant fibras: nam videmus, quòd pilos biſurcatos ſcindimus, & apparent veluti fibræ; at in oſſibus nulla eſt viſcoſitas, nec gluten, immò teſte Hippocrate, nutriuntur ex parte ſeminis pinguiori, terreſtriori, aridiorique, ac ſimili alimento: ergò cũ non habeant fibras, nec viſcoſa conſtent materia, non pñt extendi. Vltimò dico, ꝙ nullus humor ita durus eſt, vt poſſit vi extendere partem oſſeam ita duram. ergo oſſa non poſſunt intumeſcere: Sed contra inſurget aliquis dicens, quòd humores ibi infarcti tandem in ſubſtantiam craſſiorem vertuntur, ac duriorem humorem, quæ fat eſt, vt ſit dura, vt

Dilutio.

caro: nam ab illa partes oſſeę expelluntur, quamuis ſint duriſſimæ; & in molem attollun tur: ergo & hac ratione poſſunt oriri tumores in oſſibus. Reſpondeo ꝙ eſt falſum, quòd hoc fiat à carne; ſed os aridiſſimum, & inutile expellitur à parte naturali oſſis, & quantum ſeiungitur, tantum carnis gignitur. Quod ſi quis dicat: ſub oſſe ſquammaturo apparet caro, vt indicat color ruber ibi apparens: dico, quòd hoc eſt falſum: nam color ille prouenit ob calorem naturalẽ cum ſanguine copioſiori diffuſum per partem ſanam oſſis expellentem corruptam: nam ego ſæpius huiuſmodi oſſa ſcalpro abraſi, & nunquam carnem iſtam ſubiectam reperi.

Solutio argumentorũ contrariæ opinionis.

Iam reſpondeo ad primum & ſecundum argumentum. Dentes creſcunt, & augentur ſecundum naturam: ergo & præter naturam. nego conſequentiam: concedo equidem poſſe creſcere ſupra naturam, maiores ſcilicet fieri, quod accidit obeſis corporibus. Atq; valet: ex nimio alimento appoſito dentes nimium creſcunt; ergo afficiuntur ſupra naturam. Quemadmodum ex imminuto non creſcunt, ſed ſiccantur, & decidunt. Præterea ſi oſſa ab alimento extenduntur, poteſt fieri, quia alimentum (& non humor) dum apponitur ſimul & ſemel alteratum, ac os factum apponitur. quare quòd à ſubſtantia oſſea os extendatur nõ eſt mirum, quamuis hæc ſit potius æqualis appoſitio. Quòd verò humor, aut excrementum hoc faciant, mirum eſt. Ergo, dices tu, oſſa nihil patiantur ab humoribus.

Inſtantia reprimitur.

Reſpondeo, quòd obſeruaui quaſdam particulas in ſua ſubſtantia non pati tumores præter naturam, ſed intemperies, vlcera, ac ſimilia, qualia eſt epidermis, quam nunquam potui videre tumidam ſubſtantia ſua; totam quidem vidi tumidam, ſed per accidens: tumor enim ille eſt potius cutis. Idem dico de oſſe: patitur intemperiem; patitur vlcera; & eroſionẽ ab acrib. humoribus, ac medicamentis, & ab igne; tamen nõ patitur tumorem.

Solutio tertij argum.

Ad tertium argumentum: Dentes recipiunt humores, qui incuneati faciunt dolorem, vnde ſequitur tumor. Dico, ꝙ hi humores non ſunt in cauſa, vt dens doleat: nam nec dentes, nec oſſa ex ſententia quorundam dolent vllo modo, neque habent ſenſum.

Dentes Galeno, & pleriſque alijs ſentiunt.

Ratio.

Aliorum rationes in contrarium.

Iam inſurgunt omnes medici, qui dicũt dentes habere ſenſum; Quidam tamẽ dicunt dentes ſenſu deſtitui. Galenus verò cõtra aſſerit ſe ſenſiſſe dentem dolentem, & pulſantem. Præterea additur dentes habent neruos ſenſorios; ergo ſentiunt, quia habent neruos à tertio pari neruorum. Pro alijs additur: Dentes non ſentiunt, ſed nerui, & caruncula illa parua, quæ in foueis eſt malarum. Præterea, nerui non ingrediuntur dentem, ſed potius deſinunt in carunculas illas. Tertiò, ſi ſentiunt, deberent habere ſenſum, quem tertium par neruorum miniſtrat; hic eſt guſtus & tactus, ergo dentes deberent habere ſenſum tactus, & guſtus; at non habent guſtum.

Quodnã his nerum et immediatũ ſtatuant ſubiectum in dolore dicto dentium.

Caloris autem, & frigoris ſenſus nos decipit, quia fit in carunculis illis, ac neruo, quibus alligantur dentes, & medium deferens ſpeciem eſt dens, vt cuticula, quæ eſt ſine ſenſu, eſt deferens medium in cute ac carne. Præterea, dentes ſoluuntur limanturque, & non dolent, ergo non ſentiunt. Auelluntur etiam aliquando dentes, & remanet dolor, tamen videbantur ipſi dolere, & ſi ceſſat dolor, fit, quia aufertur cauſa, ſcilicet corruptio, vel compreſſio dentis, a qua ſtimulabantur neruus & caruncula. Vnde dente ablato, non tantum comprimitur neruus, & caruncula inflammata: nam dentes cum corrumpuntur, parte detecta, nullum dolorem excitant:

Auctoris de ſenſu dentium anceps iudicium.

cum verò corruptio eſt in parte recta, magnus excitatur dolor propter neruum, & carunculam. Dolorem dentiũ non ſum equidem paſſus ita, vt poſſim eſſe iudex, ſed expertus ſum ferrũ frigidiſſimum, & feruens, & mihi videor in parte exteriori dentis ſentire. Sed concedamus dolorẽ, & ſenſum adeſſe, non ob id ſequitur, quòd in dentibus fiat tumor.

Dẽtes ab humoribus non ſoluũtur: nec ab extrinſecis ſoluentib. dolore afficiũtur.

Aduerſarij dicunt, fluunt humores, explent caua, faciunt ſolutionem continui, & inde oritur dolor. Reſpondeo negando, ꝙ ſoluant continuum: nã molle non ſeparat durum; & ſi ſoluerent, non ob id fieret dolor: nã dentes dum limantur, non patiũtur dolorem, vt omnib. conſtat, & quãuis ſolueretur continuũ, tamen non fieret in ipſis dolor, quia dentes ſunt corpus, quod flecti non poteſt.

Solutio quarti.

Dentium eſt duplex corruptio.

Sphacelos.

Putrefactio.

Caries.

Teredinis animalculi deſcriptio.

Ad quartum & vltimũ argumentum, quod erat, dentes putreſcunt, & humectantur: ergo poſſunt extendi, & per conſequens poſſunt pati tumorem. Dico, ꝙ duplex eſt corruptio dentis, aut oſſis: altera, quę ſphacelos dr̃ à Gal. in lib. de tumorib. prę̃t. nat. c. 11. qua calor naturalis, vis nutritiua oſſiũ, & omnis facultas deperditur, nihil minus dura manent: altera, quando aliqua pars oſſis, ſed quàm minima a ſuccis vitioſis, atque acribus, & medicamentis abſumitur cum fętore, atq; humiditate; hæcq; vera putrefactio eſt, quæ ſi fit tantũ in ſuperficie oſſis, à Gal. τραχύτης vocatur in lib. de cauſis morborũ, c. 7. & 11. ſin autẽ appareant iam foramina, ac magna ex parte abſumptũ ſit os, teredon à Gal. ibi vocatur à ſimilitudine: nã teredon propriè eſt animal quoddam paruum, magnum habens caput, ac dentes magnos, vt habemus à Theophr. lib. 5. de hiſt. plant. c. 5. quod animal Vitru. lib. 5. c. 12. vocat teredonem: & naſcitur ex putredine in locis deriuatis à mari, vt portubus, ac ſimilibus, atq; ligna corrodit, & perforat: animalia

iſta

iſta à Liguribus nominantur brumulæ, à Piſanis brumiæ: teredones nuncupantur, quia τρήματα relinquunt, i. foramina, vt ex Gal. colligimus in lib. de cauſis morborum. c. 11. Hac ſimilitudine teredon vocatur hæc putredo in oſſe, cariem vocant interpretes Galeni; quamuis Linacer cariem etiam conuerterit ſphacelon lib. 6. Methodi: qua putredine os quibuſdam ex partibus deſinit in maximam ſiccitatẽ, vt omnia putreſcentia; reliquæ verò partes in ſaniem conuertuntur.

Sed dicet aliquis: prius emolliuntur, ergo poſſunt extẽdi: Nego quòd mollior fiat iſta ſubſtantia. Vos inſtabitis probando, quia oſſa duriſſima ſunt, & tñ in ſaniem, ac humorẽ conuertuntur, ergo ex neceſſitate fiunt molliora, quia nõ datur tranſitus de extremo ad extremum ſine medio. Huius propoſitionis interpretationem hic dimitto, ob temporis breuitatem, & reſpondeo ad obiectionem, & dico, quòd quædam ſunt formæ rerũ, quæ ſibi limitant qualitates primas, ita vt iiſdem parum permutatis, tamen ſeruetur illarum forma, vt caro; nam humidior caro eſt etiam caro, & cera eliquata eſt etiam cera; ita lignum humectatum, eſt etiam lignum; Contra quædam ſunt, quæ ita ſibi, aut ſiccitatem, aut aliam qualitatem adſcribunt, vt illa immutata ſtatim corrumpantur, atq; aliam formam acquirant: exemplo ſit lapis exuſtus, ideſt, calx, quæ gutta aquæ madẽs ſtatim in puluerem vertitur aridiſſimum: glacies etiam, quæ ſicca eſt, ex minimo calore non fit corpus medium inter aquam & glaciem, ſed ſtatim fit aqua: ita & tartarum exuſtum ſtatim aeris leuiſſimam humiditatem ſentiens in aquam vertitur, non autem in corpus mediũ. Idem dico de oſſe, quod cum ſibi limitarit ſummam ſiccitatem, quæ poſſit eſſe in corpore humano, ſtatim illa humectata corrumpitur in pus, aut aliam alieniſſimam ſubſtantiam: neq; hoc intelligo de humiditate ſuperficiali, quia tunc habeo intentum; ſed de radicata; & ita etiam habeo quod cupiebam. Ad auctoritatem verò Auerrois dico, illa nõ fuiſſe tumores, in quibus extenderentur oſſa; Sed potius additiones, & quid ſimile tumoribus, videlicet quoad intemperiem. Ad Galenum dico, oſſa pati humiditatem, & caliditatem non radicatam, qua molleſcant, ita, vt extendantur; ſed ſuperficialem, quæ inflammatio dici poſſit. De cerebro oẽs rationes ſunt ſophiſticæ, quia quamuis ſit molle, eſt tñ viſcidum. Quare nihil addo. Sed colligo omnia inſtrumenta corporis, oſſe excepto, & quodam modo epidermide, pati tumorem præter naturam: nam & in cerebro ſunt uenæ, & poſſunt fieri collectiones excrementorum, & ſic fieri tumores.

Conſiſtentia dura conſtãs ſi in cõtrariũ peruertatur, non tranſit p mediam neceſſariò, aut ſemper.

Reſpõſio ad Auerroem.

Ad Galenũ.

Cerebrum tumoribus obnoxium.

Tumor igitur præter naturam eſt morbus inſtrumentalis, in quo magnitudo recedit, ab habitu naturali. Hæc eſt forma tumoris, quæ explicatur à Galeno in libro de tumoribus c. 1. dicemus ergo, ꝙ tumor, vel apoſtema eſt morbus inſtrumentalis recedẽs ab habitu naturali per extenſionem magnitudinis in longum, latum, & profundum. Vnde ſequitur additamenta oſſium non eſſe tumores, & per hanc vocem (extenſionem) patet vt plurimum adeſſe coniunctam ſolutionem continui, immanifeſtã tamen ſenſui, nec ſemper; nam in priapiſmo nulla eſt coniunctionis diuiſio non naturalis, tamen tumor præter naturam eſt. Concludamus igitur, & dicamus tumorem præter naturam eſſe morbũ ſolum partium inſtrumentalium, & illum ſimpliciſſimum: Quod autem ſit ſimpliciſſimus affectus, patet ex eo, ꝙ habet vnicam differentiam, formamve, quæ eſt quantitas immutata; quam quantitatem, ſeu formam Gal. in libello de tumoribus vocat extenſionẽ præter naturalem in longum, latum, & profundum: Quam diſtenſionem conſequitur, vt dixi, aliqua continui ſolutio occulta ſaltem. verum ſolutio hæc, cum non ſit ſenſibilis, nec faciat dolorem, aut actionem impediat, non debet dici morbus; Sed accidens, & affectio non naturalis: Si enim ſolutio talis eſſet morbus, tumor non eſſet morbus ſimplex, Tumor ergo præter naturam eſt morbus organicus, & ſimplex in magnitudine extenſa conſiſtens: hæc eſt natura, ſeu formalis cauſa ipſius. Sequuntur modo aliæ cauſæ.

Cõcluſio quæſtionis.

Tumoris deſinitio colligitur.

Solutio continui non eſt ſemper annexa tumori.

Tumor eſt affectus ſimplex quia formaliter nil eſt, niſi quantitas aucta. p. n.

De cauſis tumorum. Cap. III.

QVEMADMODVM in reliquis rebus genitis dãtur cauſæ materiales, formales, atque efficiẽtes, pariter & in tumoribus requiritur cauſa, à qua ſint facti tumores, cauſa per quam ſint tumores & cauſa ex qua ſint. Formalem audiuiſtis eſſe corruptam illam analogiam quantitatum partium minutiſſimarum, in longum, latum, & profundum; vel, vt ſequar communem modum dicendi Gal. dicã eſſe ipſam quãtitatis extẽſionẽ in longũ, latũ, & profundũ. Remanẽt duę cauſę, videlicet materia, & efficiẽs. Sed prius loquamur de Materia, quã coniunctam tumorũ cauſam Guido appellat, cũ cõgregata fue- 1.

Cauſa formalis.

rit,atque incuneata,& fortè malè,cùm alia coniunctior detur: neque hoc dico,quia negem dari cauſam coniunctam, cùm illa ex Auicenna, & quàmplurimis ex locis Galeni colligi poſſe videatur; nec iam recentiores impugno,qui illam negant, ſed tantum dico materialem hanc cauſam,ideſt materiam ipſam, non eſſe,ſi datur, exactè coniunctam.

Quæ ſit materia tumorum ex Auicenna enumeratio.

Sed videamus quę ſit iſta materia. Auicenna ſecunda primi,doctrina prima ſex genera materię enumerat apoſtematum,ſanguinem ſcilicet,phlegma, bilem,melancholiam, aquoſum humorem,atque flatum. Verùm Auicenna in hoc diminutus eſt:nam licet tumores fiant ex his,non tamen omnes ex aliquo iſtorum fiunt, quando in tumoribus ſæpe reperiuntur corpora quædam,quæ humores non ſunt,nec ſimilia illis,nec flatus,nec aqua, aliquando etiam maſſa ipſa tota ſanguinis, vel ex maſſa ſanguinea pars profluit, quam nomine humoris appellare poſſumus,tamen nō ſanguis erit,nec bilis, nec phlegma,nec melancholia,nec flatus,nec aqua.

Inſufficiens eſt.

Duplex materia ſecundum Guidonem.

Guido noſter rē diligentius explicare volens dicit, ꝙ materia tumorū eſt duplex: aut enim materia tumorum eſt materia naturalis, aut non naturalis; naturalem materiam dicit eſſe humores naturales,non naturalem verò humores nō naturales. Vocat humores naturales maſſam ſanguineam, quæ ſanguis abſolute vocatur à Gal.in lib.de atra bile.cap.2.ac multis alijs in locis,& eſt aggregatum ex quatuor humoribus, qui oēs in illa maſſa ſunt in potentia,& inter ſe refracti,non autem ſunt in actu. Scire enim debetis,ꝙ vox iſta ſanguis aliqñ ſignificat maſſam ipſam ſanguineā,aggregatum,ſ. ex quatuor humoribus,in qua maſſa,vt iā dixi,ſunt in potentia,& refracti,qui humores naturales ſunt, & partes corporis nutriunt:atq; ii ſunt ſanguis,vel maſſa,vt barbari dicunt,temperatior, ſine exceſſu aliquo:maſſa pituitoſa,in qua dominatur pituita:maſſa bilioſa,in qua copioſior eſt bilis;maſſa melancholica,in qua ſuccus ater dominatur: quæ omnia ſanguis ruber à Galeno,flauus,aut niger vocantur,vt aquoſus,& pituitoſus:interdū ſignificat quartam partem maſſæ. Igitur per humores naturales Guido intelligit maſſam hanc,quæ licet aliquando frigidior,aliquando calidior,humidior, vel ſiccior, iuxta diuerſorum corporum habitus fiat;tamen naturalis dicitur;quoniā ex ipſa, ſeu ex quatuor humoribus, quibus conſtat,partes omnes aluntur,ſiue modo humores in ipſa maſſa æquales ſint, ſiue alter ſuperet alios,& excedat. Non naturales verò appellat quatuor eoſdem humores à maſſa ſeparatos,& interſe non amplius cōmixtos,ſed actu per ſe, & ſeperatim exiſtentes,quos humores vocat non naturales; quia ſic ſeparati non nutriunt partes, nulla enim reperitur pars,quæ ex ſola bile atra,uel rubra,pituitauè nutriatur,& de natura iſtorum quatuor ſuccorum eſt,teſte Gal.in lib.de atra bile,ut,cum a maſſa fuerint ſeparati, & extra uaſa,non amplius concreſcant: ſimiliter ſi concidant in ſolum,non concreſcūt amplius. Sunt autem ſecundum Guidonem humores iſti non naturales quatuor numero:ſanguis,pituita,bilis flaua,& melancholia. Humores igitur naturales, & non naturales iuxta Guidonis ſententiam ſunt tumorum præter naturam materialis cauſa. Cuius inuentio uenuſta quamuis ſit,& docta, manca tamen eſt, & diminuta; quoniam multæ aliæ res inueniuntur,quæ tumores faciunt; ad nullum tñ iſtorum duorum capitum poſſunt redigi, cum nec naturales, nec etiam non naturales exiſtant,vt infra paulò patebit.

Sanguinis duplex ſignificatio.

Maſſa ſanguinis varia.

Humores nō naturales.

Guido non ſatisfacit.

Vnde ego dico ſex eſſe capita,vel fontes,ex quibus tumorū oīum materiā haurimus. Primum igitur caput, vel prima materialis cauſa tumorū eſt maſſa ſanguinis, quæ facit tumores,vel qñ naturaliter ſe habet,vel qñ præter naturam: Secundum naturam ſe hēt maſſa ſanguinis,qñ eſt integra,& in ſua natura conſiſtens;non naturaliter verò, qñ eius natura eſt corrupta,vt ſi,verbi gratia,ſanguis fluat in partem aliquam, & faciat tumorē, tunc tumor ille dicetur fieri à maſſa ſanguinea naturali,vel naturaliter ſe habente; ſi cōtra ſanguis in parte aliqua obſtruatur,inibique putreſcere incipiēs faciat abſceſſum,materia illius tumoris dicetur nō naturalis. Alterum caput,ex quo ſumitur materialis cauſa tumorum ſunt humores à maſſa ſeparati;humores autem iſti hoc modo accepti ſunt tres tm̄ contra Guidonē,phlegma,& bilis vtraque;ſanguis enim non pōt re ipſa ab aliis humoribus per ſe ſeparatus reperiri actu per ſe exiſtēs,ſed ſemper in maſſa: Cæteros aūt humores ſingulos per ſe ſeiunctos à maſſa, & quemcumq; per ſe actu exiſtentem inueniri tum ſenſus,tum ratio ipſa docet;at ſanguis pro quarta parte maſſæ nunquam in tumoribus ſyncerus inuenitur:Et quamuis Gal.dicat inflammationem oriri à ſanguine;tñ intelligit de maſſa puriori,atque æqualiori,vt ſuo loco audietis: Et ſicut maſſa ſanguinis dupliciter erat cauſa tumorū,vel cum ſecundum naturam ſe habebat,vel qñ præter naturam;ita ēt humores iſti faciunt tumores;aut qñ non ſunt corrupti, aut cum putreſcunt.

Sex genera materiæ facientis tumorem.

Primū ſanguis integer.

Aut corruptus.

Secundum: alij à ſanguine humores ſynceri.

Tertium caput eſt pars ſolida: nam ſæpe partes ſolidæ recedentes à propria ſede faciunt tumores,vt cum oſſa luxantur,ſuoq; loco dimouentur, faciunt vt partes, in quas prolapſa ſunt, intumeſcant: ita & inteſtinum deſcendens in ſcrotum; pariter & omentum

Tertiū Pars ſolida.

deſcendens

deſcendens in inguen; & caro excreſcens circa vaſa ſeminalia facit tumorem in ſcroto, qui ramex dicitur: omnes iſti tumores, cum habeant pro materia partes ſolidas, reducuntur ad hoc tertium caput, ſeu fontem. *Quarta materia aquoſa.* Quartum eſt materia aquoſa, quæ non eſt ſimpliciter humor; & aquoſa iſta materia duplex eſt, aliquando naturalis; aliquando præter naturam; *Naturalis.* Naturalis eſt, vt quæ in inteſtinis, & in abdominis cauitate reperitur, quæ quidem naturalis eſt, quia inteſtinorum motioni vſui eſt: & hæc eadem humiditas aquea in abdominis cauitate contenta deſcendit interdum in burſam, ſcrotum dictam; & facit herniam, vel ramicem aquoſum; *Non naturalis.* Non naturalis verò eſt hæc humiditas aquea cum hydropem facit, vti etiam eſt humiditas illa aquea, quæ excitatur in ſingulis partibus. *Quintum Flatus.* Quintum caput eſt vapor, ſeu fumus quidam interceptus, vt eſt in hernia ventoſa, vel ramice ventoſo, flatuoſoue dicto. *Sextũ quod toto genere præt. nat.* Sextum & vltimum eſt, ad quod omnia, quæ ex toto genere ſunt præter naturam reducuntur: hæc autem ſunt multiplicia quæ in locis contenta, ſeu retenta faciunt tumores, & primo ſunt omnia excrementa præter naturam retenta in parte aliqua: ſecundò pus, id eſt ſanies cocta, vel cruda; bona vel mala; benigna vel maligna, fętens, aut non: tertiò mellea quædam ſubſtantia: quartò materia quædam, quæ eſt veluti polenta, vrina, amurca, mucus, laridum, ideſt materia quædam à laridi ſimilitudine ſic dicta: item grumus ſanguinis, tofi, calli, capilli, lutum, vngues, filamenta, lapides, carbones, glandes plumbeæ, animalia ipſa viuentia, vt vermes: hæc enim omnia aliquando, immo ſæpius viſa ſunt facere tumores, & ego plures vidi tumores, in quibus hoc, vel illud iſtorum continebatur, & faciebat tumorem: vidi lapides, & illos quidem magnos: reperi etiam in tumoribus lutum: *Mira.* ſimiliter mucores ita concretos, vt videretur glacies: oſſa vidi ſemel: vngues nunquam, pilos frequenter in tumoribus frigidioribus: carbones non vidi: ſed vidi laridum, polentam, vermes, & pediculos in quodam milite, in quo fiebant tumores, qui rupti vomebant pediculos: filamenta: vermes innumerabiles: tophaceam gypſeamque materiam, & præſertim in podagricis tumoribus, & huiuſmodi alia plura tumores facientia vidi, & extraxi: ſicut oſſea quędam fruſtula; quæ tamen nec ſquamma, nec particula eſſent oſſis illius partis, quæ tumorem pateretur, ſed in tumore ipſo genita. Hæc igitur ſunt ſex capita ex quibus tumorum materię omnium accipiuntur.

Cauſæ efficientes. Succedunt modo cauſæ efficientes, quæ ſunt duum generum: nam aliæ dicuntur procatarcticæ, ſeu primitiuæ, quæ à Celſo in præfatione primi libri vocantur cauſæ euidentes, & cauſæ externæ, eò quòd extrinſecæ ſint, & pateant; aliæ verò nuncupantur cauſæ antecedentes à recentioribus, quia quadam coniunctione præcedant morbos, & hæ à Celſo ibidem appellantur cauſæ abditæ, & cauſæ continentes morbum.

Primitiuæ. Primitiuas cauſas vocamus ex ſententia Galeni in 1. lib. de cauſis pulſuum cap. 1. quicquid extra corpus humanum illud ita afficere poteſt, vt inde oboriantur aliqui morbi, concurrentibus alijs cauſis, aut non concurrentibus; atque de his primum agamus. *Guidoni quę.* Guido duas tantum proponit cauſas primitiuas tumorum, caſum ſcilicet, atque percuſſionem: per caſum poſſumus intelligere præuenientem luxationem, & fracturam, vnde poſtea fiunt tumores; per percuſſionem autem contuſionem. *Auicennæ quæ.* Auicenna ſecunda primi doctrina ſecunda c. 18. Has pariter duas cauſas tantùm proponit, caſum, & percuſſionem. Verum quarta primi cap. 25. tertiam addit, videlicet morſum, vt ſint tres cauſæ, caſus, percuſſio, & morſus, ſiue ictus animalium: per percuſſionem, & per morſum intelligatis rem mordentem ac percutientem: aliter efficiens non eſſet extra corpus.

Refelluntur illi. Verùm Auicenna, & Guido in hoc diminuti ſunt, quoniam dantur multæ aliæ cauſæ, quæ ad nullum iſtorum trium generum reduci poſſunt, ſicut paulo infrà patebit.

Tagaultius fruſtra laborauit. Ob id Tagaultius, vt & ipſe videretur aliquid inueniſſe, dicit cauſas eſſe, caſum, percuſſionem, fracturam, diſtenſionem, luxationem, & errorem, qui in victus ratione committitur. Sed nihil & ipſe egit, quoniam omnes iſtæ cauſæ ab ipſo aſſignatæ reducuntur ad illa duo genera Guidonis: nam mala victus ratio reducitur ad primum; reliquę verò omnes ad ſecundum, ſcilicet ad percuſſionem: & ita omiſit etiam ictum animalium venenoſorum, quæ tamen cauſa neceſſariò requiritur.

Auctor recenſet cauſas primitiuas. Dicamus ergò nos, quòd prima efficientium cauſa tumorum eſt ambiens aer, qui fit cauſa tumorum tribus modis, ſcilicet per æſtum, per frigus, & per contagium: nam primitiuæ cauſæ agunt etiam per intemperiem, teſte Galeno in 2. de natura humana, commento quinto; vndè aer induendo hanc, vel illam intemperiem, eſt in cauſa tumorum, vt ait Galenus in ſuis commentarijs de natura humana, cõmento 5. *Prima eſt aer intemperie calida.* Intemperies autem iſta, qua mediante aer ambiens efficit tumores, vel eſt nimis calida, vel laxa, & tepida, vel frigidiſſima, vel qualitas cõtagioſa: caliditate quidem nimia fiunt tumores, vt ſi quis æſtiuo tempore ſub ſole deambulans contrahat tumorem pulmonis, peripneumoniam

dictum, vt ſæpè contingit: a tepido autem laxoque calore, vt ſi quis noctu faciat iter ſub plenilunio: calor enim ille lunaris tepidus ſæpe facit tumores vel glandularum, vel narium, vel poſt aures: nam calor ille ſuo tepore poteſt humores eliquare, ſed non diſcutere ſicuti etiam ſolet fieri à calore ſolari Martio, vel Aprili menſe. A frigiditate autem intenſiſſima ſolent fieri tumores, vt perniones pueris admodum familiares, qui non aliunde oriuntur, quàm ab externa frigiditate intenſiſſima. A qualitate demum maligna, vt ſi quis permanſerit in loco aliquo, vbi fuerit aliquis, qui carbones, vel peſtiferos morbos ſit paſſus, ex mala qualitate inibi relicta contrahat tumorem præter naturam: id ipſum ſolet fieri per contagium in bubonibus gallicis, variolis puerulorum contagioſis, in lepra, in indumentis illorum, qui peſte, aut gallico ſunt infecti, in ſcabie etiam, ac ſimilibus. Sæpe etiam viſum eſt, fieri tumores ex mala qualitate arborum, vt iuglandium ſub quarum vmbra dormientes ſæpe contrahunt tumores. Id ipſum compertum eſt fieri, ſi quis fodiat tapſiam, quæ turbith verum eſt, ſine caligis aduerſo vento: ſtatim enim ex mala qualitate illius plantæ tranſmiſſa intumeſcit foſſoris burſa. Iſtis igitur modis ambiens ſolet eſſe cauſa tumorum.

Frigida.

Maligna qualitate,

Secunda contactus ſolidi intemperati.

Altera cauſa eſt omne corpus ſolidũ contagens humanum corpus, vt contractus alicuius rei ſolidæ calidiſſimæ, vel ignitæ, vel etiam frigidiſſimæ, ſicut ego vidi in muliere quadam, quæ ex inſeſſione nudis natibus æſtiuo tempore ſupra marmor contraxerat in natibus duos magnos tumores frigidos.

Tertia primitiua cauſa.

Tertia eſt corpus fricans, & atterens: exemplo ſunt nobis calli pedum, & interrigines, id eſt veſiculæ aqua plenæ, quæ in pedibus ex attritione ſoccorum, vel calciamentorum ſolent aliquando oboriri.

Quarta.

Quarta eſt corpus præter modum attrahens, vt cucurbitulæ, ſi diu hæreant corpori, ex valida attractione ſolent partem in tumorem eleuare.

Quinta.

Quinta eſt corpus extrinſecum faciens ſolutionem continui, vel manifeſtam, vel occultam: manifeſtam, vt ſi pars aliqua vulneretur, ſæpe vulneratæ parti ſuccedunt tumores, cauſa autem eſt corpus ſecans, abditam verò, vt tumor, qui in parte aliqua inducitur ex contuſione à corpore extrinſeco contundente, & ad hoc caput reducitur etiam caſus, & luxatio.

Sexta.

Sexta ſunt animalia quæ ictu, vel vulnere excitant tumores, vt ſcorpio, vipera, ceraſtes, mus araneus, &c. hæc enim animalia, ſi partem aliquam corporis momorderint, ſtatim excitatur tumor non ſolum partis ictæ, verum & totius aliquandò corporis. Sed hic notate, quòd mordentia corpora, viua tamen, faciunt ſolutionem continui manifeſtam: vnde tumores ſequuntur, non tamen ſemper: nam locus ictus a ſcorpione ſtatim tumorem patitur, vt teſtatur Dioſc. lib. 7. hocque verum eſt in regionibus calidis; at in noſtra regione, vbi ſcorpiones ſunt minus venenoſi, oriuntur tantum puſtulæ, ac tubercula parua variolis ſimilia; ex viperæ verò ictu totũ corpus intumuiſſe vidi: ſicut ex ictu ceraſtis vidi partem contraxiſſe ſcirrhum, atque tenſionem. Addit Dioſc. inflammationes, ac puſtulas oriri circa ictum vel morſum muris aranei, hic dimitto canum, ac aliorum animalium morſus, quos tumor aliquando ſequitur, aliquando non.

Notandum de mordẽtib.

De ſcorpionibus, & alijs.

Septima.

Septima cauſa eſt labor, vt longa equitatio, quæ ſolet interdum, immò ſæpè tumores in inguinibus facere; ſic & malus vſus, vt ſi quis cum labore ambulet: nam propter impedimentum alicuius muſculi cruris alterius labor ille ſolet aliquando facere tumores.

Octaua.

Octaua, & vltima eſt totum illud, quod aſſumitur in corpus, & ſub hoc capite continetur mala victus ratio: hæc autem, quæ aſſumuntur in corpus, vt cibaria, & huiuſmodi, ſolent facere tumores, vel ſua quantitate, vt nimia ciborum copia facit plenitudinem, vndè poſtea verno tempore oriuntur tubercula in cute, vel ſua qualitate, vt ſi quis ſit abſtemius à vino, & incipiat ipſo vti, ſæpe vinum illud ob ſuam caliditatem excitat tumores præter naturam in corpore illius, qui vino prius abſtinebat, vel ratione occultæ qualitatis, vt ſi verbi gratia parua portio cantharidis exhibeatur cuipiam in vino (quemadmodum ſolet aliquando fieri ioci gratia in ruſticis) videbitis illius pudendum ſtatim intumeſcere: Similiter erucæ pineæ, & ſalamandra epotæ faciunt a tota ſubſtantia tumorem, ac inflammationem linguæ, & faucium, vti bupreſtis excitat tumorem ſtomachi, ventris, & hydropem ipſam: Tumorem totius corporis eadem ratione, & veluti cachexiam efficit rana rubeta, quæ botto vel roſpo vocatur. hæc ſunt capita à quibus omnes cauſæ extrinſecæ & efficientes tumorum accipiuntur.

Varij in diuerſis partibus à varijs venenis tumores.

Interna cauſa.

Retentio ſuperfluorum.

Excrementa retinentur 1. ob facultates.

Interna autem efficiens cauſa eſt duplex, vna quidem receptio, ac collectio copioſorum excrementorum, vel humiditatum in aliquo loco; altera verò tranſmiſſio, vel fluxus eiuſdem humiditatis. Excrementa autem contingit vt retineantur in loco varijs de cauſis, Auicenna auctore, ac teſte in ſecunda primi, doctrina 2. & Galeno in lib. de cauſis morbo-

morborum, cap. 6. Quandoque enim excrementum recipitur, & continetur in aliqua parte propter facultatem concoctricem debilem, quæ ſua imbecillitate, cum nequeat alimentum concoquere, conuertit illud in excrementa, quæ poſtea retenta faciunt tumores: quandoque propter imbecillitatem facultatis expellentis: quandoque ob nimis validam vim retentricis facultatis, quæ ita aliquando valida eſt, vt non ſolum, quod bonum eſt retineat, verum etiam malum; quod poſtea in cauſa eſt, vt fiat tumor in parte illa, vbi retinetur. hæ ſunt cauſæ retentionis excrementorum ſecundum Galenum. Quibus addatis vos anguſtiam meatuum partis: ſi enim meatus non pateat, excrementa nequeunt foras propelli, & ſic faciunt tumores, ſicuti videmus teſtes intumeſcere ex obſtructione meatuum ſeminalium. Secundò addatis impotentiam excrementi ad hoc, vt poſſit expelli, vt cum excrementa nimis craſſa, & viſcida ſunt, vt accidit de ſemine, quod niſi calore per attritionem eliquetur, aut meatus augeantur, egredi non poteſt, vndè retentum, & coaceruatum facit tumorem teſtium. Auicenna addit aliam cauſam tumoris præter naturam; & eſt anguſtia breuitasq; vaſorum illorum, quæ ſunt in loco: quando enim, verbi gratia, vaſa manus ob eorum breuitatem, & anguſtiam nequeunt totum illud ſanguinis, quòd eò tranſmittitur, in ſe recipere, & continere, fit, vt ſanguis ille extra fundatur, & eſt in cauſa vt pars, in quam ex tranſmiſſione, transfuſioneve eſt prolapſus, intumeſcat: cauſa autem conſtrictionis vaſorum ſolet ſæpe eſſe frigiditas, & ita frigiditas conſtringens venas, & arterias poterit aliquando dici cauſa tumorum præter naturam. & hæc de prima cauſa efficienti tumorum interna.

Concoctricē, & expultricem debiles. *Retentricem validam.* *Viarum anguſtias.* *Excrementi conſiſtentiā.* *Vaſorū paruitatem.*

Succedit modo altera cauſa interna, quæ nihil aliud eſt, quàm fluxio humoris à loco ad locum, quæ nec ipſa ſimplex eſt, cùm dicant recentiores fluxum fieri ſex de cauſis ex Halyabbate, lib. 8. Theoricæ, cap. 8. prima quarum eſt particula repellens, robuſta. ſecunda excipiens imbecilla; tertia materiæ copia, & multitudo; quarta meatuum deferentiam laxitas; quinta meatuum propellentium anguſtia; ſexta ſitus excipientis partis inferior. ſed ſciatis, quòd in quinta cauſa Recentiores imponunt Halyabbati, quoniam non meatus propellentes anguſtos in cauſa ponit, ſed inquit debilitationem paſcentis virtutis in mēbro ſuſcipiēte eſſe cauſam fluxionis, quod ēt legimus apud Iſaac Iſraelitā.

Altera cauſa īterna fluxio, quæ ſex habet cauſas.

Hanc, domini, cauſam non ſimplicem, ſed triplicem eſſe dicamus, quę fluxum reſpicit, fluxio ſcilicet ipſius humoris: exceptio eiuſdem humoris: tranſitus medius per canales: Ad hoc enim, vt materia aliqua humida fluat in partem aliquā, tria, teſte Galeno in 13. Methodi, requiruntur: motus humoris: tranſitus opportunus, & aptitudo partis, ſeu loci, in quem humor fluit ad excipiendum ipſum. Niſi enim humor moueatur, & agitetur, nequit in partem aliquam fluere: quemadmodum etiam ſi viæ, vt puta venæ, per quas humor deb[illegible] tranſire, nō pateant: ſimili quoque modo ſi humor fluat in partem, & illa nequeat ipſum cohibere, ac recipere, nunquam excitabitur tumor. Tria igitur ad hoc, vt fluxio faciat tumorem, requiruntur: motus humoris: tranſitus opportunus: & aptitudo partis ad recipiendum, & retinendum ipſum.

Tria conſiderantur in fluxione.

Sed motus humoris ad fluxionem altera duarum cauſarum fieri ſolet, teſte Galeno 13. Method. cap. 3. nam fluxio humorum eſt motus localis, quo humor à loco ad locum mouetur: Aut enim mouetur quia expellitur, aut quia attrahitur.

Motus humorum tres habet cauſas.

Addatis vos & tertiam cauſam, quam humor ipſe habet ſibi annexam: neque enim ſemper humor mouetur ad aliquem locum, quia vel expellatur, vel attrahatur; ſed quandoque mouetur eò à principio ſui intrinſeco, & connaturali, quemadmodum dicimus graue ſuapte natura deorſum tendere: ſimiliter & in humore fit aliquando, vt cum ſanguis eſt maximè ſpirituoſus, & calidus: tunc enim facilè humores mouentur, abſque quo aut expellantur, aut attrahantur: & ſciatis, quòd neceſſariò addenda eſt tertia hæc cauſa: nam in hydrocele, & in tumoribus pedum obiter conſtat, quòd, dum dormiunt elatioribus pedibus, humores, qui tumorem faciebant, recurrunt ad locum ſuum, abſq; quo, vel attrahantur, vel expellantur. Redditur autem ſanguis ſpirituoſior, & calidior, aut ex totius, aut partis calefactione, partis inquam, vel expellentis, vel recipientis, vel alterius, quæ ſit princeps, etiam ſi non expellat, vel recipiat, vti eſt cor in ira. Solet autem corpus totum, & eius partes incaleſcere propter motum animi, vel corporis, vel propter rationem uictus calefacientem, uel propter medicamenta, & maximè purgantia: unde ira, curſus, uina potentia, cibaria calefacientia, ira & medicamenta, & reliquæ primitiuæ cauſæ calefacientes ſolent eſſe in cauſa, ut incaleſcat corpus, & partes, & ſic ſunt in cauſa, vt ſanguis incaleſcat, & fluxibilior reddatur: quare non duplex, vt ait Galenus ſed triplex erit cauſa motionis humoris à loco ad locum: expulſio, attractio, & propenſio, ſeu principium humoris intrinſecum, de quò cum iam dixerimus; ſequitur vt de alijs duabus verba faciamus, & primo de expulſione.

Materiā tumorū quandoque moueri à principio intrinſeco. *Hinc colligit tres cauſas motionis materiæ.*

Galenus

Principium extrinſecum primum eſt pars expellens.

Galenus itaque in 13. Meth. cap. 3. dicit, quòd ſanguis expellitur à loco ad locum, ſcilicet à parte ſana ad partem affectam, aut quia moleſtat partem ſua quantitate, aut qualitate manifeſta: aut quantitate, & qualitate ſimul: addatis vos & qualitatem occultam. Pars igitur, in qua humor reſidet aliquis, inſurgit ad illius expulſionem, vel quia læditur à ſua quantitate; vel quantitate, & qualitate ſimul; vel qualitate ſola maligna, vel qualitate non maligna.

Secundũ eſt attrahens. *Attractio duplex.*

Dicamus modò de attractione: nam & ipſam poſuimus cauſam cum Galeno fluxionis humoris. Sciatis igitur duas eſſe attractiones, vna eſt vera attractio, in qua trahens, & tractum mouentur: de qua meminit Ariſtoteles 7. Phyſicorum, tex. 10. & eſt latio, in qua motus trahentis ad ſe, vel ad aliud, celerior eſt motu tracti; neque ſeiungitur ab eodem. hanc Auerroes in digreſſione in illum textum vocat tirationem. Altera eſt attractio, quæ dicitur attractio æquiuoca, in qua trahens quieſcit, & tractum mouetur loco; ſed in ipſo tracto, quod verè ex ſe mouetur, requiritur, vt inquit Auerroes, vt ſit in aliqua qualitate, aut diſpoſitione trahentis: quam rem Galenus in libris de facultatib. naturalibus, & in libris de facult. ſimplicium medic. appellat ſimilitudinem ſubſtantiæ, vel proprietates qualitatum ſubſtantiæ, vt magnes trahit ferrum ſimilitudine ſubſtantiæ, & diſſimilitudine fugat: partes ſimilares trahunt ſanguinem, & alimentum. addit Auerroes electrum, quod trahit paleas, de quo aliqua eſt dubitatio vnde oriatur, ſed nõ eſt hic locus.

Neutra locũ in tumorib. habet.

Nullo autem horum modorum fit fluxio humorum in tumoribus, non quidem primo: quia pars, ad quam fit latio, quieſcit: nec ſecundò, quoniam non ob ſimilitudinem ſubſtantiæ cum faciat morbum; ſecundo, quia quod hoc modo trahitur, ibi in parte conſeruatur, perficitur, & in ſubſtantiam quodammodo vertitur, vt vult Galenus. hoc autem non eſt in tumoribus: & ideo Galenus geminas cauſas huius attractionis poſuit in ſecundo de differentijs febrium, cap. 11. calorem, atque dolorem; quę tamen non videntur veræ cauſæ, & primum dicamus de calore.

Sed ea tantum, quæ fit à calore aut dolore. *Caloris actiones.*

Inter actiones caloris connumeratur rareſactio, apertio, eliquatio, extenſio, ſeparatio contrariorum, leuatio, vt ita dicam, & ſimilium vnio, quia omnia ad primam actionem, calefactionem ſcilicet, ſequuntur, quemadmodum teſtantur omnes Philoſophi; ſed nullus eſt, qui inter actiones caloris ponat attractionem: ergo, dicetis vos, non fit attractio a calore. Præterea, ſi à calido fit attractio, ergo à frigido fiet impulſio. Sed aliquis veſtrum reſpondet dicens, à frigido fit repercuſſio, & expulſio, ergo a calido attractio. Sciatis quòd à frigido fit frigefactio, conſtipatio, & contractio, & ad hæc ſequitur expreſſio: ideo humores exprimuntur: ergo à calido non fit attractio; ſed fit motus humoris ad partem laxiorem. Quam veluti vacui fugam agnouit Galenus, & propterea in commentario ſeptimi aphoriſmorum dicebat, in exarſionibus à calore nimio trahi ſanguinem ad partem calidam, veluti à cucurbitula: cucurbitula autem vere non trahit, ſed eſt cauſa, vt humor, aut caro, per ſe inſequatur: ſimiliter & humor ratione laxitatis, & vacui mouetur ad laxiorem locum. hanc rem nõ penitus ignorauit Galenus, quamuis non penitus probaret, quod patet ex 13. Methodi, cap. 3. his verbis: ergo ad partem excalefactam vel trahuntur vicini ſucci (vt nos cenſemus) vel confluunt, vt Aſclepiades putabat. Vnde colligimus etiam ex ſententia ipſius humores fluere per ſe, actos tamen à caliditate partis ob nimiam raritatem: nam manus, verbi gratia, excalefacta fit rarior, quo fit, vt & humores propinqui incaleſcant, eliquentur, & rareſiant, & rareſacti in maiorem molem augentur, & ſic latiorem campum quærunt; hacque ratione fluentes ad manum laxiorem iam præ calore redditam faciunt in ipſa tumorē præter naturam; & hoc modo manus dicitur attrahere; nõ ꝙ ipſa ſit, quæ attrahit, ſed quia in ipſa eſt attractionis cauſa.

Calor non verè trahit, nec frigus immediatè pellit. *Calor quomodo attrahat.*

Modus, quo dolor fluxionem ciet.

De dolore idem eſt dicendum: nam dolor non habet ſimilitudinē cum humore, ideo non poteſt dici, quòd illum attrahat vera attractione, quod etiam Galenus nouit, quia inquit, quòd dolor ſtimulat ad expulſionem: vnde natura tranſmittit ad locum ſpiritus, & ſanguinem copioſum, ex quo deinde fit tumor, & ita expulſio eſt aliarum partium: quod & Galenus teſtatus eſt 13. Methodi, cap. 3. dum ait: ſed quicquid eſt phlegmones, id ſuperpoſitæ partes efficiunt. quare colligendum eſt iſtam non eſſe veram attractionem, nec eſſe etiam illam, quæ fit à ſimilitudine; ſed eſſe potius motum proprium humorum, vel excrementorum effugientium vacuum, vel violentiam. Sed dicetis, cur vocatur attractio? reſpondeo, quia vt in vera, atque æquiuoca attractione motus tracti habet pro cauſa ſui motus illud, quod mouetur; ita in his habet cauſam ſui motus partem calidam, aut dolentem. Vnde ego dicerem eſſe tertium quoddam genus attractionis improprijſſimum, in quo mouentur humores, cuius motus (ſi coniuncta cauſa monetur) eſt aut vis moti, aut expulſio. Dolor igitur, & calor præter naturam, ſunt cauſæ huius fluxionis. Doloris verò cauſæ ſunt intemperies manifeſtæ, intemperies non manifeſtę,

Doloris cauſa.

& ſolutio

& ſolutio continui, licet de cauſa doloris ſit controuerſia, de qua re aliàs, ſi dabitur locus, dicam meam ſententiam.

Aliam cauſam, qua humor fluat ex loco ad locum, diximus eſſe tranſitum opportunum, vaſorum ſcilicet, quæ inter partem à qua, & partem ad quam fluit humor, ſunt ſita: Cùm enim canales lati ſunt, facilè eſt, vt humores fluant. Sunt autèm canales lati, vel à natura, vel à calore tales redditi, à calore inquam, vel totius corporis, vel cordis, vel partis tranſmittentis, vel partis excipientis: hoc modo attractio humorum fit facilis ratione vaſorum. *Viarum opportunitas cauſa motū materiæ.*

Fit etiam attractio, & fluxio propter humores, vt quando ſubſtantia humorum eſt tenuis, vel actu calida, & multa, non autem eſt craſſa, & viſcida. *Item materiæ ad motū promptitudo*

Tertiam cauſam conſtituimus eſſe receptionem, ſeu aptitudinem partis, ad quam fit fluxio: Sed cauſa, cur pars ipſa excipiat humorem fluentem, non ſimplex eſt: aliæ enim partes excipiunt, quia debiles ſunt, & ita vna cauſa erit debilitas: quæ nec ipſa vnica eſt, vt ait Galenus in lib. de cauſis morborum, vbi dicit, quod pars aliqua ſua natura valida exiſtens redditur imbecilla aliquando propter aliquam intemperiem; aliquando eſt imbecilla non ratione intemperiei, ſed propriæ ſubſtantiæ, quia ſit laxa, cuiuſmodi ſunt glandulæ, quæ ob ſuam laxam compoſitionem, atque ſubſtantiam facillime fluentem humorem excipiunt, & ſic intumeſcunt: Tertia cauſa imbecillitatis partis eſt quædam proprietas à natura deſtinata ad excipienda excrementa, qualis cutis eſt; & hinc eſt, quòd facilè in ipſa excitantur tumores. Altera cauſa exceptionis humoris eſt conformatio vaſorum in parte affecta, vt ſi alicubi venæ ſint latæ, & in loco cauo ſitæ reddantur faciles, & accomodatæ ad excipiendum, retinendumque. Tertia eſt ſitus, vt partes inferiores ratione ſitus facilè recipiunt humores, & alias res ſua grauedine deorſum tendentes; ſuperiores verò partes excipiunt flatus, & leuia omnia. Hæ ſunt cauſæ internæ efficientes tumorum præter naturam, ſequitur caput de tumorum differentijs, ſeu ſpeciebus. *Denique partis ad recipiē dum retinen dumq; diſpoſitio varia.*

De differentijs & ſpeciebus tumorum. Cap. IIII.

DIFFERENTIAE optimè in vnoquoque genere cognitæ omnes illius ſpecies, quales ſint, manifeſtant; neque ipſæ ſatis explicari poſſunt, quin enumerentur etiam ſpecies. Fontes tamen vnde oriantur inueniendi ſunt, & proponendi: ſunt autem, mea ſententia, numero ſex capita illa, ex quibus tanquam ex fontibus differentiæ tumorum hauriuntur: & primum eſt natura affectus, ideſt forma morbi, de quo agimus, quæ forma eſt magnitudo aucta. Cum itaque habeamus, quòd tumor ſit magnitudo aucta, & ſciamus, quòd magnitudo augetur, vel in magnam molem, vel in paruam, vel in mediocrem, habemus quoque plures tumorum differentias, quibus ſpecies inter ſe differunt. Vnde dicemus, quòd alij tumores ſunt magni, vt ſunt magna inflammatio femoris, eryſipelas cruris, & gangrena, alij parui, vt phymata, tubercula à Celſo vocata, & Dothines, qui à Celſo vocatur furunculi, alij ſunt maximi, vt hypoſarca, leucophlegmatia, & cancer totius corporis, qui elephas à Græcis nominatur, alij ſunt minimi, vt hydroa à Græcis vocati, à quibuſdam Latinis ſudamina, à Plinio papulæ ſudorum, Auicenna autem vocat plantam noctis, & Almanſor alhaſaphum; alij ſunt mediocres, vt ſcrophulæ, bubones, & alij ſimiles: hæ omnes differentiæ tumoris naſcuntur à forma, ſiue à conſtitutione, ſeu compoſitione tumoris, quæ eſt analogia in quanto corrupta per extenſionem in longum, latum, & profundum. Ab hoc eodem fonte naſcuntur aliæ plures differentiæ: quia forma vel eſt ſimplex, vel compoſita: ſimplex quidem eſt in enterocele, in aneuriſmate, ac ſimilibus: Compoſita verò eſt multiplex; nam vel forma tumoris eſt coniuncta cum intemperie, quę pariter multiplex eſt; vel cum ſolutione continui, quæ eſt etiam, vel manifeſta, vel occulta: Vnde dicimus quod alij ſunt tumores cum intemperie calida, & humida, vt eſt inflammatio; alij cum intemperie calida, & ſicca, vt eſt eryſipelas; alij cum intemperie frigida, atque humida, vti eſt oedema; alij cum intemperie frigida & ſicca, ſicuti eſt ſcirrhus: Alij cum ſolutione continui manifeſta, vt ſunt tumores ſecti, alij cum ſolutione continui immanifeſta, vt ſunt abſceſſus: hæ ſunt differentiæ, quæ ſumuntur ex primo capite. *Tumorum differētiæ ſumūtur ex fontibus ſex.* *Primus eſt natura tumoris.* *Tumores ſimplices.* *Tumores compoſiti.*

Alterum caput eſt materia, à qua pariter multiplices differentiæ accipiuntur, quæ duplici ordine ſunt collocandæ, quemadmodum & materia duplex cenſetur: altera, ex qua aliquid fit, atque de ſinu illius veluti educitur id, quod fieri debet; altera eſt, in qua aliquid *Secūdus fons eſt materia.*

quid ſit, quę veluti materia in actu eſt, & ſubiectum vocatur in actu à philoſophis, de qua agit Themiſtius in primo phyſicorum in digreſſione a 56. Textu ad 61. à prima materia,
Ex qua, cuius diuerſitates ſupra enumerata. quæ eſt humor, plures ſumuntur differentiæ, pro vt humor, qui tumores facit, eſt vel ſimplex & ſyncetus, vel mixtus, & non purus, & vel calidus, uel frigidus potentia: Vnde dicimus, quòd alij ſunt tumores, qui fiunt à pura maſſa ſanguinis, ut inflammatio: alij qui fiunt à maiori parte maſſæ ſanguinis, & minoris alterius humoris, ut uel bilis, vel pituitæ, vel melancholiæ: vnde penes hoc dicimus, quòd alia eſt inflammatio, eryſipelatoſa, in qua maior portio materiæ eſt ſanguis, & minor bilis; alia ædematoſa in qua ſanguis ſuperat pituitam; alia eſt inflammatio ſcirrhoſa, in qua ſanguis excedit melancholiam: Sed aliquando accidit oppoſitum, vt humores alij ſuperent ſanguinem, & tunc aliæ oriuntur differentiæ, ita, vt alius tumor dicatur eryſipelas phlegmonoſum; vel ædema phlegmonoſum; vel ſcirrhus phlegmonoſus, ſeu inflammatus: Aliquando fiunt tumores ex æquali parte vtriuſque, ſanguinis ſcilicet, & alterius humoris, & tunc fit affectus mediam formã tenens, vt ſi ſanguis, & bilis æqua portione miſceantur, fit tumor, qui verè dicitur eryſipelas a Galeno in libello de tumoribus præter naturam, & in 2. ad Glauconem, fortè, quia fit tantum à ſanguine bilioſo, ac minus bilioſo, aliud verò eryſipelas fit à ſanguine magis bilioſo, idem eſt dicendum de cancro, de ſcirtho, & de oedemate.

Hæc eadem materia prout eſt etiam ſyncera, ita conſtituit varias tumorum differentias: vt ſyncerus humor bilioſus facit phlyctenas vocatas, de quibus agit Auicenna, cap. de veſicis ab eodem ſyncero humore bilioſo fiunt herpetes miliares, & exedentes, ac ſimiles alij: ſicut ex melancholico ſucco puro fit cancer, verrucæ, & id genus; & ex pituitoſo œdema. Hæc eadem materia diuiditur in calidam, aut frigidam, vt dixi: & ideo Auicenna, & multi alij quaſdam conſtituunt ſpecies tumorum calidorũ, & frigidorum non ob actum; ſed quia habent materiam frigidam, vel calidam potentia, vt eryſipelas, & ſcirrhus: nam hic habet frigidam, ille vero calidam.

Cæterùm notate, quòd non ſolum ſanguinis maſſa, & quilibet humor per ſe, & ſyncerus ſunt materia tumorum ex qua; ſed dantur etiam aliæ ſpecies materiæ ex qua, & vna eſt aqua: vnde conſtituuntur tumores aquoſi, & veſicæ, & differunt ab alijs tumoribus ob hanc materiam.

Tertia materia tumorũ ex qua eſt flatus, quo conſtituitur apoſtema ventoſum, quod emphyſima à Græcis appellatur.

Quarta ſunt partes ſolidæ, vt in enterocele materia ex qua, ſunt ſolidæ partes.

Vltima eſt illa multiplex, & varia materia, vt vel laridacea, vel polentæ ſimilis, aut melli, carbones, pili, & alia omnia, quæ toto genere ſunt præternaturã, de quibus habuiſtis à me ſuprà, dum agerem de cauſa materiali: illuc ergò recurratis: nunc verò ſufficiat vobis ſcire, quòd & penes has diuerſas materias tumores differunt. Tot differentiæ tumorum, manifeſtæ oriuntur à materia præter immanifeſtas, quas ſi voluiſſem diuidere, plures conſtituiſſem.

Materia in qua. Sequitur ſubiectum, ſeu altera materia, quam diximus vocari materiam in qua: A quo ſubiecto oriuntur differentiæ tumorum, quòd alij tumores occupent totum corpus, vt elephas Græcorum: nam elephas Græcorum eſt cancer totius, alij occupant partem corporis, vt ſcirrhus pedum: Item alij partem unam, alij aliam; ut ophthalmia, ſynanche, & phyma differunt ratione ſubiecti, quia ophthalmia habet oculum pro ſubiecto; ſynanche fauces; & phyma inguina: ſic etiam mola, & priapiſmus differunt: nam mola ſcirrhuſque uteri ſequitur partem, & ſexum; priapiſmus pariter ſexum, & partem; ſed illa uterum, & femineum ſexum; hic uerò colem, & ſexum uirilem. Item ad hoc caput reuocatur ætas: nam alij tumores ſunt pueriles; ut uariolæ; inflammationes umbilici; talpæ & ſimilia: alij ſunt aliarum ætatum. Vltimò addatis, quòd alij ſunt tumores interni; alij externi: & hæ quoque differentiæ ſequuntur ſubiectum.

Differentiæ à cauſis efficiẽtibus, 3. fonte Variorum tumorũ variæ cauſæ. Tertius locus ſeu fons, à quo eliciuntur differentiæ, continet cauſas efficientes, à quo etiam loco plures oriuntur differentiæ tumorum, & primò ab ambiente calido, atque æſtiuo differunt tumores inter ſe: nam ſudamina hydroa dicta ab Hipp. in 3. aphor. 21. ſunt tumores æſtiui; quos ambiens excitat: & (præter naturam, ac paruitatem) hoc etiam differunt, quòd ut plurimùm ab hac cauſa fiunt: Similiter hydropes fiunt ut plurimum autumno ambiente inæquali, ut habemus in 3. aphor. 22. Pleuritis quoque differt ob ambientem frigidum: nam ut plurimum hyeme fit, ob frigiditatem, teſte Hipp. & Gal. in 3. aphor. 23. Im & lepræ, & puſtulæ ulceroſę, de quibus Hipp. 3. aphor. 20. à tepido ambiente factæ, quæ ut plurimum uerè oriuntur, hac re differunt. A tangente corpore pariter oriuntur differentiæ; nam ueſicæ, quæ ab aqua, aut ferro feruenti fiunt, à ueſicis

ſponte

Digitized by Google

ſponte naſcentibus hac cauſa efficiente differt: Scabies quoque lepra, bubones per contactum acquiſiti differunt hac ratione à ſponte erumpentibus oriuntur etiam differentię à corpore fricante: tumores enim calloſi pedum, atque manuum. à tumoribus calloſis vlcerum differunt hac cauſa efficiente. A trahente quoque cauſa fiunt tumores, & differunt ab alijs, ex aliis cauſis ortis, ut tumores, vel ueſicæ factæ à cauſa attrahente differunt ab inflammationibus, ac ueſicis factis ab igne. oriuntur quoq; differentię à cauſa ſoluēte continuitatē, ac contundente, incidenteq; corpore, uti etiā à mordente frangente, ac ſimilibus. Addatis laborem, & motū: nam hoc modo bubo ex labore differt à bubone per cōtactum. Similiter ab aſſumptis in corpore, vt tumor totius ob ranam rubetam differt hac ratione à leucophlegmatia: vel angina, ab eruca pinea differt hac ratione ab angina facta à clamore longo. Poſſem & multa alia adducere exempla, quemadmodum ſi quando dabitur ob paſſionem animi naſci tumorem. A cauſis efficientibus etiam differunt tumores, quia alij fiunt ex fluxione; alij ex congeſtione materiæ paulatim facta, vt athoromata, & ſteatomata differunt hac ratione ab inflammationibus, quia hæ fiunt ex deſluxione, illa autem ex congeſtione. Inter illos porrò etiam tumores, qui ex congeſtione fiunt, oritur differentia; quia alij fiunt ex congeſtione, quia ob intemperiem occultam fit mala digeſtio, vt accidit in tumoribus Gallicis; alij fiunt ex congeſtione, quando imbecilla eſt vis expultrix, vel retentrix eſt nimis robuſta, vt fit in tumoribus ex ſemine retento. Eadem differentia oritur inter tumores, qui fiunt ex defluxu: nam bubo factus à trahente vlcere pedis differt à bubone peſtifero hac ratione præcipuè: pariter inflammatio pedis, quæ fiat ob ſitum, hac ratione differt ab eadē facta ob dolorem: idemq; dici poteſt in reliquis cauſis fluxionis.

Tumores ex congeſtione multis modis naſcuntur.

Quartum caput, ex quo ſumuntur plures differentiæ eſt locus: nam bubones peſtiferi vt plurimum differunt regionibus: quia frequentiores ſunt in Germania, rariores in Italia, atque in Hiſpania: Sic puſtulæ illæ, quæ peticulæ, vel petecchie dictæ ſunt, Bononiæ frequentiſſimè exiſtunt peſtiferæ; Murinæ autem, Regij, Lepidi, ac reliquis vicinis Ciuitatibus non viſę niſi rarò ſunt, ſed tantum audita: Pariter multi tumores Gallici frequentiſſimi, ac copioſiſſimi ſunt Florentiæ, Bononiæque; rari autem Piſis, ac Lucæ; immo ſi Piſis fuerint ægri, quoquomodo ab ipſis liberantur: ita & Ferrariæ dominantur tumores crurium; Murinæ, ac Bononiæ contrà. Iſtæ ac ſimiles oriuntur differentiæ à loco.

Quarto variant tumores ob locum ſeu prouinciam.

Quintum caput, ſeu fons eſt tempus, ideſt ætas tumorum, atque motus. Vnde aliqui tumores noui, atque incipientes dicuntur; alij omnia tempora habent; alij ſecus, alii in auctione eſſe dicuntur; alij in ſtatu, ſeu vigore; alij in declinatione conſiſtunt, atque his temporibus inter ſe differunt. Alij etiam ſunt celeres, alij tardi. Rurſus alij ſunt recentiores, ideſt, etiam ſi declinent, breui tamen temporis ſpatio ab exortu differunt, vt eryſipelas; alij ſunt inueterati, vt elephantes Arabum, & multi alij tumores. Alij ſunt connati, vt ſunt ferè omnes tumores, qui voluntates vocantur, quos plures vos vidiſſe puto, & magnos ſatis aliquando: Vidi ego militem quendam ex oppido, quod Lugum vocatur, qui tumorem maximum in lingua patiebatur, impediebatque illius actionem, quem tumorem vulgus credebat eſſe voluntatem heparis, vel pulmonum; alij ſunt, qui poſt natiuitatem ſunt orti, qua ratione bronchocelæ differunt inter ſeſe. Item alij breues dicti ſunt tumores, vt inflammatio faucium; alij longi, vt ſcrofulæ; alij inueterati, ac producti: & plurimi alij afferri poſſent. His addere poſſumus, & quæ exitum proſpiciunt: nam alij tumores ſunt lethales, vt inflammatio cerebri, & bubones peſtiferi: nam hi tumores deſinunt vt plurimum in mortem; alij dicuntur non ſanabiles, vt ſphacelus, non enim ſanatur; alij ſunt ſaluberrimi dicti, qui in ſanitatem tandem deſinunt, vt ſudamina, ac infinita alia: alij ad vltimam declinationem veniunt, alij non item: alij ſunt recidiui, vt podagræ, ſcrofulæ, & huiuſmodi; alij non.

Quintum caput differēt. eſt tumorum ætas, & tempora.

Sextum & vltimum caput, à quo ſumuntur differentiæ, continet effectus, & accidentia, quæ morbum ipſum conſequuntur, qui effectus plures ſunt; ideo & plures oriuntur differentiæ, vt penes dolorem vnus tumor differt ab alio, dolorem (inquam) vel prementem, vel trahentem, vel pulſantem, ac ſimilia: A calore item differunt, vt inflammatio ratione caloris differt à ſteatomate, vti duritie ſcirrhus differt à veſica: & mollitie oedema laxum differt à multis alijs: Differunt & pulſatione, vt inflammatio à meliceride; rubore, vt inflammatio à cancro; tenſione, vt inflammatio ab oedemate laxo: ſimiliter differunt moribus, quia alius eſt tumor benignus, vt oedema; alius malignus, vt cancer: alij vehementes, vt inflammatio vehemens; alij languidi, vt inflammatio benigna, ac ſimilia infinita. Infinitas etiam alias poſſem uobis proponere differentias, quas longum eſſet enarrare. Accipiuntur quoque differentiæ ab accidente remotiſſimo, vt eſt occaſio nominum, & nomina ipſa: Vnde alius tumor uocatur talpa, alius teſtudo, clauus epinyctides

Vltimus fons ſunt effectus, et accidentia.

des

Digitized by Google

des, myrmecia, tumores Gallici, cancer, dracunculus, elephantiaſis, thymion, menta gra & ſimilia. & hæc ſufficiant de differentijs. ſequuntur ſigna.

De Signis. Cap. V.

IAM ſigna ſequuntur tumorum, quæ nobis certam illorum cognitionem exhibent, ita ut medicationi certius incumbere poſſimus, quod non eſſet, ſi ſigna ignoraremus. In tractatu autem de ſignis, ut methodus ſeruetur, opus eſt, ut uideamus in tumoribus, quid nobis ſignificandum ſit: ſecundò, quot ſint fontes ſignorum, à quibus tumorum ſigna aſſumuntur. Iam relinquo infinitas quæſtiones, quæ circa tumores fieri poſſent, & uenio ad rem ipſam. Dico igitur, quòd in tumoribus illud, quod quærimus, eſt, ut tumores ipſi nobis indicentur, & primò, an tumor futurus ſit nec ne. 2. cognoſcenda eſt natura ipſius tumoris. 3. ſpecies tumorum. 4. debemus cognoſcere cauſas, tùm efficientes, tum materiales, quintò ſubiectam materiam, & particulas corporis, ſextò tempus ſimul & motum, pariter & ſucceſſionem, ſiue euentum, ſeptimò effectus ipſos, vt mores, proprietates quaſdam, & ſymptomata.

Quæ ſint hic per ſigna inueſtiganda.

Hoc cognito, rurſus etiam fontes, à quibus eliciantur ſigna, quæ omnia illa propoſita indicent, ſunt proponendi: qui neque quam plurimi ſunt ſed certo numero comprehenduntur: quorum primus fons eſt natura atque forma ipſius tumoris, ſecundus fons complectitur cauſas tumorum, tertius eſt ab effectibus, vel ſymptomatibus ipſis, quartus, & vltimus fons à ſimilitudine atque proportione aſſumitur. Hi ſunt fontes omnium ſignorum in tumoribus ipſis, quæ ſigna nobis explicant, quid ſit, aut futurum ſit, aut factum fuerit.

Fontes ſignorum 4.

Et antequam ad enumerationem veniamus, vnum vobis notandum eſt, quòd in quolibet capite quæſitorum non omne genus cauſarum requiritur: nã cauſæ aliquando patefaciunt; aliquando nõ cauſæ iſtud faciunt, ſed natura, ac forma morbi, aliquando ſymptomata propria; aliquando analogia.

Nota in hauriẽdis ſignis.

Quæ res, vt magis vobis innoteſcat, veniamus ad primum caput, in quo futurum tumorem cognoſcere, & prævidere volumus: tunc dico, quòd à forma, & à natura rei nullum ſignum habere procul dubio poſſumus, quia res, quæ non eſt, nihil certè indicare valet: quare ab hoc fonte nihil nobis eſt petendum. Ab effectibus etiam cum conſequantur ipſam rem, ſicuti vmbra conſequitur corpus; nulla cognitionis ratio accipitur; quare duo tantum remanent ſignorum fontes, alter à cauſis, alter à ſimilitudine: A cauſis efficientibus, vt in corpore repleto, atque imbecilli thorace, ſi in ambiente frigido verſetur; in hyeme, detecto thorace, pleuritim ſucceſſuram videmus, & cognoſcimus. Pariter, ſi febris, vel calor diuturnus, inquit Hipp. 3. progno. com. 23. in tenerioribus, ac iunioribus vltra vigeſimum diem procedat nec febris ſit lethalis, ſed continua, nulla parte dolente, tumores, & præcipue in articulis inferioribus ſunt expectandi, vt teſtatur idem Hipp. 4. aphor. 44. Item ſi ſit dolor capitis circa tempora, ac frontem, cum febre continua, vltra vigeſimum diem, expectandi ſunt tumores circa aures, vt habemus in 3. progno. 11. Tormina etiam ſeu dolores continui circa vmbilicum, & lumbos, qui nulla ratione vinci poſſunt, hydropem futurã indicant, dicebat Hipp. 4. aphor. 11. Item hyems ſicca, & aquilonia, ver autem pluuioſum, & auſtrale ophthalmias indicant futuras, ſicuti pluuiarum longa multitudo indicat futuras anginas ex tertio aphoriſmorum 16. Sic vere exiſtente in corpore repleto, lepræ, puſtulæ vlceroſæ, & tubercula præuidere poſſumus: æſtate ſudamina ac ſimilia hyeme pleuritides, & huiuſmodi: quemadmodum ab aſſumptis tumores varios præcognoſcere poſſumus, vt pota cantharide tumores colis, & reſtium. Item à contactu mulieris gallico affectæ tumores gallicos præuidemus, ac bubones. Similiter ex commercio cũ muliere elephantiaſim paſſa: ex contactu etiam puerulì, qui patiatur variolas, aut hominis habentis bubonem peſtiferum quaſi proſpicimus tumores ſimiles. Sic à contuſione præuidemus puerulo oboriturum in fronte contuſa tumorem: vnde aut chartam madidam, aut medullam panis aqua frigida, vel roſacea imbutam imitantes mulieres ſtatim imponemus. Pariter à vulnere magno præuidemus futurum tumorem: vnde, quæ fluxionem arcent, imponimus, & quæ prohibent inflammationem. Similiter ex attritione cognoſcimus tumores oriri debere, atque de reliquis omnibus efficientibus cauſis idem dicendũ eſt, vt à refrigeratione etiam nimia hepatis, à fluxione ſanguinis nimia: à ſupercalefactione hepatis violenta in morbis acu-

Futuri tumoris ſigna è duobus locis.

A cauſis efficientibus.

tis

tis tumores ventris hydropicos expectamus. Vltimò in conualeſcentibus ſi qua pars do lucrit, aut laborarit, ibi abſceſſus timendus, ex Hipp. teſtimonio in 4. aphor. 32.

Ex cauſa quinetiam materiali cognoſcimus vẽturos tumores, vt ſi materia excremen titia in corpore ſeruetur, credendum eſt, quòd alicubi excitabitur tumor, vt ſolet fieri clauſis hęmorrhoidibus, vel interceptis varicibus crurium, vt habemus in 6. aphor. 12. » A diuturnis ſanato hęmorrhoidibus, ſi vna non ſeruetur, periculum aquæ intercutis, vel » tabis imminet, ait Hipp. Cuius rei ego ſeruabo ſemper memoriam, quia ex clauſo fon- » te in cruribus meus pater factus eſt hydropicus, & tandem mortuus. Similiter humorũ, atque ciborum repletio maxima in iis, qui non ſunt aſſueti, tumores indicat, atque tuber cula, vti teſtatur Hippoc. 4. aphor. 45. dicens. Quibus tubercula vel in articulis labores » fiunt, hi pluribus vtuntur cibis. Item à materia, vel ab effectibus materiæ præcognoſce- » tis futuros tumores, vt ſi vrina ſit craſſa, & ſimul furfuracea, in corpore ſano, ſcabioſos » tumores futuros notat, ex Hipp. in 4. aphor. 77. Item vrina tenuis, crudaque diutius, cum ſignis conualeſcentiæ, tumores ad ſedes intra præcordia indicat, ex 2. progno. 34. Pariter ſi pulmonia ſtatim ceſſat, adſintque ſigna bona, neque excretio, abſceſſum expectamus, præcipuè circa aures, ita teſtante Hipp. in 2. progno. 64. hoc pacto ex ſignis acceptis à cauſis tum efficientibus, tum materiali præcognoſcetis, an futurus ſit tumor, nec ne.

A cauſa materiali.

Mors Patris Faloppij.

Alter fons, à quo dixi quod accipiuntur ſigna futuri tumoris, eſt ſimilitudo ſiue analogia, ſiue ab exemplo, vt ſi quis repletus fuerit, ſi clauſæ hęmorrhoides fuerint, & poſt hęc inciderit in hydropem, ex hoc exemplo, ſiue ſimilitudine colligetis, ꝙ ſi alicui alii in eadem regione claudantur hęmorrhoides, ſitque repletus, colligetis, inquam, quòd & iſte fiet hydropicus. Similiter ſi hic ſub ſole fuerit ſemel, & factus ſit phreniticus, prædicetis, & præcognoſcetis omnes alios illius loci, ſi ſub ſole manſerint, caſuros eſſe in phrenitidem. Hoc modo ab analogia præcognoſcetis futuros tumores. Neque credatis me omnia penitus ſigna explicaſſe, ſed tot adduxi, vt ex ipſis cognoſcatis, quo modo ſigna ſint inueſtiganda. An igitur tumor fieri debeat, cognoſcendum eſt ab efficientibus cauſis, à materia; & à ſimilitudine, ſiue conſuetudine.

Alter locus ſignorum futuri tumoris.

Alterum, quod quęrimus, & inueſtigamus per ſigna eſt forma, atque eſſentia ipſius tumoris, ſcilicet exteſio, quæ cum ſit de his rebus, quæ ſenſui ſubiectæ ſunt, præcipuè in tumoribus exterioribus, nihil aliud requirit, niſi vt oculis, aut tactu cognoſcamus: nam & magnam extenſionem, & paruam, & minimam, & maximam, & mediocrem cognoſcimus, & inſpicimus: quare de hac nullum aliud ſignum quærimus. At ſi tumores fuerint interni, tunc & ipſorũ forma, pariter & magnitudo extenſa erit cognoſcenda his ſignorũ capitib. Sed quoniã ego de tumoribus extrinſecis loquor, ideo non deſcendã in hunc vaſtum campum, vt oſtendam, quot ſigna tumorem indicent internum: at hoc tantũ addã, ꝙ à cauſis cognitis, ab effectib. & à ſimilitudine poſſumus cognoſcere hos tumores.

Signa differentiarum à forma deſumptarum ſenſibilis ſunt.

Additur & natura mixta tumoris cum intemperie calida atq; humida, vel cũ calida & ſicca, vel cũ frigida, & ſicca, vel cum frigida, & humida. has non ab eſſentia morbi cognoſcimus, cum hæc ſit eſſentia, ſed aliquando ſenſu ſolo, vt cum calidum tumorẽ ſentimus, nec egemus ſigno demonſtratiuo. Aliquando capimus ſignum à cauſis materialibus: nã ſi ſciamus bilẽ flauam, ſi ſanguinem, ſi phlegma, ſi ſuccum melancholicum, intemperies ẽt cognouerimus. Cognoſcimus etiam ab efficientibus, vt ſi ſciuerimus veſicam factam fuiſſe ab igne, ſciemus etiam intemperiem adeſſe, & qualem: ſi à cõtuſione, ſcimus ema naſſe ſanguinẽ, & ſic adeſſe intemperiem calidam, & humidam. Itidem, ſi à mordente venenato, ſcimus intemperiem occultã adeſſe, ſi ex contagioſo tactu, ſimiliter intẽperiem contagioſam inibi reperiri cognoſcimus. ſimiliter de reliquis cauſis dicendũm eſt, a quibus pariter & ſolutionem continui coniunctam manifeſtam, aut immanifeſtam cognoſcemus. Similiter an adſit intemperies calida, vel frigida cognoſcimus ex accidentibus, vt ex pulſatione, ex colore rubro, vel luteo, vel flauo, vel albo, vel cãdido, vel nigro, & ex pulſu. Præterea ſi durus ſit abſceſſus, indicatur intemperies frigidior, & ſiccior, vel intemperies aduſta: ſi mollior laxiorq; frigida indicatur & humida: & ſi tenſior iuſto, calida, & humida, & hic multas alias ſignorũ ſpecies dimitto, ne ſim longior, quàm pars ſit; quemadmodum ſimilitudinẽ, à qua intemperiem cõpoſitam ſimul colligere poſſumus.

Signa eorũ, quæ cum tumoribus complicantur.

A materia.

Ab efficiente.

Ab accidentibus.

Succedunt ſpecies, quæ & ipſæ ſunt cognoſcendæ: ſed earum ſigna omnia ſigillatim ſuo loco dicam, ne idem bis repetam, longiorve ſim.

Signa ſpecierum.

Quarto loco diximus, quòd per ſigna erant cognoſcendæ cauſæ tumorum tum efficientes tum materiales: Efficiens cauſa cognoſcitur primò cognita natura, atque ſpeciẽ tumorum; nam ſi ſit inflammatio, ſtatim ſcimus fuiſſe fluxionem: ſi verò tumorem ſteatomaticam cognoſcimus, ſtatim congeſtionem eſſe nouimus cauſam ipſius. Similiter ſi cauſarum cauſas antecedẽtes nouerimus, vt ſi nouerimus dolorẽ, caloremque ni-

Signa cauſarum.

Efficientis.

miſſ prius fuiſſe in parte eryſipelate affecta, fluxionem propinquã cauſam cognouimus.

Materialis. Sanguinis.

Materiales verò cauſas cognoſcemus, & ipſarum abundantias, cognitis ſuis cauſis efficientib. vt ſanguinis efficiẽtes cauſæ ſunt ætas ipſa adoleſcẽtiæ, in qua plurimũ ſanguinis gignitur, teſte Galeno primo progno. 37. & 3. progno. 14. & 3. aphoriſ. 27. Addatis alias cauſas, & ſunt exercitationes, vigiliæ, ſomni, ambiens, animi paſſiones: ſimiliter hepatis, cordis temperies; & reliquarum venarum, vaſorumque expurgantinm vis attrahens valida; ſimiliter vis expellens prompta, & ſimilia quædam.

Pituita.

At phlegmatis efficientes cauſæ ſunt ætas, vel temperatura: quæ in ætate reperitur, vt ſenilis ætas; temperatura, vt mulierum, hepatis, cordis, & ventriculi frigida intemperies, ambiens frigidus, aut hyemis, aut loci, regionisq; ratione, motus, balnea, ſomnus ſtatim à cibo, ac frequens, vita in ocio, aut in aquis, & locis humidioribus, & ſimilibus.

Bilis.

Bilis cauſæ efficientes ſunt temperatura totius, & hepatis, ac cordis calida, & ſicca; ætas iuuenilis omnium bilioſiſſima, exercitatio celeris, robuſta, vehemens, multa, frequens, in æſtu, ieiunium, vigiliæ, mœrores, curæ, cogitationes multæ, longæque, & habitatio in ambiente calido, & ſicco.

Melãcholiæ.

Succi demum melancholici efficientes cauſę ſunt, temperatura melancholica, natiua, vel acquiſita hepatis, & cordis, ætas declinãs, vitę conditio triſtis, ac miſera, vt literatorũ, & ſtudijs addictorũ; mętores, & cogitationes profundæ, ac longæ; exercitatio, qualis bilẽ gignit, ſed diuturnior; aer ambiens inæqualis, vt eſt autumno, & quibuſdã in locis, vt circa portũ Labronis, ideſt Liburni; & tandem à ſubiecta parte ipſi tumori hoc cognoſcam.

Monſtrat alios fontes, è quibus dictorum humorũ ſigna depromuntur.

Eoſdem humores facile cognoſcimus cognita materia, cibo ſcilicet, & potu, qui analogiam habeat, quæ non recenſeo, ne in hoc vaſtum pelagus deſcendam de ſuccis bonis, ac malis. Symptomata, vel effectus, qui ſequuntur, nobis & hos indicant, vt animi paſſiones, corporis motus, animales motus, vigiliæ, ſomni, morbi quidam humorum analogici, actiones partium naturalium, colores partium: nam Galenus quarto de ſanitate tuenda colotem ſimilem humoribus ſubiectis efflorеſcere in cute teſtatur, ſic & primo aphor. com. 2. niſi aliqua cauſa in profundum recedant. Color etiam, & conſiſtentia ipſius ſanguinis indicat humores; idem faciunt excrementorum quantitates, qualitates, odores, ſapores, coloresque, ac conſiſtentia. Ab analogia etiam cognoſcuntur, vt ſi fuerint tubercula epidemica, & reliqua à materia melancholica, colligendum erit, quòd & hæc tubercula fiunt à tali materia. Pariter, ſi æger ſit obnoxius tumoribus, ab humore melancholico factis, credendum erit, quòd & tumor, quem nunc patitur, pendeat ex eodem ſucco. Idem eſt dicendum de aqua, de flatu, ac de reliquis materiebus.

Pars affecta quomodo cognoſcenda.

Materia ſubiecta, ideſt particulæ corporis, in quibus eſt tumor erat quinto loco per ſigna cognoſcenda; in qua te notate, quòd ſi loquamur de internis tumoribus, hoc relinquatur his doctiſſimis Medicis; qui de affectibus internis à capite ad calcem tradunt: ſi de externis, ſenſus in anatome ipſa exercitatus optime diſtinguet, qui muſculorum tumores naturales, oſſium, venarum, cutis inæqualitatem, cauitates artuum naturales, & tandem omnem analogiam magnitudinum corporis nouerit.

Signa longitudinis, aut breuitatis.

Iam ſequitur ſexto loco, vt cognoſcamus tempus tumorum, ſimiliter motum, & ſucceſſionem. Tempus longum, vel breue cognoſcitur ab eſſentia rei, vel à ſpecie aliquando: ſcimus enim cancrum longum, atque diuturnum morbum eſſe; contrà pleuritim breuem, & acutum ita, vt quatuordecim diebus finiat, & expurgetur, teſte Galeno 8. apho. 8. Similiter à compòſitione tumoris cum intemperie cognoſcimus eius breuitatem, aut diuturnitatem. quod etiam cognoſcimus à materia: nam ſi à bile, aut ſanguine fiat, breuior erit, & inter acutos tumores, ac morbos connumerandus; contrà, ſi ab humore melancholico, vel craſſo, viſcidoq; phlegmatico, poſſumus diuturnitatem morbi pręcognoſcere. Similiter à cauſa efficiente, vt ſi aliquis ſit tumor ex antiqua deſtillatione à capite, poſſumus diuturnitatem præuidere, & cognoſcere, atq; breuitatem. Idem ab effectibus cognoſcetis: nam ſi vehemens ſit tumor, vel inflammatio, citò natura ab hoc liberabitur, multum irritata, vel ſuccumbet. ſimiliter ſi tumor malignus, non citò cedet; ſed diuturnus erit; atque ab hoc fonte alia ſigna deriuabunt à me prætermiſſa. Similitudo pariter aliqua ſigna ſubminiſtrat.

Temporum diagnoſtica.

Succedunt tempora, quibus tumorum ætates diuiduntur, quemadmodum diuiduntur ætates omniũ rerum generabilium, & corruptibilium, quę in materia ſunt, ac ibi eſſe habẽt, nec ſunt ſpiritualia, vt illuminatio, ſpecies viſibilis, & audibilis, ac ſimilia. hic poſſem aliquid de tumoribus tradere, an tumores omnes habeant quatuor tempora, necne? Sed (domini) ne curationẽ retardem, hac ratione dimittã, & in alio loco, ſi dabitur occaſio, de hoc ſententiã meam dicam. Primum igitur eſt cognoſcendum principium tumoris; deinde augumẽtum; & tertiò vigor; quartò, & vltimò declinatio, in quibus cognoſcendis multa

dis multa

Digitized by Google

dis multa ingenij dexteritas ob curationem ipſam requiritur. A natura rei primò nos cognoſcemus principium in tumoribus exterioribus tactu, atque viſu, notata parua extẽſione, tanta tamen, quę actionem impediat, ac morbus ſit. ſimiliter ſi intemperies adſit calida, manu notatur, atq; illud ſpatium, aut magnum, aut paruum, aut minimum, in quo iſta morboſa extenſio, aut intemperies perdurat, principium vocatur à natura rei manifeſtum. Aliquando & à cauſis cognoſcere poſſumus principiũ, cùm natura non ſit ita perſpecta, ac patens: à dolore enim particulæ præcedente, vel à calore magno nobis datur aliquando ſignum principij tumoris. ſic de reliquis efficientib. cauſis dicendum, quamuis hæc ſigna non ſint multi momenti. A materia non dantur ſigna opportuna, & multo minus à paſſionibus materiæ, videlicet à cruditate, atque coctione: nam primò hoc non poſſumus cognoſcere ab vrinis, ac ſimilibus, quæ non reſpondent: ſecundò in inflammatione, dum incipit, & tranſmittitur ſanguis, optimus ſanguis ille eſt, & bene coctus, nec vlla adeſt per putredinem acquiſita cruditas, & tamen principium morbi eſt. contrà in tumoribus ab excrementis, in quibus manifeſtius apparet principium vſque à primo inſtanti, adeſt cruditas. Ecce, domini, quòd decipiuntur ij, qui à cruditate, atque concoctione, tanquam certiori ſigno morborum ſalubrium tempora vniuerſalia diſtinguunt, cùm in tumoribus euariet. Et ſi quis dicat, animaduertas, quòd Hippocr. 5. aphoriſ. 67. inquit: Molles boni, crudi verò mali. Reſpondeo, quòd, qui ita mihi obijcit, debet legere Galenum in commento, qui inquit crudum vocaſſe Hippocratem tumorem renitentem, ac durum: & hac ratione crudum vocauit à pomorum, ac fructuum ſimilitudine, qui crudi duriores ſunt. aliam propinquiorem cauſam Galenus affert, quę tamen inſtantiam patitur, nam inquit, quòd tumor renitens nunquam fit coquente natura benè fluentes humores. hoc tamen eſt contra illud, quod colligitur ex primo capite 13. Methodi, vbi inflammationem inquit eſſe renitentem, quod uerum eſt, ac maximè, dum eſt in vigore, quo tempore optimè coquuntur humores: ergo &c. ſolutio eſt in verbo ἐπιρρέοντι χυμοῖς. Principium autem, & origo tumorum, & præcipuè inflammationum ex ſententia Eraſiſtrati, teſte Celſo in præfatione primi libri, eſt, quando ſanguis transfunditur de venis in arterias: ſed hoc eſt falſum: modus autem verus eſt, quem docet Galenus in lib. de inæquali intemperie, & in lib. de tumoribus præter naturam. Idem poſſumus nos excogitare in tumoribus per congeſtionem factis. Ab effectibus etiam innoteſcit principium tumoris, quia actio leuiter impediatur, rubor non eſt multus: ſimiliter tenſio, durities, ac ſimilia incipientes tumores nobis indicant.

Cruditas ac coctio non ſunt indicia temporum.

Obiectionis ex Hippocr. ſolutio.

Augmentum per collationem etiam principij colligitur, obſeruata tùm compoſita, tùm ſimplici natura tumoris ſenſu ipſo, quæ ſenſim, ac ſenſim magis à naturali termino recedat: A cauſis ſimiliter ſi eas creſcentes videamus: A materia, vel illius coctione nullum certum ſignum habemus: A ſymptomatibus verò habemus, vt ſi rubor, ſi dolor, ſi tenſio, ac durities maior fiat. Ab analogia quoque, ſiue à ſimilitudine aliquando ſignum accipere poteritis.

Augmenti ſigna.

Status à natura rei colligitur: maxima enim adeſt dilatatio, & maxima intemperies. A materia etiam, quæ coquitur, ſignum quoddam aliquando capimus ab ijs, quæ concoctionem ſignificant. Ab effectibus etiam ſtatus cognoſcetis, vt ex rubore, tenſione, pulſatione, duritie, modicatione, & ſimilibus.

Status.

Declinatio manifeſtiſſima fit ab eſſentia tumoris, à cauſis abſentibus, aut imminutis, & materia optimè cocta; ab effectibus, & ab analogia.

Declinationis.

Verùm ſciatis, quòd non omnes tumores habent iſta exquiſita tempora, vt ij, qui à venenato ictu ſunt facti.

Notandum.

Iam ſucceſſio tumoris ſuccedit cognoſcenda, an ſcilicet mors, vel ſanitas ſucceſſura ſit. Sed dicamus primò de morte, quam cognoſcetis futuram ex natura rei, vt ſi cognoueritis œdema eſſe peſtilens, vel bubonem peſtilentem, vel ſphacelum, vel gangrænam, ac ſimilia. Idem cognoſcetis à cauſa, vt ſi tumor ortus ſit ex aere peſtilenti, vel ex contactu peſtilenti, vel ex morſu venenato, prædicere poteritis malum euentum. A materia quoque ſubiecta capietis ſigna malæ ſucceſſionis, vt ſi cor, aut cerebrum patiatur ſphacelum: ſimiliter ſi eryſipelas affecerit vterum mulieris grauidæ, malus erit euentus, teſte Hippo. in 5. aphor. Ab effectibus quoque malum euentum præuidebitis, vt pleuritidi, & peripneumoniæ profluuiũ alui ſuperueniens malum, ait Hippocr. 6. aphor. 16. & eodem lib. aphor. 35. ait: Tuſſis ſuperueniens hydropi mala: & aphor. 38. inquit: cancrorum occultorum irritatio mala. Boni autem euentus tumorum ſigna accipietis à natura tumoris, & ab abſentia eorum, quæ mortem prænunciant. Iam ſuccedunt effectus, quorum vnuſquiſque in ſpeciebus enumerandis patebit, ac illius ſigna ibi trademus. deſcendamus modò ad curationem.

Signa mortis.

Signa ſalutis.

Digitized by Google

De Curat. tumoris in vniuerſum. Cap. V I.

Propoſitio dicendorum.

QVI rectè tumores præter naturam curare vult, opus eſt, vt omnes ſcopos curatiuos optimè cognoſcat; atque omnia indicantia, quibus eos aſſequi poſſit; aliter incaſſum laborabit. de quibus ego haud locuturus ſum, cum ſatis ſuperque & anno ſuperiori, & iſto ratio illorum explicata ſit ab Excellentiſſimis his Practicis: Nec ob id credatis me inordinatam tumorum curationem velle vobis proponere docendo, quòd primo fluxus eſt prohibendus, materia repellenda, ac ſimilia, quia ſi ita agerem, rem vobis inutilem traderem; & propterea rem aliter tractare intelligo, ita, vt primò videamus, quis affectus nobis ſit curandus, an dum fit, an factus penitus; an ex materia defluente aliunde, an ex excremento per collectionem congeſto. Proponatur ergo tumor curandus, quid primò agendum? via diuiſiua oportet procedere, & videre, an tumor fiat, an verò factus ſit. ſecundò ſi fiat, an fiat à materia, quæ gignatur in parte, vbi fit tumor, inibique coaceruetur, an verò aliunde fluat: hoc enim principio ſcire multi refert: neque enim eandem admittit curationem tumor, qui iam incipit, & fit à materia fluente, quam vult tumor iam factus ex coaceruata materia in parte affecta: ſiquidem ille requirat præcautricem facultatem medicam; qui verò factus eſt curatricem, vt dicebat Galenus 13. Method. capite ſecundo, loquens de inflammatione. quando autem tumor eſt partim factus, & partim fit, peculiarem quoque, & à prædictis diuerſam poſtulat curationem, quoniam indicationes tumoris partim incipientis, & partim facti ſunt compoſitæ; in eo verò, qui factus eſt, & qui fit, ſimplex: & idcirco primum, quod in curando tumore inſpicere debemus, eſt, vt conſideremus an fiat, an factus ſit, an partim factus, partim non: ſed loquamur prius de eo, qui fit, & à fluxione.

Conſideranda in tumorũ curatione.

Si occurras iſtius modi tumori, quem ſis curaturus, & caſu contingat, vt eius naturam cognoſcas, ex cognitione ipſius naturæ habebis quoque ſtatim, quod fit à fluxione, vt, verbi gratia, ſi cognouero tumorem, qui eſt in manu, videroque in ipſo ruborem, pulſationem, dolorem, &c. ſtatim inferam, quòd eſt inflammatio, mox quòd fit à fluxione; nam inflammatio fit à ſanguine, ſanguis non gignitur in manu, ſed in hepate; igitur opus eſt, ſi debeat fieri inflammatio, vt ſanguis inde in manum fluat. Sed ſi accideret, vt morbum, cui occurris, non cognoſceres, confugias ad materiam: nam ipſa ducet te in cognitionem, quòd tumor fit à fluxione, vt, ſi uideas tumorem pallidum, ſtatim dices: hic abundat bilis; ſi rubrum, ſanguis: ſed iſti humores non generantur in manu: ergo (inferes tu) non coaceruantur ibi, ſed potius aliunde fluunt: ecce quomodo à materia, vel à colore tumoris cognouiſti tumorem fieri à fluxione. Si uerò caſu fieret, vt nec tumorem, nec humores cognoſceres, poteris a maſſa ſanguinis in vtriuſque notitiam deuenire, vt ſi uideris tumorem, uerbi gratia, podagricum in crure, & neſcias, cuius nam ſit naturæ, obſerua patientis hominis habitum, & ſi uideris, quòd eſt ualidus, rubicundus, &c. ſtatim habebis, quòd abundat ſanguis in ipſo; ſi contrà ſit macilentus, tenuis, arteriæ duræ, &c. dicito eſſe biliosum: & hinc ſubitò colliges non ſolùm, quæ nam ſit materia faciens tumorem; uerum etiam, quòd tumor fit à materia fluente. Vtrum tumor fiat à materia fluente, an ab ea, quæ in loco affecto gignatur, & coaceruetur, cognoſcitur etiam à motu tumoris: qui enim fit à fluxione, citò incipit, citò augetur, & citò deſinit; qui uerò à coaceruata materia, è contra. Item ex ſymptomatibus: nam tumores, qui ex fluxione fiunt, uehementer dolent, quia ſubitò fit ſolutio continui, & habet pulſationem magnam; qui uerò ex coaceruatione materiæ, nec pulſant, nec dolent: cum enim materia ſenſim, ac ſenſim fiat, & coaceruetur, nec citò, ſed longiori tempore, ideo non poteſt unio ſolui. hi ſunt modi, quibus tumor à fluxione factus ab eo, qui oritur ex coaceruatione materiæ, dignoſcitur. Numquid autem tumor incipiat, an factus ſit, breuitas primò temporis indicat, ut ſi quis ſtatim doleat, uerbi gratia, manu, mox ipſam tumidam iam factam inſpicias, habes illicò, quòd tumor ille eſt in principio. ſecundò indicat actio partis: nam ſi actio ſit parum læſa, & dolor adſit paruus, poteris affirmare, quòd tumor incipiat. Tertiò poteris id ipſum cognoſcere proprijs oculis, ut ſi quantitas in paruam molem ſit elata, ſignum eſt, quòd tumor incipit.

Modus cognoſcendi tumores à fluxione genitos.

Fiatne, an factus ſit tumor quomodo diſcernatur.

Inueniendi remedia triplex via.

Tumoris natura hoc modo cognita, quid poſtea ſit agendum inuenies ex una illarum trium medendi rationum, ſcilicet, vel analogiſmo, vel experientia, vel proprijs morbi indica-

Digitized by Google

indicationibus; & ſi analogiſmo non poteris ſcopum attingere, confugies ad experientiam; quę ſi nec ipſa ſatisfaciat, ad indicationes erit tibi recurrendum. Verùm cũ rationales medici nos ſimus, ea medendi ratione debemus vti, quæ ab indicationibus accipitur.

Indicationes, ac ſcopi.

Prima igitur indicatio in tumore curando eſt, vt ſi morbus incipiat, impediamus, ne fiat, ſi factus, vt auferatur: at non ſatis eſt hoc, ſed opus eſt, vt ſciamus, qua ratione, quibusve inſtrumentis hoc poſſit fieri. Similiter quæ qualitas, quæ quantitas, quis modus, quæ opportunitas, quis locus, quisve ordo ſeruandus ſit in vſu remediorum. hæc autẽ indicantur à quantitate, & qualitate materiæ facientis morbum. Sed exemplo, clarioris doctrinæ gratia, rem hanc totam patefaciamus. Eſto ꝙ tumor, quem ſumus curaturi, ſit inflammatio, primũ, quod nobis proponitur agendũ, eſt, vt cognoſcamus cauſam talis tumoris, quia tumor, dum fit, ſemper habet cauſam coniunctam: inflammatio igitur, ſi fiat, impedienda erit, ne vlterius progrediatur, vt dicit Galen. 13. Meth. c. 2. ſed impediri non poteſt, niſi cauſa, quam habet annexam, auferatur; & ideo cauſa eſt primò cognoſcenda; & habito, quòd cauſa ſit fluxio, indicatur eſſe ſiſtendam; & quia cauſa fluxionis non vnica eſt (nam vel fit ratione partis ſanæ, vel partim ſanæ, partim affectæ; vel ratione intrinſeci principij ipſiuſmet humoris: pars autem ſana eſt cauſa fluxionis, vel quia grauatur à quantitate, vel ſtimulatur à qualitate, vel ab vtraque, vel à venenoſa, & occulta quadam qualitate) ideò videndum erit, à qua nam cauſa fluxio fiat, & illa poſtea erit remouenda.

In inflammatione à fluxione orta.

Dicamus ergo: Tumor incipit, igitur impediendus, ne vlterius procedat: fit à fluxione, & fluxio à parte demandante, quia grauatur humoris quantitate, ergo quantitas minuẽda; ſed nec hoc ſatis adhuc eſt: nam diminutio habet ſuã quantitatem, qualitatem, modum, tempus, & locũ, per quem debeat fieri, ergo pro euacuanda tali materia oportebit ſcire, quantũ ipſius imminuendum; pro qua imminutione, quo tempore, & per quem locum: Poſſumus enim euacuare per ſectionem venę, per balneum, per ſudorem, per calefactionem, per exercitiũ, per frictiones partium, per medicamenta digerentia, cuiuſmodi ſunt theriaca, mithridatũ, ſyrupi, &c. per medicamenta purgãtia, per diuretica, per mediã &c. Verũ non omnes iſti modi euacuandi ſunt opportuni: nã ſi tumor ſit, verbi gratia, in crure, primò quantitas nequit per exercitium euacuari, quoniam ob motum quantitas ipſa augeretur, nedum imminueretur, & ſi tumor ſit in partib. inferioribus, curſus, & equitatio multũ obeſſet; ſi verò ſit in ſuperioribus, geſticulatio erit inutilis; nec per frictionem, quia eliquat maſſam ſanguineam; nec per balneum, quia augeretur fluxio: balneũ enim humores eliquat, quo fit, vt maſſa ſanguinis magis creſcat, & ita facilius fluũt humores: vnde Galenus dicebat balneum malum eſſe, dum corpus eſt plethoricũ; nec digeſtione, quia tarda nimis euacuatio; nec victus ratione, eandem ob cauſam; nec pharmaco, quia eliquat humores, & exagitat, & fera nimiũ eſſet: præterea, ſi adſit repletio bona, euacuãdus eſt ſanguis, qui non pharmaco euacuatur: igitur vna euacuatio per venę ſectionẽ relinquitur opportuna; & ideo ſtatim dices: incipiente inflammatione in crure ob fluxionem mittendus eſt ſtatim ſanguis. eodem modo exerceatis vos in alijs tumoribus.

Si quantitas fluxionẽ cauſet, quæ in agendo perpendenda.

Quantitas variè exhauritur.

Repudiatis cęteris omnĩbus euacuandi modis venæ ſectionem eligit.

Sed dices, perſiſtendo in exẽplo accepto, concedo, ꝙ ſanguis ſit mittendus, ſed vtrum continuata ſerie, an per vices, hoc mihi eſt ambiguum. Dico, ꝙ debetis obſeruare, quænã plenitudo ſit illa, quæ adeſt, vtrũ quo ad vaſa, ita vt uaſa nequeant tantã ſanguinis copiã retinere; an verò plenitudo ſit, quo ad vires: Si quoad vaſa, mittendus eſt continuata ſerie, & in bona quantitate, ita ut quinque librę extrahantur: quandoque vſque ad animi defectum; ſin quoad vires aderit plenitudo, per vices erit mittendus; ſed ſi quo ad vtrũque, ſcilicet, & quoad vaſa, & quoad vires, per vices ſimiliter erit euacuandus, ita, vt una vice parum ſanguinis extrahatur, altera uice ſimiliter, & ſic de tertia, &c. incipiente igitur inflammatione ex fluxione materiæ à parte ſana demandante ſiſtenda eſt fluxio, minuendaq; materia per venæ ſectionem; lenita tamen prius aluo, vt Medici præcipiunt.

Modum diminuẽdi ſanguinem quæ nos doceant.

Quantitas autẽ ſanguinis minuendi indicabitur vobis à viribus, & ab ipſius corporis materia, ideſt à ſanguinis quantitate: nequeo enim in re hac normã vobis certã tradere; ſed iudicium requiritur veſtrum, vt ſi magnam uidebitis adeſſe plenitudinem, viribus robuſtiſſimis exiſtentibus, multum indicabitur uobis ſanguinis eſſe extrahendum. Vires autem ualidas, aut imbecilles eſſe, cognoſcetis ex pulſu, ex ætate, anni tẽpeſtate, anteacta vita, &c. vt ſi, qui patitur inflãmationem, eſſet puer, vires imbecillas eſſe nemo dubitaret: quemadmodum etiã ſi eſſet iuuenis; ſed à febre aliqua ardẽte, uel aliquo alio affectu, qui iam præceſſerit, extenuatus, uel ſub anni tẽpeſtate feruẽtiſſima; aut ex multa Venere, cui fuerit deditus, emaciatus. & hęc ſatis de qualitate minuendæ materiæ, & quantitate.

Quãtitatem quæ &c.

Viriũ notæ.

De opportunitate, ſeu de tempore, quando ſit extrahendus ſanguis, indicabitur uobis à celeritate, & à uehementia morbi, habito, quod ſit ſecanda, & quando.

Tempus quę &c.

Sequitur de loco, & modo, nec pręter rẽ de hoc eſt nobis agendum, quoniã non quili-

Loci diſcrimen eſſe magni momenti per exēpla.

her locus pro euacuanda materia opportunus eſt: ſi enim cuipiam bubo ſub axilla ſiniſtra inciperet, non erit accommodata euacuatio per locum ipſum affectum, vt quidam nebulones faciunt, qui incipiente bubone peſtilenti ſtatim ſecant ipſum: In anguina quoque poſſumus materiam euacuare per ſectionem venarum propinquarum, vt ſecta vena ſub lingua, vel in cubito; Verùm in inflammationib. his, & huiuſmodi reliquis nulla per iſtos locos euacuatio conueniens eſt, quoniam tametſi, quæ in loco affecto continetur materia, euacuetur, copioſior tamen eò aliunde attrahitur; nos autem ea vacuandi ratione vti debemus, qua non ſolum materia, quæ in affecta parte continentur, educatur; verum etiam, ne noua rurſus eodem attrahatur; & ideo debemus per illum locum euacuare, vt materia non ad partem affectam; ſed ad aliam retrahatur. hinc ſumpta occaſione de retractione, auerſioneve quædam ſunt nobis dicenda.

Auerſionis appellationes.

Sciatis igitur, quòd ἀποστροφὴ & ἀποτροπὴ a noſtris medicis Græcis dicitur, quando pars aliqua abhorret rem aliquam, atque eam ęgerrimè fert: vnde cogitur ad expulſionem inſurgere, vel idem medicus facit: hæc auerſio à noſtris Latinis vocatur: & ipſa medicus vtitur, quando natura ſui imbecillitate non poteſt: eſt enim medicus naturæ miniſter; ideo ſæpe quod ipſa non poteſt, ipſe operatur, vti facit in auerſione. Quæ duplex eſt, teſte Galeno in 5. Meth. c. 3. vna, qua medicus aufert id, quod Natura abhorret παροχέτευσις Græcè dicta, & nobis deriuationem ſonans: altera verò ἀντίσπασις, hoc eſt diſtractio, quæ & reuulſio Latinè vocatur. duplex igitur eſt auerſio, qua Medicus Naturę locum ſubiens vtitur, deriuatio nimirum, & reuulſio.

Auerſio duplex eſt.

Deriuatio quid.

In deriuatione euacuat, & retrahit materiam abundantem per locum propinquum loco affecto, non tamen per ipſummet affectum locum, ſicut dicit Galenus commentario 2. in 6. epidem. commento tex. 7. at ſi tumor eſſet in ala, & ſecaret venam in cubito, vel in manu, diceretur deriuare, quemadmodum & agricola, cum ſtagnantē aquam è medio agro in latus dextrum, vel ſiniſtrum per ſulcum, riuulumve ducit, dicitur deriuare ipſum, ita & Medicus tunc dicitur deriuare, cum per locum affectæ parti propinquum euacuat: exemplum habemus à Galeno in 2. Epidem. text. 7. vbi inquit, quòd materia offendens renes deriuatur ad veſicam, & ad inteſtina, ideſt euacuatur per inteſtina, & per partem aliquam propinquam, vt per canalem vrinarium. Deriuamus quinetiam cum in inflammatione faucium ſecamus venam ſub lingua, vel venam in angulo oculorum, vel quæ in fronte exiſtit; vel cùm à palato trahimus ad nares, vt habemus à Galeno in 5. Metho. cap. 3. venæ enim hæ omnes vicinæ ſunt. Deriuando item euacuamus cum in inflammatione; vel alia aliqua capitis affectione aperimus vel phleboromo, vel hirudinibus venas narium, & in inflammatione oculorum venas poſt aures. Verùm euacuatio hæc per deriuationem facta, non eſt opportuna in affectu, de quo nunc verba facimus, ſcilicet in incipiente inflammatione, quoniam attrahit materiam ad locum affectum.

Exēpla eius varia.

Deriuatio in incipiēte inflammatione non cōuenit. Sed reuulſio ad partē oppoſitam.

Sed quæ nobis conueniens, & accommodata eſt illa, quæ auerſio, & reuulſio nuncupatur, & eſt cum incipiente tumore ſecamus venam in oppoſito latere, ſeu parte, oppoſita, inquam, parti, quæ tumore afficitur. Reuulſio igitur hæc, quæ per oppoſitam fit partem ea eſt, quæ vſui nobis eſt.

Oppoſitio partium triplex ex Gal.

Verum oppoſitio locorū reuulſioni huic inſeruiens non ſimplex eſt, ſed triplex, iuxta Galeni ſententiam in quinto Aphor. commento aphoriſmi 68. Prima quidem oppoſitio eſt, quæ reſpicit ſurſum, & deorſum. Vnde, ſi tumor fuerit in partibus ſuperioribus, ſecamus venam in inferioribus: ſi verò in inferioribus, è contra: & hæc oppoſitio locorum vocatur oppoſitio ſecundum longitudinem. Altera oppoſitio eſt ſecundum latitudinem, à dextris, ſcilicet, ad ſiniſtra, & è contra. Tertia eſt ſecundum altitudinem, hoc eſt, à poſteriorib. ad anteriores partes, & vice uerſa, de qua oppoſitione locutus eſt Hippocrates in quinto Aphoriſmorum, aphoriſ. 68. cum dixit: Dolente capitis parte poſteriore, prodeſt ſectio venæ in fronte. Has tres reuulſionum ſpecies enumerat & Galenus in libello de hirudinibus, &c. ſi tamen libellus ille Galeni eſt, & non Oribaſij. Quarta datur oppoſitio, & neceſſariò quidem datur, quę eſt à centro ad circumferentiam, & è contra, de qua reuulſione, quę fit per oppoſitionem à centro ad peripheriam, meminit Galenus in quarto de tuenda ſanitate, vbi docet, quando venę ſunt repletæ humoribus craſſis, & viſcidis; cutis autem acrioribus humoribus, nulla fiat reuulſio à cute ad interiora; nec ab interioribus ad cutim. de hac pariter mentionem fecit lib. 5. Methodi, cap. 3. Et ita octo ſunt loca oppoſita nobis inſeruientia in ſecanda vena.

Quarta à cētro ad circūferētiam additur.

Sed dices: ſi tumor ſit in parte capitis cutanea, in qua corporis parte ſecāda erit vena? Dico in poplite, vel in pedibus, vt materia reuellatur à partibus ſuperioribus ad inferiores; è contra autem ſi pars affecta ſit vterus, vel crus, vel quæuis alia inferiorum partium, ſecanda erit vena in cubito, vel in alio loco partium ſuperiorum.

Cæterùm

Digitized by Google

Cæterùm peteret hic veſtrum aliquis, quæ nam ſuperiores, & quæ inferiores ſint partes. Mathematici, vt pote qui vmbilicum pro corporis noſtri centrò conſtituunt, dicunt ſuperiores eas omnes partes eſſe, quæ ſupra vmbilicum ſunt ſitæ, inferiores verò, quæ infra. Nos autem, non Mathematicos, ſed Medicos inſequentes, dicimus cum Galeno, & Hipp. in 6. Epid. ſectione 2. tex. 14. quod partes inferiores illæ omnes dicuntur, quæ infra hepar ſunt collocatæ: ſuperiores verò, quæ ſupra, vel vnà cum ipſo ſunt ſitæ. Sed hic ſtatim oritur dubitatio de liene, vtrum videlicet inter ſuperiores, an inter inferiores collocetur partes, & per conſequens ſi tumorem, vel affectionem aliam quamlibet patiatur, cuiuſnam venæ ſectio conueniat. Reſpondeo, quòd cum habeat rectitudinem ad hepar eiuſdem venæ ſectio in ipſius affectibus conuenit, cuius & in affectibus hepatis. De ventriculo eadem poteſt fieri dubitatio, cui eadem met quoque reſponſio à Galeno in lib. curatiuo per ſanguinis miſſionem cap. 17. accepta ſatisfacit. Igitur ſuperiorum partiũ venæ erunt ſecandæ, ſi affectus ſint in partibus inferioribus; & è conuerſo: Quòd etiam confirmatur authoritate Galeni in 10. de compoſitione medic. ſecundum loca. cap. 2. vbi in inflammatione iſchiadis ſecat venam in cubito, & in lib. de arte curatiua per ſanguinis miſſionem cap. 18. & 19. in inflammationibus renum ſecat venam in cubito. Item in annuis purgationibus, eorum ſcilicet hominum, qui conſueuerunt corripi morbis partium ſuperiorum, præcipit ſecandam eſſe venam in poplite, ne hi incidant in epilepſiam, quæ cerebri affectio eſt. Rurſus, ne qui podagricis tumoribus ſunt obnoxii, incidant in paroxyſmos præ tumorum illorum dolore, dicit ſecandam eſſe venam in cubito in ſuper, in 2. ad Glauconem cap. 2. in tumoribus vteri ſecat venam cubiti, in lib. etiam de affectibus renum (ſi tamen Galeni liber eſt) inflammatis renibus ſecat venam cubiti. Vltimò in quinto Epidem. 9. in tumoribus pedum dicit ſecandas eſſe venas ſuperiore, & quòd ſemper eſt reuellendum per partem oppoſitã, hæc eſt Galeni & Hipp. firma ſententia, vt vidiſtis.

Hepar eſt limes ſuperiorum, & inferiorũ partium.

Lien ad quas ſit referẽdus Vẽtriculus.

Quæſtionis: An ad diſtãtiſſima ſanguis retrahendus pars affirmatiua probatur ex Galeno.

Vſus tamen omnino in oppoſitum eſt, quod certè eſt admiratione dignum: omnes enim noſtri temporis Medici, vt in praxi potuiſtis videre, in inflammationibus oculorũ, vel faucium, vel aliarum his ſimilium partium non in poplite venam ſecant, ſed in cubito: id ipſum faciunt in tumoribus reliquarum ſuperiorum partium: in affectibus autem vteri ſecant venas non ſuperiores, ſed inferiores, vt poplitis, vel malleoli, & rarò venam cubiti prius, deinde poplitis vel malleoli. Sed dices quid ad me ſi Medici noſtrates errant? ego ſequar Galenum. Domini non ita facilis eſt euaſio: nam & Galenum Medici iſti, habent pro ſe, quoniam in 6. Epidem. 9. & in 2. ad Glauconem cap. 2. reuellit materiam in affectionibus capitis per ſectionẽ venæ in cubito, & ita in affectibus partium ſuperiorum reuellit ſecando venas ſuperiores. Item in 13. Methodi cap. 11. in inflãmationibus thoracis, pulmonum, & ſepti tranſuerſi ſecat venam in cubito, & dicit reuellendo non autem deriuando ſecandam hanc eſſe venam in his affectibus. Item in 2. ad Glauconem monet laborante manu dextra ſecandam eſſe venam in manu ſiniſtra, & è contra; & affecto crure ſiniſtro ſecandam eſſe venam in poplite cruris dextri, & è conuerſo: Et ita ambiguum ſatis videtur vtrum reuulſio debeat fieri per oppoſitam partem, ita, vt laborantibus partibus ſuperioribus reuellendum ſit ex ſectione venarum in partibus inferioribus, & vice verſa, quare vtrinque ſunt anguſtæ, nec facilè admodum eſt difficultatem hanc ſoluere; ſoluam tamen ego, vt potero: & puto me vobis hac in re ſatisfacturum.

Negatiua probatur ex eodẽ, & vſu practicãtiũ.

Meminiſſe igitur vos oportet tumorem fieri vel à materia fluente à loco ad locum; vel ex materia congeſta, quæ ſcilicet gignitur paulatim in parte aliqua, & facit demque tumorem: Si tumor fiat ex materia citò fluente, dicebamus indicari nobis inhibitionem talis fluxus motuſue: verùm quia motus huiuſmodi materiæ, ſanguinis videlicet, eſt impetuoſus, & velox, non poſſumus ipſum ſtatim ſiſtere; ſed reflectimus ipſum, reuellendo ſcilicet materiam ad alium locum.

Ad ſolutionem quæſtionis conſiderandum ait, an citò operãdum.

Sed ſi materia fluens eſſet copioſa, non ſat eſſet, vt reduceremus ipſam ad aliquem locum; ſed alia ad huc nobis ſe ſe offerret indicatio, nimirum, euacuatio eiuſdem; alioqui faceret tumorem in parte illa, ad quam eſt reuulſa: Et ita in inflammatione incipiente à materia fluente indicatur, vt ſimul, & ſemel reuellamus, & euacuemus: præterea quia citò ex tali materia fit tumor, vt patet de pleuritide, quæ cum fiat à materia fluente, citiſſimè fit, ita, vt nunc aliquis ſanus ſit, & hinc ad horam dicet ſe dolorem ad mamillam ſiniſtram, verbi gratia perſentire. Quia igitur ex materia fluente citò fit tumor, tertia nobis offertur indicatio, vt citò debeamus ei occurrere: & ita opus eſt ea reuulſione vti, quæ non ſolum reuellat; ſed etiam ſimul, & ſemel euacuet materiam illam; & citò etiam euacuet: quare ea venæ ſectio erit eligenda, quæ poſſet omnia hæc præſtare.

Item an vnà euacuãdum.

Nec

Digitized by Google

Item an ſimul deriuandum.

Exemplum in angina.

In angina reuulſio ad remotiſſima nō conuenit.

Nec tria hæc obſeruaſſe ſufficiet, ſed quarto loco erit addēdum, vt obſeruetis tres terminos in materiæ fluxione, datur enim terminus à quo humor fluit, nec non terminus ad quem; & inter vtrumque medius, vt verbi gratia, ſi inciperet angina ex materia fluente, tres termini in ipſa erunt obſeruandi, ſcilicet, terminus à quo, qui eſt ambitus totius corporis: terminus ad quem, qui eſt pars illa, quæ in tumorem erigitur: & terminus medius, & eſt ductus ille medius, per quem materia fluit ab ambitu totius in locum ad quē: medins autem iſte ductus ſunt uenæ illæ iugulares, quæ recipientes ſanguinem à termino à quo, ideſt à venis exiſtentibus in ambitu totius corporis: & cum propter nimiā copiam illius ſanguinis nequeant ipſum continere, ſinunt vt effluat in muſculos, ſeu glandulas & fit inflammatio (hoc enim modo fit inflammatio ex fluxione materiæ:) & ita terminis his tribus in curanda inflammatione debemus eſſe intenti: non ſolum enim materiam illam fluentem, copioſeque, & citò fluentem debemus reuellere, & ſimul euacuare; ſed etiam eo modo reuellere, & euacuare oportet, vt & materiæ illius, quæ tranſmittitur à termino à quo, & quæ eſt in termino medio, & quæ in termino ad quem, habeatur reſpectus. Ea itaque vena erit ſecanda, quæ citò reuellat, euacuetque materiam, quæ fluit à venis totius corporis, & quæ eſt in venis medijs viciniſue, & quæ in loco iam inflammato. Ex quo patet, quòd in angina ſectio uenæ in poplite, vel in alia parte remotiſſima non conuenit: quia tametſi ex talis uenæ ſectione euacuaretur materia fluēs ex totius ambitu: non tamen euacuabitur (niſi longo tempore, & in pauca admodū quātitate) materia, quæ in venis proximis parti inflammatæ; & quæ in ipſamet parte continetur: & ita aut nihil, aut parum ſectio eiuſmodi uenæ prodeſſet, cùm ob longinquitatem uenæ illæ ſuperiores, & proximæ inflammationi vix perſentiſent ſanguinis eductionem, adeo, vt ſi, quantum ſanguinis opus eſſet, vellemus ex ipſis, vt puta ex ſingularibus educere (ſex, verbi gratia, vncias) neceſſe eſſet euacuare à vena ſecta in poplite, vel malleolo duas tres, & quatuor fortaſſe libras.

Rectitudinē quoque ſeruandam.

Quinto ſeruanda eſt venarum rectitudo; facilis enim eſt reuulſio, quæ ſecundum rectitudinem fit: per rectitudinem autem intelligo conſortium, quod venæ inter ſe habēt ratione rectarum fibrarum: Si igitur uelimus materiam ex tribus illis locis, terminisve dictis reuellere, & euacuare citò, & abundanter, neceſſe eſt ſeruare rectitudinem venarum:

Reuulſio duplex impropria, quę partim eſt reuulſio partim deriuatio.

Reuulſio propriè dicta in quibus affectib. exercenda.

Ex quo apparere arbitror duplex eſſe reuulſionis genus: alterum quidem impropriū, & eſt illud, de quo iam iam ſummus abundè locuti. quo reuellitur, & vacuatur materia à venis totius ambitus, à venis medijs, & à loco inflammato; reuellitur inquam citò, & multum, fitque non per oppoſitiſſimas partes: ſed per eas, quæ quoquomodo ſint oppoſitæ, vt opponitur pars, verbi gratia, dextra capitis dextro brachio &c. & fit etiam per rectitudinem fibrarum. Alterum reuulſionis genus eſt, quod propriè hoc nomen ſortitur: fit autem talis reuulſio propriè dicta per oppoſitas, & remotiſſimas partes, vt cum affecto capite ſecatur vena in malleolo, vel poplite, & talis reuulſio non vacuat à loco affecto, nec citò; & ideo inutilis eſt ad curationem incipientis inflāmationis à materia fluente: ſed ea vtimur in inflammationē facta, vel quæ fit à materia coaceruata, & genita paulatim in parte inflammata, vbi non cita, nec multa requiritur reuulſio, atque euacuatio. Vtimur etiam hoc reuulſionis genere in præcautione, vt ſi, verbi gratia, materia calida flueret quotaranis ex ambitu totius ad caput Socratis, & faceret inflammationem, tunc ſolemus ante tempus, quo materia iſta ſolet Socratem infeſtare, reuellere ſectione facta in poplite, vel malleolo. vt Natura tentet eo materiam illam tranſmittere, & nō amplius ad caput. conuenit autem talis reuulſio propriè dicta in hoc caſu, quia cum materia nondum ſit fluxa, non egemus cita reuulſione, nec euacuatione. Conuenit quinetiam talis reuulſio in plethora maxima totius corporis, & ideo Gal. in affectibus ueſicæ, renū, &c. ſecat venas ſuperiores. Reuulſio igitur propriè dicta, quæ fit per partem oppoſitiſſimā conuenit in præſeruatione, & in plenitudine maxima totius corporis, vt ſcilicet plenitudo illa minuatur. Altero verò reuulſionis genere impropriè dicto, in quo ſeruatur non oppoſitio, contrarietasve totius, ſed partis ad partem, vt capitis ad brachia, & rectitudo venarum, vtimur, cùm egemus vacuatione ſimul cum reuulſione non ſolum materiæ illius, quæ fluit ex venis totius corporis, verum etiam iam fluxæ in partem affectam, & in canalibus medijs, & cum egemus multa, & cita tum reuulſione, tum euacuatione: nam hæc teuulſio indicatur à vehementi fluxione, vel à vehementi expulſione.

Reuulſio miſta quib. ſcopis ſatisfaciat.

Non eſſe educendum ſanguinem per eundem ramum, ſed diuerſum, ideſt oppoſitum.

Sed poſtremò circa ſectionem venæ obſeruandum hoc maxime eſt, vt cum volumus per ſectionem venæ reuellere, ſimulque euacuare, debeamus ſecare uenam illam, quæ non per eundem canalem euacuet, & reuellat materiam, ſcilicet, ſanguinem à loco affecto à venis medijs, & ab ambitu totius; ſed per diuerſos, ita, vt per unum ramum reuellat,

lat, euacuetque ſanguinem à venis, quæ ſunt in toto ambitu, per alium, qui in alijs venis, ideſt, & proximus loco affecto, & per alium, qui continetur in parte tumore iam affecta. Vena igitur pro euacuatione & reuulſione ſecanda non debet per eundem ductum, ſed per diuerſos ſanguinem diuerſis in locis contentum educere.

Solutio primariæ quæſtionis.

Solutio itaque quęſtionis eſt, quòd cum duplex reuulſionis detur genus, propriiſſimum vnum, minus proprium reliquum: non inconuenit modò vno, modò altero vti, prout videtur opportunum: Non dico tamen, quòd indiſcriminatim in quocunque caſu poſſit medicus vtroque vel alterutro vti, ſed quòd cum intentio noſtra eſt reuellere duntaxat ſine euacuatione, ab ambitu totius, tunc debemus vti reuulſione propriè dicta; quando verò volumus ſimul reuellere, & euacuare ſanguinem non ſolum ex ambitu totius, verum etiam ex alijs locis dictis (quod & cita, & multa tùm reuulſione, tùm vacuatione opus ſit) tunc vtimur altero reuulſionis genere minus proprio; & ſecamus venas non in oppoſitiſſimo, & remotiſſimo latere, ſed in minus contrario, ita, vt ſeruemus tantummodo oppoſitionem partis ad partem; non autē totius ad totum, & hac de cauſa dicimus nec Galenum, nec noſtrates medicos errare; immò optimè facere, quoniam iuxta diuerſas intentiones, diuerſas quoque venas ſecant.

Repetit, quæ ſuperius in inflammatione incipiente agenda colligerat.

Redeundo igitur eo, vnde ſatis ſum digreſſus, dico, quòd incipiente inflammatione à fluxione materiæ demandatę ex parte ſana eò, quòd quantitate nimia grauetur, indicatur fluxum illum eſſe ſiſtendum: Verùm quia difficile admodum eſt motui illi reſiſtere, & fluxionem illam magnam impedire, ideo altera nobis ſeſe offert indicatio, vt ſcilicet ſanguinem illum copiosè, ſubitò, & cum impetu fluentē ad aliam partem reuellamus. Sed rurſus, quia quantitas magna eſt adeo, vt & partem, ad quam reuulſa eſſet, poſſet in tumorem attollere, hac de cauſa altera inſurgit indicatio, vt ſcilicet eo reuulſionis genere vtamur, quo ſimul, & ſemel materia ipſa reuellatur, & euacuetur: in qua re præſtanda cum duplex habeatur inſtrumentum, nimirum, exhibitio pharmaci, & venæ ſectio, & pharmaco nō tam cito, ut opus eſt, poſſimus id efficere, iure optimo dixi ſectionem venæ eſſe eligendam, uenæ nimirum illius, quæ poſſit reuellere, & euacuare ſimul materiam, quæ eſt in uenis totius corporis, in uijs medijs, & in parte inflammata.

Si mala qualitas tumorē & fluxum concitet, quæ ſint indicata.

Cæterùm quia ſuperius diximus cauſas tumoris plures eſſe; ideo explicata uniuerſali curatione, ſeu methodo curandi inflammationem factā ex fluxione ſua quantitate partem ſanam grauante: reliquum eſt, ut oſtendamus communem quandam uiam curandi inflammationes ex fluxione materiæ ſtimulantis partes; uel mala qualitate, uel alio modo, de quibus ſupra abundè diximus. Si itaque mala qualitas, ut materia quidem turgens, acris, calida, & pungens ſit cauſa, ut partes irritatæ expellant materiam ad aliquem locum, quæ faciat tumorem, prima indicatio, quæ nobis offertur, eſt, ut qualitatem illam ſtimulantem auferamus; uel immutemus, ſi fieri poſſit: dico ſi fieri poſſit, quia generatio, & fluxio humoris acris cita adeo eſt, ut difficillimè natura talis humoris alteretur, fluxioque ſiſtatur; tentandum tamen eſt alterare talem acredinem, quoad fieri poſſit: Debemus quidem duas ob cauſas tentare alterationem talis materiæ: primo ſi opus habeamus tali materia in corpore, ac poſſit ad ſtatum naturalem reuocari: & ſi non poſſumus illam euacuare, niſi per loca periculoſa, quę maius periculum ſecum afferant. At ſi non ſit opus ipſa in corpore, uel ſi non adſit ſpes, ut alteretur, uel ſi poteſt euacuari ſine periculo, inſurgit altera indicatio & eſt, ut humor ille retrahatur ad aliquem opportunum locum & euacuetur.

Alteratio.

Expulſio.

Alijs euacuādi modis reiectis purgandum præcipit.

Sed dics: quali nam euacuatione debeo uti? Dico, quòd euacuatio, quæ fit per balneum, non conuenit: ſimiliter nec quæ per frictiones: nec quæ per exercitium: nec quę fit per diuretica, uel per cientia ſudorem, quoniam longo nimis tempore fiunt, ſed ea cęteris opportunior eſt, quæ fit purganti pharmaco: nam pharmacum purgans habet ſimilitudinem aliquam cum tali humore acri. In principio igitur incipientis tumoris ab humore acri, & feruenti, exhibendum eſt medicamentum purgans, & tardè exhibendum eſt: nam ſi materia illa non euacuaretur, periculū eſſet, ne fieret tumor aliquis magnus, & malus. Aliquando autem accidit, ut generatio huiuſmodi humoris ſit adeo cita, ut medicus deſperet poſſe ipſius fluxum impedire: & ideo non ſatis eſt pharmacum exhibuiſſe; ſed uena quoque eſt ſecanda; tametſi per ſectionem uenæ ualdè maior copia ſanguinis boni, quàm mali euacuetur: Simili modo ſi cachochymia eſſet in toto corpore, oportebit ab exhibitio pharmaco uenam ſecare. Quotieſcunque igitur uideritis nō ſufficere pro tali humore euacuando pharmaci purgantis exhibitionem, ſecabitis & uenam, ſi uidelicet indicetur citiſſima, ac ſubita euacuatio, uireſque conſtant, & dummodo tantum ſit bonæ materiæ, ut, illius parte euacuata, adhuc ſuperſit alimentum corpori, quod non poteſt fieri in tumoribus peſtiferis, ut ſuo loco dicam. Sed ſi nec cita, &

Venæ ſectionem aliquando ſubiungendam, ſi vrgeat neceſſitas.

Et ſi vires valeant, & alimentū corpori ſupererit.

Sin minus abſtinendū.

continua

continua acris humoris generatio; nec cachochymia, nec aliquid huiuſmodi vos admoneret; pharmaci exhibitionem nō ſufficere, abſtineatis à ſectione venę, quoniam virtus redderetur admodum debilis, quia plus boni, quàm mali ſanguinis euacuatur, vt dictū eſt: & ideo non eſt ſecanda vena, niſi quando neceſſitas requirit: Quemadmodum etiā ſi tumor eſſet in partibus intrinſecis, vt in ventriculo, vel in hepate, vel in liene &c. pharmacum purgans non eſt exhibendum, quoniam attraheret humores ad tale viſcus à toto corpore: ſed vena erit ſecanda, vel exhibenda lenientia tantum, vel clyſteria iniicienda, vt ſolùm materiæ, & excrementa; quæ ſunt in ventriculo, & inteſtinis educantur. Quandocunque igitur tumor erit in partibus internis; nunquam eſt exhibendum pharmacum ſoluens, tametſi celeris generatio humoris acris, & alia hoc indicarent; ſed ſecāda eſt vena, & exhibenda lenientia medicamenta; quæ non attrahūt humores à toto corpore; vel clyſteria ſunt iniicienda.

Prohibita purgatione ī tumorib. internis quid agēdum pro reuulſione.

Quòd ſi cauſa fluxionis ſit multitudo humoris, & qualitas ſimul, compoſita erit curatiua indicatio; ſed illud, quod præcipue indicatur, eſt pharmacia; quæ multa, & valida, atque cita ſit, in qua omnes illæ dictæ indicationes requiruntur, quę ſiūt pro ratione peccantis qualitatis: Prius ergo exhibebitis pharmacum, deinde ſecabitis venam.

Si copia, & mala qualitas ad fluxionem conſpirent, quid & quo ordine operandū.

Sed ſi cauſa expulſionis ſit malitia, quæ à tota ſubſtantia ſtimulat, ideſt ſi ſit maligna, & venenoſa qualitas; tunc nulla adeſt indicatio reuulſionis per ſectam venam; neque adeſt indicatio imminutionis materiæ factæ per inediam; vel per diuretica; vel per cientia lotium, vel ſudorem; vel per exercitium, vel per aliud ſimile inſtrumentum: quia iſtæ euacuationes ſunt nimis tardæ: ſed duplex datur indicatio: vel enim qualitas illa virulenta eſt euacuanda, vel iugulanda: euacuatur pharmaco; iugulatur autem antidotis: Vnde requiritur cita ex corpore euocatio, ac multa humoris illius exuſti ex nimia, ac peſſima putredine. Nunquid autem in tumoris peſtilentis initio vena ſit ſecanda, quæſtio eſt maxima, de qua re loquar infra, quando agam de particulari curatione talium tumorū.

Si qualitas venenoſa. Purgatione euacuatur.

Alterum, quod indicatur, vt dixi; eſt, vt praua illa qualitas iuguletur.

Vnde à Recentioribus non ineptè exhibetur ſtatim iſtad medicamentum, viribus concedentibus.

Medicamentum recentiorum purgās.

℞. præcipitati præparati cum aqua ardente, & roſacea gr. iiij.
Zuccari roſati ℥.s.
Miſce, & fac bolum cum ſaccaro, & exhibeatur.

Aliud.

Alij exhibent hoc electuarium optimum; quod ita fit:

℞. confectionis hamech,
Electuarij roſati Meſue, añ. ℥.j.
Diacatholiconis,
Diaprunis ſolutiui añ. ℥.j.s.
Confectionis dicendæ ℥.iiij.

Antidotus alterans quæ dictis purgātibus etiam miſcetur.

Miſce, & exhibeatur vncia vna; aliqui tamen exhibent decem drachmas, & aliquando vnciam cum dimidia pro ratione virtutis.

Confectio autem paratur hoc modo.

℞. baccarum iuniperi,
Gariophyllorum
Nucis moſcatæ,
Radicum enulæ añ. ʒ.ij.
Radicum ariſtolochiæ longæ, rotundæ,
Radicum gentianæ añ. ʒ.vj.
Seminis portulacæ, doronici, acetoſæ,
Ben albi,
Ben rubei añ. ʒ.j.
Spodij de canna,
Oſſis de corde cerui,
Ligni aloes,
Corallorum omnium,
Raſuræ eboris,
Baccarum lauri
Maſticis añ. ℈.ij.
Rutæ ʒ.j.
Ficuum ſiccarum,
Paſſularum,
Dactylorum añ. ℥.j.

Croci

Croci ℈. ij.
Cinnamomi.
Liquiritiæ ãn. ℥.s.
Tormentillæ.
Cardui benedicti.
Dictami ãn. ʒ.iij.
Amygdalarum dulcium.
Pinearum.
Seminum communium ãn. ℥. j.
Agarici trochiſcati ʒ. v.
Peucedani. ʒ.ij.
Terræ ſigillatæ.
Terræ Melitenſis albæ.
Boli Orientalis. ãn. ʒ. ij.
Mumiæ.
Zedoariæ. ãn. ʒ. j.
Camphoræ. ʒ. s.
Specierum trium ſandalorum.
Specierum diarodon abbatis ãn. ʒ. ij.
Corticum citri.
Fragmentorum ſmaragdi. ãn. ʒ. j.
Moſci. ℈. j.
Theriacæ.
Mitridati. ãn. ℥. j.
Foliorum armeniacæ. ℥. s.

Tritis optimè terendis, fiat electuarium ſecundum artem cum ſirupo de corticibus citri, & ſirupo de acetoſitate citri æquali pondere.

Inter alias quoque fluxionis cauſas, & per conſequens tumorũ, diximus eſſe aliquando humorem per ſe ipſum fluentem in aliquam partem, vt quando ſanguis per ſe mouetur, & impetum acquirit à cauſa externa, vel ab interna. Si igitur fieret inflammatio ex fluxione ſanguinis, qui quidem ſanguis nec expelleretur à parte ſana, nec attraheretur ab affecta; ſed per ſe ipſum flueret motu, ac impetu accepto ab aliqua cauſa vel externa, vel interna; tunc omnes externæ cauſæ ſunt auferendæ, vt ambiens calidus, motus, ira, mora ſub ſole, & ſimilia ſimiliter & cauſæ internæ abigendæ ſunt, vt calor ipſe conceptus aliqua cauſa interna erit extinguendus, aut ablata cauſa, exempli gratia, putredine alicuius partis, aut alia ſimili, aut ipſo ſanguine contemperato & incraſſato, quod fiet exhibitis cibarijs illis, quæ poſſunt aſtringere, refrigerare, atque craſſiorem ſanguinem reddere. Comedat ergo æger orizam, ptiſanam, lactucas, citonia mala, & ſimilia: bibat aquam frigidam, & ſimilia agat, quæ ſolent ſanguinem compeſcere, refrigerare, atque craſſefacere. Id ipſum ſolet & parca venæ ſectio efficere: ideo poteritis & venam ſecare paucam ſanguinis quantitatem extrahentes, quia non adeſt multitudo: ſi enim multitudo adeſſet, proculdubio non eſſet ſolum ſtandum in craſſefactione, ac refrigeratione ſanguinis, ſed eſſet etiam euacuanda copia.

Si materia fluat ſine expulſione, vel attractione cauſa ipſa tũ externa, tũ interna remouenda.

Sanguinis incraſſatio.

Pauca ſanguinis detractio.

Cæterum cum non niſi longo tempore ea enarrata ſanguinem contemperent, refrigerent, & craſſefaciant, ideo ſi volumus incipientem inflammationem impedire, ne vlterius progrediatur, cogimur vti alijs auxilijs, quæ citius, & melius poſſint ſatisfacere: Et ita alia inſurgit indicatio ab ipſo motu, vt alio ſanguinem ipſum conuertamus, cum nulla adſit multitudo, quia ſi multitudo adeſſet, non ſolũ alio cõuertendus eſſet motus, ſed etiam euacuanda eſſet copia. Igitur pauco, aut copioſo in corpore humore agitato ac eliquato, indicatur primo, vt motũ illum compeſcamus, ac ſiſtamus: hoc fiet per ablationem cauſæ aut externæ, aut internæ, & per introductionem temperiei in ipſum ſanguinem; quod ſi hoc non poſſimus conſequi, aut tardè, tunc indicatur, vt motum alio conuertamus; & quidem ad oppoſita, ſi vehemens, ac valida ſit agitatio: vnde reuulſio cum euacuatione requiritur: pauco autem exiſtente humore, cum nulla indicetur euacuatio, ſat erit motum ad contraria verti, atque humorem reuelli.

Incraſſatio tardè perficitur: vnde motus indicat retractionem ad locũ contrarium.

Reuulſionis autem inſtrumenta quatuor ſunt propoſita à Galeno in quinto Methodi cap. 3. & primum eſt cucurbitula, quæ hypochondrio affixa reuellit deorſum, & ſurſum, de qua diffuſius agit Galenus in libello de hirudinibus. Cucurbitulas ergo poteritis applicare in parte oppoſita parti affectæ, & per cucurbitulas intelligatis de illis, quæ applicantur igne ſicco, & à Galeno vocantur leues cucurbitulæ, à Recentioribus autem noſtris

Retractio illa fit 1. Per cucurbitulas.

ſtris

ſtris nominantur ſiccæ,& ſunt illæ, quæ ignea flamma admouentur & non ſecatur cutis. Et, vt melius rem hanc intelligatis, ſciatis, quòd cucurbitulæ ſunt in duplici differentia: nam aliæ ſunt, in quibus non ſcarificatur cutis, & hæ leues, ſeu ſiccæ vocantur; aliæ, in quibus cutis ipſa inciditur, quæ graues, & humidæ appellantur. igitur primum inſtrumentum reuulſorium, quo poſſumus reflectere motum ſanguinis per ſe fluentis, ſunt cucurbitulæ leues, ſeu ſiccæ.

Duplici ratione cucurbitulæ applicantur.

Secundo per ligaturas incipiendo à partibus vicinioribus.

Alterum inſtrumentum reuulſorium ſunt vincula validiora, ac doloroſa, quæ in vſu ſunt frequentiſſimo, & humorem ad ſe trahere ratione doloris poſſunt. Sed in ipſis vnum eſt notandum, quod à Tagaultio libro ſecundo proponitur, vt primo vicinioribus partibus vincula imponamus: ſecundo remotioribus: tertiò remotiſſimis, vt tandem ad maximè oppoſitam partem trahamus.

Tertiò per frictiones.

Tertium inſtrumentum reuellens eſt ipſa frictio, quæ τρῖψις vocatur à Græcis, & ab Hippocrate ἀνάτριψις quæ & ipſa humores ad ſe attrahit: ſi enim toti corpori adhibeatur, trahit a centro ad circumferentiam; ſi verò particulæ, trahit ab affecta ad illã, in qua fit. Verùm ſciatis, quòd duplex eſt genus frictionum in qualitate, teſte Galeno in 2. de ſanit. tuenda cap. 3. & Hipp. in 3. de officina medici tex. 25. altera mollis, ac lenis, altera dura, atque aſpera: quæ non omnes indicantur à fluxu, atque agitatione; ſed à fluxione cita, ac vehementi, & vice verſa: quia, ſi motus humorum ſit tardus, opportuna erit frictio mollis, ſed multa, quæ attrahit, & in halitum conuertit; ſi verò motus humorum ſit celer, atque citus; tunc conuenit frictio dura, aut pauca, aut mediocris, aut multa, quæ inflammationem in parte cieat.

Frictio mollis, aut dura quãdo administranda.

Quartò per apertionem meatuũ partium oppoſitarum.

Quartum & vltimum inſtrumentum reuulſiuum ſecundum Galenum eſt meatuum oppoſitorum apertio, atque reſeratio, quod medicamẽtis fieri poteſt aperientibus, quæ iam non enumero.

Quintò per affuſionẽ aquæ calidæ.

Et quamuis hæc vera ſint, tamen ſciatis, quod alia reperiuntur, quibus nos poſſumus reuocare fluxionem ad aliam oppoſitam partem affectæ particulæ, quorum primum, vt Recentiores notarunt, eſt aqua calida, cuius affuſione nos reuellimus ad partes calorem atque humores, quod conſtat in febribus, quando volumus ægrum dormire, vt cerebrum priuetur calore, ac aliqua obſtructione nerui ſopiantur, vtimur lauacris calidioribus manuum, & cubitorum. Sic in halitibus ad caput à ventriculo lauamus pedes aqua calida, quantum æger proferre poteſt, idque facimus ad reuulſionem.

Sextò per Veſicatoria.

Alterum inſtrumentum additum à Recentioribus continet rubificantia medicamenta, atque veſicam excitantia, qualia ſunt ſinapiſmi, cantharides, clematis exurens, batrachion, anemone, ſambuci cortex intimus, atque ſimilia, quorum vſus eſt valde frequens in affectibus capitis, vt in phrenitide, apoplexia, ſopore, & huiuſmodi, in quibus affectibus Medici applicant medicamẽta dicta ipſi carpo manus, vt retrahant materiam à capite, & multum aliquando prodeſt.

Septimò per eſcharotica.

Tertium & vltimum inſtrumentum additum à Recentioribus eſt medicamentũ exurens cruſtamque inducens; & ſeto etiam ipſe vocatus, ſeu laqueus: nam in fluxionibus ad oculos inurimus occiput, aut in ceruice ſetonem imponimus: in coxendicis etiam inflammatione digitos pedis inurimus, aut in oppoſito crure foueam igne, aliaue ratione excitamus, vt dolor ad ſe fluxionem euocet. Hæc (domini) ſunt inſtrumenta, quibus agitatum humorem poſſumus aliò conuertere.

Tria ſunt, quæ indicant quando hoc aut illo inſtrumẽto vtendum.

Verum cum omnia id facere poſſint, & conueniant, videndum eſt an omnia ſint vbique opportuna, atque ſimul indicentur. Dico, quod ipſorum indicatio hoc modo apparebit vobis. Reuulſionis indicatio accipitur à motu, atque agitatione vehementi ipſius humoris: locus vero oppoſitus indicatur à ſitu particulæ, quæ tumorem iam gignendum pati incipit: At inſtrumentum reuulſiuum indicat pars ipſa, ad quam facienda eſt reuulſio. ſecundò idem inſtrumentum indicat reuulſio magna facienda: 3. indicat vaſorum communicatio. An igitur hoc, vel illo reuulſionis inſtrumento debeatis vti, cum ſit multiplex, indicabitur vobis à parte, ad quam reuulſio eſt facienda; ſecundo ex magna reuulſione facienda; tertiò ex vaſorum communicatione. Exemplis rem hanc vobis magis aperio: ſi incipiat tumor, & inflammatio circa oculos, poſſumus reuellere ad occiput, ad manus, & ad pedes: ſi ad occiput velimus reuellere, occiput ipſum indicabit, quo inſtrumento reuulſorio debeamus vti; quia occiput indicat magis cucurbitulas, atque ſetonem, & ſimilia, quam frictiones, aut aquam calidam, quia locus non eſt opportunus ad frictiones, atque ad ſimilia; Contrà autem manus, & brachia indicant magis frictiones, quia ibi rectæ, obliquæ, tranſuerſæ, parum rectæ, & parum tranſuerſæ adhiberi poſſunt, ſimiliter & ablutiones. At ſi ad humeros, vel ad crura reuellere ſit intentio, foueæ potius, id eſt cauteria, quam alia, inſtrumenta reuulſionis indicantur.

Declaratur exemplo reuulſionũ ab oculis.

Sicut

Sicut ſi ad hypochondriũ velimus reuellere, vtemur potius cucurbitulis, q̃ alio organo, propter cõicationem vaſorũ. Quare iam colligamus, ſi mouetur ſanguis ex ſe, detq; inducias, auferenda eſt cã, & ipſe ſanguis cõpeſcendus refrigeratione ac craſſitie: Quod niſi concedatur, alio vertẽdus eſt motus, in partẽ videlicet oppoſitã: ſed ſi motus coniunctus ſit cũ copia, erit ẽt ſanguis euacuãdus, ſi verò ſine copia, ſufficiet tñ reuocatio, id eſt reuulſio ad oppoſita. Locum aũt, ad quẽ ſit facienda reuocatio, indicat pars affecta: Quo verò inſtrumẽto cum ſint ſeptẽ inſtrumenta, indicat magnitudo reuulſionis indicata à magnitudine fluxionis, & motus: opportunitas partis, ad quàm reuellitur, & vltimò vaſorum communicatio.

Epilogus.

Tertiam & vltimam cauſam efficientem fluxionis, & tumorum dicebamus eſſe in parte ipſa affecta, cum ſcilicet pars ipſa tumeſcens, vel tumeſcere incipiens attrahendo eſt cauſa fluxionis humorũ ad ſe ipſam; impropriè tñ pars ipſa dicitur attrahere. Si igitur inflammatio fieret ab ipſo ſanguine attracto à parte affecta, qđ primo indicatur, eſt ablatio cauſæ attractionis: talis aũt cauſa quandoq; eſt in ipſamet parte affecta quãdoq; in alia, ſibi tñ propinqua, ita vt excitetur tumor aliqñ non in parte vbi reſidet cauſa attractionis, ſed in aliqua alia proxima: declarabat hoc Galenus in 13. methodi cap. 4. vbi ait, quòd aliquando ex vlceribus crurium fit tumor in inguinibus: nam pars vlcerata attrahit humorem à partibus ſuperioribus; humor ille attractus deſcendit, & inueniens partes aliquas debiles, & ſpongioſas, cuiuſmodi ſunt glandulæ in inguinibus, imbibitur in ipſis, & ſic fit tumor.

Tumor ob attractionẽ nõ ſemper fit in parte, in qua reſidet cauſa attractionis.

Pro curatione igitur tumoris ab attractione excitati, vel in parte ęgra attrahente, vel in alia ſibi propinqua, remouenda principio eſt attractio: hæc aũt remoueri nequit, niſi ex remotione cauſarũ, cã verò attractionis in parte affecta eſt duplex, vel enim eſt dolor, vel caliditas, ſed harum vna attrahit per ſe, altera per accidens: per ſe attrahit caliditas, quatenus rareſacit, & aperit cutim, & poros; quibus apertis, humor fluit: hoc enim modo Gal. vult, vt caliditas attrahat; Ariſtoteles verò vult, vt calor non aperiendo; ſed per ſe attrahat: nam dicit proprium eſſe caloris attrahere: ſed quomodocunque ſit, nihil refert, ſat vobis eſt, q vna attractionis cauſa eſt caliditas ipſa, quæ per ſe dicitur attrahere humores: dolor verò per accidens, quatenus affligit partem, & inſtrumenta virtutis regentis corpus, ideſt, neruos ipſos: per ipſos enim defertur virtus per vniuerſum corpus: neruis igitur afflictis, excitatur natura, & ita inſurgens, vt opituletur parti laboranti, tranſmittit ſpiritus, & vnà cum ipſis tranſmittuntur humores facientes poſtea inflammationem.

Cauſa attractionis primò remouenda.

Si velimus igitur inflammationem excitatã ab humoribus attractis à loco affecto curare neceſſe eſt cãm, qua mediante ipſa attrahit, remouere, & ita ſi id fiet à caliditate ideſt ab intemperie calida introducta in ipſa parte inflammata, videndũ erit, à qua nam cã intemperies illa gignatur; qua cognita, erit remouenda. Intemperies aũt iſta quãdoque fit rõne eorum, quæ in corpore exiſtunt; aliqñ ratione extrinſecorũ: intrinſecorum quidẽ, vt putredo: interdũ enim accidit, vt ſi putredo ſit in aliqua parte interna corporis, ex putredine illa eleuantur vapores inflammati, & putridi, qui inflammant ẽt ſpiritus, & ſanguinem, & ſic tandẽ pars aliqua extrinſeca calefit, & tumeſcit. Si itaq; pars attrahat ratione calidæ eiuſmodi intemperiei, indicatur remotio putredinis: putredo aũt altero duorũ modorũ ſolet auferri aut ſiccando, aut calefaciendo, igĩ vel exiccabis partẽ illã, in qua eſt putredo, vel calefacies. Ab extrinſecis verò ſolet introduci intemperies calida in aliqua parte, vt à prauo, & calefacienti victu, ab ira, à calorẽ ſolis, ab exercitationibus; & præſertim ijs, quæ fiũt apud ignem, vt contingit vitrearijs, fabris ferrarijs, &c. & hinc eſt, quòd iſti ferè ſemper patiuntur aliquam inflammationẽ vel in oculis, vel in alia corporis parte, & plurimi ẽt fiunt phrenitici.

Inter cauſas caliditatis externas eſt putredo.

Putredo aufertur ſiccatione, & calefactione.

Cauſæ externæ intemperiei calidæ.

Cauſa igitur, qualiſcunque iſtarum, & conſimilium fuerit, erit auferenda, ne alterius inflammatio progrediatur: poſtea auferetis caliditatem iam introductam cum ijs, quæ refrigerent, cuiuſmodi eſt oleum roſaceum completum, quo madeſacietis ſæpe locum inflammatum; vel cum oleo violaceo completo, vel cum nenupharino, quod etiam magis refrigerat. Poteritis & vnguenta admouere, & ita optimum erit infrigidans Galeni, ceratum humeſaciens alias dictum, vnguentum roſatum Meſues, ſed ſit recens: nam cum eſt vetuſtum, & ranceſcit, calefacit potius, quàm refrigeret. Succi quoque erunt opportuni, vt ſuccus lactucæ, ſpinachiorum, endiuiæ albæ, ſemperuiui, & conſimilium: conuenit quoque vnguentum populeonis, quod in officinis paratur: ſimiliter aqua roſacea: poſca ex aceto, & aqua: proportio autem quam acetum ad aquam in conficienda poſca debet habere, eſt vt aceto tantum aquæ ſenſim ſuper infundamus, quo ad acetum reddatur potabile, ita vt non mordicet: poſca igitur poteris inflammatam partem ſuperius madefacere, ſimiliter parare emplaſtra, vel cum ſupra enarratis herbis, vel cum alijs refrigerantibus, & ſupra locum affectum ponere.

Poſt cauſarum ablationẽ caliditas ipſa partis extinguẽda.

Refrigerantia localia.

Poſca.

Sed circa applicationem ipſorum, vel vnguentorũ, & ſimilium obſeruandum eſt, ne vnquam nudę cuti applicetis: ſed ſemper mediet linteamen aliqđ tenuiſſimũ, & rarũ, quale illud eſt, qđ ex goſſipio conficitur, & quo ſpatulas tegunt ſibi mulieres: alioqui à viſciditate ipſorũ obſtruerẽtur pori, & ita augeretur potius, q̃ minueretur calida intẽperies. Secundò

Notanda in applicatione localiũ tria.

obſeruandum eſt, vt emplaſtra, vnguenta, & reliqua; numq̄ applicentur calida; ſed vel frigida, vel ſubtepida. Tertiò numquam linimenta vel vnguenta illinienda ſunt ſupra cutim, ſed ſupra linteolũ applicandum ipſi: ſed ſæpe ſæpius auferendũ, & renouandum linimentũ ſupra ipſam; vel nouũ linteolum eodē modo illinitũ ſuperponendũ cuti: nam citò calefit, quicquid applicatur & ideo, ſi ſæpe non remouerentur, intēperies calida magis augeretur.

Quòd ſi cũ humore iſto attracto adſit copia, aut intemperies peccans, indicatur euacuatio, aut alteratio, de quibus ſupra diximus, & hoc modo curatur incipiens inflammatio excitata ab humore attracto à parte læſa ratione caliditatis.

Sed ſi inflammatio fiat ab humore attracto rõne doloris pro ipſius curatione indicatur primò, vt dolor mitigetur: Dolor aũt pertinet ad ſenſum ſiue modò ſit prorſus triſtis ſenſatio, ſiue ſymptoma, qđ triſtē ſenſationē ſequatur, nihil facit ad rē, qa ſcimus, ꝙ ſiue pro ſenſatione triſti, ſiue pro eo, qđ immediatè hanc ſequatur, capiamus, nihilo ſecius idem indicatur in curatione. Sit igiť quodcunq; velit, hoc vobis notandũ, ꝙ cum oẽs actiones ſenſuum, quæ παθήματα, vel πάθη à Græcis dicũtur, ſint in fieri; ſemperq; cauſam, atq; obiectũ præſens habeant, ſciēdum, inq̃, ꝙ, remota cã, ſtatim actio cedit: quod ēt in hac triſti ſenſatione reperitur. Cum itaq; ſit ſemper in fieri, hinc reſultant tria huius curandi capita: primũ, vt obiectum ipſum patiatur, atq; immutetur, aut alteretur, aut auferatur: ſecundũ, vt organũ immutetur, aut ſenſu priuetur: tertiũ vt vtrumq; ſimul, & ſemel aliquo modo afficiatur: quæ capita in enumerandis generibus medicamentorũ anodynorũ ſatis obſcurè notauit Gal. lib. 5. de facultatibus ſimpliciũ medicamentorũ c. 19. Nam medicamēta ſedando dolori opportuna triplicia propoſuit: prima, quæ verè anodyna ſunt: ſecunda, quæ cãm doloris, ac obiectũ ipſum auferunt: tertia, quæ ſopiunt, ac priuant ſenſu partem dolentem. Sed peteret aliquis veſtrum, quare hæc tria curandi capita hinc oriuntur? Hæc Domini eſt rõ, quia cum dolor ſit paſſio in fieri, requiritur, vt ipſius cã auferatur: ac cauſa huius duplex eſt: alia immediata, & coniunctiſsima; alia remotior aliquo modo: cumque illa ſemper vnica dependeat, vt audietis, ab aliqua remotiori, ſequitur, quòd remotior ſit deſtruenda a medico.

Dolor. *Pathemata.* *Doloris indicationes tres* *Triplex anodynorum genus.*

Cauſa aũt iſta triplex eſt: nam aliqñ obiectum ipſum eſt cauſa triſtis ſenſus, aliqñ inſtrumentum, & facultas ipſa, aliqñ vtrumq; ſimul huius cauſæ ſunt; exemplis res fiet vobis clarior, & primũ de obiecto. Oculus non præternaturã affectus patitur doloroſam ſenſationē à lumine nimio ſolis obiecti, auris integerrima à tormentorũ atq; æris campani ictu, ac ſtrepitu patitur, manus tēperata ab igne patitur ſenſum dolentē: his exemplis apparet triſtē ſenſationē fieri aliqñ rõne obiecti. Quod idem etiam fiat ratione organi, hinc vobis cõſtabit, quia oculus lippiens, aut ulcus corneæ patiens affligitur à minimo lumine, & cã eſt organũ male affectum, caro ſimiliter detecta in vulneribus hodie goſſipiũ patietur, ac linamētum; cras ab eodem præter rõnem patietur: cauſa eſt ipſum corpus ſentiens præternaturam. Ego poſſem maximam campanam turris Piſanæ ſine moleſtia audire quia, meum organum malè affectum eſt: alius verò moleſtiſſime perferet, Ex his colligere poteritis exempla, quando vtrumque eſt cauſa doloris, obiectum ſcilicet, atque organum. Neque ob id Philoſophis repugno, qui in tactu dolorem collocant, quia in illo magis appareat.

Cauſa doloris remotior triũ generũ. *Obiectum.* *Organum.* *Vtrumque.*

At dicet quis: qua rõne obiectũ eius agit in organũ, vt faciat ſenſationem? Iam audiuiſtis ab his eruditiſſimus philoſophis, vt introducat ſpeciē ſuã, ac ſibi ſimilē reddat penitus, ſi nõ realiter, ſaltē ſpiritualiter: ſcimuſq; primò, & per ſe nihil aliud pati ſenſoriũ, niſi ſpeciē illã obiecti, caliditatē, frigiditatē, ſoni ſpeciem, albedinem, nigredinē, dulcedinē, amaritudinē, duritiem, mollitiem, denſitatem, læuitatem, inæqualitatē, ac ſimilia. his vnumquodq; obiectum ſibi ſimile reddit organũ, quorũ præterea analogia, atq; proportione cum ipſo organo fit triſtis, aut dulcis ſenſatio, aut illa, quæ ſimpliciter ſenſatio vocatur ſine dolore, aut lætitia coniuncta: Atq; hanc analogiã dico eſſe cauſam immediatã ipſius ſenſus omnis, aut boni, aut mali: quæ quidem nihil aliud eſt, niſi proportio formę obiecti cùm forma organi, quæ actu, aut potētia in organo reperitur: quæ analogia habet latitudinemq; ſibi, maximũ, aut minimũ terminũ adſciſcit, quemadmodum ēt formæ ſenſibiles habēt terminum minimum, maximũ, & mediocrem; & nihilominus naturales ſunt: datur namque analogia, quæ maxima eſt inter qualitatē tactilem, & eandem in organo, vel organum ipſum: quare ſi minus daretur, ſtatim non fieret ſenſatio: maxima etiam datur, cuius ſi maior quædam detur, turbatur analogia, ſitque ſenſus non bonus, quædam eſt penitus ſymmetra, quæ penitus reſpondet qualitatibus organi, neque quicquam excedit, atque hæc ſuauiſſimum ſenſum excitat. Exemplo rem vobis declaro. Cutis manus temperata ſi tangat aquam, quæ vix calida ſit, illam ſentiet caliditatem: iam affundamus tantum frigidæ, vt caliditas ferme nulla in ſit, tunc non ſentiet manus caliditatem illam: calidiorem adiungamus, & tantam, vt aqua facta calida poſſit conſeruare caliditatem illam opportuniſſimam partis; vel, ſi ceſſet, illam reſtituere, tunc ſenſus fiet caliditatis, & quidem ſuauiſſimus: nam tanta introducitur forma, quæ naturaliſſima eſt: adhuc calidiorem affundamus, ſed paucam, manus adhuc calorem ſentiet; ſed ſine dolore, aut voluptate, quia vltra ſymmetrion poteſt tantũ augeri

Obiectũ, ſenſile qua ratione agat. *Analogia ſua vis; diſproportio triſtis ſenſus eſt cauſa coniuncta.* *Analogia minima. Maxima. Symmeta. Exemplum.*

geri qualitas ſimilis in organo ſecundum naturam: vltimò feruens adiungatur, ſtatim analogia violenta eſt,arque proportio immutata,hincque dolor fit,dum introducitur talis forma, quæ cum eſt introducta,facit,vt ſi alterum corpus adiungatur ſimile, non ſentiatur,vt in cauterijs apparet; nam poſt primum ictum reliqui non ſentiuntur, quia iam illud extremum introductum eſt. Colligo igitur, quòd analogia formæ obiecti ad formam ſimilem organi eſt cauſa ſenſus:vnde ſi minor ſit forma,quam poſſit eſſe forma naturalis membri,non fit ſenſus illius rei,aut,ſi fit,rei contrariæ fit;ſi tanta ſit forma,quanta optima debet eſſe naturalis,fit ſenſatio dulcis;ſi maior,quàm extenſa ſir,aut poſſit extendi naturalis,tunc fit quidem ſenſatio,quia adeſt actio obiecti,& paſſio organi, ſed triſtis fit illa ſenſatio;ſi maxima ſit,& introducta,tunc ab eadem non fit ſenſatio,quia noua forma non poteſt introduci,ſed ea tantum conſeruatur.

Ratio formalis iucundi, aut moleſti ſenſus.

Quare hoc modo concludam,neque ab intemperie, neque à ſolutione continui primò oriri triſtem ſenſationem:neque ab his ſolum mediate oriri poſſe dolorem:ſed à reliquis etiam qualitatibus ſenſilibus,inter quas tamen diſiunctio,aut vnitas,aut numerus non connumerantur:nullum enim obiectum vt numeratum agit,nec vt vnũ, ſed vt agẽs tali qualitate prædictum.Præterea nec ab omnibus qualiratibus oritur dolor,quod patet in humiditate,nunquam enim triſtis fit ſenſatio ob humiditatem. Similiter neque ſemper,vbi adeſt ſolutio continui,ibi eſt dolor,nec de facta loquor,ſed de ea, quæ fit. Quod patet in cachexia,atque oedematibus pedum, dum fiunt à materia humidiſſima, & citò fiunt,ac violenter,in quibus ægri deſcendenrem humorem ſentiunt:nec tamen adeſt dolor,cum adſit ſolutio continui:hoc dico,ne ad ſubitam illam violentiam confugiant:ad violentas enim impreſſiones obiectorũ ſequitur ſæpiſſimè continui ſolutio: tamen non ipſa eſt cauſa doloris,ſed violenta illa impreſſio.

Communis opinio de cauſis doloris cõfutatur.

Sed dicet aliquis veſtrum inciditur caro,ſtatim adeſt dolor,dum hoc fit. Dico, ꝙ gladius non introducit per ſe diuiſionem,nec violentia conſiſtit in diuiſione, nec patitur diuiſionem,vt ſenſorium,ſed vt quantum ſecũdum naturam,vt organum actionum voluntatis,aut naturalium præter naturam,non autem vt organũ paſſionum; vnitas enim,aut diuiſio non ſunt obiecta ſenſoriorum,ſed ſenſus communis: triſtis autem ſenſatio oriri põt aut ex intemperie actuali gladij,aut ex duritie eiuſdem inſtrumẽti, qua partes noſtri corporis comprimit,ac diſſoluit:quod confirmatur, quia minor dolot fit ex nouacula diuidente,quæ ſit acutiſſima,quàm ex retuſiori ac frigida.

Obiectionis ſolutio.

Gladius dolorem cauſat vt frigidus, & durus.

Quare colligo,nullo modo ſolutionem continui primò, nec ſecundò afferre dolorẽ, cũ non ſit qualitas ſenſibilis,duplicemq; dico eſſe cauſam doloris immediatam,i.exceſſum qualitatis obiecti ſupra eandẽ qualitatẽ in organo actu, aut potẽtia præter naturã; vel analogiam illam cum exceſſu obiecti,aut facultatis immutatã:alteram & remotiorẽ cauſam dico eſſe obiectum ipſum,vel organum immutatum vel vtrumq; ſimul affectũ.

Colligitur duplex immediata cauſa doloris.

Et cùm ab his immediatè dependeat analogia iſta, ſi nos volumus triſtem ſenſum auferre,pariterque & dolorem,peccans cauſa eſt remouenda; Modus autem & ratio hæc eſt:Primò videndum,an ipſum obiectum peccet, illudque peccatum eſt remouendum: accipiamus exemplum in tactu, cuius obiectum poreſt peccare in multis, vt calore, frigore,ſiccitate,atque duritie,vel qualitate quadam peſtifera, & venenata atq; omnia iſta ſunt auferenda. Vnde ſi caliditas nimia ſit cauſa doloris, tunc calidum obiectum auferendum eſt penitus:modi autẽ quibus id fiat,ſunt infiniti.idem intelligatis de frigiditate & de ſiccitate. Quòd ſi huiuſmodi obiectum calidius,vel frigidius, vel ſiccius demi non poſſit (nam aliquando in tactu, atque guſtu pars prima ſubit vicem obiecti, cum ipſa nimis calefacta temperatiorem petit;ac afficit) tũc alterare debemus,ac immutare. Pars igitur calefacta refrigeranda,& refrigerata calefacienda eſt fomentis humidis, calidiſq; atque medicamentis ipſis,& ſicca humectanda: in ſedando etenim dolore ſemper oportet primò cognoſcere,quæ ſit cauſa doloris, & illius cauſæ remotioni danda eſt opera, vt ſi dolot naſcatur ab intẽperie frigida,ſtatĩ in principio erit remouẽda illa intẽperies.

Modus remouendi cauſas doloris.

Chirurgos reprehendit, quod in pernionib. differant calefacientia vſq; ad factum tumorem.

Et hinc colligatis errare quoſdam Chirurgos recentiores, qui in curandis pernionibus expectant,vt factus ſit tumor,& poſtea applicant ea, quæ ſtrenue calefaciunt: quæ obſunt potius, quàm proſint, & potius incipienti pernioni; quam iam facto eſſent applicanda: nam in talibus tumoribus ex frigiditate nimia ortis debemus applicare calefacientia, cum vix incipiunt, non autem cum facti ſunt. qua in re Monachos ſociatos eruditiores, quàm iſtos chirurgos iudico: quia, cum nudis pedibus incedere ſoleant,ob idque ſępe perniones pati,ſtatim,vt eos euitent,accedente frigore, Octobri menſe,incipiũt abluere ſibi pedes aqua,in qua fuerint decoctę herbę calefacientes:vrticam ſimiliter decoquentes faciunt fomenta loco, vbi iã dolor quoquo modo incipit:& hoc modo præſeruãt ſe à pernionibus:Quibus & ego cum adhuc puer eſſem maximè erã obnoxius, adeo, vt continuò cogerer incedere nudis calcaneis, qua ex re mea

Laudat Frãciſcanos per nionibus, incipiẽtib. per calefacientia occurrentes.

Faloppius Puer à matre pernionibus quomodo liberatus.

mater non minus, q̃ ego affligebatur; atq; omnia tentare non deſinebat, vt inuenirer aliquid, quo mihi opem ferret: & cũ nulla iam ſuiſſet experta, & omnia fruſtra, tandẽ opinata eſt morbi cauſam eſſe intenſum frigus: q̃obrem mihi iuſſit, vt ſingulo veſperi, antequam irem dormitum, percuterem cinerem calidum calcaneis, qui iam pernionibus affici incipiebant, & ſimul & ſemel, præcepit, vt dominicalẽ orationẽ dicerẽ, remediũ hoc fuit tale, q̃ ex eo tempore, quo ipſo vti cœpi, nunquàm amplius perniones fuerim paſſus.

Modus remouẽdi alias doloris cauſas.

Dico igitur quòd cauſa doloris eſt cognoſcenda, & illa ſtatim eſt reſecanda: & ideo, ſi humores ij fuerint, qui dolorem faciant, ſunt contemperandi, aut ſaltẽ vacuandi per medicamenta reſoluentia, quæ calida ſunt, atque tenuium partium quæ prope infinita ſunt, nec ipſa enumero. Sin autẽ cauſa doloris fuerit obiectum durum, cũ non poſſit auferri, emolliendum eſt, varijs medicamentis, quæ nunc reticeo, ne ſim longior q̃ conueniat.

Venenoſa qualitas citiſſimè ac efficaciter auferẽda.

Quòd ſi contra tota ſubſtantia ſit cauſa doloris, vt ſolet aliquando, Galeni teſtimonio in 13. meth. cap. 6. qualitas iſta, quæ à tota ſubſtantia dicitur, erit auferenda quanto citius fieri põt: quia ex tali qualitate, quæ venenoſa eſt, ſolent excitari dolores maximi, & gangrænoſi tumores, quia ratione doloris intenſi magna humoris copia attrahitur; ratione verò veneni fiunt tumores gangrænoſi, & periculoſi: & ideo, ſi dolor ex hac fiat cauſa, indicatur occurrendum eſſe quàm citiſſime, & cum validiſſimò remedio, quoniã & venenoſa hæc qualitas citò, ac vehementer agit.

Venenum quid.

Nam per venenum intelligo illud, de quo intellexit Galenus in primo de ſemine cap. 16. vbi ait illud venenũ proprie dici, q̃ ſtatim, & remotiſſima oppoſitiſſimaue qualitate ſua aliqua afficit noſtrũ corpus: quibus verbis apparet, q̃ duo requirũtur ad hoc vt aliqd dicatur propriè venenũ: primum quidem, vt natura ipſius longè diſtet à natura corporis vel partis, in q̃ agit; alterum, vt citiſſimè agat: ea etenim, quæ verè ſunt venena, cùm primùm noſtro corpori applicãtur, validiſſimè agunt aduerſus ipſum, quia maxime ipſi oppoſita ſunt: & citiſſimè, quoniã nõ egent vt à noſtro calore actuentur, ſed ſat eſt, vt temporem quendã acquirant.

Venenum duas habere debet conditiones.

Venena ſtata nõ dãtur.

Hoc ſtante poſſum colligere ſpeciem illam venenorũ (quæ ſtata dicuntur, eò q̃ ſtatis quibuſdam temporibus agant, & homines interficiant, verbi gratia quædam in vno menſe, quędam ſpatio trium, aut quatuor, quędam vnius anni) eſſe vanã neq; enim talia venena dantur, quemadmodum Prælati iſti putant. Sed vultis vt dicam, quæ nam, & qualia ſint venena iſta, quæ ipſi ſtata vocant, & iſtum immodum timent, & continuo ab ipſis affliguntur? Certe nihil aliud, q̃ mala victus ratio, cogitatio intenſa, & ſimilia q̃ plurima, quæ licet venena non ſint, & ideo citò non agant; tñ ſtatis quibuſdam temporibus agunt, & vehementiſſimè agunt, adeo vt & ad mortẽ ipſos ducant, habeatis igitur pro certo venena hæc, quæ ſtata vocant, omnino nõ dari.

Turcæ quomodo dicantur conficere venena ſtata

Nec nos id qđ vulgo circumfertur, deterreat, faciatque ſñiam mutare, q̃ videlicet Turcæ ſolent cõponere venena illa ſtata ita, vt quædam componãt, quæ agant ſpatio, verbi gratia, octo dierum, quędã mẽſis vnius, quędã vnius anni. &c. Dicunt aũt Turcas talia venena cõponere hoc modo, ſi cõtingat vt Chriſtianorũ captiuũ faciant aliquẽ, qui ſit ſanguineus, rubicũdus, barbãq; rubentiſſimã habeat, nudũ ipſum pedibus ſuſpendunt, & uiperas multas ipſi applicãt; poſtea ictus cũ multos acceperit à uiperis, ſecãt illi iugulares uenas ſanguine admodũ, propter ſuſpenſionẽ illã, turgẽtes, & ſanguinẽ collectũ replent multis, ac uarijs medicamentis, habito reſpectu ad tẽpus, quo tẽpore uelint ut medicamentũ ipſum agat: & ita componũt quędã uenena, quæ ilicò necãt, quædã ſpatio quatuor dierũ &c.

Negat hoc verũ eſſe.

Opinio hæc uulgò, ut dixi, circumfertur, & à q̃ plurimis p̄ ueriſſima habetur: ſed næniæ oẽs dubio procul ſunt: quoniã neceſſariò illæ duæ conditiones requiruntur ad conſtitutionẽ ueri ueneni.

Cum itaq; uenenoſa qualitas ualidiſſime, citoq; agat, ita quoq; in ſedãdo dolore ab huiuſmodi qualitate excitato duæ inſurgũt indicationes, nimirũ, ut ualidiſſimè & citiſſimè reſiſtamus: & ideo eligenda ſunt medicamenta, quæ utrumq; poſſint præſtare: Talia medicamenta uocantur alexipharmaca, quæ iuxta Galeni ſententiam in quinto de ſimplic. medic. facultate cap. 18. ſunt duorum generum: Alia enim alexipharmaca medicamenta ſunt, quæ alterando qualitatem ipſam uenenatam iugulant; Alia, quæ non alterando, ſed attrahendo, & euacuando ipſam remouent. Poſſumus igitur qualitati uirulentæ reſiſtere, uel cum alterantibus, uel cum euacuantibus, educentibuſuè ipſam extra partem affectam. Sed ueniamus primo ad alterationem.

Alexipharmaca alterãtia & euacuantia.

Venena manifeſtè, & occultè agentia.

Quoniam igitur uenenata qualitas duplex eſt: Vna quidẽ manifeſtiſſima, ut frigiditas opij, cicutæ, & ſimiliũ: & caliditas ſandarache, &c. talia enim uenena ſuis qualitatibꝰ manifeſtiſſimis, & oppoſitiſſimis humano corpori mortẽ inducũt: Altera uerò qualitas uenenoſa eſt occulta. Quia igitur uenenata qualitas eſt duplex manifeſta, & occulta: ita & alteratio duorum erit generum, quorum alterum verſabitur circa qualitatem venenatam manifeſtam: alterum circa occultam.

Alteratio veneni manifeſti.

In alteratione igitur virulentæ qualitatis manifeſtæ debetis conſiderare, & inſpicere, an qualitas illa calida ſit, vel frigida: ſi calida,

refrige-

Digitized by Google

refrigerantia erunt opportuna, & ita vtemini oleo roſaceo, ſucco lactucarũ, maluarum, & ceteras; ſin autem frigida, alterabitis calefaciendo, vt vel cum vino potenti, quale eſt maluaticum, vel cum theriaca, & huiuſmodi: nec difficile admodum eſt qualitates has manifeſtas alterare, ac vincere.

Exempla occulti veneni.

Oppoſitum autèm eſt de qualitatibus occultis, quæ à tota ſubſtantia humanæ naturæ opponuntur, qualis qualitas ea eſt, quàm viperæ, ſcorpiones tam terreſtres, quam aquatiles, paſtinaca marina, & ſimilia animantia inducunt percutiendo, pungendoue partem aliquam. Fidem de hac re poſſunt vobis facere piſcatores, nautæ, & cæteri, qui in aquis verſantur: ſæpe enim huiuſmodi homines ab aliquo venenoſorũ animalium ictum recipiunt, & ilicò maximus excitatur dolor. Si itaque huiuſmodi occulta, & à tota ſua ſubſtantia oppoſita naturę noſtrę qualitas imprimeretur in partem aliquam, quomodo erit alteranda? Galenus in quinto de ſimplic. medic. cap. 18. dicit alterandam eſſe cum medicamentis medijs inter naturam veneni, & naturam humanam: talia enim medicamẽta ſimilitudinem quandam habent cum veneno, non ob id tamen hominis naturæ obſunt, dummodo pauca eorum quantitas aſſumatur. Medicamenta igitur pro alteranda occulta qualitate venenoſa debent eſſe media inter venenum, & habitum corporis, ita vt aliquantulum remota ſint à natura veneni, & contra ipſum à tota ſubſtantia agant, nec valde ab habitu corporis recedant, adeo, vt ſi pauca quantitas eorum ab homine aſſumeretur, ipſum non interficerent: Huiuſmodi autèm medicamẽta media habentur, & quidem plurima, ſed nec arte, nec ratione; ſed vſu duntaxat, atque experientia inuenta, inter ipſa itaque eſt caro viperæ, bolus orientalis, ſmaragdi puluis, terra etiam illa Melitenſis, quæ vulgò de Malta dicitur, & id genus reliqua: quæ omnia ſi per os pauca in quantitate fuerint aſſumpta, à tota fere ſubſtantia venenoſæ qualitati reſiſtunt, & corpori non obſunt; ſed ſi multa eorum quantitas aſſumeretur, dubio procul necarent.

Medus eadẽ alterandi ex Galeno.

Galeni ſentẽtia, quod alexipharmaca mediẽt inter habitum corporis, & venenum.

Cæterùm vnum hic vobis eſt obſeruandum, quod à Galeno prætermiſſum eſt: atque illud eſt, ꝙ inter hæc medicamẽta; quibus venenoſę qualitati occultę poſſumus reſiſtere, dantur quædam, quæ non ſunt media inter naturam veneni, & habitũ corporis, & nihilo minus virulentæ qualitati à tota ſubſtantia opponuntur, & humanæ naturæ amica adeo ſunt, vt nec pauca, nec magna quãtitate lædãt: Huiuſmodi eſt caro Ranarũ: non intelligo de rana illa, quæ bufo vocatur, & rubeta rana, ſed de alijs, quibus veſcuntur quam plurimi homines nõ ruſtici duntaxat, verùm & ciues, quemadmodum vobis patere arbitror, pateretque magis, ſi quadrageſimali tempore eſſetis Ferrariæ, vbi ſanè maximam ranarum iſtarum copiam comedunt, abſque quo vllam ex earum eſu moleſtiam nocumentumve referant; venenoſæ tamen, vt experientia compertum eſt, qualitati reſiſtũt. Eiuſdem quoque generis eſt venter muſtelæ ſalitus: veneno etenim reſiſtit à propria ſubſtantia; corpori tamen non obeſſet, etiam ſi magnam quis ipſius quantitatem comederet. Caro quoque paſtinacæ marinæ eſui aptiſſima, gratiſſimaque eſt: ſimiliter & caro ſcorpionis marini, nec quicquã nos offendit etiam ſi ad ſaturitatem veſceremur ipſa: quod tamen veneno reſiſtant, clarum hinc ſanè fit, quoniam, ſi animalia hæc ſuis aculeis aliquem pungant, venenoſam ſtatum qualitatem imprimunt; attamen ſi ipſorum iecur, vel caro ictui ſubitò ſuperponatur, propriò veneno medetur. Si mihi hac in re fidem non adhibetis, conſulatis (quæſo) piſcatores, & nautas, quoniam ipſi ſæpe ſæpius hanc rem experiuntur; immo vſu edocti, ſi contingat, vt percutiantur ab aliquo huius generis venenoſorum animalium, ſtatim nituntur ipſum animal, vel aliud eiuſdem ſpeciei capere, & captum applicant, & paruo admodum tempore ceſſat dolor, qui intentiſſimus ſolet excitari, nec aliquid amplius patiuntur. Quid dicam de ruta? nonne & ipſa veneno medetur? & tamen ſi copioſam quis ederet, haud quaquam veneno afficeretur.

Auctoris ſententia, quod dentur alexiteria noſtro corpori amica, & familiaria.

Rana eſt alexiterium, & tamen eſt nobis alimentum.

Alia ſimilia enumerant, quæ comedũtur, & venena oppugnant.

Qualitas igitur venenata ſi occulta fuerit, duplici medicamentorum genere poteſt alterari, videlicet, aut cum ijs, quæ media ſunt inter venena, & naturam humani corporis; vel cum ijs, quæ non ſunt media; ſed humanæ naturæ prorſus amica, & familiaria; veneno tamen aduerſantia.

Concludit duplicia eſſe q̃ alterant occulta venena.

Sed aliam ab his dictis curandi venenoſæ qualitatis occultæ rationem probatiorem idoneamque magis habemus: atque illa quidem eſt ipſius venenoſæ qualitatis euacuatio, quæ certe curandi ratio tutior longe eſt. Poſſumus autẽ qualitatẽ ipſam venenoſam euacuare, vel cũ ijs, quę manifeſta qualitate, calida, l. attrahunt, quæ non ideo educunt extrahuntq; venenũ, ꝙ aliquam ipſi oppoſitã vim habeant; ſed quia calefaciẽdo rarefaciãt, attenuent, aperiantq; cuiuſmodi ſunt cępæ, allia; & eiuſdẽ ordinis reliqua; vel cũ ijs, quę venenũ, vt venenũ, ab occulta qualitate quadam attrahunt, quæq; agũt in venenũ ipſum educẽdo propter aliquã oppoſitionẽ, quã habent ad ipſum, vt ait Gal. in primo de facult: naturalib. c. 14. & in quinto ſimpl. med. 18. Requiritur autem vt medicamẽta hęc, quibus

Extrahentia alterantibus venenũ pręfert.

Trahentia c[a]liditate.

uti volumus pro euacuatione venenoſæ qualitatis, ſint media inter venenum ipſum, &
habitum corporis: nam ratione cuiuſdam ſimilitudinis, quam habent ad venenum, at-
Media inter corpus & venenum. trahunt ipſum, & hoc modo caro muris aranei medetur ſuo veneno, ſi videlicet ſectus
ſuperponatur ictui: ita & ſcorpio terreſtris ſuo; & ſic de alijs eiuſdem claſſis. Nec ob
id venenum augetur ex ſuper impoſitione horum animalium venenoſorum, quia inten
ſum non agit in remiſſum: & præterea quia habent naturam mediam: Neque enim du-
bitandum eſt, dari talia medicamenta media, vt ſupra oſtendimus. Præterea genus aliud
medicamentorum, quod licet noſtræ naturæ nihil obſit, ſiue pauca, ſiue multa quantita-
Aqua in agro Nucerino ſanat ſcabies, & lepras. te aſſumantur; veneno tamen reſiſtant. Quòd autem hoc verum ſit, confirmo adhuc:
nam in agro Nucerino in loco quodam tribus milliaribus ab vrbe ipſa diſtante eſt riuu-
lus quidam aquæ frigidiſſimæ, quæ ab illius loci incolis vocatur vulgò Acqua ſanta, &
Acqua bianca, cuius quidem aquæ vis eſt, vt difficiles ſcabies lepraſque ſanet: vnde acce
dente feſto, vel medio die ante feſtum Diui Ioannis Baptiſtæ concurrunt illuc quam plu-
rimi tum ægri, tum ſani homines, & laborantes ſcabie, vel lepra fundũt ſibi aquam illam
ſupra caput, & corpus totum: & quamuis morbi ſint difficiles, & aqua ipſa frigidiſſima,
Itẽ morſus venenatus. tamen ſanantur. Referunt præterea incolæ & viri etiam aliqui, & fide, & authoritate
digni, quòd ſi quis in illis montibus, vel alibi ictus ab aliquo venenoſo animali fuerit, &
proinde miſerit ſenſum ferè omnem (dummodo ſcintilla ſibi vitæ ſuperſit) & cyathus
aquæ illius in eius os inijciatur, mox ſcarificetur locus ictus, & ponatur in aquam illam,
ſtatim reuiuiſcit: dicunt enim oculata fide conſpici, quòd venenum attrahitur ab illa a-
qua, modò hoc, modo illo colore infectum; cum itaque aqua illa hæc agat, cogimur
Hinc colligitur non oĩa alexipharmaca eſſe à noſtris naturæ aliena. fateri etiam ex hoc, quòd datur alterum medicamentorum genus veneno reſiſtens; ho-
minis tamen naturam non lædens: neque enim aqua illa, ſi bibatur, offendit, nec vlla
apparet qualitate infecta, immo nullum ferè habet saporẽ, & limpidiſſima eſt. Pro eua-
cuanda igitur venenoſa qualitate poteritis vti vel medicamentis ijs, quæ manifeſta ſua
qualitate attrahunt; vel ijs, quæ ratione proprietatis occultæ: & horum vel ijs, quæ me-
dia ſunt, vel quæ corpori noſtro noxam non afferunt, & veneno aduerſantur.

Prohibetur præcipitatũ, & purgatio per vẽtrem. Præter hæc autem medicamentorum genera pro tali ſcopo aſſequendo, vana, fugien-
daque omnia illa ſunt, quæ à chymiſtis exhibentur aliquando: euacuant enim ipſi per
ventrem venenum cum ſuo præcipitato, quòd profectò venenum eſt, niſi optimè fuerit
præparatum: & ideo fugiatis ipſum: nam præterquã quod eſt venenum, attrahit etiam
ipſum ad partes intrinſecas.

Hiſtoria iuuenis à vipera morſi, qui per vincula, & cretam cũ vino bibitã ſanatus eſt, licet alij Medici id in vomitum deiectionemq; retulerint. Similiter fugiatis illud, quod ego olim cum adhuc puer eſſem vidi, atque illud eſt:
cum eſſem ruri in agro quodam, vbi iuuenis quidam ruſticus ſe exercebat, caſu à vipera
momorſus eſt: eiulauit ſtatim iuuenis, & patrem, qui parum illinc aberat, aduocauit:
venit ſubitò ſenex ille, & filio ratione primùm medendi proba admodum opem tulit:
nam vinculo canino pedis digitum, in quo ictus fuerat filius, arctè admodum ſupra vul-
nus ipſum ligauit; & mox cum intumuiſſet, nigerque factus eſſet digitus, ſcarificauit ip-
ſum, & permiſit, vt ſanguinis multum egrederetur: deinde petijt à filio, vt oſtenderet
ſibi locum, vbi erat, quando à vipera momorſus eſt: oſtendit filius: tum ſenex iubet fi-
lium imponere pedem ictum ibidem, vbi etiam erat, quando ictus eſt, & ferula accepta
obſignauit terram figura pedis, duxit enim ferulam circum circa pedem: poſtea accepto
gladio ſcarificauit cretam illam totam, quæ intra lineam ductam continebatur; & inte-
rim dum obſignabat, ſcarificabatque terram, pater noſter ipſe, & filius dicebant: & de-
mum, accepta parte ſuperficiali ſcarificatæ creta, diſtemperauit in vino, & cyathũ ple-
num potionis illius filio propinauit: non prius biberat iuuenis, quòd maximus vomi-
tus eſt ei à potione concitatus: pariterque & ventris adeo largus fluxus vt ſpatio vnius
ferè horæ decies egeſſerit: & tandem hoc modo ſanatus eſt: Res ad Mutinenſes Medi-
cos aduolauit eademmet ratione, qua geſta eſt: quærebãt cauſam, qua iuuenis ille fuiſ-
ſet à veneno liberatus, & tandem in fluxum ventris, & vomitum retulerunt. Ego autẽ
huius ſum ſententiæ, vt creta illa id egerit occulta proprietate, à propriaque ipſius ſub-
ſtantia quemadmodum & de medicamẽtis medijs inter venenum & corporis habitum
ſuperius diximus, ſub quorum genere & cretam hanc contineri cenſeo.

Ordo agendorum in extractione veneni. Sed dicetis: Tu dixiſti, venenum eſſe extrahendum: doceas modo nos, quo ordine,
quauè ratione id debeamus facere. Sciatis, quòd in extractione veneni imbibiti in par-
te aliqua extrinſeca primum, quod vobis proponitur agendum, eſt, vt partem ipſam no-
Poſt ſcarificationem ſuctio quomodo facienda. uacula, vel ſcalpello ſcarificetis; ſcarificata cum fuerit, deueniendum ad euacuationem,
quæ fit per ſuctum, aut quæ fit per cucurbitulas: ita enim euacuatur venenum cum eua-
cuatione humoris, ac ſpiritus deferentis. Sed dices: viſnè, vt locus ſcarificatus exſuga-
tur ore? periculoſa non eſt talis ſuctio, ſi, vt conuenit, fiat, videlicet, ſi is, qui vult exſu-
gere,

Digitized by Google

gere, nunquam ſugat vacuo exiſtente ſtomacho, ſed ſaturo, & expleto: & ſi ſecundò, antequam ſugat, abluerit ſibi optimè os, & palatum cum oleo dulci oliuarum, vel amygdalarum dulcium; vel cum butyro: vnctuoſæ etenim iſtæ ſubſtantiæ infarcient poros palati adeò, vt venenum ore attractum non poterit lædere. Cum ergo vult exſugere, madefaciat ſibi os cum re aliqua vnctuoſa: & ſit ſaturus.

Tutior tamen erit ſuctio per cucurbitulas ſiccas, Igitur ſi venenum erit impactum in parte, vbi poſſint applicari cucurbitulæ, vtamini cucurbitulis, ſed cucurbitulæ ſint par-uæ, vel ex cornu, vel ex alia materia, de quibus Gal. in 13. Meth. c. 6. nam magis attrahent. *Cucurbitulæ ſuctione tutiores.*

Nec hac tantum euacuatione altero dictorum modorum facta debetis eſſe contenti; ſed & aliam, quæ medicamentis fit, opus eſt addere. primum igitur abluatis locum lixiuio acri, & calido, mox applicetis aliquod medicamentum, quod venenum attrahat, vt rorem marinum vtrumque, vel ſulphur viuum, vel euphorbium, vel cepas, vel allia cruda, vel picem naualem liquidam, vel picem naualem admodum calidam, vel ſemina ſinapi, vel nitrum, (idest ſal illud nitrum commune) vel calamenthum: opportunus quoque eſt fotus ex aqua calidiſſima, vel lixiuio facto cum cinere ſarmentitio: hæc enim omnia venenum ex alto attrahunt: vel, ſi non placeant hæc ſimplicia, cõficiatis ex ipſis aliquod medicamentum habens formam emplaſtri, cuiuſmodi eſſet hoc: *Medicamenta pro extractione varia.* *Fotus.* *Emplaſtrũ.*

℞. Picis liquidæ
Picis ſiccæ } añ. ℥. s.
Salis nitri ℥. j.
Sem. ſinapis ʒ. ij.
Ceparum
Alliorum } ſub prunis coctorum añ. ℥. iij.
Aſſæ fetidæ
Sagapeni } añ. ʒ. iij.
Stercoris columbini ℥. j. s.
Ariſtolochiæ rot.
Rad. dictamni albi } añ. ʒ. j.
Olei liliorum alborum q. ſ.

Tritis, quæ terenda ſunt optimè, miſce, & fiat emplaſtrum, & applicetur calidiſſimum loco affecto, immutetúrque, vt opus fuerit. Sed ſi hæc non proſint, dolorque non mitigetur, immò creſcat & dolor & liuor, deueniatis ad validiora medicamenta, cuiuſmodi eſt gallus gallinaceus, vel gallina diſſecta, & ita calida ſupra locum impoſita; vel, ſi non totã velitis applicare, ſuperponatis partem ipſius aliquã, vt modo alã, modo coxam, &c. *Gallus aut gallina diſſecta.*

Sed ſi venenum ſit adeo impactum, vt nullo iſtorum, quæ caliditate manifeſta attrahunt, poſſit euacuari; deueniendum erit ad ea medicamenta, quæ non à qualitate manifeſta, ſed occulta, & propria quadam ſubſtãtia agunt: & primum ad ea, quæ benigniora ſunt, noſtræq; naturæ amica; poſtea ad ea, quæ media, cum Galeno diximus eſſe inter habitum noſtri corporis, & naturam veneni. Si igitur contingeret, vt pars aliqua afficeretur dolore propter venenum impreſſum, vel à paſtinacæ marinæ ictu, vel huiuſmodi alterius animalis, curate, vt capiatur animal illud, & accepto eius hepate ſuperponatur calidum ictui; vel ſi eſſetis in loco, vbi poſſet haberi aqua illa alba ſancta vocata, quam diximus eſſe in agro Nucerino, vtamini ipſa; Et quod dixi de paſtinaca marina, intelligatis & vos de quocunque alio animali, quod poteſt ſuo morſu venenum imprimere: nam propria cuiuſque caro ſuo veneno medetur. Quòd ſi venenum ſit ita imbibitum, vt his non cedat, ſtatim exuratis locum, vel cum ferro candenti, vel cum carbone accenſo, vel alio huiuſmodi: Vi etenim ignis venenum attrahetur ad cruſtam, ibique etiam diſſipabitur ab igne illo actuali; & hoc modo mitigatur dolor excitatus à virulenta qualitate, ſeu a tota ſubſtantia. *Alexiteria primo familiaria, deinde media illa.* *Exemplum.* *Ignis actualis.*

Ita ergo iam vidimus, quo modo doloris cauſa ab obiecto ipſo auferatur, & ſi rectè quæ hucuſque diximus, notaſtis, aufertur quinque modis: primus eſt per medicamenta attrahentia vehementer, & calida, quæ virus euacuant. ſecundus per medicamenta alterantia in qualitate manifeſta. tertius per medicamenta alterantia à tota ſubſtantia. quartus per ea medicamenta, quæ ſimul euacuant, atque deferentem materiam abſumunt, atque ſiccant. vltimò per ea, quæ ſanguinem ſimul cum veneno euacuant, vt cucurbitulæ, ſuctus, atque ſcarificationes. *Collectio modorum tollendi cauſas doloris.*

Nunc ſequitur, vt ſi organum ſit cauſa, alteretur, aut interimatur. Si ergo organum malè affectum fuerit, atque analogia talis ſiat cauſa doloris, tunc organum reſtituẽdum eſt, atque ſanandum. Vnde ſi ſit nimis calidum, refrigerandum; ſi nimis frigidum, calefaciendum; & ſi nimis fuerit humidum, eſt ſiccandum, quod facimus in carnibus creſcentibus *Organi diſpoſitio dolori ſi præbeat occaſionem, corrigenda, ſi intemperata.*

tibus in vlceribus,cũ,ſi nimis doleant,apponimus,quæ ſiccent,& aſtringant,quale eſt vnguentum de thutia magiſtrale in officinis paratum.Similiter quidam ſunt,qui,ob exquiſitiſſimum ſenſum, vel mollitiem glandis, non poſſunt coire : Ideo in his organum magis ſiccamus vnguento eodem,vel alio hoc modo parato.

Medicamentum glandis in pene nimiũ ſenſum obtundens.

℞. Sanguinis draconis.
Boli Armeni.
Argillæ communis.
Gallarum.
Corticum granatorum.
Sandalorum omnium.
Maſticis.
Mirabolanorum citrinorum.añ.ʒ.j.
Olei roſati.
Ceræ añ.quantum ſufficit. Miſce, & fac vnguentum : quod imponimus parti,atque eam hoc pacto ſiccamus,atque hebetiorem reddimus.

Organũ exedendũ ſi nequeat corrigi.

Quod ſi reſtituere in integrum haud poſſumus,aliquando illud exedimus atque auferimus,vt in vlceribus malignis,in quibus continuo dolor adeſt,carnem vlceratam exedimus medicamento, ſitque, vt ſubiecta relicta caro, cùm ſecundum naturam ſe habeat, non tantum dolore afficiatur.

Aut, ſi neq; hoc, ſtupefaciendum.

Narcoticorũ facultates,et opera.

Quòd ſi hoc fieri non poteſt,vt alteratio adiungi poſſit,neque obiecta qualitas queat auferri;tunc organum priuandum eſt facultate ſua,atque vi ſentiendi, appoſitis ijs medicamentis,quæ narcotica,ac ſtuporem inducentia dicuntur.Iſta, iuuenes doctiſſimi, talia eſſe debent,vt frigiditate ſua,quæ potentia continetur,obſtruant meatus organorum,atque ſpirituum tranſitus animalium impediant: Et quamuis frigida ſint,ea tamen frigiditate ſint prædita, quæ terreſtris ſit.Nam ſi aquea frigiditate fuerint prædita, id non efficiunt,aut imbecilliter agunt,vt accidit de ſucco lactucæ,aizoi,portulacæ, ſolani hortenſis,& ſimilium, quæ frigida aquea frigiditate ſunt, quia adeſt humiditas fixa multa cum frigiditate,quæ eſt in cauſa,vt non interimant organi facultatem;At illa,quæ frigiditate terreſtri ſunt prædita,narcotica vera ſunt,& immobile,ac terreum organum reddunt,vt lachryma papaueris ſiccata, ſuccus papaueris ſiccatus, cortex mandragoræ ſiccatus, ſemen hyoſcyami ſiccatum,lolij ſemen pariter ſiccatũ,atque ſimilia,quæ frigida ſunt valde,& ſicca,vt iſti referunt,tertio,aut quarto gradu frigiditatis,& tertio aut quarto ſiccitatis. Frigidiſſima igitur, & ſicca ſunt,vt vult Gal.in 5.de facultatibus ſimplicium medicamentorum cap.19. Neque iſta parti dolenti ſimplicia apponenda ſunt, quoniam aut nihil agerent,aut ſi agerent,non ad tempus id facerent;ſed ita organum corrumperent, vt nequaquam amplius reſtitui poſſet:quoniam,cùm ſint frigida & ſicca, non penetrãt, niſi ea adiungamus,quæ ſui tenuitate,ac calore potentiali iter exhibeant, ſintque præterea veluti antidota ad nimiam frigiditatem:quale eſt euphorbium, caſtoreum, crocus, myrrha, piper, cariophyllus,atque ſimilia, ex quibus varia narcotica componere ſolemus:quorum hæc vna erit forma,qua ego frequentiſſime vtor.

Frigida aquea.

Frigida terrea ſunt narcotica.

Narcotica cum penetrãtibus, & corrigentib. miſcenda.

Narcoticũ compoſitum auctoris.

℞. Opij.
Corticis mandragoræ.
Seminis hyoſcyami,
Seminis agni caſti.añ.ʒ.iij.
Caſtorei.
Croci.
Mirrhæ.
Bdellij.añ.ʒ.j.ſ.
Euphorbij,
Piperis.añ.ʒ.j.
Mellis lib.ſ.
Aceti acerrimi. q.ſ.

Miſce,& coque ad conſiſtentiam electuarij. Vel hac ratione conficio, quod ego appono doloribus dentium.

Aliud ad dẽtes dolentes vtile.

℞. Opij.ʒ.j.
Euphorbij.gr.iiij.
Caſtorei.ʒ.j.
Salis.ʒ.ſ.
Olei roſati.
Ceræ albæ.añ.q.ſ.miſce & fac vnguentum.

His

His poſſumus maiorem, & minorem ſtupefacientium copiam imponere, prout libuerit. De iis verò, quæ faciunt ad prouocandum ſomnum alio loco dicimus.

Obiecto, & organo ſimul diſproportionatis adhibēda mitigatoria.

Quòd ſi contra non organum tantum, neque obiectum tantum ſit cauſa doloris, ſed vtrunque ſimul, pariter & medicamenta compoſita adhibenda ſunt, quæ vtranque cauſam auferunt; hocque eſt tertium illud genus medicamentorum, quæ à Galeno in quinto de facult. ſimpl. medic. cap. 19. ita doctè excogitata ſunt, atque παρηγορικά, & πραϋντικά vocantur. Hæc enim frigiditatem nimiam, hæc caliditatem pariter excedentem temperare poſſunt: hæc ſiccitatem nimiam contemperant, atque duritiem, & aſperitatem leniunt: vias ſimiliter, ac meatus acrioribus ſpiritibus, ac mordentibus corpuſculis parant: hæc per reſolutionem humiditatis ſuperfluæ organum ſiccius reddunt, atque aptius ad alterationem, atque iſta verè anodyna vocari poſſunt, quia obiectum ipſum penitus non auferunt: quia nec penitus auferunt humorem noxium, vel reſoluunt, nec infixum corpori aut caliditatem, aut frigiditatem expellunt: ſed aliqua ex parte remittunt, pariter & organum præparant; cùm tamen relinquatur adhuc ęgritudo, quamuis & aliquando augeri videatur, & aliquando auferri: Talia ſunt, quæ aliquam tenuitatem partium in ſe habent, & quæ à ſymmetra caliditate recedunt, & calida primo gradu ſunt, vt camomillæ flos, meliloti flos: œſypus humida, lana œſypo madens, quæ ſuccida vocatur: althææ radix cocta; cępa liliorum alborum cocta cum modico aceto: oleum anethinum, oleum liliorum alborum, chamomęlinum: caſſiæ fiſtulæ nigræ medulla; reſina terebinthina vera, non autem laricina: pinguedo anatis, gallinarum, humana, anſerina, ſuilla, vitulina. ſed omnes iſti adipes ſint recentes: nam rancidi calefacerent nimis. his addatis oleũ coctum cum lumbricis, oleum in quo cocta ſit caro vulpeculæ, oleum commune dulce: ſapam dulcem: vinum dulce: pulpam malorum dulcium coctorum ſub prunis, pręſertim ſi pulpa diluatur ſapa, atque addatur parum croci: medicamentum eſt domeſticum, facile paratu, & valde opportunum, quo ſæpe ego ſoleo vti: eiuſdem generis eſt butyrum: & oleum ex vitellis ouorum, quo vtor ſæpe, & præſertim in doloribus ex glande plumbea, in quibus certè mitigandus eſt optimum medicamentum: ſicut & pinguedo humana. Hęc omnia ſimplicia dolorem mitigare validiſſimè ſolēt, vel aliquod applicabitis compoſitum ex ipſis, quale eſt hoc, quo ego frequenter vtor, præcipuè in podagricis doloribus, cum calore aut frigore præter naturam.

Quid præſtent uera anodyna.

Anodynorũ qualitates. Simplicia.

Nota.

Compoſita. Podagricũ.

℞. Olei roſati,
Chamomelini,
Anethini, & ſint lumbricata añ. ℥. ij.
Furfurum,
Pulueris florum chamomęli,
Farinæ hordei añ. m. ij.
Oeſypi ℥. j. s.
Pinguedinis gallinæ ℥. j. s.
Aceti ℥. j.
Sapæ ℥. x.

Miſce, & coque in ſartagine ad formam emplaſtri: Quo calido locus fouetur; poſtea illinitur flore caſſiæ, & valde dolorem ſedat.

Poteris & variis aliis modis medicamenta componere, dummodo eadem ſit materia, vel ex contrariis mixta, & ita optimè mixta, vt vnica forma ſit tenuium partium, ac primo gradu calida.

Atque hoc memoria teneatis huius tertii generis medicamentorum vſum requiri in principio ſtatim dolorum; aut quando cauſæ ablatio longius tempus requirit; aut quando cauſa non eſt venenata, & maligna; aut quando organo parcere volumus; aut quando citò alterari non poteſt.

Tempus anodynorũ, ſeu mitigãtium.

Iam colligamus capita eorum, quæ diximus. Oritur tumor præter naturam, indicat ſui impedimentum: cumque ſit in fieri, & nondum affecta ſit pars, ablationem cauſæ indicat: Cauſa autem eſt fluxio, aut exceptio, aut meatuum mediorum opportunitas, aut ſubſtantiæ humoris occaſio. Si ergo cauſa ſit fluxio indicat, vt firmetur, firmatur, ſi à parte tranſmittente, aggrauata multitudine, eadem multitudo imminuatur. Si ſit ſtimulata qualitate humoris, qualitas illa eſt alteranda. Si ſtimulata ſit, & ſimul aggrauata quantitate humoris, & qualitate, indicatur euacuatio, & alteratio humoralis cauſæ. Similiter, parte ipſa tranſmittente eò, quòd ſtimuletur qualitate venenoſa, indicatur euacuatio, & alteratio illius. Si ab humore agitato calefacto, & eliquato ſtimuletur pars ad tranſmittendum, humor ille refrigerandus eſt, & incraſſandus. Si à parte trahente naſcatur fluxio ob calorē adauctum, ac nimium, ea refrigerãda eſt, & ad temperiē reuocanda.

Compēdium dictorum de incipiēte tumore.

Verùm

Verùm ſi ob dolorem trahat, dolor ille mitigandus eſt, aut qualitate calida, aut frigida, aut ſicca, aut duritie, aut deleteria alterata, aut immutata penitus, aut euacuata, aut organo inmutato, & alterato, aut priuato ſua facultate, aut vtroque ſimul alterato aliqua ex parte. Sequitur vt reliquas cauſas tumoris, qui fit fluente humore, auferamus. Vidimus, quo modo incipientem tumorem impedire debeamus, quo modo, ſcilicet, ſi cauſa eſt ipſa fluxio, vt ſemper ferè eſt, inhibenda ſit. Neque ſolum docuimus quo modo cauſa iſta ſit auferenda, ſed ſimul & alteram tetigimus, quæ eſt ſubſtantia humoris opportuna fluxioni, quæ cum ſit tenuis, quo modo craſſior reddatur, dictum eſt. Iam ſequuntur geminæ aliæ cauſæ canalium, ſcilicet mediorum, deferentiumq; opportunitas; & exceptio ipſa particulæ, quæ tumorem pati incipit.

Tranſitio.

Canales lati aut natura, aut præter naturam.

Calor vaſorũ ſex habet radices.

Ad primam, quæ canales reſpicit, dicebam canales nimis apertos eſſe, & cauſam reddebam, aut quia natura tales eſſent admodum lati, per quos facillimè labatur humor ad locum affectum, vt exempli gratia, in inflammationib. membranarum cerebri: nam vaſa deferentia ſunt venæ iugulares, atque ſoporariæ arteriæ; aut quia tales ſunt præter naturam. Contingit verò eſſe tales præter naturam duplici ratione: altera, quia hæc vaſa incaluerint, & propterea latiora facta ſint; atque hoc patiuntur aut à calore cordis; aut hepatis aliquando (nam arteriæ, ac venæ facile caleſiunt aucto cordis calore) aut à calore totius corporis, vt fit in motu violento, curſu, aut ſaltu incitato; aut calore partis tranſmittentis, vt in inflammatione thoracis, quando expellitur materia ad membranas cerebri, tunc incaleſcunt media vaſa, quia coniuncta ſunt thoraci incaleſcenti; aut calore partis excipientis vaſa ipſa media incaleſcunt, vt in podagra vaſa totius cruris ita incaleſcũt, vt valde dilatentur; aut quia ipſa non ob aliam partẽ calidiora fiunt, nec per conſenſum, ſed quia ipſa ſola incaleſcunt. Altera eſt, quia à materia aut calida, aut acri vaſa ipſa latiora facta ſint, atque ampliora; aut quia cum his coniungatur multitudo, ac copia, quæ etiam dilatet, vt in varicibus crurium fieri ſolet, quia huiuſmodi vaſorum latitudo tumorum pedum, atque vlcerum malignorum ſæpe cauſa eſt.

Vaſa dilatãtur etiam à materia contenta.

Vaſa naturaliter ampla, quomodo tractanda.

Exempl. in tumor. cap. & oculor.

Quæ medicamenta requirant.

Defenſiua ſimpliciora.

In auferenda igitur huiuſmodi cauſa, ſi à natura tales fuerint canales, haud corrigendi ſunt penitus, neque anguſtiores ſunt efficiendi, etiam ſi varices eſſent; at ſat erit, quòd aliquo temporis ſpatio comprimantur, aut refrigerentur, quemadmodum nos facimus in tumoribus capitis: nam circa collum apponimus, quæ aſtringant, & conſtipent. Similiter ſi humores fluerent ad oculum, & facerent inflammationem, cum viæ mediæ non poſſint eſſe aliæ, niſi vaſa, quæ ſunt in temporibus, opus eſt tranſitum cohibere, quod fiet applicando venis illis ea medicamenta, quæ coarctent vaſa illa media. Et hinc apparet habendam eſſe rationem partium etiam adiacentium. Medicamenta verò applicanda ſunt illa, quæ refrigerant, & aſtringunt, & ſunt illa, quæ à barbaris Chirurgis vocãtur defenſiua; eò, quia defendunt partem inferiorem, ne tumore afficiantur. huius generis eſt poſca, & oxyrhodinum vocatum, quibus poteritis madefacere lintea, & applicare vaſis ipſis. Conuenit etiam oxyuiolaceum, aqua frigidiſſima, decoctum ex roſis, myrtillis, & ſimilibus. Ad eundem vſum conficiunt vnguenta ex oleo roſaceo, ceruſa, lithargyrio, ſandalis, roſis, rubrica fabrili, myrtillis, & alijs eiuſdem facultatis. Conuenit etiam vinum in quo decoctæ ſint gallæ, & vinum etiam purum, quo ego ſæpiſſime vtor: ſed debet eſſe auſterum: nam præterquam quòd coarctat vias, roborat etiam partem. Recentiores Chirurgi vtuntur ſolum defenſiuis emplaſticis, quæ applicant extenſa ſupra linteum, & ea cõponunt varijs modis; ſed ſat erit, vt vnum vobis exemplũ proponam tale:

Vnguẽtum.

℞. Pulueris myrtillorum,
Roſarum,
Gallarum,
Maſticis,
Sanguinis draconis,
Boli Armeni añ. ʒ. j.
Olei roſati,
Myrtini añ. q. ſ.

Miſce, & cum pauca cera alba fiat vnguentum.

Aliud commune, cuius & ſubſtantiã, & vſum vituperat.

Conficiunt etiam aliud linimentum ex ſanguine draconis, albo oui, bolo Armeno, & aceto, & hoc habent in vſu frequentiſſimo ita, vt & mulieres ſciant iſtud parare, & vtantur. Sed peſſimum eſt medicamentum: & modus etiam vtendi iſtorum Chirurgorum malus eſt, quia applicant medicamentum iſtud extenſum ſupra linteum, & tam diu medicamentum in loco relinquunt, vt ſiccetur, ex quo fit, vt excitentur dolores magni, & inflammatio aliquando inſignis. Quare potius offenſiuum, quàm defenſiuum poterit medicamentum vocari: & propterea fugiatis ipſum.

Habemus

Utile defenſiuum in fluxione ad oculos.

Habemus & aliud defenſiuum, quo vtimur in tumoribus oculorũ peculiariter, quando ſcilicet humor fluit ad oculos puerorum, vel aliorum, & volumus impedire fluxum, vtimur ipſo illinito ſupra ſtupam, & applicato venis temporum. Medicamentum autem hoc recipit ſanguini. draconis, boli armeni, pulueris gallatũ aña ʒ.s.j. quæ omnia diſſoluimus albo oui ad mellis cõſiſtentiam; deinde, accepta ſtupa, formamus ex ea rotulam, quam imbuimus medicamento, & applicamus vaſis temporum, illius videlicet lateris, à quo humor ad oculum fluit, & inibi rotula relinquitur, donec per ſe concidat: poſtea iterum renouatur, itidemque & tertia, & quarta vice fit. Hoc eodem medicamento ſolemus vti ſæpius ad eundem ſcopum, ſed ſub alia forma, nimirum linimenti, & tunc non album oui pro excipiendis puluerib. accipimus, ſed picem colophoniam, & maſticem: quibus liquefactis ad ignem, addimus pulueres prædictos; poſtea accipimus pannum laneum coloris rubei, vel nigri, vel alterius, & formamus orbiculum, ſupra quod extendimus medicamentum calefactum, & admouemus venis temporalibus. Medicamentum eſt certè optimum, & modus vtendi elegans, & hoc modo ſolemus inhibere fluxiones, & tumores, quando cauſa fluxionis ſunt viæ mediæ natura ſua nimis laxæ, & apertæ.

Vaſa ob caliditatem lataus varijs modis, refrigerantur.

Multum frigida nocent.

Epithemata

Malagmata.

Quòd ſi contra non natura tales ſint venæ, aut arteriæ; ſed quia incaluerint, tunc refrigerandæ ſunt iiſdem fermè medicamentis, quibus & cauſa caloris ipſarum demi debet: nam ſi cor nimis incaleſcat, ſuccurrimus miſſione ſanguinis è vena, & aliquando arteriarum inciſione (quæ quo modo fieri debeat, docet Galenus in lib. de curandi ratione per miſſionem ſanguinis) aut vtimur epithematibus, non quidem frigidis, aut valdè calidis, quia calor naturalis patitur multum à frigidis medicamentis, quamuis cor ſit excalefactum, ſed temperato aliquo medicamento vtimur, quod epithematis nomine vulgo inſignitũ eſt, nam teſte Paulo lib. 7. cap. 18. propriè ἐπιθέματα vocabantur, μαλάγματα, ideſt mollientia, quæ mediis corporis partibus, vt lieni, hepati, & ventriculo imponebantur. At recentiores etiam dilutiora medicamenta ex aquis ſtillatitiis ἐπιθέματα vocant, atque his in cordis, hepatis, atque teſtium locis vtuntur, quæ veluti fotibus antiquorum reſpondent. Atque in his miſcendis vnum obſeruandum eſt, quòd vt plurimum pro libra liquorum adiungitur vncia vna, & ſemis pulueris: & quoniam ſæpenumero addendum eſt, ideo pro libra vna aquarum vncia vna, aut duæ vini maluatici addere conſueuerunt: Pariter ſi citam penetrationem quærimus, quod non ſemper, ſed raròin affectionibus cordis requiritur, addunt cuilibet libræ aquarum vnciam mediam aceti acerrimi. tale autem proponatur vobis exemplum.

Componendi modus.

Exemplum.

℞. Aquæ roſaceæ,
Bugloſſæ,
Meliſſæ,
Enduiæ añ. ℥. iij.
Vini maluatici ℥. ij.
Pulueris meliſſæ,
Roſarum añ. ʒ. ij.
Specierum cordialium temperatarum ℥. s.
Croci parum.

Miſce. Si frigidius fomentum requirimus, loco ſpecierum cordialium apponimus partem ſpecierum triaſandalorum Nicolai, & partem ſpecierum electuarij de gemmis Meſuę; & hæc omnia in officinis parata ſeruantur. Quòd ſi calor totius corporis ſit cauſa, quies eſt imperanda: & ambiens aer non ſit calidus, nec frigidus, ne calor augeatur; ſed temperatus eſt inueniendus, poſtea frigidus. Si à calore partis tranſmittentis, illa eſt refrigeranda, moderatè tamen, niſi aliquid ſemper impediat. Idem eſt dicendum de calore partis trahentis, de quo multa diximus in ſuperioribus. Sin ipſa per ſe incaleſcant, eandem curationis rationem poſtulant, ac requirunt.

Notandum de refrigeratione per aerem.

Varicum curatio.

Vltimò, ſi latitudo fuerit præter naturam, qualis eſt varicum in cruribus, vel alibi exiſtentibus, primò (Domini) comprimendæ ſunt venæ faſcia aliqua, quæ tantum varices, quæ cutaneæ ſunt, comprimant, non autem arterias intimas. Aliquando vtimur caliga quadam diſſecta ex pelle canina, quæ cruri appoſita funiculo quodam conſuitur, & arctè ſuram comprimit, ac deſcenſum humorum prohibet. Aliquando ceratum aliquod apponimus, quod aſtringat, quale illud eſt in officinis paratum, quod ceratum pro crepatis Gentilis vocatur: hoc corio illitum imponitur, poſtea faſcia, aut caliga. Vltimo loco, ſi hoc non prodeſſe videatur, varix ipſa vinculo eſt intercipiẽda, aut ſecanda. Rationem autem, ac modum iam non explico: aliàs enim id faciam. Atque iam colligo, quòd ſi incipientis tumoris ob fluentem humorem vaſorum deferentium opportunitas adſit ita varia ac multiplex, vt audiuiſtis, vario quoquo modo, ac multipliciter eſt cohibenda.

Varicum ſectio.

Tertiam

De Tumoribus ob partẽ excipientem genitis.

Tertiam tumoris cauſam propoſuimus partem ipſam humorem recipientem: tumor enim ex humore fluente nunquam fiet, niſi pars, in quam fluit, excipiat, retineatque ipſum, vt verbi gratia, ſi fluat humor ad manum, & manus non recipiat ipſum, ſed expellat, nunquam intumeſcet: igitur neceſſariò ad generationem tumoris ex fluxione requiritur exceptio humoris. Et quia cauſa, cur pars aliqua humorem excipiat, triplex fuit propoſita, & inter illas vna erat partis imbecillitas, & nomen hoc imbecillitas plura ſignificat; propterea videndum eſt primum, cuius nam ſpeciei ſit imbecillitas illa, quæ eſt cauſa exceptionis.

De Imbecillitate prima cauſa exceptionis.

Galenus itaque in 11. Methodi. c. 20. & in lib. de cauſis morborum cap. 6. ait, quòd proprium vocis huius ſignificatum eſt, quòd denotat intemperiem aliquam ſummam, quæ aut adſit iam, aut ſit contracta ob morbum aliquem, vel ob prauam victus rationem; vel ex errore aliquo in generatione; vel ob aliam cauſam: Et ita illa pars dicetur propriè imbecilla, quæ ſummam habeat in ſe intemperiem aliquam, vel calidam, vel frigidam, & huiuſmodi: quam intemperiem acquiſiuerit, vel ob errorem aliquem in generatione, ideſt, quando pars ipſa generabatur: vel propter aliquem morbum; vel propter deprauatam rationem victus. Dicitur autem intemperies iſta partis illius imbecillitas, quia debilem reddit partem ipſam adeò, vt ſua munera exercere nequeat. Et ſecundum hanc rationem dicit ibi Galenus aliqui vocabant imbecillitatem paruam quoque intemperiem; ſed æquiuocè, & impropriè (dicit ipſe) leuis intemperies vocatur imbecillitas.

Prima ſignificatio: Imbecillitas propriè ſumpta tres habet cauſas.

Primum igitur, & proprijſſimum imbecillitatis ſignificatum eſt, quòd denotat intemperiem aliquam vehementem, contractam vel ab ortu propter errorem aliquem in generatione; vel poſt ortum à morbo; vel aliunde.

Secunda ſignificatio.

Secundò nomen iſtud imbecillitas ſignificat priuationem humidi radicalis, & ſpirituum: vnde vocamus ſenes imbecillos, non quia intemperiem aliquam præter naturalem contraxerint, ſed quia in eorum corporibus defecit pars aliqua innati humidi, & ſpirituum, ex quorum defectu, ſenes ipſi redditi ſunt imbecilles. eodem modo vocamus vires, & partes imbecillas, quæ aut inedia, aut vehementi labore, & huiuſmodi redditæ ſint debiles, eò, quòd reſoluti, & abſumpti fuerint eorum ſpiritus, & ſpirituum pabulum, nimirum humidum ipſum, & pauca humiditas, atque calor naturalis inſit in venis, in arterijs, & in corde.

Tertia.

Tertiò ex Galen. in lib. de cauſis morborum cap. 6. ſignificat defectum, ac imminutionem virium inſitarum à natura: vnde vocamus aliquando partem aliquam imbecillam, quia in ipſius generatione debilem à natura adepta fuerit vim, ac facultatem; contrà autem robuſtam appellamus, quia natura, quando generauit ipſam, impreſſit ei magnum robur, & ita dicimus aliquando cor, & alias partes principes eſſe robuſtas, ac validas, quoniam natura in ipſarum generatione locauit in ipſis maximam vim, qua ſua poſſent munera obire: ita quoque vocamus interdum manum debilem, ob defectum virtutis, & potentię naturalis: ſolet enim natura principes, ac nobiliores partes robuſtiores gignere; illas verò, quæ minoris ſunt momenti, debiliores efficit, iuxta tertium hoc ſignificatum debilitatis.

Quarta.

Quartò ex Gal. ſententia in libr. de differentijs ſympt. cap. 4. appellamus imbecillitatem ſegnitiem, ac pigritiem quandam ad agendum: quo ſignificatu dicimus interdum partem, vel membrum aliquod imbecillum, eò, quòd tardè ſua exerceat munera; contra verò robuſtum, quòd citò, & promptè ſuo officio fungitur.

Quinta.

Quintò, imbecillitas vocatur à Galeno habitus quidam, ac propenſio naturalis facta ad receptionem excrementorum: ſecundum quam ſignificationem vocamus aliquando cutim imbecillam, eò videlicet, quia à natura fabricata ſit non ſolùm, vt ſit indumentum, ſed etiam vt ſit habilis ad omnia corporis totius excrementa tenuiora recipienda; non loquor iam de excremento fecoſo, quod in inteſtinis continetur, neć de lotio, ſed de ſudore, & reliquis huiuſmodi: quia igitur cutis habitum hunc à natura accepit, vt omnia corporis excrementa tenuiora exciperet, vocatur debilis, vt dicit Galenus in libro de cauſis morborum capitulo ſexto.

Sexta.

Sextò nuncupamus imbecillitatem raritatem, mollitiem, laxitatemve partis alicuius, qua ratione glandulas appellamus imbecillas, quia fungoſa, & laxa ſubſtantia conſtant: quòd autem hoc ſit verum, patet ex Galeno in primo de medicamentis localibus capitulo ſexto, vbi aſtringentia medicamenta appellat roborantia: qua ratione? quia aſtringunt laxatas partes. Similiter abſynthium dicitur roborare omnia membra, vt teſtatur Galenus in primo ad Glauconem capitul. 14. ſi igitur, quod aſtringit vocatur roborans, ergo & quod aſtrictum fuerit, vocabitur robuſtum: ſed robuſtum opponitur debili, & vocatur robuſtum; quia habet ſubſtantiam conſtipatam: igitur neceſſario, & quod laxum eſt, vocabitur debile, ſeu imbecillum.

De qua imbecillitate hic ſit ſermo.

His poſitis ſignificationibus imbecillitatis, dico, cauſam exceptionis humoris in parte aliqua eſſe imbecillitatem, intelligendo per imbecillitatem non modò illam, quæ

eſt

eſt quaſi naturalis ipſi parti; ſed & eam, quæ in parte ipſa ſit introducta, in generatione, aut poſt generationem propter intemperiem aliquam, aut propter errorem aliquem, ita, vt calor diſſolutus, aut diſfuſus ſit, aut quia particula talis facta ſit, aut quia laxa ſit, & mollis. Neque ſolum de hac imbecillitate intelligimus; ſed etiam de alijs, quæ pariter ſunt cauſa exceptionis, & vna eſt vaſa ipſa, vel cauitates manifeſtæ partium, quæ ſint amplæ, atque facilè recipiant: vt ventriculus cùm habeat cauum magnum, hac ratione facilime recipit deſtillantem pituitam ab hepate: aut à capite aut aliunde.

Secunda cauſa exceptionis.

His addatur, & erit altera cauſa, extrema eorundem vaſorum quæ ſint nimis anguſta, ita, vt nullus exhibeatur materiæ deſtillanti exitus: Quod in hæmorrhoidibus ani apparet, cùm ſanguis excerni ſoleat, ſi caſu, aut medicamento aut alia ratione conſtipata ſint venarum oſtiola, retinetur excepta materia, & facit tumorem.

Tertia.

Tertia cauſa eſt ſitus partis inferior; nam pars inferior aptior eſt ad receptionem humorum, quàm ſuperior.

Receptio in parte indicat in principio repulſionem.

Si igitur cauſa tumoris ſit exceptio, nobis indicatur eius contrarium: at contrarium eſt repercuſſio illius humoris: Si enim humoris extranei exceptio facit tumorem, eiuſdem humoris impulſus, atque eliſio eundem tumorem impediet, hoc igitur vnum indicatur. Vnde nos colligimus quòd in principijs tumorum, quæ fiunt ob fluentem materiã, vnica ſemper, atque ſola indicatur humoris eliſio, atque repercuſſio, quæ ἀπόκρουσις vocatur.

Repercuſſionis definitio.

Et vt intelligatis, repercuſſio nihil aliud eſt, niſi eliſio, atque impulſus humoris à parte, quam petebat, aut à toto corpore, aut à parte tranſmittente. Quod colligimus ex definitione ipſius exceptionis, nam illa nihil aliud eſt, niſi amplexus, & collectio humoris aduentantis.

Diſtinguitur à tranſmiſſione.

Quare patet repercuſſionem à tranſmiſſione differre, atque à ſimplici excretione: nam in illa talis ineſt motus humori, qualis inditur a parte excernente; in hac verò ineſt motus excernentis partis, & idem duplicatus à parte repellente.

Impropriè dicta repercuſſio.

Quòd ſi humor iam firmatus a parte expellatur, repercuſſio etiam iſta vocatur à medicis; ſed minus propriè: nam eſt potius ſpecies quædam excretionis: vt ſi humor defluat in manum, & in ipſa manſerit per aliquod tempus ita, vt quieuerit, & deinde à manu ipſa propellatur ad cubitum, talis repulſio, vel propulſio non debet propriè dici repercuſſio, ſed potius excretio quædam, quia repercuſſio propriè vocatur cum humor fluens dum eſt in motu repellitur.

Propriæ repulſionis duo requiſita.

Duo enim neceſſariò ad veram repercuſſionem requiruntur, primum quidem, vt humor ſit in motu; alterum, vt motus ille ſtatim repercutiatur, reflectaturque. Neque in hac craſſitie ſitis, vt credatis, quòd repercuſſio fiat à medicamẽtis, licet aliter Recentiores dicant:

Medicamenta vere neq; repercutiũt, neque attrahent.

neque enim medicamenta repercutiunt: queadmodum nec, quæ attrahentia vocantur, verè, ac propriè attrahunt. Loquor de ijs medicamentis, quæ qualitate aliqua manifeſta dicuntur attrahere; non autem de illis, quæ a tota ſubſtantia id agunt: nam talia verè attrahunt. Ea etenim dicuntur verè attrahere, quæ ſunt immediata cauſa attractionis:

Prima ratio.

Videamus iam (quæſo) quomodo, quauè ratione calefaciens medicamentum dicatur attrahere: certè non niſi quia rarefacit, & rarefaciendo aperit meatus; meatibus apertis, humor ipſemet eſt, qui fluit; vel pars illum impellit; non autem caliditas eſt, quæ id agit, niſi per accidens, & ideo vocabitur potius partium impulſus, quam attractio medicamenti: Ita quoque de repercutientibus vocatis medicamentis dico: nam roborando partem ipſam ſunt in cauſa, vt pars inſurgat, & expellat: roborant autem, quia cum adſtringentia ſint, obſtruunt poros; poris obſtructis, pars inualeſcit; valida facta inſurgit, & repercutit: vnde Galenus lib. 13. meth. cap. 16. dicebat, quòd repercuſſio fit a validiori virtute partis patientis; & medicamenta ipſa nihil aliud agunt, niſi quòd partem iuuant, atque robur augent, quare repercutientia dicta medicamenta per accidens repercutiunt.

Secunda ratio.

Quod etiam hinc magis apparet, quia In vera repercuſſione requiritur, vt id, quod repellit, moueatur, vt mouetur manus, quando aduenientem pilam repercutit: vnde, ſi pila inijciatur in manum, reſiliet; impropriè tamen illa reſilitio dicetur repercuſſio: Cum itaque ad veram repercuſſionem requiratur, vt pars, quæ repellit moueatur, ſequitur neceſſariò repercuſſionem a medicamentis factam æquiuocè dici, quoniam immota manent:

Exempla.

Quòd autem repercuſſio fiat a medicamentis, quatenus partem roborant, exemplo oſtendo: Nam ſi materia turgens fluat a venis magnis ad partes inferiores, verbi gratia, ad genu, & a genu ad brachium repellatur, certum eſt, quòd genu non ob aliud, quam quia robuſtum eſt, id fecit: ſi enim imbecille fuiſſet, dubio procul materiam illam in ſe excepiſſet, & ita intumuiſſet.

Galeni auctoritas.

Perſpicuum igitur eſt repercuſſionem non a medicamento, ſed a parte robuſta fieri. Nec meũ hoc eſſe inuentum putetis: ſed eſt Galeni in 13. methodi cap. 16. ſupracitato.

Incipiente igitur tumore, eò, quòd humor excipiatur à parte propter ipſius imbecil-

Indicantia repercuſſionem, & eius ſpeciem.

litatem &c. indicatur nobis, vt efficiamus, ne pars ipſa recipiat . hoc autem præſtant repercutientia;& ideo cum de repercuſſione quid propriè ſit,quomodoque fiat abundè ſit dictum;ſupereſt,vt de repercutientibus medicamẽtis dicamus, & videamus, qualia ſint Domini,à cauſa imbecillitatis,de qua loquimur indicatur qualitas medicamẽtorũ: nam laxitas partiũ,quæ patiuntur,indicat ſui abſtrictionẽ:mollities ſui ſiccitatem: caloris diffuſio,atq; extenſio pariter oſtendit ſui vnionẽ,atque collectionem: quod fit per medicamenta frigida,atq; aſtringentia, quæ tandẽ & leuiter ſiccant. quare dicebat Gal.quã plurimis in locis,præcipuè verò libro 5.de facultatibus ſimpl.medicamentorum,cap.17.repellentia ἀποκρουστικὰ medicamenta eſſe frigida , atque craſſarum partium,& propterea aſtringentia, quæ in altum ſibi occurrentes ſuccos propellant .

Repellentium diuiſio ex Guidone.

Horum autem medicamentorũ duo Guido noſter proponit genera , quorũ alterum vocat cõmune;alterũ peculiare,& propriũ:Sub primo genere dicit contineri ea omnia, quæ frigefaciunt,& aſtringunt moderatè,& particulã contemperant,cuiuſmodi eſt oleũ roſaceum,chamomelinũ ſecundum ipſum, vnguentũ roſat.Meſuæ, vnguentum infrigidans Gal.&c. Sub proprio verò vocato genere dicit comprehendi illa,quæ frigefaciunt, aſtringuntq; validiſſimè,cuiuſmodi ſecundũ ipſum eſt bolus Armenus,abſynthiũ ratione ſ.auſteritatis.Quæ diuiſio licet quoquo modo probari poſſit; tamen præſtantior longè eſt,quæ à Gal.tradita eſt in 14.Method.c.17.vbi ait,ꝙ medicamentorũ repellentium quædã ſunt frigida abſque vlla aſtrictione : & licet non aſtringant,nihilominus repercutiunt,quatenus frigida ſunt: nã per antipariſtaſim colligunt calorẽ: calor in ſeipſum collectus ipſemet repercutit materiam. Igitur primũ genus repercutientiũ eſt eorum, quæ frigida tantùm ſunt, & ratione frigiditatis repercutiunt : ſub quo genere poſca eſt, aqua frigidiſſima, & alia multa, quæ infra connumerabimus : quòd autem talia ſua frigiditate repercutiant,veſtrum quẽpiam expertum fuiſſe arbitror,vel in ſeipſo, vel in alijs,quemadmodum & ego ſæpius,cùm adhuc puer eſſem : Nam,vt ſcitis,puerorum mos eſt litem inter ſe omnem aut ſaxis,aut pugnis dirimere:vnde,ſi aliquando in huiuſmodi certaminibus fuiſſem,indeq; ictum,vel in fronte, vel in alio circumſpecto corporis loco retuliſſem,nollemq; parentes , aut præceptorem quicquam de hac re ſcire , ſtatim madefaciebam chartam in aqua frigida, & parti intumeſcere iam incipienti applicabam, & ſtatim repercutiebatur humor,fluens,tumorque deſinebat.Id ipſum ſolent & mulieres facere, cum filium in frontem cecidiſſe conſpiciunt.

Melior ex Galeno. Repellentia frigiditate ſola.

Repellentia adſtringẽtia ſine frigiditate.

Alterum genus medicamentorũ repercutientiũ continet ſub ſe ea omnia, quæ aſtringunt,ſiue ea calida ſint,ſiue ſaltem non frigida. Igitur ſecundum genus repercutientium continet ſub ſe,quæ aſtringunt tantum:hoc enim ſolum requiritur,licet poſtea talia ſint potentia etiam calida,vel valde vel remiſsè, & ſint craſſarum partium ; ſub primo verò, quę frigida ſunt tantum,ſiue actu ſiue potentia talia ſint.

Tertium & vltimum genus eſt eorum,quæ frigida, & aſtringentia ſimul ſunt .

Repellentia & frigiditate & adſtrictione.

Igitur medicamenta repercutientia ſunt triũ generum,quorũ primum cõtinet ſub ſe, quæ frigida vel actu,vel potentia tantũ ſunt. Alterũ,quę aſtringunt tãtum, quãuis poſtea ſint vel valde calida,vel nõ frigida. Tertium verò eſt eorũ, quæ & frigefaciunt,& aſtringunt.Sub primo genere cõtinentur hæc omnia,aqua frigida,acetũ aqua frigida,& acetũ ſimul,aqua violarũ,ſubſtantia violarum,i.violæ ipſæ,oleum violaceum,lactuca, oxalis,i. acetoſa,oleum roſaceũ,oleum nenupharinum,cucumeris caro.Sub ſecundo genere cõtinentur vinũ potens acerbum,viricis ſemẽ,vel folia,ſiſimbriũ,menta viridis,abſynthiũ, maſtix,chalcanthũ,alumen.Sub tertio verò genere ſunt,galla immatura, cupreſſi nuces, œnanthe, i.vua in flore exiſtens,portulaca,ſemper viuũ,plantago, albumen oui,roſa,tãetſi oleũ roſ.ſit ſub primo genere,nymphęa,mala punica,& quicquid ex ipſis conficit̃,vt ſuccus,cortex,acini &c.cidonia mala,& omnia,quæ ex cidonijs fiũt : omnia aſſumpta ex myrto,vinũ acerbũ,& immaturũ,atq; acidũ,ſandali oẽs,decocta ex rebus immaturis,bolus Arm.ſanguis draconis,& lapis hęmatites.Hæc ſunt repellẽtia medicamẽta,quę ſemꝑ applicãda ſunt in principio tumoris,vt materia repercutiat̃, & tumoris gñatio impediat̃.

Exẽpla ſingulorum generum.

Quæſtio: an ſemper initio repellendũ.

Sed hic ſtatim orit̃ dubitatio,non enim videtur probè factũ,applicare vniuerſaliter in quocũq; incipiente tumore repercutientia,quãuis hoc iudicetur:Nã habetur ex Hipp.in 6.Aphor.25.ꝙ ſi eryſipelas introuertitur malũ eſt;ſi ad extra bonũ: Eryſipelas aũt tumor eſt dubio procul;& tamẽ dicit Hipp.ꝙ ſi intromittatur eſt malũ:cuinam aũt dubiũ eſt,ꝙ ſi applicaremus eryſipelati repercutientia, perpelleret̃ ad partes interiores?Secundò idẽ Hipp.in 6.aph.37.ait:Ab angina habito ſi tumor fiat in collo bonũ:foras.n.morbus deducit:Et ibi Gal.in cõm.dicit: Sermo verus eſt,& cauſa in prõptu: ſiquidẽ ex intimiorib.& " principaliorib.partibus paſſiones cõferet ad cutim trãſferri. Quare potius eſſet euacuã" dus humor,q̃ repellẽdas, quia natura minus pateret̃. Tertiò ſi eſſet vera vniuerſalis propoſitio

Negatur prima ratio.

Secunda ratio.

Digitized by Google

poſitio ſuprapoſita (quòd in quolibet incipiente tumore repercutientia ſunt applicãda) ſequeretur, ꝙ & in tumorib. peſtilentibus, & apparentib. peticulis eſſet idem faciendum: oẽs tñ medici huic rei refragantur: nam materia venenoſa repelleretur ad partes interiores, & ſic fieret mors, quemadmodum etiã accideret in variolis; quis tñ negaret variolas eſſe tumoris ſpeciẽ? Preterea in podagricis quoq; tumorib. cũ accidunt verno, vel autumnali tẽpore, corpore repleto, & cacochymo exiſtente, nemo eſt, qui applicaret repercutientia, quoniã poſſet materia trudi ad partes ſuperiores, vt ad caput, & facere vel phrenitidẽ, vel conſimilẽ affectum. Quare malè & preter rationẽ dictum eſt ſuprà, ꝙ in principio cuiuſcũq; tumoris pro impediẽda eius generatione applicãda ſunt repercutiẽtia.

Quarta.

Domini ſciatis, ꝙ vtrinq; ſunt anguſtię: nam certum eſt, ꝙ in quocũq; morbo incipiente probè fit, vt præcaueamus, & impediamus ipſum, ne fiat: cùm autem hoc poſſimus ex applicatione repercutientiũ preſtare, neceſſario videtur talia medicamenta in principio eſſe applicãda. Eſt præterea authoritas Gal. in 3. meth. c. 16. vbi ait, ꝙ in quacũq; incipiente inflãmatione ſunt applicãda repercutientia: quã ſententiam omnis medicorũ ſchola admittit, & comprobat. Eiuſdem etiã authoritas eſt in 1. de cõpoſ. med. loca. c. 8. & 4. lib. eiuſdẽ, & multis alijs in locis. Adeſt præterea methodus ipſa, quæ docet ſi oriat̃ tumor, ꝙ dẽt impediri: impedieť aũt ſi humoris exceptio inhibeat̃, qđ fiet, applicitis repellentibus.

Affirmatiua pars auctoritate probatur, & ratione.

Si velimus difficultatem hanc tollere, & quid pro veritate tenendum ſit, aſſequi, opus eſt diſtinguere de principio tumoris: Duplex enim eſt, alterum, quod dicitur primus inſultus, & eſt, cùm humor incipit agitari, & tranſmitti ad meatus partis; non tamẽ adhuc ſenſibilem facit tumorẽ: & vix tale cognoſcitur principiũ: quoniam eſt veluti momentaneũ; cognoſcitur tamen ab ipſo medico exercitato: & huic principio raro medicus adeſt, nam prius tranſit, quàm aduocetur: primus igitur humoris inſultus dicitur primum tumoris principium, in quo vix morbus apparet, ſed ſui generationẽ indicat; nullam tamen ſui partẽ factam habet, ſed omnia conſiſtunt in fieri, & fermè hoc tempus indiuiſibile eſt. Alterum principium eſt, quando iam ſenſui ſubiectus eſt tumor, id eſt, quando iam factus apparet ad viſum, & moles aucta eſt: & tale principium non eſt momentaneum, ſed quandoque perdurat duos, & tres dies, ita, vt nullo modo videatur augeri.

Pro ſolutione ſtatuitur duplex principium.

Niſi igitur principium hoc modo diſtinguamus, quemadmodum & Gal. ipſe diſtinguebat in 1. de criſib. c. 4. 6. 7. & 8. facile erit vt in errorem incidamus, ſicuti inciderunt Recentiores, & præcipuè Guido noſter: qui, vt difficultatem hanc enodarent, decem nobis propoſuerunt capita indicantia, quando conueniat applicatio repellentium in principio, & quando non conueniat: Primum caput eſt, ꝙ ſi materia fluat in emunctorium, & inibi fiat inflammatio, non debemus materiam illam repellere: Alterum, ſi materia

Decẽ caſus, quibus Guido vetat repellere.

faciens tumorem fuerit venenoſa: Tertium, ſi fuerit craſſa, & inepta repulſioni, magis 1
enim dureſceret craſſeſceretve: Quartum, ſi materia ipſa ſit in parte vehementer fixa, & 2
impacta, quoniã ex repercuſſione magis figeretur. Quintum, ſi materia ſit critica, quan- 3
do ſcilicet natura oppreſſa ab aliquo morbo vult ſe exonerare materia illa faciente mor 4
bum, & tranſmittit ipſam ad aliquam partem, tunc materia non eſt repercutienda: quia 5
non ſolum non ſolueretur prior morbus, ſed alius nouus gigneretur: Sextum, quando 6
tumor fiat à cauſa primitiua, vt vel à contuſione, vel à luxatione, vel à vulneratione, &
huiuſmodi, tunc materia non eſt in principio tumoris repellenda: Septimum, ſi corpus 7
ſit plethoricum, valdeq; repletum humoribus: Octauum, ſi corpus ſit valde debile: nam 8
virtus, ob ſui imbecillitatẽ, non poſſet pro ſuo arbitrio gubernare materiã repulſam, &
ita magis affligeretur: Nonum, cùm tumor ſit propè partẽ aliquam principẽ, quemadmo 9
dũ ſi in thorace, vel in abdomine fieret: Vltimũ, non debemus vti repellentib. quãdo tu- 10
mor habet maximũ dolorem coniunctũ: nam propter dolorẽ attraheretur maior humo
ris copia, quoniã repulſione dolor augereť, & ita fieret attractio maior, ac maior tumor.

Hæc eſt Recentiorum circa repellentia obſeruatio: quæ, mea ſententia, inepta eſt, & nullo modo ſatisfacit, ſi loquamur de primo principio tumoris, quod diximus eſſe primum, & ferè inſtantaneum inſultum humoris fluentis ad partem: nam ſi, verbi gratia, materia fluat à venis ad extra venas, ideſt ad partes extrinſecas corporis, quemadmodũ poteſt fluere, ita quoq; poteſt repelli, antequàm excipiatur in partẽ & faciat tumorem. Itidem dico de cauſa qualibet primitiua, veneno excepto: nulla enim ipſarum impedit, quominus materiam in principio primò repellamus, imò in vſu iam poſitum eſt, vt ſi os frangatur, vel luxetur, ſtatim repoſito oſſe in ſuã ſedem applicetur aliquod medicamentũ repellens, vt repercutiatur materia illa, quæ ob laxationẽ agitata iam inciperet fluere. Nõne & Hipp. in fracturis oſſium, repoſito oſſe in propriã ſedem, applicabat oleũ roſaceũ, vinum, & ſimilia? Quare peſpicuũ eſt, quòd in principio tumoris, momẽtaneo. ſ. vtimur repercutientibus, vtimur, inquã, rationabiliter, & ſecundum methodum: quia in

Refutantur Guidonis exceptiones.

Licere frequẽter in fluxione à cauſa procatarctica reprimere.

Non ſemper repellendum ĩ primo prin cipio, ſeu inſultu.
Quinque exceptiones.
Primo in veneno.
Secundo in criſi ſalubri, & bona.

principio tumoris pro primo inſultu indicatur neceſſariò repercuſſio. Et licet hoc ſit ve
rũ;non tamen ſemper eſt faciendũ, quoniam dantur aliqui caſus, in quibus in principio
tumoris,quod quaſi momentaneũ eſt, non poſſumus, nec debemus repercutientib. vti,
quemadmodũ in materia venenoſa. Similiter & in papulis illis variolis vocatis: ſi enim
materiã illam repercuteremus ad partes intrinſecas,periculũ eſſet,ne mortẽ inducerent.
Vt igitur ſciatis,quãdo materię in principio(loquor ſemper de primo illo inſultu mate-
riæ) vtendũ ſit repellentibus; & quando non,non decẽ,vt Recentiores,ſed quinque tan-
tũ ex ipſis capita obſeruanda vobis propono:& primũ eſt. Repellenda nõ ſunt in princi-
pio admouẽda,quando materia eſt venenoſa. Alterũ quando materia eſt critica:alioqui
fieret recidiua:ſed huic addendũ (quod prætermiſſum eſt à Recentiorib.) ſi criſis futura
eſt bona: maximi enim refert,nã poſſet eſſe,ꝙ natura exonerans ſe tranſmitteret mate-
riã ad aliquam partem nobilẽ,& periculum eſſet,ſi in ipſam exciperetur, ne fieret longè
maior morbus illo,quẽ natura intendit ſoluere ex trãſmiſſione illius materię: & ideo in
illo caſu,licet materia ſit critica,tamen licet vti,quinimò neceſſariũ eſt vti repercutienti
bus,ne maior morbus generetur, vt verbi gratia,ſi natura tranſmitteret materiã à capite
ad oculũ,vel ad fauces,vt ſolueret aliquem morbum in cerebro exiſtentẽ,tunc debemus
in principio fluxus illius materiæ, antequã excipiatur in fauces,& faciat tumorem ſenſi-
bilẽ,applicare repercutientia;aliter poſſet homo ſuffocari;ꝙ ſi repellamus materiã,hoc
non fiet: & poterit etiã accidere,vt materia illa non ad propriũ locum,à quo tranſmitti-
tur,ſed ad aliũ repelleretur,euacuareturq́; inibi facta expulſione,& ita duplex ex reper-
cuſſione inſequeretur commodum.quare ſecundũ caput erit,ꝙ quando materia eſt criti

Tertiò ĩ plethora,& cacochymia exonerata in emunctoria.

ca,& criſis futura eſt bona, tunc non debemus in principio vti repercutientibus. Tertiũ,
ſi corpus fuerit plethoricũ, vel cacochymum,& tumor fieret in emunctorijs,vel in loco
vicino alicui parti principi,tunc nõ debemus vti repercutientibus; quoniã plenitudo,&
cacochymia impediret ipſam repulſionẽ:dixi(ſi tumor fieret in emunctorio)nam viſcus
quodlibet propriũ habet emunctoriũ,per quod ſua excernat excrementa: & ſicut viſcus
quodcunq; directè per proprium emunctoriũ vt plurimum ſua excernit excrementa;ita
quoq;,propter eandẽ proportionem,ſi tumor fieret in emunctorio, & materia repercu-

Quartò in partis determinatæ magna imbecillitate.

teretur,poſſet recta ad viſcus illius emunctorij repelli,& maior morbus fieri. Quartum,
quando pars,in qua incipit tumor,eſt præter modum imbecilla: loquor de imbecillitate
partis alicuius determinatæ;non autẽ de imbecillitate totius corporis,vt malè Recentio
res,quia corporis debilitas non impedit,quin materia poſſit repelli: Cum igitur pars, in
qua oboriri incipit tumor, eſt mirũ in modum imbecilla, atq; calor ita paucus,& expan-
ſus,vt periculũ ſit de ſuffocatione pauca illius caloris ex vſu repellentiũ, tunc nõ conue
nit, vt applicemus repellentia, vt ſi, verbi gratia, ex longo itinere per niues eſſent ſupra
modũ Socrati pedes refrigerati,propterea iam perniones fieri inciperent,tũc non debe
remus repercutere materiã,quia,cùm pars illa ob defectũ caloris ſit valdè imbecilla (ca

Quintò in dolore magno nõ eſt repellendum.

lor enim fermè nullus in ipſa eſt)periculũ eſſet,ne pars corrumperetur. Quintum & vlti
mũ caput eſt: non debemus vti repercutientib.quando in parte tumeſcere incipiẽte ma-
ximus dolor exiſtit,vt ait Gal. in 6. de cõpoſ. medic. local. c. 2. vbi ait,ꝙ,quando cũ tumo-
re incipiẽte eſt coniunctus dolor intolerabilis,non vtendũ eſt ſolis repellẽtibus,ſed mix

Aduerſus Recentiores.

tis cũ mitigatorijs. Additur à recẽtiorib. cauſa procatarctica,ac primitiua,in qua penitus
errant, excepta vna, ſ. venenatorũ ictu;in reliquis omnibus conuenit repellens medica-
mentũ,aut ſolum,aut ſaltem cum mitigatorijs mixtum. Capitibus his quinque ſeruatis,
in reliquis omnibus tumoribus incipientibus vtendum eſt repellentibus, loquendo de
principio illo tumorum, quod eſt primus humoris inſultus, vt toties iam diximus.

Sed ſi primũ illud principium præteruolarit, aliæ duę exceptiones addendę.

Sed diceret aliquis: Eſto,ꝙ non adſit principiũ illud primum,cui (cùm momẽtaneum
ferè ſit) raro Medicus poteſt adeſſe;& ſi adſit,vt plurimũ illud non cognoſcit:& ideo di-
cebat Galen. quod raro accidit affectio,quę ſolis repercuſſiuis egeat, vt videre poteritis
lib. 6. de compoſit. medic. per loca c. 2. vbi ſubdit, ꝙ ſi parua fuerit affectio, & talis,vt vix
nomine ſit digna,facillimè à medico ſanabit; ſed raro reperitur talis. Si ergo adſit aliud
principium temporaneũ,quod eſt,cum tumor,ex fluxa iam humoris parte, & firmata in
loco,eſt partim factus,perduratq́; aliquãdo tres,aut quatuor dies,adeo,vt tumor nec au-
geri,nec imminui quicquã videatur,quid(quæſo)erit mihi agendum? vtendumne repel-
lentibus? Reſpondeo, ꝙ ſeptem capita ſunt ſeruanda, quinque enumerata de principio

Sextò igitur in materia frigida viſcida & craſſa.

primo,& duo alia iam enumeranda,tradita à Gal. lib. 13. metho. c. 16. quorũ duorum pri
mũ eſt,ſi tranſmiſſa materia ad locũ intumeſcentem fuerit craſſa,viſcida,& frigida, non
debemus applicare repellentia, quia inepta eſt ad repulſionem, tum quia impacta eſt &
lenta, tum quia ob refrigerationem craſſior eſt reddita, & ita ſi tentaretur repulſio, ine-
ptior efficeretur tum ad expulſionem(quia magis impingeretur)tum ad concoctionem.

Alterum

Septimò in impacta eſt à reprimentibus abſtinendum.

Alterum eſt,ſi materia fuerit maximè impacta,ꝙ cognoſcetis ex ipſius tumoris tēſione, duritieq́; magna. Quotieſcunq; igitur videritis,ꝙ tumor eſt tenſus,aut durus,dicatis ſubitò,materia,quæ hunc facit tumorē,vel eſt valde craſſa,& viſcida,vel admodū impacta: & ideo à repellentib. abſtinendum, quoniam materia magis impingeretur, figereturq́; in parte affecta, & ita aut vix ſanabilis, aut omnino inſanabilis poſſet reddi tumor. Quinque igitur ſunt capita,quę impediunt applicationem repellentium in primo principio tumorum; ſeptem verò in ſecundo principio. At Auicenna addit vnum, & eſt, ꝙ non debemus vti repellentibus, quando materia eſt nimis copioſa,quæ fluit,ita vt regi à natura non poſſit,vt accidit in œdematibus magnis. Vnum aliud habemus ab Auicenna propoſitum, atque illud eſt, quòd quando in ſecundo tumorū principio volumus materiam repellere,non debemus applicare medicamenta,quæ ſimpliciter repellunt, ſed admiſcere cū ipſis aliquid,quod calefaciat,ne materia recrudeſcat; & intelligatis, quando tumor fit à materia frigida: & ea,quæ miſcenda erunt cum repellentibus, ſunt ſquinantum,& blatta Byſantes, Byſantia vocata, quorum alterum iuncus odoratus, alterum vnguis odoratus vocatur. Verùm hæc ſua obſeruatio non eſt ad propoſitum: quoniam habemus medicamenta ſimplicia, quæ & repellunt, & calefaciunt ſimul,vt ruta, & ſimilia; & ideo ſuperuacanea eſt mixtio.

Caſus ab Auicenna adiuncti.

Reſpondetur ad rōnes partis negatiuę.

At dices:quid dicendū eſt ad Hipp.authoritatem,qua oſtendebatur non conuenire applicationem repercutientiū in principio tumoris?nam in eryſipelate, dicebat ipſe,ſi materia propellatur ad partes internas,malum eſt; ſi verò ad extrinſecas,bonum. Dico, ꝙ Hipp.loquitur de ſecundo principio,& de iam facto eryſipelate,in quo iam putruit materia,& propter putredinem acquiſiuit quodammodo naturam veneni: & ideo tunc malum eſt ipſam intus propellere: quemadmodū ſupra in aſſignatis capitib. eſt à nobis exceptū,non eſſe huiuſmodi materiam repercutiendam. Ad alteram Hippo,authoritatem in 6.Aphor.37.& Gal.ibidem in comm. cum dicebatur: Ab angina habito,ſi tumor fiat in collo,bonum. Dico,ꝙ caſus iſte eſt etiam à nobis ſupra exceptus,& præterea Hippoc. debet intelligi,quod bonum eſt,ſi materia ab intrinſecis, & illarū nobilioribus,vel ex intrinſecis,& à principalibus partibus remotis propellatur ad cutim;quemadmodū etiam malum eſt propellere ipſam à cute ad partem intrinſecam nobilem, vel ad partem propinquam parti nobili:quia nobilior, atq; vtilior eſt canalis ſpiritus, & fauces ipſę,quàm cutis exterior,quod patet ex Gal.commento citato. De variolis,& peſtilentibus tumoribus, fateor, quòd non eſt tutus vſus repellentium, quemadmodum ſupra excepi in aſſignatis capitibus. De tumoribus podagricis fateor pariter,& excepi,quod ſtante plenitudine,materia non eſt repellenda. In reliquis autem omnibus caſibus, præter ſeptem ſuprà excepta, ſemper debemus applicare repellentia: quoniam exſiccabitur pars mollis, roborabitur debilis, & coarctabuntur vaſa, & pori, quæ tria ſcilicet mollities partis, debilitas eiuſdem, & laxitas tum vaſorum, tum ipſius, diximus eſſe in cauſa, cur pars ipſa exciperet humorem, & fieret tumor.

Ad ſecundam.

Ad tertiam & quartam.

Concluſio queſtionis.

De ſitu ſecūda exceptionis cauſa.

Sed ſi etiam ſitus ipſius partis eſſet cauſa,vt flueret facilè humor ad ipſam, immutetis ſitum, & non fluet, vt ſi tumor eſſet in manu, & flueret humor in ipſam, quia pendula maneret, fac, vt ſuſpenſa maneat, & remouebitur fluxio.

De tertia.

Iam relinquitur opportunitas,atq; cauitas vaſorū, quibus medemur eodē modo,quo vaſis deferentibus. Et hęc ſatis ſint de curatione incipientis tumoris à fluxione materiæ.

CVRATIO TVMORIS IN AVGMENTO.

Et quia diximus,ꝙ quatuor ſunt tempora tumorum,videlicet principiū,augmentum, ſtatus,& declinatio, ſequitur iure optimo, confecta iam de principio curatione,vt nunc tractemus de modo curandi tumoris exiſtentis in augmento,incipientes à deſcriptione ipſius augmenti tumoris. Auicenna itaq; in 2.primi doctrina 1.ait: Augmentum eſt cum iam augmentatur,& additur magnitudo,& extenſio. Quam Auic.deſcriptionē quaſi exponens Guido dicit, ꝙ augmentum eſt, cùm concauitas, & acuitas manifeſtè augentur. In augmento enim quantitas, ideſt,moles tumoris manifeſte augetur, ita,vt ſi augmentum incipiat hoc mane, & moles ipſius tumoris ſit, quanta eſt caſtanea, videbitis, ꝙ veſperi facta erit,longè maior, adeo vt oculus ipſe indicet magnitudinem eſſe auctam: Et ideo addidit particulam illam (manifeſtè) quæ etiam appoſita eſt ad differentiā tumoris exiſtentis in principio: quia tunc etſi augeatur,tamen inſenſibilis eſt illa auctio: Per vocem autem illam (acuitas) Guido intelligit cauſas,& ſymptomata ipſius tumoris: nam morbus augetur, quia & cauſæ,ideſt fluxio augetur: & quia cauſa,& morbus augentur, ideo etiam ſymptomata ipſius morbi intenduntur: & quanto magis augentur, tanto etiam magis intenduntur. Et propterea videbitis, quòd ad auctionem tumoris intendentur & ipſius accidentia, vt color, grauedo, calor, pulſatio, ictus, dolor, punctio, & ſimilia, quibus augmentum ipſius tumoris poteritis cognoſcere.

Augmenti ex Auicen. definitio.

Guidonis definitio clarior explicatur.

Signa augmẽti ſumun tur à quatuor fontib.

Quod vt etiã melius facere poſſitis, debetis ad memoriam reducere normam illam, quam tradidimus cum de ſignis egimus, quæ erat, ꝙ circa tumores debemus cognoſcere multa, & præcipuè tẽpora, quæ diximus innoteſcere per ſigna: at ſigna diximus quod accipiebantur ex quatuor fontibus, quorum primus erat natura, ac forma ipſius tumoris: ſecundus cauſæ ipſæ à quibus oritur tumor: tertius effectus, vel ſymptomata ipſa: quartus ſimilitudo, ſiue analogia. His ſtantibus, dicimus Auicennam indicaſſe tumorẽ ab eſſentia tantum ipſius tumoris. Et ideo addendę ſunt cauſæ ipſæ, à quibus aliquando cognoſcimus augmentum rei: Si enim aliqua coniectura nos aſſequi poterimus cauſam validiorem adhuc inſtare, eamque ſenſim augeri, tunc certò tumoris augmentum cognoſcemus, vt ſi videamus fluxionẽ adhuc ſeruari, magisq́; creſcere, hoc diuinabimus. His addantur ſymptomata, quæ non omnia nobis ſignificant augumentum: nam in tumoribus coctio, aut cruditas excrementorum cõmunium parum indicant; exitus autem illorum, ſi tumor ſit in inſtrumento excernente, vt in collo veſicę, aliquid indicat. At quædam alia nobis indicant, vt rubor, qui ſenſim magis atq; magis intenditur, augmentum inflammationis oſtendit: ſimiliter calor magis, ac magis intenſus augmentum eiuſdem indicat; ſicut color atrior auctus cancri non exulcerati augmentũ notat, quemadmodum venæ circumpoſitæ, quæ ſenſim magis turgeant, augeri cancrum, aut tumorem alium notant. Dolor adiungitur, qui ſi augeatur, neque ſtatum ſeruet, intemperiẽ, ac tumorem augeri oſtendit, vti ſi mordicatio præſens frequẽtius irritet, ac diutius cancrum augeri oſtendit. Pariter, ſi pulſatio continuò maior fiat, idem oſtendit: ſicut etiã ſi tenſio augeatur, maiorq́; fiat, augmenti eſt indicium: quod innoteſcit etiam ex duritie ipſa ſi augeatur, quia indicatur & tumorem augeri, quia indicat copioſioris materiæ exceptionem, atque congeſtionem. Quarto loco ſuccedit ſimilitudo, atq; collatio cum reliquis temporibus eiuſdem morbi, vel aliorum morborum, vt ſi cognouerimus primã partem, quæ fuerit ſibi ſimilis in omnibus, poſtea ſuccedat inæqualitas quædã, ſtatim colligimus augeri morbum illum. Cognoſcimus & per præſentiam ſtatus, vt docet Gal. 1. de Criſib. Colligentes igitur dicimus, quòd augeri dicimus tumorem, quando videmus, aut extenſionem in longum, latum, & profundum augeri: aut cauſas augeri, aut duplicari, vt fluxionem; aut calorem intenſiorem, aut colorem, vt ruborem, nigredinem, liuorem, nigritiem, vel flauitiem augeri; aut venarum vicinarum expletionem maiorem fieri; aut dolorem, mordicationem, vel pulſationem intendi: aut duritiem, vel tenſionem maiorem fieri, quibus adiungitur collatio cum aliis temporibus.

Excreta cõmunia præbent ſigna exilia, cætera accidẽtia euidentiora.

Analogia augmẽti ad principium, & ſtatum.

Duplex indicatio in augmento.

Primæ indicationi ſuprà ſatisfactum.

Cognito, quòd tumor augeatur, duo primũ vobis proponuntur obſeruanda, primum quidem, quòd vna pars tumoris eſt facta: ſecundum verò, quòd altera pars fit, & ita duæ inſurgunt indicationes: altera quidem, vt reſiſtamus ne fiat; altera, vt pars, quæ facta eſt, auferatur: De prima indicatione habuiſtis ſuperius in curatione incipientis tumoris a fluxione: diximus enim fluxionem eſſe ſiſtendam, & hoc fieri per remotionem cauſæ fluxionis, quas propoſuimus eſſe, partem demandantem, quia hoc, vel illo modo ſtimulatetur ab ipſo humore: vias medias: & partem attrahentem excipientemque: quas cauſas omnes quomodo, & quibus poſſetis auferre, abundè vos docui; & propterea priori omiſſa indicatione, ad alteram deueniendum eſt.

Proponũtur quatuor modi cauſam tumoris facti amputandi.

Pars igitur tumoris, quæ iam facta eſt, vt auferatur, indicat: hoc autem fieri nõ poteſt, niſi cauſam, quam habet cõiunctam, nimirum humorẽ ipſum demamus, euacuemusq́; poteſt autem talis humor ex affecto loco remoueri vel reuellendo, vel deriuando; repercutiendo, vel euacuando ipſum per ipſummet locum, vt ſi, verbi gratia, tumor eſſet in humero partim factus, & vellem partem iam factam curare, quod fieri poteſt ex ablatione coniunctæ cauſæ, firmata iam fluxione, vt dictum eſt (nam de tumoris augmento nunc eſt nobis ſermo) poſſem humorem, qui facit tumorem in humero auferre, retrahendo ipſum ſecta vena in oppoſito brachio; aut deriuando ſecta vena in eodem brachio; aut repercutiendo repellendoue humorem ipſum ad venas intrinſecas corporis; aut educendo, vacuandoue per ipſummet locum tumentem.

Reuulſio locum non habet, niſi materia ſit flatus, aut ſanguinẽ ad animi deliquiũ mittamus, vt Hippoc.

Reuulſione autem id præſtare haudquaquam poſſumus, niſi materia, quæ facit tumorem, ſit flatus; ſed ſi materia non ſit ſpirituoſa, ſed craſſa non poſſumus ipſam reuellere, etiam ſi tenuior eſſet, quia materia eſt extra venas: Hippocr. tamen hoc poterat efficere, vt patet ex Galeno in primo regiminis acutorum commento text. decimi, vbi rationem reddit, quare Hippocrati concederetur reuellere materiam tenuem in augmento; nobis autem minimè: quia (inquit) concedebatur etiam ipſi mittere ſanguinem vſque ad animi deliquium: ſiquidem corpora illius temporis eſſent longè quàm noſtra robuſtiora, & hac de cauſa potuit etiam Hippocr. in iam facto tumore pleuritico, materiaque putrida iam quaſi reddita euacuare ipſam reuellendo: noſtrum autẽ nemini hoc conceditur.

Reuulſio

Digitized by Google

Nec ſimplex repercuſſio.

Nec deriuatio.

Reuulſio igitur non eſt tentanda: Nec ſimplex repercuſſio, quoniam illi humores, qui ſunt in motu, non autem illi, qui ſunt iam firmati, & in carnoſis partibus fixi, indicant repulſionem. Nec deriuatio conueniens eſt; quoniam, cùm fiat per vicinum locum, maior humoris fieret attractio, cùm adhuc adſit fluxio: deriuatio enim eſt eiuſdē generis cum euacuatione manifeſta, quæ fit per particulam fluxionem paſſa, teſte Galeno in lib. de cucurbitulis, & ſcarific. cap. 18. illa autem non conuenit, ergo nec iſta. quid autem deriuatio ipſa ſit, ſuperius dixi, quod eſt euacuatio materiæ facta ab aliqua vicina particula ægrotanti parti, vt à palato ad nares: ab oculis, & ab auribus ad nares, ac palatum: à pulmone ad ſtomachum; à renibus ad inteſtina; ab inteſtinis ad renes, & huiuſmodi: de quibus loquitur Galenus in lib. de ſcarificat. cap. 18. & in ſecundo com. in ſextum epidem. text. 7. & 5. Methodi. cap. 3. Hinc (domini) colligite errorem maximum multorum medicorum, qui praxim exercent, qui in angina, antequam quieſcat fluxio, vtuntur deriuatione, atque ea maxima diſſectis venis, quæ ſunt ſub lingua, à quibus quam plurimos in periculum atque diſcrimen vitæ deductos, & nonnullos ſuffòcatos vidi, de quo Galenus in a. ad Glauc. cap. 2. Inutilis ergo in hac re eſt ipſa deriuatio. Sola igitur euacuatio, quæ fit per locum ipſum affectum relinquitur; ſed ipſa cum duplex ſit, videndum eſt, quæ nam ipſarum ſit opportunior: quædam enim euacuatio per locum affectum eſt ſenſui ſubiecta, quædam verò occulta: Senſibilis adhuc per locum euacuatio, nec ipſa vnica eſt: quædam enim eſt, quæ fit applicatis hirudinibus loco affecto; quædam fit ſcarificationibus, quando ſcilicet leuiter ſecatur cutis affecti loci, quædam ſit ſectione loci profunda ita, vt non ſola cutis, quemadmodum in ſcarificatione; ſed & caro intima ſecetur: quæ nam igitur iſtarum euacuationum conuenit? Dico quod ea, quæ fit per profundam ſectionem indicatur, quoniam tumor eſt in augumento, adeo, vt nulla adhuc nec bona nec mala facta ſit materiei concoctio; nec fluxio firmata; nec totum euacuatū: hæc enim talis euacuatio requirit. Nec, quæ per ſuctum hirudinum fit, eſt cōueniens, quia copioſior attraheretur humor: Nec quæ per ſcarificationem, niſi addatis vos ex Galeno in 2. ad Glauc. cap. 9. adſit gangræna: vel timeamus tantam fluxionem, & augmentum, materiæ ad locum affectum, vt maxima fiat vaſorum obſtructio: tunc enim debemus omnino ſcarificare; alioqui fieri poſſet gangręna, & tādem corruptio membri: quòd euitatur ex ſcarificatione, per quam continuò, & continuò, quæ fluit materia, exit, exibitque, quam diu venerit tempus, vt poſſimus vti alijs euacuationibus, & ſic ſanare locum. Conuenit ſecundò locum ſcarificare in augumento, vt dicit Galenus in 14. Methodi cap. 10. & in lib. de ſcarificatione, qui liber eſt potius Oribaſij, quando fit tumor ab humore craſſo ac feruentiſſimo, vt fit in carbunculis: niſi enim tunc ſcarificaremus tumorem, pro euacuatione partis materiæ feruentiſſimæ, exureretur locus, & membrum totum, ita, vt vel cruſtoſum redderetur; vel veſicis circundatum, perinde atque feruentiſſima aqua fuiſſet exuſtum: Ne hoc igitur fiat, poſt miſſionem ſanguinis, ſcarificandus eſt tumor: deinde non additur ſanguiſuga aut cucurbitula: ſed abluitur locus lixiuio, aut decocto lupinorum cum oxymelite, aut cum vnguēto Aegyptiaco, vt attenuet, aperiatque: In his ergo caſibus licebit vobis etiam in augumento ſcarificare locum affectum. Similiter, ſi materia ſit valde impacta, & non poſſit aliter euacuari, ſitque tumor durus. His caſibus exceptis, non debetis vti ſcarificationibus in augumēto, præſertim ſi adhuc fluat humor & corpus non ſit expurgatum, vt docet Galenus 2. ad Glanconem capitul. 2. atque alijs in locis.

Reprehenſio ſecantium venas ſub lingua in angina.

Euacuatio per locum affecti multiplex.

Seſibilis per ſect. profundam non conuenit.

Nec per hirudines.

Nec per ſcarificationem niſi timeatur gangræna ex nimia conculcatione materiæ.

Scarificatio neceſſaria eſt cum materia eſt craſſa & feruens.

Licita etiam cum tumor eſt durus.

Sed vt rem melius cognoſcatis, dicamus aliquid de ſacrificatione: Scarificatio κα·δγμα & καρἄξις (Græcè dicta) eſt quædam leuis in cute inciſio, atque ſolutio continui, à Medicis, ob euacuationem mali humoris, inuenta, & opportuniſſimis inſtrumentis facta: dixi (opportuniſſimis) quoniam neceſſitatis gratia aliquando ſcarificamus etiam cum iis inſtrumentis, quæ minus apta ſunt, nec in vſu habentur inſtrumenta opportuniora. Quę in vſu ſunt frequentati, duo præcipuè habentur: nouacula ſcilicet, & phlebotomus lenticularis, qui fiodano à chirurgis recentioribus vocatur, & ab alijs moſchetto: Minus verò opportuna, & præter vſum ſunt vitrum, oſſea materia, vngues, ſpinæ, arundines, & folia arundinum viridia. Sed his non (niſi in opportuniorum organorum egeſtate) vtimur; phlebotomo verò lenticulari, & nouacula frequentiſſime. Vnde ſicut duo dantur aptiora inſtrumenta ad ſcarificandum, ita quoque duo ſcarificationis genera inuenietis apud Græcos, vt apud Oribaſium lib. 7. cap. 18. Vna harum ſcarificationum vocatur κατὰ πλῆγμα, ideſt, per impulſum, quæ fit phlebotomo lenticulari, percutiendo ipſum digito, & hęc ſcarificatio profundior eſt, ſed minus longa, quàm quæ nouacula fieri ſolet. Altera eſt quæ vocatur κατὰ συρμὸν, ideſt, per tractum: fit enim nouacula, & per longum trahendo nouaculam, & eſt minus profunda, quam altera dicta. Alia poſtea ſcarificatio recta etiam

Scarificatio quid.

Scarificationis inſtrumenta.

Scarificationis duo genera.

Aliæ differētia.

fit; alia

fit; alia obli qua; alia tranſuerſa;alia orbicularis. Galenus & ſublimiorem, & profundiorem poſuit lib. 14.meth.cap.10. Alia eſt in vſu ob cucurbitulas;alia ob ſanguiſugas,vt ſtatim guſtato ſanguine hæreant, ex Oribaſio lib.7. cap.22. Colligentes igitur dicimus euacuationem fieri non debere a parte per inciſionem,aut ſcarificationem, aut deriuationē in tumoribus, niſi materia ſit craſſa nimis, & expurgatum corpus, & firmata fluxione, exceptis duobus caſibus dictis.

Euacuatio inſenſibilis probatur cū cautela.

Relinquitur igitur euacuatio immanifeſta, & inſenſibilis: nam in augmento tumoris:dumodo non timeamus magnam fluxionem,vel exuſtionem, ſemper indicatur euacuatio inſenſibilis,quæ fit à calore naturali adiuto, & confirmato à medicamentis reſoluentibus:indicatur dico euacuatio non materiæ illius,quæ fluit; ſed alterius,quæ iam fluxit, & partim iam tumorem facit. Medicamenta autem quę naturalem calorem adhoc iuuant,vocantur à Latinis reſoluentia vel reſolutoria,vel diſcutientia,vel digerentia per halitum, à Græcis autem διαφορητικὰ διαφόρησις autem vocatur ipſa reſolutio, ſeu diſcuſſio, quę nihil aliud eſt, quàm euacuatio humoris ſuperflui, aut flatus per halitum inſenſibilem à particula ipſa, in qua impactus eſt. Natura enim vertit humores illos in Halitus, & demandat ad meatus partis affectæ,& per ipſos deinde exhalant,quemadmodum vidiſtis fieri euacuationem aquæ in olla: nam ignis agit in aquam,& eleuat vapores,ita, vt ſi diutius aqua bulliret, olla vacua humore omnino remaneret.

Diaphoreſis ſeu reſolutio quid.

Digeſtio plura ſignificat.

Sed ne æquiuocatio nominis vos decipiat,debetis notare, quòd nomē iſtud reſolutio plura ſignificat, ſimiliter & nomen hoc digeſtio: nam digeſtio aliquādo denotat concoctionem, vt apud Hipp. concocta medicari, &c. quandoq; ſignificat diſtributionem vt apud Dioſcoridem,cum dicit raphanum facere ad digeſtionem; ſed de digeſtione plura audietis infra cum agam de curatione tumoris exiſtentis in ſtatu. Reſolutio quoque interdum ſignificat affectionem quandam neruis propriam,cum relaxantur, παράλυσις græce vocatur: interdum ſignificat conſumptionem totius corporis, vt calidi innati, quæ conſumptio ex febre, atque alijs ex cauſis oriri ſolet,præcipuè in ijs, qui meatus cutis latos multum, atq; apertos habent: vnde ſolemus vocare corpora reſoluta, quando ſunt priuata humido ſubſtantifico: interdum ſignificat conſilium, ſeu conſultationem, ſeu diſcurſum, aut decretum in conſtituenda aliqua re, vt quando medicus, vel alius artifex ſecum diſcurrit, quid agere debeat, antequam exeat in opus,de qua reſolutione hoc modo accepta intelligebat Galenus in 10. methodi, quando dixit, quod vltimum in reſolutione, & primum in curatione, aliquando ſignificat methodū, ac inſtrumentum quoddam logicum, quo venamur demonſtrationes, & ἀνάλυσις græcè dicitur, aliquando ſignificat actionem illam Naturæ, qua euacuantur humores per halitus, vt ſupradictum eſt, & de hac reſolutione nobis eſt ſermo, quæ differt ab omnibus alijs: quamuis cum conſumptione quodam modo videatur conuenire, tamen differt; quia hæc humorem, aut flatum excedentem, illa autem calidum innatum conſumit.

Reſolutio variam habet ſignificat.

Efficiens reſolutionis eſt calor à medicamento ſecundum gradum auctus.

Efficiens cauſa huius reſolutionis eſt calor naturalis adauctus, non quidem calidum ipſum naturale, ſed calor ipſe ſecundum ſpeciem maior factus; & per ſpeciem gradum intelligo: ſi enim calor innatus ſeruaretur in eo gradu,in quo eſt, vel non reſolueret humorem illum, qui iam partim tumorem facit; vel diuturno tempore,& cum difficultate euacuaret reſoluendo: & ideo neceſſe eſt, ſi debeat hoc præſtare, vt augeatur: Augetur autem à medicamento, aut ex alio, quod adiungatur, ac id agere poſſit. Ex quo colligatis reſolutionem huiuſmodi fieri à calore inſito, aucto tamen, non autem à medicamento, niſi per accidens quatenus medicamenta adiuuant calorem naturalem. Vnde medicamentum reſolutorium, ſeu digerens, vel diſcutiens illud vocatur, cuius talis natura requiritur, vt calidum ſit, atque ita calidum, vt calorem naturalem augere poſſit vltra gradum ſuum: aut ſit ſymmeter atque commenſuratus calor ipſe ſubiecti corporis, aut à tempeſie excedat. Nec ob hanc ſolam rationem requiritur, vt hoc diſcuſſorium medicamentum ſit calidum, ut calorem augeat, ſed etiam vt ſua caliditate poſſit humorem eliquare, ſi præſertim humor ille concretus, craſſuſque fuerit: niſi enim eliquaretur, non poſſet verti in halitum: Nam, vt teſtatur Galenus in 5. de facult. ſimpl. medic.cap.5. humores ipſi duri fiunt tribus modis (ita & aliæ res) primò quia ſicantur, atque partes tantam terreæ remanent exuſtæ. Secundò,quia pars aliqua nimis repletur humore, atque intenditur vnde ſequitur, vt humor contentus durus videatur; cum tamen verè durus non ſit, quemadmodum apparet in folle ipſo; quo vos iuuenes luditis in campo diuæ Catherinæ; flatus intra tam copioſus ingeſtus eſt, vt durus videatur,cum non ſit: & propterea hoc à Galeno nō verè,nec propriè σκληρὸν ſed ἀντίτυπον vocatum eſt. Tertiò durum dicitur, quod aliqua frigiditate concreſcit, vt humores ſcirrhi atque ſcirrhus ipſe durus dicitur, quia reſoluto calore humores pituitoſi concreuerint à frigore.

Medicamentum reſolutorium, & digerens debet eſſe calidum.

Prima cauſa eſt auctio caloris.

Secunda cauſa eſt eliquatio humoris.

Durities eſt in humorib. tribus modis.

Opus

Opus eſt igitur, quòd medicamentum reſoluens ſit calidum, vt poſſit eliquare huiuſmodi humorem. Tertia ratio, cur calidum debeat eſſe diſcuſſorium medicamentum, eſt, vt poſſit ex alto eliquatos humores, atque flatus attrahere ad cutim: Nam & attrahentium & reſoluentium in hoc idem eſt effectus teſte Galeno in 6. de compoſit. medic. per genera cap. 13. vtrumque enim attrahit; ſed differunt per magis, & minus: quo fit, vt adauctus calor in vaporem conuertat humorem, vt concretum liqueſaciat, atque ex alto ad cutim atque circumferentiam protrudat. *Tertia cauſa eſt eiuſdē attractio.*

. Neque hoc ſatis eſt, ſed aliquod aliud requiritur, poſtquam ad cutis poros venerit humor, atque in halitus eliquatus, quòd proponitur à Galeno lib. 5. de facult. ſimplic. medic. cap. 5. vt medicamentum hunc humorem depaſcat, atque ebibat: hocque qualitate ipſa ſicca fiet, quæ ebibat atque depaſcat omnem humiditatem in poris exiſtentem: nihil enim profuiſſet eliquaſſe humorem, & eliquatum attraxiſſe ad cutim, niſi inibi quoque abſumeretur: & quia depaſcere humiditatem eſt proprium ſiccitatis ſimul cum calore, ideo requiritur etiam, vt medicamentum non ſit ſolùm calidum, ſed etiam ſiccum: Debet quidem eſſe calidum, vt adiuuet, augeatque naturalem calorem: ſecundò, vt eliquet humorem: tertiò, vt eliquatum trahat ad cutim: Siccum verò eſſe debet, vt humorem ad cutim attractum depaſcatur, & abſumat; alioqui humor repelleretur, nō autem reſolueretur. Medicamenta igitur reſoluentia debent eſſe calida atque ſicca, vt humorem tandem euacuare poſſint à parte affecta. *Digerens debet eſſe ſiccū vt ebibat humorem.*

Sed cum varia calidorum, & ſiccorum medicamentorum ſit complicatio, & numerus, & non omnia ſint reſoluentia, videndum eſt, qualem inter ſe qualitates iſtæ duæ, nimirum calida, & ſicca, habere debeant proportionem, & in quo gradu tales eſſe conueniat: Refert enim multum hoc ſcire: quoniam medicamentorum quædam ſunt valde ſicca; & tamen non niſi impropriè reſolutoria dici poſſunt, quemadmodum ea, quæ in quarto gradu ſunt calida, & exurunt: Similiter quædam ſunt tam parum ſicca, & calida vt nec ipſum reſolutionis nomen verè mereantur, qualia ſunt, quæ in primo gradu ſunt ſita, quæ non niſi parum augerent calorem, & quod attraxiſſent, non poſſent poſtea abſumere, ita vt potius mitigatoria, ſeu emollientia, quam reſoluentia ſint verè dicenda cum halitui acriori haud frigida exitum parent: vnde etiam anodyna ſunt vocata. Quare cum nec quæ in primo, nec quæ in quarto gradu ſunt calida, & ſicca, ſint reſoluentia, neceſſe eſt, vt ſint quæ in ſecundo vel in tertio ſunt collocata. Sed animaduertatis, quòd ſi aliquod medicamentum eſſet ſiccum in tertio, & calidum in ſecundo, non diceretur reſoluens, quemadmodum nec illud eſſet, quod è contra calidum in tertio, & ſiccum in ſecundo; Sed hoc ſcilicet calidum in tertio, & ſiccum in primo propriè dicitur emolliens, & eliquans, & à Græcis μαλακτικὸν, quoniam emollientiū medicamentorum proprium eſt plus vertere in halitum, quàm poſſint abſumere, exiccareque. Et ideo requiritur, vt in emollientibus caliditas excedat ſiccitatem, vt dicit Galenus in 5. de facult. ſimpl. medic. cap. 9. vbi aſſerit medicamenta emollientia eſſe calida in 2. aut in 3. gradu; ſicca autem in primo. Nam ſi ſuperaretur caliditas à ſiccitate, non emollirent, ſed exiccarent, quia ſiccitas prædominaretur caliditati, quare in emollientibus iure optimo requiritur, vt caliditas ſuperet ſiccitatem. In reſolutiuis autem requiritur æqua duarum iſtarum qualitatum proportio, ita vt calida non excedat ſiccam, nec è diuerſo; ſint modò in 2. vel in tertio gradu, nihil refert, dummodo in vltimo duorum ſint, & qualitas calida, & qualitas ſicca ſint in gradu æquales, vt tantum ſiccetur, & ebibatur à ſiccitate, quantum à caliditate eliquatur, & halituoſum ſit. *Inueſtigat gradus caliditatis, & ſiccitatis digerentium.* *Anodynorū qualitates primæ.* *Emollientiū primæ qualitates.* *Reſoluentiū temperamentum.*

Sed obijcietis; quomodo dicis tu, quòd reſoluentia dicuntur non ſolum, quæ ſunt calida, & ſicca in 3. gradu; ſed etiam, quæ in 2. cum Galeni in 8. de facult. ſimpl. cap. de paronychia herba authoritas ſit, quòd reſoluentia dicuntur ea duntaxat, quæ calida, & ſicca æquè ſunt in 3. gradu? Dico, quòd reſpectu diuerſorum corporum, & habituum, & quæ in 3. & quæ in 2. ſicca, & calida ſunt, poſſunt dici reſoluentia: nam reſpectu corporis robuſtiſſimi, & denſi habitus ſola, quæ in 3. dicuntur reſoluentia: & hoc voluit Galenus: Si enim in talibus corporibus applicaremus, quæ calida & ſicca ſunt in 2. aut non reſoluerent; aut parum reſoluerent. Contrà autem ſi, quæ talia ſunt in 3. applicaremus corporibus mollioribus, non ſolum reſoluerent, verùm etiam exurerent. Dico itaque quòd reſpectu durorum, ac robuſtorum corporum reſoluentia dicuntur, quæ calida, & ſicca ſunt in 3. gradu; reſpectu autem molliorum, quæ in 2. *Obiectio qd nō poſſint eſſe calida: & ſicca in 2. ſed ſolum in tertio gradu.* *Dilutio per diſtinctionē corporū denſorum, & mollium.*

Sed ſcire adhuc oportet, non ſufficere, vt medicamenta reſoluentia ſint æqua lance calida, & ſicca vel in 2. vel in 3. gradu; ſed aliud requiritur. Non deſunt enim, quæ qualitates has pares in altero duorum graduum habeant; & tamen non reſoluunt, quia ſunt craſſarum partium, & maximè aſtringentia, ita, vt cutim ſua craſſitie conſtipent, cuiuſmodi *Reſoluentia quoque ſunt tenuium partium.*

modi eſt alumen,quod calidum eſt, & ſiccum in tertio, tamen obſtruit. Et ideo alterum quod requiritur,eſt, vt ſint tenuium partium, nec aſtringentia. Aliud quoque ex ſententia Galeni in 4. ſimpl.medic. cap.19. & in 8. de facultat. ſimpl. cap.de paronychia, & in 14.methodi c.7. requiritur, & eſt, vt habeant aliquam vim detergentem : nam ſi eſſent calida,& ſicca, vel in 2.vel in 3.& tenuium partium, & ſpoliata obſtructione, haberentque poſtea vim emplaſticam, non reſoluerent, quia infarcirent meatus.

Debent etiã eſſe deterſoria.

Reſoluentiũ qualitates, ac conditiones omnes.

Reſoluentia igitur medicamenta debent eſſe calida, & ſicca in 2.aut in 3. gradu : habere tenuitatem partium, vt in profundum poſſint meare : & habere vim deterſoriam, & eſſe ſpoliata vi emplaſtica,nec non aſtringente,quale eſt alumen, niſi abluatur.

Tres reſoluẽtium claſſes.

Habitis conditionibus ad verè reſoluentia requiſitis,reliquum eſt,vt ea ordine aliquo vobis proponam. Galenus itaque in 6.de compoſit. medic. per loca cap.primo, dicebat medicamentorum reſoluentium quædam ſunt lenia; quædam mediocria; quædam magis valida : & ita trium erunt generum. Ratio autem, cur alia magis, alia minus reſoluant, eſt, quoniam alia intenſius calida & ſicca ſunt; alia remiſſius. Conſtituamus igitur ipſorum tres ordines incipientes à lenioribus.

Prima claſſis.

Primi igitur ordinis reſoluentia ſunt; decoctum factum ex caricis; decoctum furfurum tritici; decoctum lomenti fabarum, vel cicerum; ſubſtantia chamomæli; ammoniaci lachryma, galbanum; emplaſtrum ex farina fabacea, fermento, & cæpis liliorum alborum coctis; radix altheæ cocta; melilotus coctus; trifolium quodque; farina fabarum, farina hordei; mercurialis herba, ſiue decoctum, ſiue emplaſtrum ex ea conficiatur : adeps anſerinus vetuſtus : adeps gallinaceus vetuſtus, anſerinus; oleum antiquiſſimum; hæc omnia ſub prima claſſe continentur, & ſunt calida, & ſicca in 2.gradu vix incipiente.

Secunda claſſis.

Sub altero verò genere ſunt mulſa, in qua decoctus ſit thymus,& origanum,vel aliud ſimile : radix peucedani : calamenthum : pulegium : fœnugræcum : marubium : aniſi ſemen : ſemen anethi : ſemen cumini : betæ : radix capparis : lolium : cicer : eruum : ariſtolochiæ, & peucedani radix.

Tertia claſſis.

Tertij ordinis ſunt nitrum vſtum,& non vſtum, nec ea omnia, quæ nitrum recipiunt; vt emplaſtrum cerine vocatum, & emplaſtrum ſacrum, calx extincta : ſulphur viuum, ideſt,quod non ſit paſſum ignem, vt nigrum dictum : aſſafœtida : androſace : ſal : ſpuma maris, ſi haberi poſſet : cardamomum & maius & minus : galangæ radix : vltimò piper album : cariophyllus. hæc ſunt medicamenta reſoluentia in tres ordines digeſta, quibus in augmento tumorum vti poteſtis.

Digerẽtium gradus, & proportionẽ cum repellẽtibus quæ indicent.

Sed mementote, vt ſemper incipiatis à lenioribus, vtpote ab iis, quæ ſub primo ordine poſuimus. Et ſi corpus fuerit mollius, ac minus calidum, vtamini lenioribus; ſi contrà fuerit robuſtius, vtamini valentioribus. Et quia in augmento tumoris duplex offertur indicatio, nimirum vt reflectatur humor fluens; altera verò, vt qui iam fluxit, & fixus eſt, reſoluatur : ideo neceſſe eſt admiſcere medicamenta repellentia, & reſoluentia : vel vtamini aliquo ſimpliciori medicamento, quod vtramque habeat vim, ſcilicet reſoluendi,& repellendi, quale eſt abſynthium, ſiſimbrium, & ſimilia. At qua proportione ſunt commiſcenda? dico quòd fluens, & qui iam fluxit humor hoc vobis indicabit. Nam ſi videritis maiorem quantitatem eſſe humoris fixi,quàm illius, qui fluit,maior quoque quantitas medicamenti reſoluentis, quã repercutientis in conficiendo medicamento erit accipienda : ſic etiam è diuerſo : quod ſi fluens, & fluxus humor, erunt æquales, æquali etiam pondere medicamentum ex reſoluente & repellente erit componendum : Solis autem, & iiſdem validioribus reſoluentibus,nunquam vtamini, niſi vacuo corpore, & firmata fluxione, quod eſt Galeni præceptum; ſed admiſceatis repellentia : & quanto magis ceſſat fluxio, eò magis eſt reſoluendum.

DE STATV.

Status deſcriptio.

Status diuiſio.

Et quia ſæpius accidit,vt Medicus aduocetur,quando tumor eſt in vigore,quàm cum eſt in principio,vel augmento, (nam ſymptomatum vehementia, & vehementiæ perſiſtentia, quæ tumoris vigorem conſequuntur ſtimulant magis eò tempore, ita vt æger cogatur etiam ſi nollet Medicum aduocare) idcirco conſentaneum rationi & ordini à nobis propoſito eſt, vt de curatione tumoris in ſtatu exiſtentis modò agamus. Ab ipſius igitur ſtatus deſcriptione incipientes dicimus cum Galeno in primo de Criſib. c.1. ſtatum morbi appellari partem morbi totius, & conſequentium ipſum morbum vehementiſſimam : In vigore enim maiora immò maxima reperiuntur, quæ ad magnitudinem morbi faciunt,vt eſſentia ipſius morbi atque ſymptomata ipſa, ſi qua ſunt, atque inceperint, ea omnia talia ſunt, vt in ſummo reperiantur.

Status momẽtaneus nõ curatur, qa non cognoſcitur, niſi per collationẽ ad principiũ declinationis.

Sed animaduertendum, quòd talis ſtatus eſt duplex : quidam enim eſt adeo breuis,vt momentaneus ferè poſſit dici, & non cognoſcitur, niſi per collationem ad declinationem, qualis eſt ſtatus in morbis acutis, vt in pleuritide, & reliquis : pleuritis enim, vt

noſt is,

noſtis, citiſſimè terminari ſolet; & propterea eius ſtatus non ab ipſius tumoris eſſentia, quia ſenſibus non ſubijcitur; ſed per comparationem ad declinationem percipitur, vt verbi gratia, cum ex proprijs pleuritidis cauſis, & ſignis cognouero, quòd tumor augetur: & paulo poſt videro & cauſas deſijſſe, & ſymptomata remiſſa fuiſſe, tunc, habeo certò, quòd tumor eſt in declinatione: & ita mecum ipſe dicam: nunc omnia ſunt remiſſa; & iam tranſacta hora erant intenſa, & perdurabant ita intenſa, ergo tunc certè tumor erat in ſtatu. Vnus igitur ſtatus dicitur quaſi momentaneus, & non cognoſcitur, niſi per collationem ad principium declinarionis; & ideo curationem non admittit, vt dicebat Galenus in primo de Criſibus cap. 8. Alter verò eſt ſtatus, qui nō momentaneus; ſed diuturnus aliquando eſt adeo, vt perduret decem, & plures dies, iuxta tumoris, eius ipſe erit ſtatus, naturam: Cùm enim tumorum alij breuiores, alij longiores ſint, ita & ſtatus alius erit breuior, alius prolixior, & iſte ſtatus curationem accipit, vt ait Galenus in primo de criſibus cap. 3. eſt quæ, vt diximus, vehementiſſima pars morbi, & eorũ, quæ morbum conſequuntur. Hucuſque enim & priori, & ſecundo ſtatui deſcriptio conuenit; ſed ſecundus ab ipſo priori differt, quia in 2. requiritur, vt vehementia morbi & ſymptomatum perdurent; in priori autem cũ ſit ferè momentaneus, hoc non requiritur.

Status ſenſibilis & diuturnior.

Status ergo iſte ſecundus neceſſariò debet curari: non poteſt autem, niſi cognoſcatur, & ideo neceſſe eſt, vt vos doceam rationem, ac modum cognoſcendi ipſum. Cognoſcitur itaq; primò ab eſſentia ipſius tumoris, vt ſi vederitis, quòd tumor eſt maximus, & non amplius creſcit, ſed manet per aliquod tempus veluti immobilis in ea maxima amplitudine, indicatur, quòd eſt in ſtatu: vnde Auicenna in ſecunda primi doctrina prima dixit ſtatum adeſſe, cùm eſt in vltimo magnitudinis: Alterum ſignum accipitur aliquando à cauſis, aliquando ex ſymptomatibus: A cauſis quidẽ, ſed non ex cauſis tranſmittentibus, aut attrahentibus tantum; ſed ex illis quæ alterant, & extendunt materiam iam impactam, vt ſi videris fluxionem eſſe imminutam, ſtatim dices ceſſante cauſa, ideſt fluxione, ceſſat & auctio: ſed poſt augmentum ſequitur ſtatus, ergo tumor eſt nunc in ſtatu. A ſymptomatibus autem cognoſcitur ſtatus tumoris, vt ab ipſius colore, à caliditate, à dolore, a tenſione, à pulſatione, et à venis circumſtantibus: à calore quidem quoniam, quando tumor eſt in ſtatu, repræſentat magis colorem illius humoris, à quo fit, quam repreſentaret in principio, & augmento, & color ille diu permanet; quod non erat in augmento, ſiue color ille ſit rubeus, ſiue niger, ſiue liuidus: A caliditate, autem (dummodo tumor ſit à materia calida) quia ſi in principio adfuerit blanda caliditas, poſtea ſenſim aucta fuerit vſque ad gradum aliquem, & in eo gradu perſeueret, habeatis pro confeſſo, tumorem eſſe in ſtatu: Similiter dicatis de tenſione, pulſatione, dolore & reliquis: nam ſi adſint maiora, quàm in principio, & perdurent ſibi ſimilia, indicant procul dubio tumoris ſtatum.

Diagnoſtica ſtatus ab eſſentia.

A cauſis.

Ab accidentibus.

Cognito ſtatu ipſius curationem aggredi oportet: quid agendum? Auicenna in quarta primi cap. 25. dicit apoſtematum, vt apoſtemata ſunt, ideſt, quando apoſtema eſt in facto eſſe, ex toto indicatur, vt reſoluatur, vel fluxum fiat, hoc eſt, indicatur: vt humorem illum fluxum reſoluamus, conuertamusque in halitus, ita vt fluat. Pariter Galenus lib. 4. methodi inflammationis, vt inflammatio eſt, curationem eſſe reſolutionem, atque euacuationem docet. Quare colligẽdam in ſtatu nihil aliud eſſe magis tentandum, quàm reſolutionem. Non poteſt autem conuerti, reſoluique in halitus, niſi eliquetur: craſſus enim humor eſt: & ideo indicatur vtendum eſſe illis medicamentis, quæ eliquent, & reſoluant.

Reſolutio unicam in ſtatu indicatũ.

Sed hic debetis vnum ex Recentioribus adnotare, quòd in principio ſtatus (tria enim & ſtatus, ſicuti & principij, & augmenti, & declinationis ſunt tempora) non debetis applicare ea, quæ ſolum reſoluunt, ſed cum ipſis admiſcendum eſt aliquid, quod repellat: Igitur medicamenta in principio ſtatus applicanda debent eſſe reſoluentia, & habere aliquam vim repellendi. In reliquis autem ipſius ſtatus temporibus, quæ reſoluant tantum, ſunt applicanda, quoniam tunc adiuuandus eſt naturæ motus; non ſint tamen nimis mordacia quia nouum fluxum cierent.

Reſoluentia in initio ſtatus cum repellentibus, in medio, & fine ſola applicanda.

Cæterum obſeruandum eſt, quòd ſi aderit ſtatus declinatio, & natura agat validiſſimè contra hoſtem, tunc non debetis applicare, quæ valide reſoluant, quia adderetur ſtimulus naturæ, & ita natura ſtimulata à medicamento mordicante ageret præter modum impetuosè expellendo, ita, vt poſſet humor à vehementiſſimo motu craſſe fieri, vt tandem nouum genus morbi fieret. Altera etiam de cauſa reſoluentia validè (cuiuſmodi ſunt ea, quæ ſub tertia claſſe ſupra propoſita continentur) non ſunt in declinatione ſtatus applicanda: & eſt, quia poſſent excitare dolorem cuius merito noua attraheretur materia, quare validè reſoluentia non ſunt in declinatione ſtatus applicanda, niſi tumor ſit

In fine ſtatus valida digerentia nocẽt duobus nominibus.

Licet tamen ijs vti in materia frigida, & loco profũdo cõdita

in

in parte profunda, vel calloſa, vel neruoſa, & frigida: nam in his tutò poſſumus validè reſoluentia applicare, quia eorum caliditas à parte ipſa remittitur; in reliquis autem ſemper mitiora, vel potius mediocria ſunt applicanda.

Statum aliquando non excipit declinatio, ſed abſceſſus, vel ſcirrhus.

Sed notandum eſt ex Galeno in libello de tumoribus præter naturam cap. de inflammatione, & in 13. methodi cap. 5. & ex Auicenna in 2. primi doctrina prima, quòd non omnes tumores eodem modo procedunt, vt primò incipiant, augeantur, maneant in ſtatu, & deueniant tandem ad declinationem ſanenturque; ſed plurimi, cum peruenerint ad ſtatum, transſmutantur in hunc, vel illum tumorem, vt vel in ſcirrhum, vel in gãgrænam, vel in illum tumorem, quem apoſtema Græci vocant, noſtri autm abſceſſum, & talis tranſmutatio ſolet ſuccedere omnibus tumoribus, ſed præcipuè inflammationi, & ita nouum, pro declinatione expectata, morbi genus habemus. Datur igitur tranſmutatio de tumore in tumorem: & quia tranſmutatio hæc vt plurimum ſolet dari, & terminari in abſceſſum, idcirco de abſceſſu primum agamus, hoc antea præmiſſo, quod cum videritis inflammationi imminere abſceſſum, relinquatis vſum reſoluentium, & adiuuetis naturæ motum.

De Abſceſſu. Cap. VII.

Abſceſſus, & apoſtema quid.

ABSCESSVS vocatur à Latinis tumor, in quo humor à reliquis partibus vicinis, atque tumentibus in aliquam cauitatem colligitur manifeſtam. neque vnquam capitur vox iſta à medicis Latinis pro ſimplici tranſmiſſione ad locum aliquem, in quo non ſit tumor, aut cauitas. vnde ſi humor flueret ex aliquo determinato loco ad alium, non diceretur abſceſſus; ſed ſi ſequeſtretur humor, & ſenſim confluat in communem ſinum, inibique paulatim auctus faciat tumorem, ille tumor proprie vocatur abſceſſus, & ab Arabibus dicitur exitura. Hanc eandem rem Græci ἀπόστημα vocarunt, vel ἀπόστημα, quia humores à conſortio totius particulæ vnanimes in aliquem locum certum ſuccedant; licet apud Arabes apoſtema notet omnem tumorẽ: & ſimiliter ἀποστάται vocantur in Catholica Eccleſia, qui ob aliquod delictum publicum excernuntur, atque depelluntur à conſortio reliquorum.

Primum futuri abſceſſus ſignum Pulſatio.

Hunc imminentem tumorem cognoſcimus varijs ex ſignis, teſte Auicenna, & chirurgis recentioribus, & primò ex pulſatione, quæ ſi in tumoris ſtatu adſit, diutiuſq; perduret, indicat futurum abſceſſum. Nam pulſatio fit primò, quia arteriæ à calore loci valido agitantur validè; & ideo quærentes refocillationem dilatantur, & conſtringuntur: verùm quia partes carnoſæ ipſis circumpoſitæ ſunt iam humore repletæ, ita, vt arctiorem campum arterijs faciant, ideo arteriæ dilatantes ſe in anguſto loco validius percutiunt partes circumpoſitas: & ita maior fit pulſatio, quæ ſi diu perduret, indicat tumorem illum deſiturum in abſceſſum.

Secundũ calor pdurans.

Alterum ſignum eſt calor, qui ſi diu nimis perduret, indicat tumorem illum degeneraturum in alium tumorem, vt in ſcirrhum, vel in abſceſſum, vel in alium: nam ſi tumor erit mollis, indicatur futurus abſceſſus; ſi verò durus, ac tenſus, ſcirrhoſus tumor.

Tertium dolor permanens.

Tertium ſignum imminentis alterius tumoris eſt, ſi dolor non remittatur in ſtatu, ſed diu duret: quoniam fit dolor ille non quia fluat noua materia in locum illum, vel noua introducatur intemperies; ſed quia à materia inibi contenta efferuntur vapores fuliginoſi acres.

Quartum inæqualitas coloris, tenſionis, prominẽtia.

Quartum eſt, ſi in tumore oriatur aliqua inæqualitas, quę non præfuerit in ipſo tumore, ſiue inæqualitas ſit in colore, ſiue in tenſione, ſiue in prominentia, ideſt, in ſuperficie, vt verbi gratia, ſi inflammatio in manu oborta augeatur, & æqualiter augeatur calor, tenſio, & ſuperficies, ita, vt vna pars tumoris non ſit magis tenſa, vel magis colorata, vel magis prominens alijs, & in ſtatu videas ſtatim oriri inæqualitatem aliquam; colligas tumorem illum degeneraturum in alium; & ſi videris, quòd inæqualitas ſit in prominentia, ita vt pars aliqua fiat prominentior alijs, colligito futurum abſceſſum; quoniam natura tentat eò humorem foras propellere.

Quintum inæqualitas doloris.

Quintum ſignum ſumitur à ſymptomatibus, vt ſi in ſtatu adſit maior dolor in vna parte tumoris, quàm in alia; ſi maior pulſatio, ſi maior punctio, ſi maior pruritus, indicatur quòd natura tentat exitum in illa parte.

Sextum febris aucta.

Sextum accipitur à ſymptomate totius corporis, vt ſi, qui patitur inflammationem, laboret etiam febre, & videas, quòd febris ſtatim, dum inflammatio eſt in ſtatu, exul-

la

la extrinſeca cauſa augetur, colligas futurũ abſceſſum; qm natura tentat concoctionem.

Cognito, ꝙ Natura tentet facere abſceſſum, veſtra intererit ipſam adiuuare, omiſſis reſoluentib. medicamentis; quia ex vſu reſoluentiũ Natura diſtraheretur à ſuo opere. Sed quid agendũ dicetis? Dico, ꝙ duo precipuè ſunt inſpicienda: Alterum quidẽ, vt naturam alterantem humorẽ, & concoquentem adiuuetis: ipſe enim tentat concoctionẽ, & alterationẽ materiæ expellendæ: ideo iuuanda eſt ad præparationẽ materię expellendæ: atq; ad alterationẽ, ne ab ipſa tantum pars ſtimuletur, atq; patiatur, vt prius. Reliquum verò, vt remoueatis impedimenta omnia, quæ poſſunt naturã ipſam à concoctione retrahere, remouereq;: talia autẽ ſunt ipſa ſymptomata; & ita ſymptomata erunt auferenda, ne Naturæ agẽti ſint impedimẽto. Igitur, ſi in abſceſſu fuerit dolor magnus, vel calor magnus, vel durities, vel tenſio magna, omnia hæc erunt à vobis vel auferenda, vel lenienda; idem & de aliis ſymptomatib. intelligatis, ſi & aliquod aliud aderit, quod ſit momẽti. Sed ſi nõ admodũ vehementia hæc fuerint, ita, vt naturam non poſſint impedire, alteri ſcopo erit (his derelictis) attendendum, nimirũ vt adiuuetur concoctio. At ſi eſſent tam moleſta, vt impedirent, vtriq; ſcopo erit opera danda, quod fiet ex cõmiſtione medicamentorũ anodynorũ, & concoquentium, vt ſi, verbi gratia, admiſceretur cũ materia peccante humor aliquis, ita, vt fieret vel ex ipſo, vel alia de cauſa dolor, qui eſſet ſatis vehemens; tunc indicatur vobis, vt ipſi debeatis attendere; non tamẽ in auferenda ipſius cauſa, nec in ſtupefaciendo partẽ dico indicari vt ipſi attendatis, non derelicto priore ſcopo; & ita accipietis, quæ verè anodyna ſunt, quę, vt ſuperius diximus, dolorẽ mitigant, non autẽ eius cauſam auferunt, & ſimul cum concoquentib. admixtis componetis medicamentum, & tumori applicabitis. Vera autẽ anodyna ſunt oleum commune, pinguedo humana, butyrũ, & cætera, quæ ſuperius enumerauimus. Verùm ſi dolor eſſet vehementiſſimus, tunc indicatur, vt attendatis ſolùm ſecundo ſcopo, nimirũ ſedationi doloris: & ita per aliquod tẽpus, donec dolor aliquantulũ leniatur; remouendum erit à loco affecto medicamẽtum, quod pro vtroq; ſcopo fuerat impoſitum; & applicandum aliud, quod ſolùm dolori incumbat; inibiq; relinquendum, quouſque lenitus fuerit dolor, ſi non prorſus, aliqua ſaltẽ ex parte; & tunc remouendum, & aliud vtrique ſcopo ſatisfaciens iterum applicãdum. Medicamentum aũt à vobis imponendum, quando dolor erit vehemẽtiſſimus, erit hoc:

Duo ſcopi in fiẽte abſceſſu: iuuare naturã, & amouere impedimenta.

Aliquando ſoli cõcoctioni eſt incumbẽdum, aliquãdo ſimul etiã mitigationi ſympt., aliquando etiã huic ſoli incũbẽdum.

℞. Olei roſacei lumbricati }
Chamomelini } añ. ℥. ſ.
Pulueris foliorum chamomeli }
Farinæ hordeaceæ } añ. ʒ. ij. ſ.
Hyſſopi humidæ ʒ. ij.
Sapæ dulciſſimæ ʒ. x.

Anodynũ.

Liquida miſceantur in ſartagine, & poſita ad ignem, interim dum bulliunt, inſpergantur pulueres, & ſimul mixtis, fiat emplaſtrum, & loco affecto ſuperponatur.

Sin autem adeſſet tenſio magna, quæ aliquando ſolet eſſe in cauſa maximi doloris; ipſa quoque erit curanda. Nam triplex ex ipſius ablatione inſequitur cõmodum: primum eſt, quia mitigabitur dolor, ſi aderit: Alterum, quoniam remouebitur humorũ putredo; ex magna enim tenſione aliquando conſtipantur humores; ad conſtipationem autẽ inſequitur mala putredo, & ita ex remotione tenſionis relaxabuntur; relaxati humores habebunt latiorẽ campum; & hoc modo auferetur putredo aliqua praua: Tertiũ & vltimũ cõmodum eſt, quoniã, dum natura tentat abſceſſum, & collectionẽ humorum, ſi tenſio aderit, non poterit ob meatuũ conſtrictionem ſuum intentum, nõ niſi cum difficultate, aſſequi: at ablata tenſione, meatus latiores reddẽtur, & ita humores facilius in vnũ colligẽtur, & collecti concoquentur. Tenſio igitur omninò propter hęc cõmoda eſt auferenda: auferetur autẽ ſi introducemus qualitatẽ ſibi contrariam, quę eſt laxitas, ſeu relaxatio, quemadmodũ dicit Gal. in 7. de cõpoſ. medi. per gen. c. 9. igitur laxitas erit introducẽda. Sed antea, quàm introducatis qualitatẽ hanc, optimè à vobis eſt cognoſcendũ, quid ſit tenſio: nam poſſetis pro tenſione aliquando duritiẽ accipere, & ita maximum errorem, quemadmodum ſolent Recentiorum aliqui, committeretis: & ideo, priuſquam rationem introducendæ laxitatis vos doceam, quomodo tenſio à duritie dignoſcatur, palàm facere non erit inutile. Sciatis ergo duri proprium eſſe, vt comprimenti non cędat: nec in rem comprimentem reſileat, vt, verbi gratia; lapis dicitur durus, quoniam, ſi digito comprimatis ipſum, digito non cedit; & cum non cedat, non poteſt etiam in digitum reſilire, ipſumque repellere: igitur duri paſſiones propriæ duæ hæ ſunt, vt in ſe ex compreſſione non contrahatur: altera verò, vt aduerſus rem comprimentem non reſiliat; quando igitur digito tangetis tumorem aliquem; & videbitis, quòd digito non cedat; nec in digitũ reſiliat, dicatis ſtatim, tumor iſte eſt durus, non autem tenſus: contrà, ſi di-

Tenſio auferẽda ob tria commoda.

Tenſio relaxanda.

Tẽſi & duri diſtinctio.

gito comprimenti cedat, & tamen non reſiliat in digitum, dicatis tumorem eſſe mollem: mollitiei enim propriũ eſt cedere comprimenti rei, & non repellere; at ſi tumor cedat digito leniter comprimenti, & mox digitum repellat, dicatis, quòd tumor eſt tenſus.

Cognito, quòd tumor ſit tenſus, indicatur ſuum contrarium ſcilicet laxitas. Igitur præſente tenſione, relaxanda erit cutis præcipue, & carnoſæ partes humore repletæ, quod idem eſt, ac ſi dicas, remouenda eſt viſcoſitas illa, qua partes illæ ligatę ſunt: Nam relaxatio eſt remiſſio tenacitatis illius, quæ partes inter ſe vnitas retinet, & differt ab humectatione, & emollitione: Quoniam corpus ſiccum, ſeu durum, quod emollitur, recipit aliquid à medicamento extrinſeco applicato, nimirum aliquid humoris, cuius merito emollitur; ſimiliter & humectatio recipit aliquid extrinſecus. Relaxatio autem nihil recipit: quid enim corpus, quod relaxatur, recipit à medicamẽto relaxante? Cum itaque relaxantia medicamenta debeant tenacitatem remittere, iure optimo Galenus in 7. de compoſitione medic. per genera cap. 9. & 4. methodi cap. 7. dixit relaxantia medicamenta (χαλαστικὰ à Græcis dicta) debere eſſe ſiccæ facultatis; & quia debent etiam emollire, ideo requiritur etiam, vt habeant aliquam caliditatem, qua aperiant, extendant, & laxent, vt dicebat Galenus in 13. meth. cap. 6.

Relaxationis, & emollitionis differentia.

Relaxantiũ qualitates.

Sed in quonam gradu debent relaxantia hæc medicamenta calida, & ſicca eſſe diceret veſtrum aliquis? Galenus in 5. de facultatibus ſimpl. cap. 9. ait, quòd relaxantia ſunt minus calida, quàm emollientia. Igitur cum emollientia ſint calida in 2. gradu intenſo, aut in tertio incipiente, & ſicca in primo; ſequitur relaxantia eſſe calida, & ſicca in fine primi, aut in principio ſecundi: Dixi calida, & ſicca, quoniam in relaxantibus, & reſoluentibus, & in anodynis æqua caliditatis, & ſiccitatis requiritur proportio; in emollientibus autem nequaquam: quoniam caliditas debet excedere ſiccitatem; alioqui non emollirent. Igitur vera anodyna medicamenta ſunt calida, & ſicca in primo gradu non intenſo, aut vix attingunt ſecundum: Relaxantia calida & ſicca in fine primi; vel in principio ſecundi: Emollientia calida in 2. intenſo, vel in principio tertij, & ſicca in primo intenſo: Reſoluentia autem ſunt calida, & ſicca in 2. intenſo, aut in 3. incipiente.

Gradus qualitatũ in relaxantib. anodynis, & emolliẽtibus.

Relaxantia igitur applicabitis, ſi adſit tenſio: ſuntque butyrum vetuſtum, non dico vetuſtiſſimum, quia eſſet reſoluens; oleum etiam vetuſtum, vt vnius anni, vel vnius, & ſemis; adeps ſuillus vetuſtus, ſed non rancidus; adeps gallinaceus vetuſtus, at non rancidus: thus; reſinæ plures, vt abietina, terebinthina, laricina, & ſimiles: pix colophonia; vnguentum Nicolai, dialthæa vocatum; diachylon album vocatũ in officinis, cui aliquando additur ſagapenum, galbanum & ammoniacum, & fit reſoluens, aut emolliens medicamentum. Quotieſcunque igitur volueritis relaxare, vtamini aliquo iſtorũ.

Relaxantiũ farrago.

Si verò volueritis duritiem remouere, applicabitis emollientia, quæ ſunt lachryma ammoniaci: bdellium; myrrha electa: hæc enim valdè emolliunt: diachylon magnum Meſue; diachylon cum gummis vocatum. Accipietis igitur aliquod iſtorum, & miſcebitis cum aliquo medicamento concoquente, & ex vtroque confectum medicamentum tumori applicabitis.

Emollientia.

Sed ſi feruor maximus adſit, caliditas illa indicat ſui ablationem. Verùm quia calore etiam putredinali egemus pro adiuuanda natura ad concoctionem, ideo non eſt remittendus, dummodo tantus non ſit feruor, vt pars aliqua iam exuri incipiat. ſed ſi hoc non fiat, nullo modo calor eſt remittendus, tùm quia egemus ipſo; tùm etiam, quia, ſi ex applicatione frigidorum tentaremus hoc aſſequi, feruor magis augeretur, & fortaſſis etiã ex vſu frigidorum fieret nimia conſtipatio. Quia igitur intentio eſt, vt naturam ad concoctionem, ſeu maturationem, vt barbari iſti dicunt, adiuuemus: idcirco calor non eſt immutandus; ſed concoctioni opera erit danda.

Calor, niſi exurat, ob maturationẽ nõ eſt remittendus.

Sed ſtatim dicetis; quid eſt iſta concoctio, & qua ratione fit? Dico, quod πέψιν Græci tum philoſophi, tùm medici dixerunt quandã alterationem naturalem, atque perfectionẽ, quæ à calido innato, atque proprio, ac naturali fit in ſubiecto paſſibili, ideſt, in humido atque ſicco: & ſic concoctionẽ vocarunt quicquid ſequitur ad actionẽ caloris circa humidum atque ſiccum, quando calor ipſe acquirit dominiũ rei coquendæ, i. humidi, atque ſicci. Contrà ἀπεψίαν vocarunt, alterationem quandã ſubiectorum paſſiuorũ, humidi ſcilicet, atque ſicci, quæ à priuatione proprij, & naturalis caloris, hoc eſt, à frigido fit: ideſt, nominarunt apepſian illud, quod conſequitur ad priuationem caloris, atque dominium frigiditatis circa humidum, atque ſiccum.

Coctio, & cruditas qd.

Sed hic vnum ſtatuendum eſt à vobis, q́ quamuis in humido, atq; ſicco aliquis calor præter naturam inſit; nihilominus coctio hæc dicenda nõ eſt, cum calor præter naturam ſit extinctus. Quòd ſi calor præter naturam adſit, ob id cruditas nulla adeſt, dummodo etiam calor naturalis ſit præſens.

At

At ſi nullus calor præter naturam adſit, propterea non eſt dicendum concoctionem adeſſe, aut non adeſſe iu humido atque ſicco naturali, exemplo adſit feruor maximus, qui eſt in humore putrido febrium: ſimiliter feruor totius corporis in ephimera febre; tamen non crudum dicetur corpus totum: exemplo ſit etiam ſphacelus, in quo nullus eſt calor actu naturalis, neque præter naturam.

Secundò ſupponendum eſt, quòd nos loquimur hic de coctione ipſa naturali, non autem de artificiali, quæ à nobis volentibus paratur.

Calor naturalis eſt efficiẽs coctionis. *Iuuatur ab extrinſeco.*

Vnde ſequitur ſolùm, verum, atque immediatum agens eſſe calorem proprium, atque innatum, & illum, a quo moueatur anima vegetans. Et quamuis calor naturalis ſit agens iuuatur tamen à calore præternaturam, atque extrinſeco: nam, vt teſtatur Ariſtoteles 4. Meteororum cap. 2: cibus coquitur à calore naturali adiuto per calorem præternaturã balneorum, aut aliorum medicamentorum: ſimiliter Galenus lib. 5. de facult. ſimpl. medic. cap. 6. refert quoſdam ſolitos fuiſſe admouere puellos, atque catellos ventri, vt calor iuuaretur in coctione: & nos lintea actu calidiſſima imponimus vẽtriculo, vt coctionem iuuemus. Igitur calot naturalis non extinguitur per ſe à calore non naturali ſed potius iuuatur in concoctione. Natura igitur ſi tentet abſceſſum, indicatur nobis, vt ipſam adiuuemus, & colligat promptius humores, collectos concoquat: & concoctos expellat: hæc autem omnia præſtat natura calotis ope; igitur calor eſt adiuuandus: Sed cum non vnicus, ſed multiplex ſit calor in corpore uiuente, propterea nunquã rectè ſcire poteritis, quo modo, & cum quibus poſſitis coctionem adiuuare, niſi prius ſciueritis, quis nam calor ſit iſte cõcoquens, quomodo ab alijs diſtinguatur caloribus, quod nam ſit eius ſubiectum, quo modo concoquat, & quis nam tandem ſit concoctionis iſtius finis; Sed ſi hæc omnia cognoueritis non poteritis etiam volentes errare.

Calor eſt adiuuandus.

De calore elementarij, potentiali, complexi, vnali.

Dicamus ergo primò de concoctionis iſtius, quæ fit à natura in abſceſſibus, agente cauſa, nimirum de colore. Calor igitur in viuente corpore triplex eſt: Vnus quidem elementalis vocatus, & eſt ille, qui confuſus, & comixtus cum frigiditate, humiditate, & ſiccitate componit ſingulas corporis partes: & talis calor non eſt in actu: quamuis enim elementa remaneant in mixto in actu, refracto ſcilicet, tamen calor iſte elementalis non eſt in actu in corpore: neque enim ad tactum ſentiri poteſt, quoniam ſopitus eſt, & caſtigatus à ſuo contrario ſcilicet à frigore: & hic eſt calor ille, qui mixtus cum alijs elementis facit temperamentum cuiuſcunque partis: vnde meritò dictus eſt calor complexionalis, & à barbatis calor temperaturæ, & temperatura calida: & nihil aliud eſt calor iſte, quàm elementum igneum cum reliquis elementis mixtum, ratione exſceſſus cuius ſolemus dicere cor eſſe calidi, & ſicci temperamenti, quoniam calor hic elementalis magis in corde abundat, quàm reliqua elementa: nec propterea eſt calor ille, qui in animalibus concoquit, & alias actiones agit; ſed ſolum ligat, componitque partes ſingulas, reperiturque tam in viuente, quam in mortuo fere æqualis; parum enim minor eſt in manu, verbi gratia, mortua atque in viua ſit: nam & manus mortua compoſita eſt ex quatuor elementis: & ideo ẽt in mortuis repetitur calor iſte elementalis, qui ſenſu tactus percipi nequit; ſed duntaxat ratione. Primus igitur calor eſt elementalis colligãs, & reponens vnumquodque corpus in temperamentum non ſenſu, ſed ratione perceptibilis.

De calore viuentiũ actuali ſenſibili.

Alter verò calor in corpore viuenti exiſtens, eſt, qui in actu vſque ad eo eſt, vt manu ſi appoſita fuerit, ſentiatur: & hic non vt ille prior facit ad mixtionem, & compoſitionem partium corporis; quoniam iam mixtio, compoſitio, colligatiouè ex illo elementali facta eſt. Hic calor ſecundus licet ſit in actu, percipiaturque ad tactum; tamen difficile aliquando eſt ipſum perſentire: nam non æquè calor iſte animantibus, & viuentibus cunctis impartitur, ſed alia magis; alia minus ipſo participant: homo verbi gratia, bos, leo, & cætera perfectiora quadrupeda exquiſitum hunc habent calorem, ita vt quiſque manu corpori appoſita poſſit ipſum ſentire: aues ſimiliter, quantumuis paruæ, calorem hunc haberit ſenſibilem. Alia verò habent ipſum diminutum; ſenſibilem tamen: huiuſmodi autem ſunt piſces, & aquatilia omnia, quibus ſi manum apponatis, ſentietis dubio procul hunc calorem; ſed illum blandum, & veluti tepidum; exquiſitius autem perſentietis, ſi piſcem diſſecetis: percipietis enim veluti quendam teporem, qui profectò nihil aliud eſt, quàm calor iſte ſecundus in actu exiſtens; ſimiliter in ſerpentibus diminutus ſentitur. Alia etiam ſunt, quæ licet habeant calorem hunc in actu, tamen non ſentitur ab homine; non quia in actu non ſit; ſed quoniam imbecillis eſt valde: ſed ſentitur ab animalibus frigidioribus: & ratio, cur homo non ſentiat illum, eſt, quia in ipſo hic calor eſt maior; at maior calor non ſentit minorem, in quantum calor eſt, ſed ſub ratione frigidi: & quæ habent hunc calorem in actu ſed puſillum, & homini ſub ratione calidi inſenſibilem, ſunt ſtirpes, & plantæ ipſæ om-

Plantæ habent calorem actualem.

nes; nec dubitandum eſt calorem hunc in actu reperiri in plantis; quoniam licet à nobis non ſentiatur; ſentitur tamen ab animalibus nobis frigidioribus: & hinc eſt, quòd animalium plurima cubant ad radices arborum, quoniam ab earum calore caleſiunt aliquomodo. Præterea nonne videmus plantas ipſas nutriri, augeri, flores, ac fructus gignere, & ſimilia, quæ omnia ſunt huius ſecundi caloris in actu exiſtentis opera: nec aliquis eſt Philoſophorum, ac Medicorum, qui non fateatur plantas eſſe tali calore præditas, & inter cæteros hoc palàm fatetur Theophraſtus in 4. lib. de cauſis plantarum, vbi vocat ipſum ſeminalem, eò, quòd ex ſemine corrupto plantæ ipſum accipiant, & Ariſtoteles in 4. meteororum, cap. primo, & ſecundo, vocat propriam caliditatem: non enim communis eſt, ſed proprius, ac cuicunque animalium, & viuentium ſpeciei pro ſuæ naturæ exigentia tributus.

Gradus varij caloris viuentium. Nam animalium quædam ſunt, quæ habent ipſum validiſſimum, vt Leones; quædam minus validum, vt homo; quædam adhuc leniſſimum, vt piſces: ſimiliter & inter plantas aliæ magis, aliæ minus hoc calore participant: Quare optima cũ ratione proprius calor eſt à Philoſopho dictus, & à Gal. paſſim in cuiuſlibris inſitus calor appellatur, eò, quod in generatione ſtatim in ipſo animali genito excitatur.

Calor viuentium varias habet origines. Nolim tamen, vt credatis animantia cuncta habere, & accipere hunc calorem à ſemine; ſed quædam ſunt, quæ partim à ſemine, partim à ſanguine, & partim ab vtero matris ipſum accipiunt; quemadmodum ſunt perfecta omnia animalia, quæ ex ſemine in vterum iniectum oriuntur; alia habent ipſum à ſemine contento in aliquo corpore, excitato tamen ab aliquo extrinſeco, vt ſunt omnia ea; quæ ex ouo prodeuntur: accipiunt enim hunc calorem à ſemine in ouo exiſtente excitato ab animali incubante, vel à calore cœleſti: alia à terra, vel à cœlo, vt inſecta omnia, vt formicæ, & reliqua, quæ ex putredine ortum habent; nec non & plantæ omnes. Vnde quemadmodum huius caloris principium eſt varium: ita quoque viuentium calor eſt diuerſus; vt alia magis, alia minus hoc calore participent.

Calor viuẽt. natur. nunquam eſt igneus, et aut inſenſibilis. Nec ob id vnquam calor iſte ſuapte natura eò augmenti deuenit, vt fiat igneus, & exurat: nec adeo remittitur, vt non ſentiatur ad tactum in corpore, in quo eſt, neque enim in calidiſſimo leone exiſtens vrit; ſed ſemper intra terminos continetur.

Varia habet contraria. Humorum copiam. Verum tamen eſt, quòd poteſt interſtingui, & aboleri, quoniam multa habet contraria extrinſecus, & intrinſecus: Extrinſecus aerem frigidiſſimum, ventos, niues, & cætera, quæ immodicè frigefaciunt; Intrinſecus autem humores ipſos, qui non ſolum ſua qualitate frigida, verum etiam ſua abundatia pugnant in ipſum & victoria ſæpe potiuntur, quòd autem humores ſua copia poſſint hoc efficere argumento eſt copioſum oleum flammæ ſuperfuſum. Quòd etiam à frigiditate hoc fiat ſiue extrinſeca, ſiue intrinſeca fuerit, fidem faciunt illi, qui per niues iter faciunt: nam vſque adeo interdum refrigerantur pedes, vt extincto illorum calore putreſcant, & tandem non pedum tantummodo, ſed etiam corporis totius caloris inſequitur interitus.

Frigus externum. Focus caloris in plantis, & frigid. anim. eſt terra; in perfectiorib. cor. Huic periculo inſpiciens natura ſagax, & prouida propugnaculum huic calori parauit, vt ſi quando imminueretur, haberet, vnde poſſet reſtaurari: & ita in quacunque viuentium ſpecie focum quendam parauit, vbi ſemper ignis, ſeu calor ſeruaretur: Nam in plantis inſtituit pro foco calorẽ terræ, à quo calor iſte inſitus continuò conſeruatur, ita, vt non niſi à validiſſimo contrario extinguatur, & hinc eſt, quòd plantæ ſolidæ hyemali tempore non moriuntur (dummodo frigiditas modum non excedat) quoniam earum inſitus calor fouetur continuò à calore ſubterraneo: A quo itidem calore fouetur innatus calor frigidorum animalium, quæ in terræ cauernis degunt: & proptèrea veluti à natura edocta, accedente hyeme, antra ſubeunt. Sed perfectioribus animalib. quodnam propugnaculum dedit? Non terram, non, ſed aliud longè fortius, atque præſtãtius, nimirum cor ipſum: eſt enim veluti focus, à quo partes corporis ſingulæ, ſi alicuius aduerſatis cauſæ iniuria quidpiam inſiti caloris amiſerint, cotinuò reſtauramentum accipiunt: ſemper enim cor actu calidiſſimum, eſt, & eius calore perpetuò fluit, ac manat in corporis partes ſingulas: & hinc factum eſt, vt calor fluens, & calor emanans ſit dictus:

Calor inſitus, & influens nõ re, ſed ratione differunt. non ob id, quia ſit alius calor diuerſus à calore inſito (idem enim eſt,) ſed quia ſemper fluit, & emanat: Vnde ſi neruus, verbi gratia, acceperit aliquid de hoc fluente calore, calor ille fluxus, & mixtus cum calore inſito nerui non differt à calore nerui inſito, ſed eſt vnus & idem calor, verum quia a corde in neruũ fluxit, ideo fluens, & emanans vocatur. Quatenus igitur prouenit, & fluit à corde in oẽs partes, dicitur calor fluens, & emanans.

Et quia calor hic cordis etiam periculis eſt obnoxius, nimirum qualitati frigidæ, & humorum quantitati: (nam & ipſe potuiſſet ſuffocari, vel extingui, nec non deficere ex continua reſtauratione, quam præbet calori aliarum partium) idcirco natura mira prouidentia, & arte efficit, vt ſemper conſeruaretur, ſemperq; partib. opẽ eandẽ ferret.

Vnde

Digitized by Google

Vnde iure optimo homo microcoſmus, hoc eſt, paruus mundus ab Antiquis Philoſophis eſt vocatus: quoniam, quemadmodum magnus mundus habet in ſe cauſas conſeruantes calorem, lumen ſcilicet, & motum, ita & paruus hic mundus habet non lumen, quia in corde nullum eſt lumen; ſed motum, quo calor in corde ſemper ſeruatur: Nam ob hunc finem poſuit natura compreſſionem, & dilatationem cordis, & arteriarum, vt, ſcilicet, motu illo attraheretur aer pro pabulo ipſius caloris, non autem vt illo aere refrigeretur, vt quidam dicunt, nec vt expellantur fuligines: nam expulſio fuliginum, & refrigeratio eſt quid conſequens ad talem motum; ſed principalis vſus motus ſiſtoles, & diaſtoles, eſt, vt calor continuo habeat pabulum, & ſic conſeruetur calor ipſe, & cum ipſo facultas: nam hæc ſe conſequuntur, ita, vt motus conſeruet calorem, calor facultatem, & è contra facultas motum, & motus calorem: & ſic fit circulus ſemper.

Pulſus finis eſt attractio aeris pro caloris pabulo, ne extinguatur.

Pulſus vtilitates.

Et quia calor cordis inſitus, quem cor accipit partim à ſemine, partim à ſanguine, partim ab vtero in ſui generatione eſt validiſſimus, & in tali gradu à motu continuo ſeruatur, ideo cor ſemper validiſſimè agitatur: quoniam calidi eſt agitari. Et hinc eſt, quòd, quando calor iſte cordis ab aliqua cauſa extrinſeca, vel intrinſeca augetur, magnæ perſentiuntur pulſationes; quando autem cor eſt refrigeratum, pulſationes ſunt paruæ, & crebræ: paruæ quidem propter calorem debilem; crebræ verò, vt ſenſim ſuſcitetur nouus calor: nam ſi eſſet valida agitatio, ventilatione, calor potius extingueretur, quàm ſuſcitaretur. Quod exemplo ſenſatiſſimo vobis oſtendo, quando veſtræ ancillæ ex paruo carbone volunt ignem accendere, ſolent, accepto ſolle, parua, ſed crebra ventilatione ipſum agitare: qua de cauſa? quoniam cùm ignis ſit paucus, ſi validiſſimè ventilarent ipſum, extingueretur potius carbo: ita & Natura, quando cor eſt refrigeratum, leniter, & crebrò agitat ipſum, vt ſuſcitet calorem.

Pulſus magnus & paruus reſpōdēt magnitudini & paruitati caloris.

Crebritatis vſus pulcro declaratur exemplo.

Ex quo colligatis omnes pulſationes cordis, & arteriarum inſtitutas fuiſſe à Natura pro conſeruando hoc calore: accidit poſtea, vt ex tali pulſatione refrigeretur quo quomodo, vt aiunt, calor, & expurgetur ſanguis à fuliginibus.

Colligatis quin etiam errare illos, qui dicunt pulmones factos fuiſſe à natura, vt attrahant aerem extrinſecum, pro refrigerando cordis calore: neque enim hic eſt verus finis, vſuſue pulmonum, ſed potius accidentarius: quoniam accidit, vt aer ille attractus refrigeret (ſi modo refrigerat) ſed attrahitur aer, vt ſit pabulum caloris cordis: niſi enim haberet, quo continuò aleretur, non poſſet diu permanere, quare aer attrahitur à pulmonibus, vt ſit alimentum caloris cordis; non autem, vt illum refrigeret, & ſi refrigerat, parum admodum refrigerat: & ideo, vt refrigeret, eſt quid conſequens, & per accidens, & puſilla (vt dixi) refrigeratio eſt, quoniam aer attractus, antequam ad cor deueniat, eſt calidus redditus. Præterea, ſi, vt refrigeraret calorem cordis, aer à pulmonibus attraheretur, male ageretur cum ijs, qui in hypocauſtis manent continuò: nam cum attrahant aerem calidiſſimum, quam refrigetationem poteſt cor inde accipere?

Pulmones inſpirāt aerem ad caloris pabulum, non refrigerationem.

Itaque hic eſt ille calor inſitus, qui tranſmittitur ad omnes corporis partes, & quo Natura vtitur in concoquendo, & in reliquis actionibus præſtando. Calorem hunc inſitum cognouiſſe iam vos arbitror, ſequitur modo vt & ipſius ſubiectum vobis explicem.

Dico igitur quòd quemadmodum flammę ſubiectum eſt fuliginoſus vapor (nam flamma nihil aliud eſt, quàm compoſitum quoddam ex vaporibus fuliginoſis eleuatis à re, quæ comburitur, & ex ſua forma, quæ eſt caliditas maxima: vidiſtis enim ſæpe quòd quando lignum exuritur, eleuatur fumus, qui quanto ipſi ligno eſt propinquior, tanto eſt craſſior, & propterea etiam tāto minus aptus verti in ignem) quemadmodum igitur ſubiectum flammæ ſunt corpuſcula illa fuliginoſa, ita quoque ſubiectum caloris innati, ſeu inſiti, qui per totum corpus ſparſus eſt, & ad tactum ſentitur, eſt vapor, ideſt, ſpiritus vitalis, qui in partibus reperitur: Qui quidem ſpiritus, ſeu vapor cum in alijs animalibus magis fuliginoſus ſit: in alijs minus, hinc eſt, ꝙ animalium, quędā intenſum calorē hunc inſitum habent; quædam mediocrem; quædam minimum: quantò enim hic vapor erit fuliginoſior, & ſiccior, tantò etiam aptior erit, vt vertatur in calorem. Et hinc notate differentiam inter calorē pueri, & iuuenis: calor enim pueri dicitur minor, q̄ calor iuuenis, quia ſubiectum, ideſt, vapor in iuuene eſt magis fuliginoſus; contrà autem dicimus calidum abundare magis in puero, quàm in iuuene, intelligentes per calidum compoſitum illud ex vapore & calore. Dicimus quoque calidum in ſenibus eſſe minus quā in iuuene, quoniam in ſenibus minimus eſt vapor nam continuo, & continuò à calore abſumitur.

Caloris ſubiectū eſt vapor, ſeu ſpiritus.

Calores pueri, & iuuenis conferuntur.

Et ideo neceſſarium fuit, vt natura poneret in corpore aliam humiditatem, qua vapor iſte, ſeu ſpiritus conſeruaretur, talis autem humiditas eſt, quæ radicalis vocatur, & à Chymiſtis arbor vitæ, eò quòd ab ipſa ſeruetur ſubiectum inſiti caloris, ideſt, vapor ipſe, ſeu ſpiritus.

Humidū primigeniū eſt fomentū ſpiritus.

Humidi primig. deſcriptio, & origo.

Humiditas autem iſta radicalis eſt quædam humiditas pinguis, & oleaginoſa ſenſum ſubterfugiens: ſola enim ratione comprehenditur: dicitur autem oleaginoſa, eò, quòd facilè corripiatur flamma, & tamen perdurat: & licet oleaginoſa ſit; non ob id tamen credendum eſt, quòd ſit pinguedo, quoniam ſi ex toto eſſet eiuſdem naturæ cum pinguedine, tota à calore abſumeretur: hoc autem non fit, quoniam, vt dicebat Galenus in primo aphor. commentario 14. ſapit neſcio quid aquæ. Et hæc radicalis humiditas eſt illa, quam à ſemine in primo ortu accipimus: & ideo, qui habent optimam corporis temperaturam, abundant hoc humido radicali, & per conſequens diutius viuunt.

Calor inſitus, & emanans ratione diſtinguuntur.

Calor igitur iſte ſecundus eſt ille, quem à ſemine accipimus, & in vnaquaque corporis particula reperitur, ob idque inſitus vocatur: caro enim, neruus, & ſingulæ partes à ſemine ipſum in generatione acceperunt: ſed calor iſte poſtea inſitus, quatenus à corde in partes ſingulas fluit, non amplius inſitus, ſed fluens, & emanans vocatur; vnus tamen & idem calor eſt: & ita calor verbi gratia in neruo exiſtens vno modo dicetur inſitus, altero verò fluens, & vterque à ſpiritu fouetur, vitaliſque dicitur.

Spiritus innatus, & influens naturæ ſunt diuerſæ, vterque vitalis dicitur.

Quo ſtante, colligo duplicem ſpiritum reperiri in animali, vnus quidem eſt, qui ab humiditate radicali oritur, quo abolito, ſimul & vita aboletur: vnde irridendi ſunt chymiſtæ, qui putant humiditatem radicalem cum ſuis oleis poſſe reſtitui: ſpiritus igitur primus, ſeu vapor vitalis ille eſt, qui ex propria inſita humiditate radicali in omnibus partibus reperitur. Alter verò vapor ſeu ſpiritus eſt, qui dicitur inſtrumentum cordis, & oritur ex ſanguine, qui per arterias tranſmittitur ad ipſum cor: & iſte etiam vocatur vitalis, quia eſt inſtrumentum ad conſeruandum calorem vitalem: ſecundò dicitur vitalis, quia habet proportionem cum altero ſpiritu, ſeu vapore; Non ob id tamen eſt eiuſdem ſpeciei cum illo; ſed diuerſæ: verbi gratia, ſi in menſa eſſent luminaria ſeu lucernæ multæ, & inter ipſas vna magna, & accenſa, ad quam accenſa charta accenderetis hanc, illam, & illam lucernam: tunc ſpiritus, qui eſt in magna lucerna, non diceretur eiuſdem ſpeciei cum ſpiritu chartæ accenſæ: ita & vapor, qui ex ſanguine arteriali oritur, dicitur diuerſæ ſpeciei ab alio ſpiritu.

Exemplum.

Calor præt. nat. quomodo differat ab alijs.

Cauſa inimicitiæ caloris naturalis, & præt. nat.

Caloris innaturalis cauſa interna, & externa.

Tertius calor eſt ille, qui dicitur præter naturalis; & differt ab elementali, quoniam hic in actu eſt; ille verò ſopitus. differt etiam ab inſito, quoniam inſitus eſt perpetuus; præter naturalis verò nequaquam. In ſpecie tamen conueniunt; quoniam tàm inſitus, quàm præternaturalis in actu eſt, & calefacit; in gradu tantum differunt, quia præternaturalis eſt maior, & calori naturali eſt inimicus. Sed eorum inimicitia non ob aliud eſt, quàm propter pabulum, quatenus præternaturalis abſumit pabulum illius: nihil aliud enim eſt calor præternaturalis, niſi additio caloris innati. Sed vnde, dices tu, calor iſte non naturalis, quem tu dicis eſſe augmentum caloris inſiti, prouenit? dico quòd habet duplicem cauſam, internam ſcilicet, & externam: Interna quidem aliquando eſt putredo humoris, ſiue putreſcat in venis, ſiue extra venas, vt cum humor aliquis retinetur ex obſtructione, concluſus putrefit; ex putredine eleuantur vapores fuliginoſi, qui petentes cor ſunt in cauſa, vt calor inſitus augeatur, & ita fit calor præter naturalis; vel fit calor iſte, quando ob iram vel huiuſmodi ſpiritus inſiti arteriarum recurrunt ad cor, vbi valdè inflammati calorem augent. Externa verò cauſa eſt multiplex, vt ardor ſolis, motus violentus, ingeſtio ciborum calidorum, & huiuſmodi. Et quamuis calor hic præternaturalis ſit contrarius inſito propter pabulum; tamen, ſi habuerit copioſum pabulum, ita vt vterque calor poſſit ali, inſitum calorem non corrumpit, ſed potius ad inuabit ad concoquendum, & ad conſimilia munera obeunda, quemadmodū fuit ſententia Ariſtotelis in 4. Meteorol. cap. 2. quando dixit alimentum concoqui non ſolùm à calore naturali, ſed etiam à calore balnei: eiuſdem ſententiæ fuit & Galenus in 5. de facultatibus ſimpl. cap. 5. vbi ait, quòd aliqui; vt melius concoquant, ſolent adiuuare calorem naturalem ventriculi appoſito puerulo, vt ſupra diximus, vel catulo ad ſtomachum.

Calor natiuus ab externo iuuatur.

Concoctio; igitur fit à calore naturali; adiuuatur autem à præternaturali. Triplex igitur eſt calor, elementalis, inſitus, & præternaturalis.

A' quo calore fiat in abſceſſu concoctio, in quo ſubiecto, quo fine.

In abſceſſu habemus naturam tentantem collectionem, concoctionemque materiæ: concoctio autem fit à calore; ſed à quo? Dico, quod à naturali aut per ſe, aut adiuto à præternaturali, qui eſt gradus intenſioris, reperiturque in calore inſito, qui quidem calor inſitus nutritur humido radicali: igitur cauſa efficiens concoctionis eſt calor naturalis, vel per ſe, vel adiutus à præternaturali: Subiectum autem eſt humidum corpus, vel ſiccum priuatum qualitate ea, quam calor ipſe concoquendo introducit in ipſum. Finis verò alterationis, vel cōcoctionis iſtius, eſt multiplex: & quia finis multiplex, ideo & concoctio multiplex eſt. Vt ergo ſciatis, de quanam concoctione loquamur, quan-

do

Digitized by Google

do dicimus naturam eſſe adiuuandam in concoquendo humore faciente abſceſſum, diſtinguam de concoctione.

Aſſimilatio eſt finis veræ concoctionis.

In concoctione igitur, quam diximus fieri à calore in ſubiectum corpus aut humidũ, aut ſiccum, finis aliquando eſt perfecta quædam natura, quæ dicitur forma partis illius euius cauſa calor concoquit, vt, verbi gratia, ex cibo fit chylus, ex chylo fit ſanguis, ex ſanguine caro, vel neruus, vel os, vel quæuis alia pars ſimilaris: iſtius agitationis materię à calore forma, ſeu finis eſt ipſamet natura, ſeu forma partis illius genitæ, carnis, verbi gratia, concoctio: ergo iſta ratione illius perfectæ formæ dicitur vna concoctio: & nihil aliud eſt, quàm alteratio illa membrorum, atque partium ſolidarum circa proprium alimentum, vt illud perficiant, atque tandem in ſubſtautiam ſuam conuertant: & hæc eſt vera, ac propriè dicta concoctio. Reliquæ verò concoctionis differentiæ, quotquot ſunt, de quibus iamiam agemus impropriæ, & per analogiam ad hanc vocãtur concoctiones. Igitur aſſimilatio eſt verus finis, & vera forma concoctionis, vbicunque talis concoctio fiat, ſiue in animalibus, ſiue in ſtirpibus &c. & hæc vera concoctio, quæ habet pro fine (vt dixi) aſſimilationem, formamq; perfectam, à Galeno in quinto de facult. ſimplic. medic. cap. 6. vocatur alteratio naturalis: ibi enim inquit, quòd triplex eſt alteratio, quæ in humido ſubiecto fit in corpore noſtro: Vna, quæ penitus ſecundum naturam eſt, in qua ſubiectum eſt ſuccus familiaris, atque maximè naturæ amicus, quem [illegible] vocat Galenus: agens autem eſt naturalis, ac proprius ſolidarum partium calor. Secunda eſt, quæ penitus præter naturam dic. poteſt, cuius ſubiectum eſt materia nutritioni infenſiſſima: agens verò eſt caliditas valde aliena, hincque putredo oritur. Tertia, & vltima fit, quæ partim ſecundum naturam, partim præternaturam dici poteſt, cuius ſubiectum eſt materia humida, quæ præter naturam penitus non eſt, neque etiam ſecundum naturam, quia non eſt benignus ſuccus: agens iſtius alterationis eſt calor naturalis non penitus vincens. Coctio igitur prima, de qua loquebar, eſt alteratio ſecundum naturam, in qua alterans eſt calor naturalis partium ſolidarum: ſubiectum autem eſt materia propria, atque ſuccus familiaris. Hanc vocauit Ariſtoteles perfectionem, quia tandem habitum, atque formam acquirit, ad quam potentia inſtituta erat. nam ex ſanguine per cõcoctionem fit caro, ex cibo per concoctionem fit ſanguis. Prima igitur ſignificatio concoctionis eſt iſta, quòd eſt perfectio, & alteratio alimenti in propriam ſubſtantiam: de qua loquitur Galenus in 3. commen. de facult. naturalibus, cap. 7. & in lib. de ſympt. diff. cap. 4. atque multis alijs in locis.

Concoctionis nomen eſt ab vno.

Alteratio naturalis.

Media.

Corruptiua.

Secundũ genus cõcoctionis reductio: illius agens, ſubiectum, finis.

Altera & ſecunda eſt coctio, quæ eſt alteratio, atque perfectio humoris putreſcentis, vel ſemiputridi, ac veluti reſtitutio in integrum. Vnde materia non penitus ſecundum naturam eſt: & hac ratione maximè differt à vera coctione. Differt & agente, quoniam hæc à calore naturali fit, & partim à calore præternaturam, qui naturalem adiuuat; illa autem fit à calore naturali tantum: Et in illa, quando calor naturalis agit in humidum, non agit, vt ipſum redigat ad naturam propriam illius humidi, vt quando calor ventriculi agit in vinum, non ideo agit in vinum, vt redigat ipſum ad ſuam naturam, quoniam vinum nihil eſt paſſum antea, vt receſſerit à natura vini: idem dicatis de pane, & de alijs cibarijs; At in hac ſecunda concoctione calor agit in humidum, vt reſtituat ipſum ad propriam naturam, quia ab ea cepit iam deflectere: & hæc eſt vera concoctio Medicorum, quæ varia eſt, prout varius quoque eſt humor concoquendus, & reducẽdus ad propriam naturam: Nam aliquando bilis incipit putreſcere; aliquando pituita; aliquando ſanguis; aliquando humor melancholicus: quare concoctio hæc ſecũda nihil aliud eſt, niſi alteratio faciẽs ceſſare putredinem, qua facta quieſcit morbus, quia humor ad ſuam naturam reſtitutus eſt. Differt & hac ratione à prima, quòd in illa non remanet ſubſtantia humoris, ſed fit caro; in hac autem remanet. De hac ſecunda ſignificatione concoctionis Galenus clarè loquitur in primo de morbis vulgaribus, commen. 2. ſuper tex. 44. & multis alijs in locis.

Tertium genus concoct. mitificatio.

Putredo incipiens corrigitur, facta minimè.

Tertia concoctionis ſpecies eſt, quædam alteratio, atque perfectio, quæ fit in humore putrido, atque valde corrupto, & crudo, qui neque reſtituitur in integrũ, neque immutatur in ſubſtantiam concoquentis; ſed tantam perfectionem recipit, vt minus ſtimulet partes, quibus hæret, & minus affligat: calori etiam reſoluenti magis obediat: aut partibus expellentibus facilius cedat. Subiectum huius tertiæ concoctionis eſt materia penitus naturæ inimica prius, atque valdè putrida. Nam apud Medicos datur duplex genus putredinis, vel putreſcentis humoris: vna putredo parua admodum, & incipiens, vt quando humor incipit vix putreſcere, vel parum putruit: altera magna, quæ cum affecerit humorem, talis eſt, vt ad priſtinam naturam conuerti non poſſit. Vndè dicunt Medici, quòd in primo genere corruptionis, quando ſcilicet putredo non eſt fixa, humor poteſt ad na-

naturam

Digitized by Google

turam propriam redigi:in ſecundo verò genere nequaquam. Quod probari poteſt exẽplo vini in dolio exiſtenti: nam,ſi vix inceperit accreſcere, poteſt facilè ad naturam propriam reduci, ita, vt nihil prorſus videbitur immutatũ à natura vini, quod ego ſępe ſum expertus; at ſi corruptio fuerit introducta, agas quicquid velis, eſt impoſſibile, vt vinum illud reſtituatur in proprium eſſe, vt habemus à Galeno in 2.aphor.17. Agens in hac tertia coctione eſt calor naturalis adiutus etiam à putredinali,& propriè maturatio, vel ſuppuratio à Medicis vocatur,& ab Ariſtotele vocatur etiam iſta perfectio: quia humor putridus in pus verſum commodius, atque aptius fit, quàm fuerit prius, & facilius expellitur, vel reſoluitur,& minus afficit naturam ipſam. Atque iſta cum præcedenti eſt alteratio illa tertia de qua diximus ſupra Galenum meminiſſe in 5. lib. de facult. ſimpl. medic. Et ſicuti ſecũda coctio habet pro ſubiecto humorem, qui iam incipit putreſcere, ita hęc tertia verſatur circa humorem omnino putridum.

Epilogus dictorũ de tribus coctionis ſpeciebus.

Primæ ergo coctionis ſubiectum eſt humidum corpori animalis amicum: agens eſt calor omnino naturalis: finis eſt acquiſitio formæ perfectæ. Secundæ coctionis ſubiectũ eſt materia partim bona, partim mala: agens eſt calor partim naturalis, partim aduentitius: finis eſt reſtitutio illius materiæ ſemicorruptæ ad naturam propriam. Tertiæ autem coctionis ſubiectum eſt materia penitus corrupta: agens eſt calor naturalis adiutus à calore præternaturam: finis eſt lenitio aliqua illius materiæ ex toto corruptæ, ne membrum cui hæret corrumpat, & facilius ab ipſo expellatur.

Quartũ genus, præparatio.

Quarta coctio nihil aliud eſt, niſi præparatio humoris, aut crudi, aut non crudi ad expulſionem, quando multitudine, aut qualitate partes corporis ſtimulat, vt ſi viſcidũ fuerit, incidatur; ſi craſſum, tenue reddatur; ſi nimis calidum, atque feruens, temperatior fiat; & vltimò, ſi tenuior, atque acrior, obtuſior reddatur. Hæc quarta eſt maximè impropria,& de ea mentionem fecit Galenus in primo aphor.24. & 2.aphor.9. atque alibi. Et quemadmodum impropriè humores craſſi, & viſcidi crudi dicuntur, quia ſint inepti ad excretionem, ita coctio impropriè vocatur illorum alteratio, atque apparatus ad expulſionem.

Quintum genus quæcunque deuictio materiæ.

Quinta atque vltima coctionis ſignificatio communiſſima eſt, atque eſt quælibet alteratio cuiuſcunque humoris, ſiue putridi, aut non putridi; ſiue familiaris, aut non familiaris nutritioni; excrementoſi, aut non excrementoſi; expellendi à natura, aut medicamento, ſiue non expellendi: & hoc fiat aut ab arte, aut à naturali calore tantùm, vt conſtat ex primo de morbis vulgaribus tex. 44. & 45. & 46. & in ſecundo de ratione victus tex.47. Atque hac vltima ſignificatione coctio nihil aliud eſt, niſi dominium, atque victoria caloris naturalis in cauſas cruditatis, quomodocunque victoria illa fuerit acquiſita: & hac ſignificatione coctionis ſolemus dicere vrinam coctam, non quia calor adeptus ſit finem illum perfectum, ideſt, formam partis alicuius, vt fit in vera coctione: nec dicitur vrina cocta, quia ſit ad propriam naturam reſtituta: quid enim amiſit? neque quia reddatur magis benigna; ſed ſolùm dicitur concocta, quia indicat calorem acquiſiuiſſe dominium in maſſam ſanguineam. Secundum hanc eandem coctionis differentiam vocamus chylum coctum, ſputum coctum, & ſimilia, quia ſcilicet materia illa ſit à calore naturali paſſa,& victa. Hæ ſunt ſignificationes coctionis: Prima autem præſtantior eſt,& vera, in qua materia in naturam coquentis vertitur. Secunda eſt huic ſimilis, quia remanet humor, verùm vtilior, ac familiarior. Tertia à prima diſtat, quia remanet humor veluti excrementum, ſed minus infeſtum naturæ. Quarta maximè differt ab omnibus, quia eſt impropriiſſima. Quinta & vltima omnes amplectitur, cũ quãlibet alterationẽ ſignificet.

Comparatio dictarum coctionis ſpecierum.

Tot igitur cùm ſint coctionis ſpecies, quæ nam illarum nobis viui erit in abſceſſibus? Dico quòd tertia; quæ ſuppuratio vocatur, in qua agens eſt calor naturalis, qui penitus non vincit materiam, neque ad ſuum ſtatum reuocat, neque talem facit, vt poſſit cocta nutrire, atque in carnem verti; ſed tantùm aptior, commodiorque reddita non ita partes ſtimulat, vt faciebat: atque calor iſte agens in partibus ſolidioribus continetur; non autem in humore, niſi cum coctus ſit: nam in naturalibus opus eſt, vt agens ſit extrinſecum à paſſo, quod etiam in muſto eſt: partes enim terreſtriores diſſeminatæ per ipſum incaleſcunt, atque calorem ſeruantes muſtum calefaciunt, atque coquunt vinum. Materia verò eſt humor putridus factus ob calorem malignum, aut propter prohibitam tranſpirationem, aut propter prohibitionem caloris naturalis, quæ materia, inquit Galenus, remanet, neque in aliam formam mutatur; ſed tantùm perficitur, atque, vt Ariſtoteles ait, redditur talis, ac tanta: nihil enim aliud eſt pus, niſi humor putridus talis, ac tantus redditus à calido innato.

Agens in ſuppuratione.

Finis ſuppurationis.

Finis ipſius coctionis non eſt aſſimilatio; ſed conſeruatio, expulſio, atque reſolutio: propter hæc enim putridus humor coquitur, vt partes illo prægnantes ſeruentur, & humor ipſe expelli poſſit,& reſolui à partibus ſolidioribus, cũ victus ſit, ac factus obediens.

Et quando

Et quando dico, hunc humorem facilius expelli, ſciatis, quòd ego non intelligo cauſam eſſe opportunitatem ſubſtantiæ ipſius materiæ; ſed quòd tenuior ſit, aut craſſior, penetrabilior, aut retuſior; quoniam humor putridus ante coctionem magis tenuis, atque humidus eſt: Nam, quod corrumpitur, humidius fit, dum hoc patitur. Præterea feruet, atque acrior eſt, & ita facilius penetrare poteſt. Ratio eſt, Domini, quoniam calor in hac materia dominatur, hanc terminat atque illi proportione reſpondet, quo fit, vt facilimè, quoquo voluerit, ipſam partes expellant.

Coctio fit cum incraſſatione.

Conſequens ad hanc noſtrum coctionem eſt craſſities ipſius materiæ: nam coctum pus eſt craſſius humore, ex quo fit. Neque in hac tantùm coctionis ſpecie coctum craſſius redditur; ſed etiam in omni alia, quæ vera, ac propria ſit, aut veræ ſimilis, vt in prima atque ſecunda, & hac tertia, de quinta non loquor, quia communiſſima eſt coctio, quarta verò impropria eſt, quare nihil curo, an coctum tenuius ſit. Quare colligere poſſimus coctionem fieri per incraſſationem, quæ ſententia eſt Ariſtotelis in 4. meteororum cap. 2. quam ſententiam declarat inferius cap. 3. loquens de maturatione.

Rationes in contrarium.

Tamen quidam ſunt medici, qui hoc falſum eſſe crediderint his rationibus acti, & prima aſſumitur à cibo craſſiori, qui per coctionem in chylum vertitur at chylus eſt multo tenuior, quàm eſſet cibus ille, ex quo factus eſt. Altera ratio eſt: ex chylo fit ſanguis, qui eſt tenuior chylo: & ratio colligitur ex fecibus chyli, quæ craſſiſſimæ ſunt, ſanguis autem eſt tenuiſſimus. Præterea, ſi ex phlegmate gignatur ſanguis, proculdubio eſt tenuior illo: Tertia ratio eſt: ſanguis, quantò magis accedit ad ſolidiores partes, tantò magis coquitur, & tunc maximè coctus eſt, quando eſt appoſitus: at tunc apponitur, quando extra ſubſtantiam venarum egreſſus carni hæret; ergo tunc requiritur, vt tenuiſſimus ſit: igitur coctioni conſequens eſt attenuatio. Quarta ratio eſt: ros, ideſt, humiditas (veluti ros) ſparſa ſupra partes ſolidiores, vt teſtatur Galenus lib. 7. meth. cap. 6. eſt tenuior ſanguine; & magis cocta, ergo coctio non procedit incraſſando. Quinta: ſanguis arteriarum eſt coctior, & elaboratior reliquo ſanguine, & eſt etiam tenuior, ergo &c. Sexta ſpiritus vitalis per coctionem fit à ſanguine: ſic & animalis. & eſt tenuior; ergo coctionis ſymptoma eſt attenuatio, non autem incraſſatio, ſeptima ratio eſt: vinum coquitur à calore ſecundum Ariſtotelem, & tenuius eſt muſto, ergo &c. Vltimò, tumores duriſſimi per coctionem emolleſcunt, quia materia illa craſſa attenuatur; ergo non fit coctio per incraſſationem. Adduntur multæ aliæ rationes: ſed cum reſpiciant illam coctionem, quæ non eſt vera coctio; eas dimitto. Quare ex rationibus adductis videtur, quòd coctio fiat per attenuationem.

Diluuntur.

Attamen dicimus cum Ariſtotele, quòd omnia, quæ coquuntur craſſiora, & ſicciora fiunt. Ad primum argumentum poſſem reſpondere primò, quòd in ventriculo non fit coctio in chylo ſimpliciter, niſi per accidens: nam ventriculus emollit id, quod craſſius eſt, atque durius, vt facilius per ſubſtantiam ſuam meare poſſit, vbi cum fuerit, tunc craſſius redditur, atque in carnem vertitur. Vnde chylus eſt quaſi ventriculi excrementum, cuius partes proportionales, eliquatæ, coctæ, in ſubſtantia ventriculi in eius naturam vertuntur: & ita in chylo eſt præparatio ad reliquas coctiones: in parte verò attracta à ventriculo eſt verè coctio. Secundò reſpondendum, quòd ex ſententia Galeni, atque Auicennæ, & reliquorum cibi ſiccioris in ore fit prima coctio, ideſt præparatio, vbi non ſolum dentibus, ſed & humiditate palati humidus redditur cibus: poſtea addimus vinum, ius, aquamuè, & ſimilia, quæ humidiſſima ſunt, & mixta atque eliquata ſimul dico conſtituere corpus tenuius, ac humidius chylo in fine ſuæ coctionis: hoc apparet in illis, qui patiuntur illiacam paſſionem, quos luteo oui, aut iure pulli, aut ſtillatitia pinguedine nutrimus, cum ſteterit in ventre duas, aut tres horas neque in inteſtina poſſit deſcendere, vomitur atque craſſior, eſt, ergo &c. Ad ſecundum dico, quòd ſi ex toto chylo fieret ſanguis, vera eſſet ratio, ſed non fit ex toto, at ſolum ex parte tenuiori, atque aerea, parum autem ex terrea ipſa aſſumitur: aquea præterea tota eſt, vt ſit victrix reliquę materiei craſſioris aduixtæ, atque hac ratione dico hanc partem chyli eſſe humidiorem, atque tenuiorem ſanguine, ideſt, maſſà ſanguinea. De phlegmate dico, quòd coquitur, & eliquatur prius, poſtea ex ipſo fit ſanguis, qui eſt craſſior. præterea phlegma vt phlegma, non eſt craſſum, niſi affectum ſit à frigore, aut aſſatum; nam eliquatum tenue eſt, & humidiſſimum, atque aquoſius maſſà ſanguinea. Ad tertiam rationem dico, quòd ſanguis eſt ita tenuis cum per oſtiola venarum fugitur à partibus, quemadmodum erat cum per capillamenta venarum hepatis ingrediebatur in cauam venam; at poſtea appoſitus fit craſſior, & in carnem abit, ac tranſmutatur. Ad quartam de rore, dico, quòd ſi capimus rorem pro humiditate illa cambio dicta, nequaquam eſt tenuior, ſed craſſior, ſi Auicennæ credamus: ſi verò capimus pro humiditate ſanguinea diſſeminata,

Chylus humiditate alimenti crudi craſſior.

Sanguis chylo craſſior, ac phlegmate, non autẽ rore, aut cambio.

vt

vt ros, per omnes partes, falſum eſt, quòd ſit tenuior ſanguine, ſed eſt ſanguis ipſe in carne contentus. Ad quintam de ſanguine ſpirituali, atque arteriarum dico idem, quod de chylo in ventriculo: nam ſanguis fit craſſior, quia conuertitur in ſubſtantiam cordis; tenuior verò ille eſt, veluti excrementum nutritl cordis; neq; à ſanguine oritur deſtinato in illius generationem, ſed ad nutritionem cordis.

Sanguine ad cor delatus partī incraſſatur, partim attenuatur.

Recentiores duplicem coctionem conſtituunt, iuuatiui, & nocitiui; iuuatiuum intelligunt illud, quod paratur pro reſtitutione, & hoc modo iuuatiuum non eſt pro nutritione arteriarum ipſe ſanguis: neque ad reſtaurationem facit ipſe, nam aliter piſces, ac multa alia animalia non nutrirentur, neque plantæ: ergo quamuis à calore fiat tenuior; nos tamen loquimur de iuuatiuo cocto. Ad ſextam de ſpiritibus idem dicendum, non enim ſunt iuuatiua: aut, vt ego dicebam, ſunt veluti excrementa genita à corde, aut à cerebro, cum ipſa verè coquant ſanguinem pro ſui nutritione.

Quomodo vinum in dolio coquatur.

Ad ſeptimam de vino dico, fieri craſſiorem partem illam aquoſam, atque aeream, quæ erat in muſto: nam niſi hoc dicamus, agens eſt in ipſo: capimus enim muſtum pro toto illo aggregato: nam ſi vinum fieret ex toto illo aggregato, agens eſſet in ſeipſo: hoc eſt falſum; ergo ex parte aliqua muſti, ergo ex aerea, atque aquea, & ſic ex tenuiore qua craſſius vinum eſt. Ad vltimam de ſanie dicēdum, quòd in tumoribus ſcirrhoſis, aut fit ſanies, ἰχῶρα, aut pus: ſi ſanies fit, tunc non eſt facta coctio, ſed potius veluti quædam molinſis, & mala coctio ipſius materiæ, de qua loquitur Hippocrates ſecundo Epidem. ſect. 2. loquens de tumoribus circa aures: nam inquit Galenus commen. 2. in ſextum Epidem. tex. 44. quòd celeri motu, atq; immutatione ceſſat, atque refrigeratur, vel color illius diminutus eſt, id ab Hippocrate μόλυβον vocatur. igitur ſi ſanies, aut ichor fit non dicitur coctio, ſe inquinatio.

Ichor fit per molinſin.

Quòd ſi fiat pus, prius tumor mollis redditur, & materia eliquatur, quę erat pręter naturam dura, ex ſui tamen natura humida, atque mollis, vnde cocta fit pus, quod naturaliter tale eſt, ideſt magis concretum, atque craſſius priori materia; Aut dicatis, quòd tantum molliores partes, & humidiores maturantur: nam in ſcirrhis rarò accidit, quòd integri coquantur; verum humidior pars tantùm, & reliquæ craſſiores ſenſim liqueſcunt.

Puris generatio.

Collectio quatuor cauſarū maturationis tumorū.

Vnde colligimus veram coctionem, aut veræ ſimilem deſinere in incraſſationem humoris cocti. Quare agens in maturatione tumorum, atque abſceſſuum eſt calidum naturale: materia paſſibilis eſt humor putridus: at veluti forma, atque natura eſt introductus calor, qui proportione reſpondeat, ac materiam terminet: finis verò eſt facilis expulſio, vel conſeruatio in particula, ſine illius corruptione. Conſequens ſymptoma eſt craſſities materiæ.

Quando igitur natura coctionem hanc oſtendit, ac ſimul abſceſſum, vt dicebam, nos ad hanc actionem illam iuuare debemus, quod faciemus, ſi agens ipſum augeamus, aut ſaltem conſeruemus. Agens dicebam eſſe calorem ipſum, vel potius calidum innatum, ideſt, humiditas illa naturalis, atque radicalis calida, quæ ab ortu inſita eſt in particulis noſtris, ac membris, à qua veluti elixatur, vel per elixationem naturalem coquitur tumorum humor. Igitur hæc humiditas, ac ſimul calor ſeruandus eſt, ac roborandus.

Calor ſufficiens ad coctionem conſeruādus eſt tantum.

Si enim calor ſit tantus, vt poſſit concoquere ſtudendum eſt, vt conſeruetur in eo ſtatu; ſi verò calor non ſit tantus, quantus requiritur ad huiuſmodi actionem, augendus eſt. Cauſa autem, cur calor aliquando non ſit tantus, quantus requiritur ad talem actionem, eſt, quia ſitus eſt in materia fluxili, & mobili, nimirum in ſpiritibus, qui cum continuò fluant, neceſſe eſt, vt & calor innatus imminuatur. Vbicunque igitur videritis, quòd calor erit tantus, vt ipſe ſolus poſſit materiam concoquere, indicatur ſolùm, vt conſeruetur in tali ſtatu; quemadmodum eſt in tumoribus calidis, in quibus cum reperiatur calor naturalis, & præternaturalis ſimul, non eſt opus, vt calorem illum augeatis; ſed tantummodo, vt conſeruetis.

Primus modus cōſeruandi caloris duplex.

Conſeruatur autem duobus modis: aut impediendo ipſum, ne exhalet per poros; aut reparando continuò, quicquid ipſius exhalat, & deperditur; Impeditur autem ipſius exhalatio, & conſumptio altero duorum modorum: Vel ex valida conſtipatione cutis, ac meatuum cum rebus frigidis aſtringentibus, ac terreis: nam obſtructa cute ſpiritus non exhalant, & ſic conſeruatur calor, quoniam fundatus eſt in ſpiritibus; ſed conſeruatio hoc modo facta non eſt tuta, quia poſſet fieri magna ſuffocatio, & ſic gangręna, & membri corruptio, & præcipuè in tumoribus calidioribus. Sed animaduertendum, quòd ſi caſu fieret inflammatio in liene, vel in hepate, & deſineret in abſceſſum, & cogeremini vti concoquentibus, ſemper cum concoquente medicamento opus erit admiſcere aliquid aſtringentium, vt portionem abſynthij; ſed vbi non fueritis coacti, nūquam vtamini aſtringentibus ſimul cum ſuppurantibus. Illud autem quod cogit medicum ad commixtionem portionis medicamenti aſtringentis cum ſuppurantibus eſt, vt dixi, robur particulæ, quòd intendit, & ſtudet acquirere, aut ſaltem conſeruare. Altero modo

conſer-

conſeruatur calor naturalis, quemadmodum conſeruatur calor in olla per operculum ſupra poſitum, ita & calor inſitus per applicationem alicuius, quod inſtar operculi inhibeat exitum ſpirituum, infarciendo meatus, & ita indicatur, medicamenta hæc debere eſſe viſcida, ac mollia. Et hic modus conſeruandi caloris tutior longè eſt, quàm prior dictus, quoniam non vſque adeo ex talibus medicamentis obſtruuntur meatus, vt fuligines tenuiores, acriores, & exuſtiores non poſſint etiam exhalare: & talis conſeruandi modus comprobatur ab Hippoc. in 6. Epidem. textu 30. cum dicit: Quæcunque concoqui opus eſt, occludi conuenit. » Et ideo talis ratio conſeruandi calorem magis probatur, quàm ſuperior, niſi adſit incipiens gangræna, vel imminens, aut calor partis nimius: quia neque hæc ratio in his caſibus probatur.

Secũdus modus per additionẽ quoq; fit bifariam.

Altera ratio conſeruandi caloris eſt, quæ non fit impediendo vapores, ne exhalent; ſed per additionẽ ſubſtantiæ ſimilis ipſi calori, quando ſcilicet applicamus aliquid, quod poſſit ipſum augere. Et quia duo hic habemus conſeruanda, caliditatem, ſcilicet, & eius ſubiectum, ſcilicet ſpiritus ipſos, idcircò ea, quæ ſunt adiungenda, debent eſſe calida, & humida: calida dico, & humida, ita, vt caliditas medicamenti caliditati inſitæ ſit æqualis; & humiditas humiditati, ideſt, vaporibus. Duobus autem modis (vt aiunt Medici recentiores) poſſumus per adiunctionem calorem conſeruare: vel nutriendo ſummopere corpus (nam ad bonam nutritionẽ ſequitur quoque caloris auctio, & conſeruatio; ſed hæc conſeruatio, & additio nimis tarda eſt) vel ex applicatione medicamentorum extrinſecus loco affecto: & hic modus conſeruandi caloris cum celer ſit, vtique conueniens eſt.

Medicamẽtorũ quæ calorẽ fouent, qualitates.

Talia medicamenta, vt dixi, debent eſſe calida, & humida: præterea, caliditas debet eſſe æqualis caliditati inſitæ, & magis eſſe in potentia, quàm in actu. Sed obſeruandum, quòd ea, quæ conueniunt pro conſeruando calore iuuenis, vt, verbi gratia, thus, non cõueniet pro conſeruando calore pueri: nam thus in puero calefaceret nimis. Quare in applicandis his medicamentis conſeruantibus calorem ratione ſimilitudinis obſeruãda eſt ætas, vt ſemper ſeruetur proportio caloris ad calorem; & humidi ad humidum: nam ſimile conſeruatur à ſimili, vt Philoſophi dicunt: hoc modo antiqui conſeruabant calorem naturalem. Vnde, cum medicamenta, quæ id preſtant, infarciant poros, vocarunt ipſa infarcientia; & à Galeno in quinto de facult. ſimpl. c. 9. 12. & 26. dicuntur emplaſtica eò, quòd habeant vim emplaſticam, & detergentibus ſunt contraria, poſſuntq; illini, & ob id ſunt emplaſtica dicta: & quia concoquunt, & concoquendo pus generant, ideo & concoquentia, & pus gignentia ſunt etiam dicta, & iuuant, conſeruantque calorem, non ſolùm quia infarciendo meatus inhibent exhalationem vaporum: ſed etiam quia, cùm calida, & humida ſint, addunt ſemper aliquid ſimile calori naturali.

Augentia calorem quæ ſint.

Verum non ſolum aliquando calor eget, vt conſeruetur; ſed etiam vt interdum augeatur, quemadmodum accidit in tumoribus frigidis: idcircò etiam medicamenta hæc debent aliquando eſſe ita calida, vt calorem naturalem augeant; & proptereà duum generum conſtituuntur: Vnum genus eſt eorum, quæ nihil augent calorem, ſed ſolum conſtipando, & infarciendo conſeruant ipſum qualem inuenerunt; Aliud verò genus eſt illorum, quæ conſeruant conſtipando, & augent ſuperaddendo ſubſtantiã calidiorem: Conuenit tamen inter vtrunque genus, quòd & prius, & poſterius habet lentorem, quo infarcit poros; ſed in altero eſt humiditas ſimilis; caliditas autem diſſimilis.

Varietas ſeu gradus eorũ indicatur à tribus.

Quæ medicamenta enumerabo, ſi prius dixero vobis; obſeruandam eſſe naturam tumoris: nam ſi tumor fuerit calidus conuenient medicamenta, quæ ſunt ſub primo genere, quæ conſeruant tantùm calorem; ſi verò frigidus, quæ ſunt ſub ſecundo genere, quæ conſeruant, & augent: Secundò in habitu molli conueniunt illa primi generis; in robuſtiori verò, ac duriori alterius generis: & in puerulis vtamini ſemper iis, quæ ſunt primi; in adultioribus ſecundi: Tertiò habenda eſt ratio materiæ peccantis; nam ſi ſanguis purus peccet, conueniunt illa primi generis; ſi pituita, è contra: de quibus omnibus medicamentis legatis Galenum in 5. de facult. ſimpl. medic. cap. 9. 12. & alibi.

Primus ordo cõcoquentium.

In primo igitur ordine ſunt hæc: oleum dulciſſimum (nam humectat, & vnctuoſum eſt) hydrelęon, ideſt aqua tepida mixta cum oleo, & agitata: farina triticea cocta in aqua (habet enim ſubſtantiam glutinoſam, & eſt ſimillima corpori humano, ita, vt nihil ſimilius fortaſſe reperiatur, niſi lac, quod etiam eſt forſan minus ſimile, quàm triticea farina) medulla panis cocta in aqua: pinguedo humana, ſuilla (quę minimum differt ab humana) vitulina, agnina: pulli tenerrimi (non autem galli, vel gallinæ, quia calidior eſt) lac pingue, & præcipuè humanum: oleum amygdalarum dulcium: butyrum recentiſſimum: cera citrina (quæ optima ſanè eſt, immò ſemper commiſceatis aliquid ipſius cum emplaſtris) oleum vitelli oui: manus inuncta oleo (quæ mihi videtur obtinere principatum: nam ratione olei obſtruit, & impedit exitum vaporum; ratione verò propriæ caliditatis

conſeruat

conſeruat etiam : inungetis igitur manum vel cum oleo diſſoluto cum cera citrina, vel cum hydrelęo, (& teneatis ipſam ſupra abſceſſum : fiet enim bona concoctio, & non doloroſa) mucilago fœnugræci, mucilago ſeminum lini, mucilago radicum altheæ: & decocta etiam ex ipſis. s. fęnugræco, ſemine lini, althea. Ex his etiam poteritis conficere medicamenta compoſita; tum vt maior copia medicamentorum imponatur, tùm etiam vt medicamentum diutius ſupra locum perduret: Componetis igitur hoc modo.

℞. Foliorum maluarum } añ. ℥. v.
Violariæ }
Farinæ triticeæ cribratæ ℥. vj.
Croci, ℈. j.
Pinguedinis porcinæ } añ. ℥. j. s.
Olei communis }

Vel, ſi tumor ſit calidus, loco olei communis accipiatis lactis vacini q. ſ.

Miſce, & coque in hydrelęo, vel in iure pingui, vſque quò acquiſiuerit ſubſtantiam emplaſtri, & pone ſuprà tumorem. Si velitis alìud purius, faciatis hoc modo.

℞. Medullæ panis fermentati ℥. iij.
Olei communis ℥. j. s.
Aquæ, q. ſ.

Miſce, & coque, vſque quò acquiſierit formam emplaſticam, & erit panatella puerorum. Hoc igitur modo poteritis componere emplaſtra primi ordinis.

Secundus ordo.

Secundi verò generis medicamenta ſunt, quæ calida in primo, vel in 2. incipiente exiſtunt, & maior pars ipſorum eſt humida; & quæ humida nō ſunt, admiſcenda ſunt cum aliquo, vt actu fiant humida. Sunt igitur huius generis primò reſinæ, vt reſina terebinthina, abietina, laricina, ex pinu: bdellium: galbanum: ammoniaci lachryma: caricæ: paſſularum caro: thus: crocus: fermentum (quod certè optimum eſt: habet enim lentorem, & tantum caloris, quantum ſufficit) radices altheæ: ſemen fænugræci: ſemen lini (ſub primo verò genere ſunt horum mucilagines, & decocta) cæpæ liliorum alborum coctæ in aqua ſunt etiam ſub ſecundo genere; ita quoque oleum chamomęlinum: pinguedo galli; vel capi, vel gallinæ annoſæ (pinguedo tamen ſit recens) butyrum vetuſtum; ſed non vetuſtiſſimum. Ex his poteritis etiam emplaſtra componere hoc modo.

℞. Radicum altheæ præparatarum lib. s.
Carnis caricarum } ℥. ij.
paſſularum coctarum in aqua }
Farinæ triticeæ ℥. iij.
Fermenti, ℥. j.
Butyri, } añ. q. s.
Ping. gallinæ }
Croci, ʒ. s.

Miſce, & tere in mortario, &, poſitis ad ignem, cùm parum incaluerint, pone ſupra locum affectum. Sed animaduertatis, quòd hoc emplaſtrum eſt opportunum in tumoribus parum calidis, non autem in calidiſſimis. Si validius emplaſtrum volueritis, faciatis hoc pacto.

℞. Radicum altheæ, } añ. ℥. iiij.
Cæparum liliorum alborum coctarum in aqua }
Fermenti, ℥. ij.
Farinæ ſem. lini ℥. j. s.
Terebinthinæ, ℥. s.
Croci, ℈. ij.
Olei chamomælini } añ. q. s.
Ping. gallinæ. }
Miſce pro emplaſtro.

In tumoribus contumacibus ſuppurantibus applicāda, ſunt quæ diu parti affectę hæreant.

Sed debetis animaduertere, quòd aliquando habemus tumores qui potius defatigant Medicos, quàm ex impoſitione dictorum medicamentorum, vel ſimplicium, vel compoſitorum matureſcant, quemadmodum ſæpe accidit in bubonibus gallicis, quorum licet ex centum nonaginta nouem deſinant in abſceſſum; tamen non niſi longo tempore ſuppurantur, ita, vt prætereat aliquando menſis, aliquando duo, & tres, antequàm matureſcant: vnde ſi in his vellemus vti ſupradictis medicamentis, oleis, pinguedinibus, emplaſtris, & huiuſmodi, præterquam quòd diuturno tempore ſuppurarentur, faſtidirent ægrum, & medicum defatigarent, quoniam, cum liquida ſint, non poſſunt ſupra locum contineri adeo, vt non huc, illuc fluant, & fœdent totum ferè corpus ipſius ægri,

coque

coque magis, quò opus eſt ſæpe ſæpius, vt remouentur talia medicamenta, quia cùm effluant, citò abſumuntur: Et propterea opus eſt inuenire aliquod pro tumoribus illis, qui ſerò ſuppurantur, & illud debet eſſe tale, vt non fluat, diuq; ſupra locum maneat, ac perduret, & hæreat adeo, vt faſciarum ope non indigeat: tale erit diachylon cum gummis; vel diachylon magnum Meſue: hæc etenim poſſunt concoquere, quia calida ſunt, vel in primo vel in ſecundo, & habent vim emplaſticam: Verùm, quia ſiccant, non ſunt opportuna, niſi commiſceatur cum ipſis aliquid, quod vim exſiccandi auferat, cuiuſmodi eſt pingue recens gallinæ, butyrum recentiſſimum, vel oleum commune. At qua menſura aliquod iſtorum eſt cum cerato alterato commiſcendum? Dico, quòd pro vna vncia cerati ponendæ ſunt duæ drachmæ horum humidorum, vel tres ad ſummum, dummodo ſint pinguedines: nam olei admiſcendi quantitas non debet excedere duas drachmas, quia fluidum nimis redderetur ceratum. Faciatis igitur hoc modo: *Diachylon cum gummis, etc. cum pinguib. miſcendum.*

℞. Diachylonis magni, vel de gummis ℥. j.
Pinguedinis vitulinæ, vel alterius ʒ. ij.
Miſce ad ignem.

Medicamentum hoc erit valde opportunum, quia ſua ſoliditate hærebit loco, nec amplius exſiccabit: extendatis igitur ipſum ſupra corium hœdinum, vel aliud conſimile, & poſtea applicetur tumori.

Sed hic præceptum illud non obliuiſcamini, quòd ſi calor particulæ valdè imbecillus ſit, non debetis vti emplaſtieis; ſed tantùm calidis temperatis, aut ſcarificatione.

Cum his igitur poteritis tentare concoctionem maturationemve abſceſſuum, & eò vſque progredi, quouſque videritis iam pus factum: Quod ex proprijs ſignis cognoſcetis: & ſignum primum ſumitur à quantitate tumoris, vt, cùm tumor videtur quodammodo declinaſſe; & aliquid de ſua quantitate amiſiſſe, indicatur iam eſſe maturum: nam ex concoctione materiæ aliqui vapores exhalarunt: & ideo pars aliqua tumoris apparet immutata, & rugoſa, quia vapores diſtendentes ſunt diſcurſi. Alterum ſignum eſt, cùm pars aliqua tumoris deſinit in acumen, ita, vt non ſolum promineat, quemadmodum diximus fieri, quando indicatur abſceſſum futurum, ſed fiat acuminata, & veluti in mucronem ſit eleuata. Tertium ſignum facti puris eſt, cum tenſio, & durities aliqua ex parte ceſſarit. Quartum eſt vndatio quædam apparens ad compreſſionem duorum digitorum alternatim factam, dummodo talis vnda non ſit naturalis in loco, vt eſt propè genua, ac multis alijs in locis. Sed animaduertatis, quod licet hoc ſignum ab vndatione acceptum ſit in frequentiſſimo vſu apud Empyricos, ita vt iudicetur ab ipſis certiſſimum, tamen poſſet vos decipere, ſicut & ipſos ſæpe decipit, ſi, reliquis ſignis ſpretis, huic ſolo fideritis; quoniam aliquando materia eſt craſſa, ita, vt non poſſit ſub digitis vndare: ſæpe etiam eſt in loco valde profundo, adeò, vt vndatio non poſſit fieri: Cùm itaque vndatio poſſit impediri, vel ob craſſitiem materiæ, & propter profunditatem loci, in quo continetur, vt fuit ſententia Hippocratis in ſexto Aphoriſ. 41. non eſt huic ſolo ſigno fidendum, ſed ad alia etiam recurrendum, quoniam non valet conſequentia hæc: ad digitorum compreſſionem non apparet materiæ vndatio; ergo non eſt iam factum pus: quia poteſt materia eſſe valde craſſa, vt non vndet; vel in loco ita abdito, vt non appareat vndatio: & ideo Hippocrates loco dicto dicebat: Quibuſcunque ſuppuratio in corpore exiſtens non innoteſcit, ijs ob craſſitudinem puris, aut loci non innoteſcit. Quintum ſignum eſt, quòd incipit perſentiri ab ægro minor grauitas, & cauſa eſt, quia licet concoctio procedat, vt ait Ariſtoteles, incraſſando, tamen, ob agitationem factam à calore in materia, multæ partes aereæ ingrediuntur ipſam, & propterea tumor apparet ægro minus ponderoſus. Sextum ſignum iam facti puris, maturique abſceſſus eſt color albus apparens in acutie: & maius certiuſque adhuc ſignum hoc fuerit, ſi ſcarifices particulam illam albeſcentem, quæ in ſummo acuminis eſt, & videris, quòd facilè, & ſine dolore ſeparatur: quod fit, quia cuticula illa eſt corrupta à calore concoquente: fit autem alba, quia eſt deſtituta ſanguine. Septimum ſignum ſumitur à calore duplici, videlicet ab eo, qui in toto corpore eſt, & qui in parte: ſi enim cum tumore aderit febris; & videritis, quòd febris remittitur, ceſſatque calor tantus in ipſo tumore, habeatis pro confeſſo materiam abijſſe in pus. Vltimum ſignum eſt remiſſio & doloris, & pulſationis. Hæc ſunt ſigna cognoſcendi abſceſſus maturos ab immaturis: quæ, vt facilius memoriç mandarentur, ſub tribus his carminibus ſunt à Recentioribus noſtris eleganter admodum comprehenſa. *Signa puris facti.*

Durities longa, pulſus, dolor, & calor aucti
Signant pus fieri: ſed factum dicta remiſſa
Sub digitis vndans, albeſtens pars, & acuta.

Puris euacuatio per reſolutionem quando locũ habeat.

Cognito, quòd pus eſt iam factum, indicatur eius eductio. Poteſt autem euacuari duobus modis: Vel per reſolutionem, quæ ſanè eſt vera curatio, quoniã euacuatio per apertionem loci eſt morbum morbo curare; & propterea inciſio cauenda eſt, quantum fieri poſſit: Altero modo educitur per inciſionem tumoris, & aperta vomica. Quando igitur pus non erit craſſum valde, & ſcieritis, quòd humor, ex quo factum eſt pus, non fuerit malignus; & quando non erit multus; & particula non erit nobilis; tunc euacuabitis ipſum per reſolutionem: & maximè hoc fieri debet in ſcrofulis propter cicatricem remanſuram; & ideo in tumoribus glandularum ceruicis vti ſoleo hac euacuatione puris, quæ fit per reſolutionem: & facilè ſuccedit, maximè in pueris, & fœminis, quoniam pus illud in iſtis eſt veluti humor pituitoſus non valde craſſus, nec malignus; & ita non deturpatur mulier, vel puer, quod maximi ſolet referre.

Quando abſceſſus aperiendus.

Sed ſi pus eſſet craſſum, & multum; necnon malignum; & pars nobilis, euacuetis facta vomica: nam ſi multum eſſet, non poſſet vnquam cum reſoluentibus totum euacuari: ſi craſſum, non cedet: ſi verò ex maligno humore factum poſſet recrudeſcere, & ibidem, vel in alia parte peiorem morbum gignere. Aperiendus igitur eſt locus. Hoc autem duplici inſtrumento poteſt fieri, medicamento ſcilicet, & ferro: ſi cum ferro fiat ſectio, citius euacuabitur; ſi cum medicamento tardius. Sed licet apertio facta medicamento ſit tarda, aliquando tamen eſt magis opportuna, quàm quæ ferro fit: aliquando etiam è contra: Commodior quidem eſt, quæ cum medicamento fit in timidioribus, vt fœminis, pueris, & in hominibus aliquibus, qui nomen duntaxat aliquando ferri, ne dum ſectionem ipſo factam adeò timent, vt animo ſtatim deficiant; & ideo tunc aperiendus eſt locus cum medicamento cauſtico exurente cutim, cuiuſmodi eſt oleum chalcanti, de vitriolo vocatum aliàs, capitellum ex capritico; vel accipiatis parum ſaponis, & commiſceatis cum puluere calcis viuæ, & illiniatis parum huius medicamenti ſupra linamentũ, & applicetis illi parti abſceſſus, quæ vobis videbitur opportuna magis, vt aperiatur.

Quando medicamentum cauſticũ adhibendum.

Quãdo ferro ignito vtendum.

Sed ſi æger robuſtus ſit, & non formidet ſectionem ferro factam, ferro vtamini. In qua re obſeruandum eſt, quòd bifariam ferro aperimus abſceſſum, vel ferro ignito, & ſecante, vel ferro frigido. Occaſio, in qua vtimur nouacula ignita, eſt duplex: Vna quidem eſt, quando habemus abſceſſum magnum, & frigidum, vel circa femora, vel circa ſcapulas, vel circa ſpinam dorſi, vel in alijs partibus: nam cum multa materia frigida in eo abſceſſu continetur eſt in cauſa, vt partes adiacentes refrigerentur valde, & ideo tunc ſecamus abſceſſum ferro candente, vt ſimul & ſemel euacuetur materia, & auferatur intemperies frigida: Secundò ſecamus ferro candenti, quando abſceſſus eſt in parte, vbi perreptent arteriæ, & venæ aliquæ magnæ: & ideo, ne ex ſectione alicuius vaſis egrediatur copioſus ſanguis, adeo, vt & vita ſimul exeat, vtimur ferro ignito, quia, ſi ſecetur vas aliquod, ſtatim etiam clauditur exuſtione.

Quando frigido ferro.

His exceptis occaſionibus, ſemper ſecate ferro frigido: circa quam ſectionẽ duo capita ſunt obſeruanda, & maximè obſeruanda: quia res agitur circa humanũ corpus, & aliquando circa partes ipſius nobiliores: & propterea opus eſt vti maxima diligentia: primum igitur caput verſatur circa ſymptomata inſecutura ad ſectionem, quę ſunt deliquiũ animi, dolor nimius, ac vix tolerabilis, & fluxus ſanguinis. Hæc enim omnia ſunt ante ſectionem præuidenda, & ſingulis, vel ne fiant, vel, cum facta fuerint, ne progrediantur, eſt occurrendum: Circa deliquium animi ſitus corporis eſt obſeruandus; nam dum fit ſectio, æger debet manere non rectus, quoniam rectitudo corporis maximè videtur facere ad deliquium animi, ſed debet toto corpore decumbere, & quietus manere. Secundo antequàm fiat ſectio, vel ſtatim poſt ſectionem, debent recreari ſpiritus ipſi ægro (loquor de abſceſſibus magnis) hoc autem fiet, ſi exhibueritis (vt ego ſoleo) offam panis in vino maluatico: nam recreabuntur ſpiritus, & non ita facilè ſuccedet deliquium animi, & ſi non exhibeas ante ſectionem, ſaltem poſt id facito: poterunt etiam parari odoramenta, vt aqua roſacea, acetumque optimum proijciendum ægro in faciem.

Cautela.

Præſeruatio à lipothymia.

Chirurgus ante ſectionẽ contra fluxũ sãguinis erit inſtructus.

Præuidendum eſt etiam, an ex ſectione ſit neceſſe ſecare vas aliquod; vtrũ pars illa ſit apta ligari faſcia, necne; & ita, antequàm ſecet, præparanda ſunt ea, quæ poſſint ſanguinem effluentem cohibere; ita, vt, ſi faſcijs hoc non poſſit conſequi, præparatis ceratis, & emplaſtris id obtineat; & ita parabit pulueres aſtringentes, ſanguinem draconis, bolum Armenum, chalcantum vſtum, chalcanti oleum, & ſimilia, vel medicamentum illud Gal, quod conſtat ex thure, pilo leporino, aloe, & albo oui: ſi hæc non aderunt, non deerit medicamentum Auicen. de quo agit quarta quarti c. 26. ex albo oui, tela aranea, & pilo leporino; vel pilis groſſipij, ſi leporini non adſint: habeatis etiam paratam poſcam, atque alia ſimilia: necnon cauteria actualia à Chirurgis his dicta: hæc enim atque alia opportuna ſi parata habeat Chirurgus, oſtendunt ipſum & prudentem, & diligentem,

Debet

Debet etiam parare Chirurgus, quæ dolorem poſſint ſedare: nam aliquandò inter ſecandum; aliquando poſt ſectionem magnus excitatur, adeo, vt ſi non ſedaretur, maior fieret materiæ attractio, & ita morbus augeretur, vel peior alius fieret: ideo habeat Chirurgus parata ea, quæ verè ſint anodyna. hæc circa primum caput ſunt obſeruanda. *Item contra dolorem.*

Alterum caput pertinet ad actionem, ideſt ad ipſam ſectionem, in qua plura ſunt obſeruanda. Primò vt Chirurgus, qui ſecaturus eſt, probè noſcat naturam partis, in qua ſectio eſt facienda, & particularum illarum, quæ ipſam componunt, pariter & ipſius partis nobilitatem. Secundò, vt cognoſcat, quænam tumoris pars aperienda, ideſt, in qua parte ſit ſecandus. Tertiò, quanta debeat eſſe inciſio, magna, parua, longa, lata, anguſta. Quartò, quomodo debeat fieri ſectio rotunda ne, an oblonga, & quo tempore ſit facienda. Quintum pertinet ad inſtrumenta frigida: nam non omnes abſceſſus ſunt eodem ferro ſecandi. Sextum attinet ad materiam extrahendam, vtrum tota, an pars, an ſenſim, an confertim ſit euacuanda. Septimum continet in ſe tractationem, & modum agendi: nam aliqui blandè agunt, aliqui ſeuerè admodum. *Conſideranda in ſectione.*

De primò igitur cognoſcenda eſt partis natura, atque nobilitas; quoniam plurimi refert: nam ſi, verbi gratia, eſſet ſecandus in fęmore, in partibus illis carnoſis, ſi committeretur error, non eſſet magni momenti; nam facilè emendaretur; at ſi propę oculos, non ita: & ideò cautè admodum eſſet agendum, vt fuit ſententia Auicennæ. Secundò circa idem hoc caput obſeruandum eſt, vt ait Auicenna, quot, & quæ partes; & quomodo, & vbi ſint ſitæ, quæ partem illam componunt; alioqui non poterit ſcire, quo in loco abſceſſus ſit ſecandus: vnde poſſet facilè ſecare vas aliquod, vel neruum, quod non fiet, ſi ex anatome cognoueritis optimè venas, arterias, neruos, tendines, & ſimilia: quare partes componẽtes omnes, & earum ſitus optimè eſt cognoſcendus. Tertiò ſub hoc capite obſeruãdum eſt, vt Chirurgus ſciat, quænam ſint rugæ cutis, vtrum ſint per longũ an alio modo, vt ſi, verbi gratia, abſceſſus eſſet in brachio, vbi rugæ ſunt ſecundum rectitudinem corporis, ſectio eſſet facienda per longitudinẽ rugarum; contrà autem, ſi abſceſſus eſſet ſub axilla: nam nũquam exprimeretur ſanies, ſi per longitudinem, & rectitudinem rugarũ totius fieret ſectio. Obſeruandum eſt etiam an ſub cute ſecãda ſit caro necne copioſa: nã ſi eſſet, verbi gratia, ſecanda cutis frontis, nõ oporteret, vt ſectio ſequeretur rugas, ſed fibras muſculi: & ita ſecandum erit ſecundum rectitudinem fibrarum muſculi illius. Itaque ductus fibrarũ ſemper eſt obſeruandus, exceptis duob. caſibus, qui ab Auicenna proponuntur quarta quarti, c. 26. Alter, quando fibrę cutis, & rugæ differunt à fibris muſculorum ſubiectorum, verum illis connata eſt cutis, vt in fronte: nam fibræ, & rugæ cutis tranſuerſæ ſunt; fibræ autẽ muſculi ſunt rectæ; & tamen ſimul connaſcuntur: quare tunc ſectio non eſt facienda ſecundum rectitudinem rugarum. Alter caſus eſt, quando fibræ cutis, & muſculorum variæ, & non connatæ fuerint, tamen vomica infra muſculos fuerit, vt in abdomine, tunc muſculorum ratio, non autem cutis habenda eſt. *Membri ſecandi natura, dignitas, partes, ſitus, cõnexa fibræ conſiderãda.*

Alterum caput verſabatur circa locũ ſecandum in quanam parte ſuperiori ne, an inferiori tumor eſſet ſecandus: Obſeruandũ eſt igitur, vt dicit Gal. in 13. meth. c. 5. in qua parte abſceſſus habeat cutim tenuiorẽ, laxiorem, & molliorẽ; & quis ſit locus inferior: Cognoſces autẽ cutim tenuiorem eſſe ibi, vbi ſub digito perſenties vndantẽ magis ſaniẽ: ſecundò, vbi erit maius acumẽ, cutiſq; albeſcens, ibi tenuior erit, & ibi erit ſecãdus tumor, quia minor excitabitur dolor, & citius ad vomicæ cauitatẽ deueniemus. Sed non ſolũ tenuitatẽ cutis; ſed & locum inferiorẽ in abſceſſu debetis obſeruare: nã ſemper in loco decliui, molliorique ſectio eſt faciẽda. Ita. n. fiet, vt ſanies ipſa facilius, ac prõptius egrediatur. *Secundò cutis tenuitas, & loci decliuitas obſeruanda.*

Tertium erat, qualis debeat eſſe ſectio; in qua re facile eſt peccare: nam, ſi anguſta fiat ſectio in abſceſſu magno, ſolet ſuccedere fiſtula; ſi verò ſectio ſit maior, quàm opus ſit, eſſet quoque mala: nam reddit partẽ turpem: præterea ſuccedit, vt pars deſtituatur proprio integumento: nã cutis, quę ſecatur, eſt propriũ integumentum illius partis, & magis calefit ab ea, quàm manus, quũ admouetur igni: & ideo fit, vt ex magna ſectione locus remaneat exutus, parſq; illa refrigeretur, & ſuccedat tandẽ ipſius imbecillitas, & ita debili facto calore, non poteſt concoquere, & ſimilia agere, quæ faciunt poſtea ad cõſolidationem, &c. Tertia cauſa cur ſectio magna ſit vitanda, eſt, quia ad ipſam ſemper ſuccedit imbecillitas partis ad motum voluntarium: nam magna cicatrix magnam efficit cõtractionem partium adiacentium propter eius duritiem, vt puto vos obſeruaſſe in ijs, qui habent magnam cicatricem in manu, qua fit magna contractio digitorum, ita, vt non poſſint ad arbitrium patientis hominis flecti, & non niſi diuturno tempore poſſunt ſanari, quia longum tempus requiritur ad emolliendam cicatricem illam. Sectio igitur non ſit nimis longa, aut breuis, nec nimis lata, aut anguſta, nec ſublimior, aut nimis profunda; vel, vt vno verbo dicam, non ſit maior, aut minor, quàm deceat. *Tertio quantitas ſectionis.*

Quarto ſpecies inciſionis inquirenda.

Myrtea ſectio quomodo fiat, & quid boni habeat ex Galeno.

Aliud quartò circa ſectionem eſt obſeruandum, nimirum, ſpecies ipſa ſectionis, quæ multiplex eſt;ſed circularis nunquam admittenda, quia difficile expletur carne: & ideo errant,qui perforant, punguntve abſceſſus: nam ſemper,ſi in abſceſſu ſit ciuitas magna, ſuccedit vel fiſtula, vel tarda ſanatio, ideo ſemper ſectio ſit longa, & vel recta, vel obliqua,pro ratione tumoris incidendi; At quanta longitudine dices tu? Antiqui habebant vnam ſpeciem ſectionis longæ,quam vocabant ad folium myrti: de qua Gal.in 13.meth. cap.5. & Paulus in 6.lib. cap.34. quæ ſectio fiebat hoc modo: primo nouacula ſecabant abſceſſum;poſtea,arrepto forcipe,amputabant labium vtrinque,ita,vt os vulneris remaneret ad figuram folij myrti: quam ſectionem dicit Galenus eſſe cõmodam,dummodo nõ ſit valde magna:primò,quia,cùm lata ſit in medio,materia optimè egrediebatur: ſecundò,quia labia graciſſa non ita inflammantur,& vulnus melius coaleſcit: nam,ſi inibi relicta fuiſſent illa labia, fuiſſent refrigerata; ad refrigerationem inſecuta eſſet eorum corruptela: nam reddita fuiſſent ſemimortua, & ita impedimento fuiſſent coalitioni: tertiò, quoniam, ſi quid adeſt putridi, auſertur, quia, cùm illa labia ſint veluti putrida, fuiſſet malum inibi relinquere,etiamſi nihil impediuiſſent: nam omne putridum eſt auferendum. Sed licet hoc dicat Galenus,tamen huiuſmodi ſectio mihi non placet,nec ea vtor,niſi in quibuſdam caſibus,duobus ſcilicet tantum, primò in ægilope, qui eſt tumor paruus in interiori angulo oculorum: quando enim tuberculũ illud fuerit ſuppuratum, ſoleo ipſum ſecare per longum;deinde amputare labiola:& hoc facio,vt maneat apertũ diu,quò optimè tuberculum expurgetur;quod non fieret,ſi ſola longa ſectione eſſemus contenti,quia,cum linamenta non poſſimus ipſi adaptare,citò coaleſceret, & inſequeretur facillimè fiſtula, vt ſæpe vidi ob ignorantiã Chirurgorum, qui hoc non obſeruarunt: Quare in ægilope conſulo vobis,vt ſemper myrtacea ſectione vtamini. Secũdò vtor hac ſectione,quãdo abſceſſus eſt ita maturus factus,vt cutis ſit putrida reddita, ita, vt ſenſum amiſerit:& propterea,cùm non doleat,putridaq; ſit,bonum eſt ipſa labia amputare: & ſi cutis non eſſet putrida,nullo modo amputeris labia,quia excitaretur maximus dolor:triplex enim in hac tali ſectione fit inciſio;ſed loco amputationis labiorũ,repleatis vulnus ſtupa madida albo oui, vt faciunt recentiores, & ſine triplici ſectione fiet ſectio ad folij myrti figurã: Vel vtamini alia ſectione,quã trigon,vel triangularẽ Paulus vocat eò,quod trianguli habeat figurã:habet enim tres lineas;& ipſa vtimur,cum ſinus abſceſſus eſt magnus;& ideo cũ multam contineat materiam,opus eſt vti ſectione,qua commodè poſſit educi,cuiuſmodi eſt ſectio hęc trigona,quę duplici fit ſectione:ſecamus enim primò abſceſſum in ea parte,quæ magis videtur opportuna, vt puta in decliui; ſecamus,inquã,nouacula per lineã rectam; mox per tranſuerſum ſecamus alterum labiũ, & illud quidem, quod magis latum eſt. Aliquando vtimur alia ſectione quadrangularis vocata;& præſertim in tumoribus quibuſdã, qui ſolent oboriri in capite puerorũ, atque talpæ vocantur, ſi enim non ſecarentur quadrangulari ſectione,quæ fit per duplicẽ lineam rectam, vt vocatur ab iſtis incruciata ſectio,nunquam ſanarentur. Hac eadem ſectione quadrangulari vtebantur antiqui in abſceſſibus magnis,quando opus erat magna euacuatione: & cum hoc modo per crucẽ abſceſſum inciderant,attollebant labia,& inter ipſa ponebant lemniſcum,vt apertũ maneret abſceſſus oſculum. Et vt ſciatis quid ſit lemniſcus,debetis adnotare, ꝙ veteres Græci vocabant λημνίσκον faſciã tenuiſſimam,ex lana confectam, quam obuoluebant circa coronas:nõ enim ex ſolis frondibus; ſed etiã ex lana,vt ait Feſtus,coronæ antiquitus fiebant, quãuis poſtea aurei etiã addi cepetint iſti lemniſci,vt conſtat ex Plinio lib.2.c.3.Huiuſmodi igitur faſcia lemniſcus propriè dicebatur antiquitus,& nihil aliud erat,quàm vitta quædã attrita in longũ inuoluta,atq; intorta,& implicita, vt colligitur ex Plin.lib.6.c.34. & ex Aetio lib.6.c.1.& lib.14.c.32. vnde poſtea in vſu poſitũ eſt, vt vnumquodq; velũ tenuiſſimum vocetur lemniſcus. Huiuſmodi igitur vittam imponebãt antiqui in vulnus,vt apertũ maneret,& materia egrederetur. De hoc lemniſco intelligit Celſ. in 7.lib.c.28. vbi docet rationẽ dilatandi pudendũ muliebre, qñ à natura adeo arctũ eſt factũ,vt ad coitũ ſit ineptũ, propterea,ꝙ virile membrũ nequeat in ſe recipere.

Myrtea ſectio probatur ab auctore ſolum in ægilope, & putridis labijs.

Triangularis inciſio.

Quadrangularis.

Lemniſcus quid.

Quinto varia ſectionis inſtrumẽta.

Quintum caput reſpiciebat inſtrumẽta,quę multiplicia ſunt:aliquando aperimus abſceſſum cum inſtrumento illo cõmuniſſimo, quod nouacula vocatur, ſenſim ac ſenſim ſcarificando;ſed raro ad huiuſmodi vſum vtimur tali inſtrumento,quoniam non efficit, quod optamus: aliquando cũ inſtrumento illo, quod vocatur μυρσίνη σμίλη, & φλεβότομον à Galeno 14. methodi 17. ideſt gladiolus factus ad figuram folij myrtini, flobotomus; & lanceola à noſtris appellatur: hoc inſtrumento ſolemus ſecare abſceſſus circa gingiuas: In ſecandis verò abſceſſibus exterioribus & magnis non eſt opportunum,quia paruam nimis ſectionem faceret: Et propterea opus eſt vti gladiolo illo facto ad formam paxilli, quod arbitror eſſe inſtrumentum illud, quod nos Gamaut vocamus; quod inſtrumen-

ſtrumentum à Gal. loco dicto, & à Paulo lib. 6. cap. 6. vocetur σκολοπομαχαίριον. Sed circa hoc inſtrumentum eſt obſeruandum, vt optimè ſecet, & acuminatum ſit valde; nec obductum rubigine; nec debet eſſe crudum, ſed coctum: Declaro hæc verba: quando fabri confecerint gladiolum, vt ipſi dent temperaturam (ſic enim aiunt) igniunt ipſum, & ita candentem immergunt in aquam frigidam, & fit acies gladioli, & totus gladiolus duriſſimus, & talis vocatur crudus; coctus verò, quando non in aqua, ſed in oleo extinguunt ipſum: & hunc in modum temperatum inſtrumentum conuenit in ſecandis abſceſſibus; quoniam ſecat optimè, & penetrat facillimè. Secundò circa inſtrumentum eſt obſeruandum, vt non ſit adeo imbecillũ, vt inter ſecandum frangatur: ſit etiam incuruum; non tamen nimis: manubriolum habeat firmum: non ſit craſſum; ſed valde tenue, & acutum.

Gladiolus coctus, aut crudus, qui ſit.

Sextum caput reſpicit materiã euacuandam: quę, ſi pauca fuerit, tota eſt extrahenda, & exprimenda: ſimiliter eſt tota euacuanda, quando eſt acris ita, vt ſtimulata natura libenter eam expellat; Sed ſi multa ſit, non tota eſt extrahenda, ſed pars tantum, quoniam magna fieret ſpirituum reſolutio, & virium: Vnde dicebat Hippocrates in 6. aphor. 27. quod in ſuppuratis, & in tumore hydropico ſi aqua illa tota vna vice extrahatur, æger moritur ſæpe, vt ego vidi: Pars igitur tantum eſt, cum ſecatis, euacuanda, & ſinite, vt quæ remanet per ſe euacuetur: quod fiet vel vnica die, vel duabus, &c. nec permittatis, vt Chirurgus, facta ſectione, exprimat abſceſſum, quemadmodum conſueuerunt ferè omnes, vt oſtendant ægro, & aſtantibus ſe cum ratione ſecaſſe, quoniam dicunt, videte quantum ſaniei hic continebatur, & interim exprimunt, & excruciant ægrum: Domini, iſti malè agunt, quoniam ex euacuatione multæ ſaniei reſoluuntur multi ſpiritus: præterea excruciant miſerum hominem: nec doloſt ars hæc, quæ eſt veluti manus Dei, exercenda: quare coarguatis ipſos, nec ſinatis, vt exprimant; & præcipuè in abſceſſibus habentibus ventriculos: Et, vt ſciatis, ventriculi abſceſſuum ſunt quædam partes ſanioſæ ſolidæ, ac albæ, quæ antea erant partes carneæ, & verſæ ſunt in pus; quæ ſecto abſceſſu apparent in ipſo, & vulgò dicitur caput, ſeu radix, & à Celſo lib. 5. cap. 28. furunculus, & talis ſubſtantia difficile egreditur; Attamen nebulones iſti nituntur & digitis, & ferris illam extrahere, & maximum concitant dolorem, & tumorem irritant: quare non permittatis, vt exprimant, nec tentent extractionem talis ſubſtantiæ: nam per ſe cum linamento breui tempore egredietur. Et non ſolum in magnis abſceſſibus, vbi multum eſt pus; ſed nec etiam in paruis, vbi pauca eſt materia, tentanda eſt euulſio, vel expreſſio huiuſmodi ventriculorum. Hic eſſet locus, vt loquerer de materia, ex qua abſceſſus variè formantur, ac de ſpeciebus ſaniei; verùm, ne retardem partialem tumorum curationem, relinquo in alium locum opportuniorem, & inualid tempus.

Sextò perpendendum, ſimulne, ac cõfertim, an partiatim, et paulatim materia educenda.

Ventriculi abſceſſuum, qui ſint.

Ventriculi neque in magnis, neque paruis abſceſſibus exprimendi.

Septimum, & vltimum caput attinet ad tractationem, in qua tria ſunt obſeruanda, videlicet, vt omnia tutò, blandè, & citò agantur: Tutò quidem, ne fiat maior ſectio, quàm opus ſit; ſed fiat ſine periculo: quod fiet, ſi attentè, & cautè agat Chirurgus, neque ſit nimis audax in agendo. Blandè verò, ne æger à morbo, & à Chirurgo excrucietur; ſed omnia fiant cum minori dolore, quo poſſit. Citò etiam, ſi fieri poſſit, in quo diſtinguitur exercitatus ab inexercitato Chirurgo: nam qui exercitatus eſt, citò ſe expedit.

Septimo tutò, iucundè, citò ſecandũ.

Euacuata ſanie, ſupprimendus eſt ſanguis: ſedandus dolor, ſi aderit, ac concoquenda pars materiæ, ſi inconcocta remanſerit: tertiò abſtergenda ſordes: quartò explendum eſt vlcus carne: vltimò obducendum eſt cicatrice. Siſtetur ſanguis, impoſita ſtupa madida in albo oui; & ſupra tentam hanc imponetis ſplenium ex ſtupa etiam madefacta in albo oui, & ſupra ſplenium linamentũ madefactum oleo roſaceo, vel chamomelino, vel cum lacte, vt remoueatur dolor, ſi aderit, & relinquetis ita ſpatio vigintiquatuor horarum. Sed animaduertatis, quòd linamentum eſt ſuperponendum non vulneri, ſed partib. ipſi adiacentibus; vel, vt præcipit Gal. lib. 13. methodi c. 6. repleatis vulnus cũ manna thuris: quod certè eſt optimum medicamentum: nam ſiſtit ſanguinem, quoniã habet admixtum corticem, & pariter ſiccat, concoquit, ſi quid incõcoctum eſt relictum, & dolorem mitigat; extra autẽ ex ſententia eiuſdem Gal. vti debemus fomentis mitigatorijs. Hoc licet optimum ſit medicamentũ, tamen ego non ſoleo ipſo vti; ſed pro ſiſtẽdo ſanguine impono linamentũ ex ſtupa madefactum albo oui; ſupra quod & aliud linamentum albo oui madefactum ſplenium vocatum impono; deinde (pro ſedando dolore, ſi aderit, & pro impediendo futuro, quo minus fiat; & pro concoquenda portione materiæ crudæ) impono illud idem emplaſtrum concoquens, quod prius imponebam pro adiuuanda natura in concoquendo: nam ſedat etiam dolorem, vt ſuperius audiuiſtis. Noſtri Chirurgi ſolent & ipſi imponere in vulnus linamentum ſtupaceum madidum albo oui; & ſupra ipſum ſplenium eodem modo madefactum, & poſtea linteamina ſicca, & ita relinquunt per vigintiquatuor horas vſque ſcilicet ad ſequentẽ diem, ſicuti & ego facio. hoc tamen

Poſt apertionẽ quinque alia ſunt agenda.

Modi ſanguinem firmandi, dolorẽ mitigandi, reliquum concoquẽdi varij, Galeni, Chirurgorũ, Faloppij.

inter me & ipſos intereſt; quòd ipſi ſupra ſplenium nihil imponunt, quod impediat, ne linamentum, & ſplenium ſupra locum exiccentur; & hinc eſt, quòd miſer æger altera die refert ſe perſenſiſſe magnum dolorem, nam ſicceſcentibus linamentis neceſſe eſt, vt fiat dolor, quantus poſtea dolor fiat, dum linamenta illa exiccata auferuntur, iudicate vos. Quare curate ſemper, vt veſtri chirurgi imponant ſupra linamentum aliquid, quod impediat ne exiccentur, ſiue illud ſit emplaſtrum iam dictum, ſiue linteum madidum oleo roſaceo, ſiue oleo communi, ſiue continuò madefiant linamenta vino auſtero: hæc enim omnia proba ſunt.

Ratio abſtergendi ſordes. Firmato ſanguine, & ſedato dolore, ſi aderit ſordes aliqua, eſt detergenda: nam aliter vulnus aut non poſſet impleri carne, aut non agglutinari: nam Hipp. in lib. de vlceribus ait: Vlcera non tepurgata non coeunt, niſi violentia, non autem αὐτόματα, ideſt, ſponte. Idcirco altera die, tranſacta iam vigeſimaquarta hora, aufero omnia, & vtor medicamento digeſtiuo vocato: nam concoquit, lenit dolorem, & ſordem abſtergit: *Digeſtiuum.* fit autem digeſtiuum hoc ex luteo oui, & terebinthina; & aliquando loco terebinthinę vtimur reſina abietina, vel laricina, ſecundum hanc formam.

℞. Terebinthinæ, vel reſinæ, ℥.ij.
Vitellum oui, nu.i.

Aliquando admiſcemus aliquid mannæ, vel parum farinæ hordei, vel parum croci, & optimum certè fit medicamentum: nam concoquit, detergit, & moderatur calorem, ſi aderit, & impedit, nè fiat inflammatio. Sed ſi videritis, quod aggregetur ſanies in vulnere; & non poſſit ab hoc digeſtiuo abſtergi, eo, quòd lene admodum ſit medicamentum, deueniatis ad aliud validius. Vtuntur iſti mundificatiuo vocato. Sed animaduertatis, quòd mundificatiuum, quod vocant, medicamentum eſt duplex, vnum, quod fit ex melle, &c. aliud fit ex ſucco apij, & quibuſdam alijs; ex ſucco inquam apij officinarum, quod eleoſelinum eſt, & tale medicamentum vocatur mundificatiuum de ſucco apij. Sed ſciatis quod vtrumque validum eſt ſatis, & ideo non vtamini ipſis in corporibus mollibus, ſed hoc, quod vobis deſcribendum propono hunc in modum:

Mundificatiuum ex melle, vel ſucco apij.

Aliud in mollioribus habitibus.

℞. Terebinthinæ ℥.i.
Syrupi roſati recentis ℥.i.
Farinæ hordeaceæ ʒ.i.
Thuris, ʒ.i.
Aloes, ʒ.s.

Miſce. hoc igitur vtamini; & poſtea, ſi opus erit, illis validioribus. Digeſto igitur, aut dum digeritur vlcus, ſi adeſt ſordes, eſt detergenda.

Sordis, ſaniei ichoris diſtinctio. Sed iam videamus quid ſit ſordes, quam ſordem Latini ferè omnes vocarunt, & barbari ſordiciem, vel ſaniem groſſam appellant, hanc Galenus ῥύπος vocauit; cum tamen non vnam, atque eandem rem apud ipſum ſignificet vox iſta ῥύπος, ideſt, ſordes: nam lib. 3. meth. cap. 3. ῥύπος, ideſt, ſordes ſignificat excrementum, quodcunque craſſum, quod in vulneribus reperitur, cui contra diſtinguitur ἰχὼρ, ideſt, ſanies tenuis, atque aquoſa: nam inquit, quòd vt in corporis qualibet particula duplex ſit excrementum, alterum tenue, alterum craſſum, ita in vlceribus duplex generatur excrementum vnum tenue, alterum craſſum: aquoſum, & tenue ἰχὼρ vocatur; craſſum verò ῥύπος, ideſt, ſordes: Vnde ſordes aliquando ſignificat quodlibet craſſum excrementum; aliquando verò accipit ſordem propria ſignificatione pro eo, quod vere ſordes eſt, quod diſtinguitur ab ichore, & ſanie, cum & ipſa craſſa ſit, non tamen ita, vt ſordes, vt Galenns lib. 5. meth. cap. 10. teſtatur, vbi ait, quod in vulnere ſordido auferenda eſt ſordes; in puro autem inducenda eſt caro, ſimulque ichor, & pus, vel ſanies eſt detergenda. Hinc patet ſordem differre ab ichore, & à pure, quamuis craſſo: hocque à Galeno paſſim ῥύπος ἐπιπαγὲν, vel ἐπίπαγον vocatur. Quid autem ſit, declarat ipſe lib. 4. de compoſit. medic. per genera, cap. 2. nam inquit, quòd aliquando carnes eliquantur, & fiunt ichores, quorum partes tenuiores exhalant, & craſſiſſimæ vlceri agglutinatæ ſordes ipſi fiunt. Quare colligimus, quod non tantum ſordes vera, & excrementum craſſum; ſed etiam vlceri agglutinatum detergendum eſt.

Abſterſio nō fit à natura ſed artifice p inſtrumenta. Cuius actionis agens, nequaquam eſt natura, neque calor naturalis, vt teſtatur Galenus lib. 3. meth. cap. 6. Nam illud, quod ſuperadditum eſt, vt caro, ſordes, callus, ac ſimilia, non aufertur à natura, ſed à Medico, vt ferro radente, aut goſſipio, vel alio organo abſtergente, vt medicamēto tali virtute prædito, quod medicamentum καθαρτικὸν ῥύπου vocatur, & ἀνακαθαρτικόν, & hoc calidum atque ſiccum ſit oportet, & tenuium partium. *Detergentia duum generum.* Na n duo ſunt medicamenta, quæ ſordem purgant: alterum, quod ῥυπτικὸν à Galeno vocatur, quod tantum cutim, & vlcera abſtergit; alterum, quod meatus, ac poros

ros

Digitized by Google

ros ipſos etiam profundos abſtergit, quod ab eodem Galeno lib. 5. de facult. ſimpl. medic. cap. 12. ἐκφρακτικὰ, & καθάρτικα τῶν πόρων vocatur: hæc amara valde ſunt, & nitroſa, ac calida, & ſicca, & tenuium partium; illa verò non ſunt amara, vel parum, & aliquando ſunt dulcia; ac parum nitroſa: nec ſunt valdè ſicca, aut valde calida, ſed ſunt ſicca in primo gradu tantum, teſte Galeno, quale eſt mel, ſapa, farina hordei, fabarum, lupinorum, mel roſaceum, ſuccus eleoſelini, reſina laricina, quam terebinthinam communiter vocant, pix naualis humida, quæ nigra dicitur, & tandem vnguentum apoſtolorum, quamuis hoc exedens ſit, quale quoque eſt medicamentum hoc compoſitum.

℞. Terebinthinæ, ℥.ij.
Mellis roſacci, ℥.j.
Farinæ hordei parum,
Miſce pro vnguento.

His igitur, vel illis validioribus vtemini, ſi opus fuerit. Cum verò iam videritis vulnus eſſe deterſum, & quòd intus rubet, deueniatis ad ſarcotica medicamenta, cuiuſmodi eſt vnguentum de matriſilua, vnguentum baſilicon maius officinarum, myrrha, aloes, & ſimilia; vel componatis vos aliud ex deterſiuo ſupra deſcripto imponendo loco olei ſyrupum roſ. recentem hoc modo. *Sarcotica.*

℞. Terebinthinæ, ℥.j.
Syrupi roſ. recentis, ℥.ij.
Myrrhæ, Aloes, Thuris } añ. ʒ.ij.

Miſce. Hoc medicamentum erit optimum, & erit ſarcoticum medicamentum magiſtrale vocatum.

Vulnere expleto carne, obſeruate, quouſque caro creſcat, & ſinite, vt antequam fiat cicatrix, aliquantulum excedat ſuperficiem cutis, ne fiat cicatrix prominens, vel caua, quæ duo euitabuntur, ſi moderate & parum caro cutim excedat: euitabitur autem ita, & prominentia & cauitas; quia medicamenta facientia cicatricem exiccant, & ita deprimunt prominentem carnem, ita, vt cicatrix reddatur poſtea æqualis toti cuti. *Notandum.*

Cum igitur videritis, quòd caro ſupercreuit aliquantulum ſupra cutim, imponatis epuloticum medicamentum, cuiuſmodi eſt vnguentum de minio; vnguentum de tutia; vnguentum diapalma magiſtrale, quod hic Patauij ſolùm habetur: cùm igitur petitis ipſum, dicatis ſolùm, accipe vnguenti magiſtralis, nam ſtatim de hoc intelligunt: habemus & ceratum barbarum optimum; ceratum de bolo armena; ceratum de minio; alumen vſtum pauciſſimum impoſitum, & ſimilia. Et hæc ſatis ſint de vniuerſali curatione tumorum, quando deſinunt in abſceſſum. *Epulotica.*

Colligatis modò ſummam eorum, quæ diximus. Audiuiſtis igitur huc uſque iuuenes optimi quid nomen tumoris ſignificet, quid ὄγκος, οἴδημα, ἀπόστημα, abſceſſus, borhot, atque ſimilia. Secundò dictum eſt, quid ſit tumor præternaturam, an morbus ſimplex, an compoſitus, & quarum partium morbus ſit, an ſolidarum organicarum, an ſolidarum ſimilarium; & quod non omnium organorum ſit morbus tumor, vt dentium atque oſſium reliquorum. Tertiò percepiſtis, quæ cauſæ ſint tumorum, primò formales, ſecundò efficientes, tertiò materiales multiplices, & ex his internas, vt vocant, atque externas. Quarto loco differentias ipſas audiuiſtis, vel ſaltem differentiarum fontes, formam, materiam, cauſas efficientes, accidentia conſequentia formam, tempus, in quo fiunt, locum vel particulam patientem, motum tumoris, qui gignitur: his ſuccedunt quaſi cognitæ ſpecies. Quinto loco ſigna patuerunt rerum quærendarum: quærenda autem erant ſeptem, primum, an tumor ſit futurus, nec ne: ſecundum natura tumoris, qui iam ſit factus: tertium ſpecies tumoris: quartum cauſa tumoris efficiens, & materialis: quintum ſubiectum corpus, id eſt, particula: ſextum tempus, motus & ſucceſſio: ſeptimum effectus, mores, proprietates, & ſymptomata: horumque cognoſcendorum organa quatuor propoſui: primum erat natura, & forma tumoris; ſecundum cauſæ tumoris cognitæ; tertium ſymptomata ipſa cognita; quartum analogia. Sexto loco tradita eſt curatio tumorum, qui à fluxione fiunt, ſecundum tempora, & primò, quo modo tumor, qui fit, poſſit impediri; ſecundo cum aliqua ex parte factus eſt, & creſcit, quo modo ſit ſanandus, & augmentũ præpediendũ; tertiò, cum penitus factus ſit, atq; creuerit, quo modo ſanandus; quartò, & vltimò, ſi in abſceſsũ inclinauerit, quo modo tractandus. Iam relinqueretur, vt et docerem, quid agendum ſit, ſi in gangrænam, ſi in ſphacelum, aut in ſcirrhum conuertatur; ſed quoniam quędam ſunt loca, in quibus opportunius de his loqui poterimus, propterea hæc relinquo, & ad magis particularia deſcendo. *Summa dictorum.*

Digitized by Google

De inflammatione. *Cap. VIII.*

MEDICI omnes, qui de tumoribus præternaturam ſunt locuti, & præcipuè Guido ſolent tumores omnes in quatuor claſſes diſtinguere, prout & quatuor ſunt humores in venis contenti, ita, vt alios ſanguineos, eò, quòd talis ſit & eorum materia, appellent; alios bilioſos; alios pituitoſos; alios melancholicos. Ego quoque ab ipſis non diſſentiens diſtinguam tumores in quatuor capita, & ſub vnoquoque capite tumores contentos enumerabo, & primò incipiam à tumoribus, qui fiunt à materia ſanguinea. Igitur primum caput eſt eorum; qui fiunt ab humore ſanguineo, ſub quo continentur omnes hi: Inflammatio, Carbunculus (qui fit à ſanguine feruentiſſimo) Gangræna (fit enim à tanta copia ſanguinis, vt calor ſuffocari incipiat) Sphacelus (vbi tantam ob copiam ſanguinis ſuffocatio accidit, vt moriatur particula) Phygethlon (quod panus à noſtris, Celſo authore, vocatur, lib. 5. cap. 28. & Galeno in lib. de tumoribus cap. 5.) Phyma apud Celſum (de quo eodem lib. & capite meminit) Therminthon (de quo Oribaſius, & Aetius) Dothienes, quos aliqui Furunculos à Celſo ibidem vocari aſſerunt. Hi ſunt tumores, qui fiunt à materia ſanguinea. Alterum caput eſt etiam tumorum ſua natura calidorum: nam debetis ſcire, quod Auicenna diſtinguit bifariam tumores calidos: nam alij dicuntur, quia humor, à quo fiunt, ſit natura calidus, quales ſunt tumores, qui fiunt à materia ſanguinea, & à bilioſa; alij dicuntur calidi, non quia materia eorum ſit ſua natura calida, ſed quia aliunde incaleſcit: Calidorum igitur tumorum, qui à materia ſua natura calida fiunt, ſunt alij ſanguinei; & hi ſub primo capite continentur, alij bilioſi, & comprehenduntur ſub ſecundo capite.

Tumorum ſanguineorũ catalogus.

Duplex calidorum tumorum genus.

Tumores bilioſi.

Igitur ſecundum caput erit eorum, qui fiunt à materia bilioſa, ſub quo ſunt hi omnes: Eryſipelas, Herpes miliaris (qui & formica miliaris ab iſtis vocatur) Herpes æſthiomenos, hoc eſt, herpes excedens, aliàs formica ambulatiua vocatus: & vtrumque herpetem Celſus lib. 5. cap. 28. vocat ignem ſacrum, aliqui verò vocant puſtulas cholericas: ſub eodem hoc genere ſunt Phlyctænæ dictæ, & quæ ab Auicenna, cap. de veſicis, & inflammationibus, veſica inflammata.

Pituitoſi.

Sub tertio capite ſunt tumores pituitoſi, vt Oedema verum, Steatoma (ſic dictus à materia, quam in ſe continet larido ſimilem) Atheroma (qui hoc modo eſt vocatus, quia habeat materiam polentæ non diſſimilẽ) Meliceris dictus ab humore, quem continet melli ſimilem. Et iſti tres vltimi tumores ſcilicet ſteatoma, Atheroma, & Meliceris continentur etiam ſub genere abſceſſus, eò, quòd habeant collectã materiam in aliqua cauitate: Sub tertio etiam hoc genere eſt tumor ille, qui à ſimilitudine teſtudinis animalis Teſtudo eſt à noſtris nuncupatus; & eſt ſpecies meliceridis: alius quoque à talpa animali, Talpa dictus, quo pueri ſolent maximè laborare, & ſerpunt ſub cute capitis, ſicut talpa animal ſub telluris cortice, & iſte tumor ſcilicet talpa ſapit naturam atheromatis: addunt Recentiores Nattas, vel Nodos, quos vocant ſpecies ſteatomatis: ſub hoc etiam genere ſunt tumores à græcis Ganglia, ideſt glandulæ dicti ab iſtis, & ab Auicenna: Scrofulæ: Scirrhus pituiroſus: vltimò Anaſarca, qui eſt tumor totius corporis, quando ſcilicet ex pituitoſo quodam humore totum corpus intumeſcit.

Melãcholici.

Quartum caput continet illos tumores, qui fiunt ab atrabile, ſub quo eſt Scirrhus melancholicus: Cancer vel vlceratus, vel non vlceratus ſit: Elephantiaſis Græcorum; Lepra Recentiorum, & morbus ſancti Lazari vulgò dictus: verrucæ omnes, vt Acrocordones penſiles, Verrucæ: Myrmecia: Claui: Thymia: Dracunculus: Cornua; Lepræ: Pſorici tumores.

Flatuoſi.

Aquoſi.

Tophacei.

Hæc ſunt quatuor capita, quibus addatis vos, & quintum, quod continet ſub ſe omnes tumores, qui fiunt à materia ex toto genere præternaturam, cuiuſmodi ſunt tumores Aquoſi, qui fiunt à ſeroſa ſubſtantia: Flatuoſi, qui inflationes, vel apoſtemata ventoſa ab iſtis vocantur: Sed ſciatis, quòd tumores flatuoſi, & aquoſi poſſunt reponi inter tumores tertij generis, qui fiunt à materia pituitoſa; Tophacei, qui carbones in ſe continent, pilos, vngues, & huiuſmodi res omninò præternaturales. Tumorum igitur omnium alij fiunt à materia non omninò præternaturam; & hi ſunt in quadruplici differentia; nam alij ſunt ſanguinei, alij bilioſi, alij pituitoſi, alij atrabilares. Alij fiunt omninò à materia præternaturali, ſicuti ſunt illi, qui ſub quinto comprehenduntur.

Dicamus ergo primo de tumoribus ſub primo capite contentis, & illorum quidem primo loco de inflammatione, quæ eſt tumor ſanguineus in primo loco collocatus ab

omnibus,

Digitized by Google

omnibus, & frequentiſſimè accidit tùm in externis, tùm in internis corporis partibus: & φλεγμονὴ à Græcis vocatur, à noſtris etiam Phlegmone, vel phlegmonoſus tumor. Sed animaduertatis, quòd, vt ait Auicenna, vox hæc φλεγμονὴ, ideſt, inflammatio, eſt æquiuoca: nam aliquando apud Antiquos medicos ſignificabat intemperiem calidam, & ſiccã ſine materia, quam exarſionem etiam vocabant, vt, verbi gratia, ſi manus admoueretur igni, & valde incaleſceret, talis exarſio, ſeu incaleſcentia diceretur inflammatio ſecundum hoc primum ſignificatum; ſed propriè vocanda eſt φλόγωσις, vt habemus à Galeno in 13. methodi cap. 1. & in 2. ad Glauconem cap. 1. & in lib. de differentijs morborum cap. 12. Aliquando vox iſta inflammatio ſignificat omne genus tumoris calidi, ſiue illius materia ſit bilis, ſiue ſanguis, ſicuti eſt videre apud Galenum in 2. ad Glauconem cap. 1. tertiò φλεγμονὴ, ſeu inflammatio ſignificat ſpeciem tumoris ſanguinei cum intemperie calida, de qua agit Galenus in 13. meth. in 2. ad Glauconem, & in lib. de tumoribus, & de hac loquimur nos. Cum igitur audietis me dicentem (inflammationem) ſemper intelligatis intemperiem calidam à materia ſanguinea. Sed animaduertatis, quòd licet dixerim, quòd phlegmon eſt idem cum inflammatione apud nos; tamen apud Raſim, & Auicennam vox iſta (inflammatio) non ſignificat ſpeciem hanc tumoris, quæ fit à materia ſanguinea cum intemperie calida; ſed ſignificat φλόγωσιν, ſeu exarſionem, ideſt, intemperiem calidam, & ſiccam non reſpecta materia: vnde & vulgò dici ſolet, Socrates habet faciem inflammatam, vel oculos inflammatos, licet non ſint tumore affecti. Inflammationem etiam Latini calorem vehementem intelligunt, & aliquando tumorem ipſum. His habitis, videndum modò eſt, quid ſit iſta inflammatio, de qua nunc agimus, & quomodo fiat.

Phlegmones & inflammationis nomen 3. habet ſignificationes.

Eraſiſtratus Medicus antiquiſſimus loquens de inflammatione dixit, vt Celſus in proœmio primi lib. refert, nihil aliud eſſe inflammationem, quàm tranſultum ſanguinis à venis ſanguineis ad venas ſpirituales, hoc eſt, ad arterias. Galenus autem in libello de ſectione venæ aduerſus Eraſiſtratum cap. 3. narrat clarius Eraſiſtrati ſententiam de modo generationis inflammationis, & ait fuiſſe talem: quando (inquit Eraſiſtratus) plenitudo eſt in corpore, & ſanguis non poteſt contineri totus in venis, transfunditur in arterias, & per ipſas tranſmittitur ad cor, vbi à ſpiritibus agitatus cordi inhęret, ac febrem facit: quòd ſi ſanguis ille ad cor tranſmiſſus inueniat cor ipſum robuſtum, truditur inde ad oſcula arteriarum extrema, & inibi contentus, & collectus facit inflammationẽ. Addit & alterum modum, quo contingit fieri inflammationem, quando ſcilicet ex vulnere aliquo in aliqua corporis parte recepto ſecatur aliqua arteria, effluit ſpiritus, ſpiritum continuò conſequitur ſanguis, qui ingreditur transfunditurque in arterias illas, ex quibus effluxit ſpiritus, & ſanguis, atque receptus in parte aliqua ad extremitates videlicet vaſorum illorum conglobatur, & conglobatus efficit inflammationem. Duobus igitur modis ſecundum Eraſiſtratum fit inflammatio. Quare ſecundum eius opinionẽ nihil aliud erit inflammatio, quàm retentio ſanguinis præternaturam in arterijs. Sed vana eſt omnino eius ſententia, primò, quia ſupponit vnum falſiſſimum, quòd ſcilicet in arterijs non contineatur, niſi ſpiritus, & quòd ſanguis, quem continent, à venis in ipſas transfundatur; attamen certum eſt, quòd in arterijs continetur continuo, & naturaliter ſanguis tenuior, naturaliter dico, non autem violentia aliqua, quod in anatome apparet, atque probatum eſt a Galeno multis in locis, ſanguinem ſcilicet pariter in arterijs naturaliter contineri, atque in venis. Secundò, quia nunquam fieret inflammatio in corpore, niſi eſſet venarum repletio, vel vulneratio alicuius partis, quod eſt falſiſſimum: multæ enim fiunt inflammationes in corpore, abſque quo ſit venarum repletio: quot etiam accidunt, nulla parte vulnerata? Tertiò ſi Eraſiſtrati opinio eſſet vera, ſequeretur, quòd niſi vulnera eſſent magna, nunquam fieret inflammatio; videmus tamen, quòd à punctura veſpæ, acus, & ſimilium excitatur inflammatio, vt etiam ex contuſione: quæ nam autem ſanguinis cum ſpiritibus fluxio in huiuſmodi minimis puncturis fit? Quartò, ſi talis opinio eſſet vera, ſequeretur, quòd in omnibus vulneribus magnis ſemper excitarentur magnæ inflammationes, quia in magnis vulneribus multus ſpiritus reſoluitur, & magna ſanguinis fluxio fit; hoc tamen eſt falſum, quia videmus multa vulnera magna, in quibus nulla oboritur inflammatio, dummodo rectè curentur, falſa igitur eſt Eraſiſtrati opinio inflammationem talem eſſe, atque ita gigni.

Eraſiſtrat. doctrina de generatione inflammationis.

Refutatio.

Falſa & illa Methodicorum ſententia eſt, de qua Galenus in lib. de ſectis cap. 9. & 13. methodi cap. 2. dicentium inflammationem eſſe morbum, ſeu malum adſtrictum. Sed eorum opinione recepta, cogebantur tandem ponere inflammationes compoſitas, & cauſas quaſdam eiuſdem morbi, atque in eodem loco contrarias: quod abſurdum maximè eſt: Nam in lippitudine (quæ eſt inflammatio oculorũ) in inflammationibus vue-

Methodici refelluntur.

ac

Digitized by Google

ac gingiuarum ponebant meatus quoſdam laxos eſſe, per quos fieret fluxio,& quoſdam infarctos, à quibus fieret inflammatio. Vnde ſequitur eundem morbum ſtrictum, & apertum eſſe, & eandem particulam anguſtiam,& laxitatem pati, quod abſurdum,& reijciendum eſt.

Alij redarguuntur. Alij fuere, qui dicebant inflammationem eſſe obſtructionem partium extremarum: credebant enim, quòd ſanguis in illis extremis venis veluti cuneus denſaretur. Verum & iſti decipiuntur; omnes tamen conſentiunt tumorem adeſſe. Sed, cùm deliramenta ſint reliqua, quæ dicunt, ipſorum opinione deſpecta, ad meliorem deueniamus,& dicamus, inflammationem eſſe tumorem præter naturam calidum cum dolore, & pulſatione: hæc eſt vera natura inflammationis: cui etiam poſſetis addere ruborem, qui multum facit ad talem naturam cognoſcendam; tamen eſt quid ad ipſam cõſequens: Cum dico (tumorem) intelligo morbum compoſitum, non autem ſimplicem: in inflammatione igitur tria ſunt: Primò magnitudo aucta, cuius merito dicitur tumor: Secundò caliditas: Tertiò ineſt dolor, & propterea inflammatio non eſt dicenda ſimplex affectio; ſed multiplex, & compoſita, cum ſit morbus in magnitudine; ſecundò in intemperie ipſarum partium ſimilarium; & tertiò in formatione propter ſolutam continuitatẽ. Neque credatis inflammationem eſſe morbum vnius tantum particulæ; ſed eſt morbus plurimarum partium non per accidens, ſed per ſe: nam vt eſt intemperies, eſt morbus per ſe ſimilarium partium: vt autem eſt magnitudo aucta, & vt ſoluta continuitas, eſt morbus organorum:& ſic non illarum tantum, aut iſtarum morbus eſt, ſed vtrarumque per ſe, & compoſitus.

Inflammatio nis definitio vera. Inflammatio eſt morb. cõpoſitus, & plurium partium.

Obiectionis ſolutio. Sed ſtatim obijcietis auctoritatem Galeni in lib. de differentijs morborum cap. 13. vbi ait: ſi luxetur genu,& inflammetur, luxatio eſt partis totius morbus: at inflammatio eſt particularum ipſius; per accidens verò totius: ita lippitudo eſt morbus per accidens ipſius oculi. Ad hanc auctoritatem dicere poſſemus, Galenum erraſſe, cum pariter errarit (ſua pace,& venia ſit dictum) cum dicit, ſolutionem continui eſſe morbum communem organi,& ſimilarium partium; ſed ne hoc faciamus, dicamus, Galenum ibi capere inflammationem pro phlogoſi, & ita eſt organi morbus per accidens: vel rectius dicamus, quod Galenus dicit inflammationem eſſe totius organi morbum per accidẽs; non autem organi: nam differt organum à toto organo, atque particula tota: manus enim ſunt nerui, chordæ, venæ, ac ſimilia organa, ac particulæ; tota verò particula eſt manus ipſa, quæ ſi inflammetur, ſi ſoluatur, ſi augeatur, ea patitur, quia patiuntur id ſuæ particulæ, quamuis & ipſa per ſe patiatur aliquid, quod ab hoc differt, quod eſt figuratio, & formatio totius: ſed præterea particulæ illæ, quatenus organa, patiuntur ſolutionem, atque auctam magnitudinem, hocque indicat impedita actio inſtrumentalis, non autem naturalis.

Colligimus igitur inflammationem eſſe morbum compoſitum ex intemperie calida, & humida, ex ſolutione continui, & ex magnitudine aucta, cui ſuccedit mala formatio. Addimus præterea, pertinere ex æquo ad ſimilares, atque ad organicas partes.

Generatio inflammatio nis quomodo fiat. Fit autem inflammatio, auctore Galeno in lib. de inæquali intemperie, atque decimo methodi cap. 9. quando humor ex ſudans, atque calefactus primum valdè opplet venas, atque arterias maiores, & diſtendit: ab ijs minores poſtea;& res procedit, donec ad minimas ventum fit, è quibus, dum materia ibi amplius contineri non poteſt, excolatur, & egreditur per tunicarum foramina ad exteriora, & fluxione explentur ſpatia media, ac vacua inter prima, ac ſimilia corpora; atque tandem ipſa ab humore omni ex parte incaleſcunt, ac perfunduntur, vt nerui, ligamenta, membranæ, caro, & ante ipſas venæ, & arteriæ, quæ extenduntur, aperiuntur, premuntur, & excaleſiunt: ſed quædam non omnia ſimul. Sanguine itaque copioſo fluente ad partem aliquam explet primò vaſa maiora; quæ, cum non poſſint tantum fluentis ſanguinis in ſe recipere, & continere, tranſfundunt ipſum ad vaſa minora,& illa ob eandem cauſam ad minima; ex quibus tandem, cum non poſſint tantum humorem recipere, ſanguis ipſe tranſcolatur, & concidit extra vaſa in partes adnexas, & recipitur primò in meatibus, & ſpatijs maioribus, & deinde in minoribus, poſtremò in minimis, vbi tandem conſiſtat neceſſe eſt: & quærens latiorem campum, dilatat cauitates illas, quo fit, vt ſoluatur continuum, augeaturque quantitas: & quia ſanguis ille eſt calidus, ideo partes illas calefacit, & ſic tertiò excitatur intemperies calida, quæ ex eo etiam oritur, quia ſpiritus concluſi in illis cauitatibus, ſimul cum ſanguine, cum non poſſint exhalare, inflammantur, & excitant quandam ſanguinis putredinem, & ex putredine nouus & aſcititius excitatur calor, quo calefactæ partes ſolidę contrahunt intemperiem calidam: quam minimè contraxiſſent ex ſola ſanguinis caliditate, neque enim ſanguinis caliditas ſufficeret ad excitandam intemperiem calidam

Cauſa auctæ magnitudinis, intemperiei, & doloris in inflammatione.

in

in ſolidis partibus: quare ob multitudinem materiæ ſanguineæ diſtenduntur vaſa, tranſcolatque ſanguis, vt explet, diſtenditque cauitates, quam extenſionem ſequitur auctio quantitatis; fitque dolor ob ſolutam continuitatem; & ratione materiei calidæ, & propter putredinem ortam ex prohibita ſpirituum tranſpiratione generatur intẽperies calida in partibus ſolidis. hic eſt modus generationis inflammationis.

Vnde colligimus inflammationem fieri ex copia materiæ, quæ continetur in vaſis, & non alia ratione; quamuis aliqui, vt videre eſt apud Galenum in lib. de tumoribus, dixerint, quòd inflammatio fit tantum à ſpiritu: Quam ſententiam confutat ibi Gal. nam ſi hoc eſſet verum, ſequeretur, quòd ſecta inflammatione ſtatim detumeſceret pars: hoc autem non fit: ergo materia inflammationis neceſſariò eſt aliquis humor, Galenus itaque in 13. methodi, cap. 2. & in lib. de tumoribus dicit inflammationem fieri à ſanguine. Id ipſum teſtatur Auicenna 2. 1. doctrina 1. & Paulus lib. 4. cap. 17. & omnes. Sed à quali ſanguine quæreret aliquis? Paulus dicit, quòd à ſanguine probo, & mediocri, hoc eſt, à ſanguine puro, qui non ſit valde craſſus, nec valde tenuis. Recentiores autem dicunt inflammationem fieri, aliquando à ſanguine naturali; aliquando à non naturali. Et, vt intelligatis, quid ipſi velint, ſciatis, quòd per ſanguinem naturalem intelligunt maſſam ſanguineam, quæ vnicam habet formam, quæ maſſa non eſt nimis craſſa, nec nimis tenuis, nec nimis calida, vel frigida, ſed omnino moderata, ita vt naturalis ſanguis dicatur maſſa ſanguinea æqualiter pro temperie corporis mixta ex quatuor humorib. qui ſanguis actu calidus, atque humidus ſit conſiſtentia mediocris coloro rubẽs multum, odore atque ſapore dulcedinem præ ſe ferente, mitis, atque benignus, & nutritioni partium maximè aptus: Per non naturalem autem intelligunt materiam, quæ ſanguis eſt, non tamen omnino exquiſitus ſanguis, nec ea mediocritate, quoad ſubſtantiam, & qualitatem, præditus, qua eſt maſſa; ſanguis tamen, & verè ſanguis eſt; ſed vel tenuior iuſto, vel calidior, vel craſſior, vel frigidior: hæc enim non faciunt, vt ſanguis non ſit ſanguis. Quot enim hominum reperiuntur, quorum alter tenuiorem, alter craſſiorem ſanguinem habet? & tamen tam verus ſanguis eſt ille craſſior, quàm tenuior: Eodem modo vocant Recentiores ſanguinem non naturalem, qui ſuapte natura, vel craſſior, vel tenuior, vel calidior, vel frigidior ſit, quique à iam dicto degenerauit; ea tamen ratione, vt latitudinis ſanguineæ terminos tranſgreſſus non ſit: mediocris enim ſanguis eſt, craſſior parum, vel parum tenuior. Sanguis porrò iſte non naturalis duplex eſt: Alter, qui in ſe, ſeu per ſe dicitur non naturalis, quando ex ſui natura patitur: nam aliquando ſanguis euadit craſſior propter aliquã exuctionem; aliquando etiam attenuatur, & fit ſubtilior natura ſua: atque ex his duobus non naturalibus ſanguinibus nulla inflammationis ita vocatæ ſpecies fit; ſed aut cancer, aut gangræna, aut ſphacelus. Alter non naturalis ſanguis dicitur, quando cũ aliquo humore excedente non verè mixtus eſt, ſed confuſus, vt quando addita eſt bilis, phlegma, & melancholia, ea tamen proportione, vt maior ſit longè ſanguinis copia humore confuſo ſimul. Ex ſanguine itaque naturali, ac mediocri dicunt fieri veram, ac legitimam inflammationem, quæ tantum φλεγμονὴ vocata ſit: ex ſanguine non naturali per admixtum humorem tres alias ſpecies oriri aiunt, quemadmodum tripliciter ſanguini commiſcetur humor: nam, ſi bilis humor miſceatur ſanguini, maior tamen ſit copia ſanguinis, fit ſpecies inflammationis dicta φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης, ideſt, inflammatio, ſeu phlegmone eryſipelatoſa; ſi pituita tenuior, verum minori copia miſceatur, φλεγμονὴ οἰδηματώδης dicitur; ſi pituita craſſa, aut bilis atra, φλεγμονὴ σκιῤῥώδης vocatur. Et quoniam etiam reperitur tumor, qui eryſipelas phlegmonodes vocatur, aliquando error in animis quorundam oboriri poſſet, quod & phlegmone eryſipelatodes, & eryſipelas phlegmonodes idem eſſent, cum ſint diuerſa, ideo Auicenna 2. 1. doctrina 1. nos monet, vt obſeruemus primam vocem componentem, quæ ſi fuerit eryſipelas indicat affectionem eſſe ſpeciem eryſipelatis, ſi phlegmone, indicat affectum eſſe ſpeciem phlegmonis; atque in hoc dominari ſanguinem; in altero bilem. Atque hinc colligatis quatuor eſſe ſpecies inflammationis, quæ ratione materiæ variè mixtæ fiunt, atque omnes ex copia ingeſti ſanguinis fieri: vna quidem eſt, quæ fit à puro ſanguine, & propriè inflammatio dicitur: altera, quæ ex ſanguine habente aliquid bilis; tertia ex ſanguine, in quo ſit portio pituitæ: quarta ex ſanguine commixto cum pauco humore melancholico.

Materia inflãmationis; non eſt ſpiritus; ſed ſanguis.

Sanguis naturalis.

Sanguis nõ naturalis vel per ſe & cauſa externa, vel per confuſionem cum alio humore.

Nota.

Inflammatio exquiſita fit à probo ſanguine; ſpuria à confuſo cũ alijs humoribus.

Cæterùm aliquis negare poſſet phlegmonem fieri ex copia ingeſti ſanguinis; ſed diceret fieri potius ex aliqua alia materia, vt ex carne, vel ex flatu, aut ſaltem non à copia ſanguinis, ſi ex ſanguine fiat, at potius ex ſanguinis qualitate. A carne hoc poſſe fieri, aut ab aliqua re ſimilima carni, conſtat ex vulneribus, in quibus cumulus maximus carnis ſuperereſcit ſæpenumero, atque tumorem facit, quare poteſt eſſe, vt hæc ἡ λεγομένη

Videri, carnem, ſpiritũ, ſanguinẽ ſua qualitate facere inflam.

ſit,

ſit, vt Galeni verbo vtar. Similiter, à ſpiritu inflammationem fieri poſſe, non eſt negandum, cum videamus quam plurimos alios tumores ex ſpiritu conſtantes, atque flatuoſos. Vltimo ſcimus, quòd ea, quæ calida, & humida ſunt, dum feruent omnia in maximam molem attolluntur; exemplo adſunt pix, & cera, quæ, dum feruent, maximè attolluntur: ſed quid dico pix? etiam ferrum ipſum candens craſſius ſe ipſo, atque tumidius refrigerato exiſtit: ita & ſanguis aliqua de cauſa feruens extenditur in molem, & tumorem facit.

Phlegmonē non creari à carne.

Verùm ſententiæ iſtæ falſiſſimæ ſunt: & primū oſtendo de carne à qua inflammationem fieri nullo modo eſt dicendum: adaucta enim ſubſtantia, tantum quantitas augetur, nulloque modo immutatur qualitas; aliter nix copioſior facta magis alba fieret; pix etiam nigrior, & aurum ſecundum ſubſtantiam auctum magis flauum fieret: quod certè ſenſu iudice falſum eſt: quare neque adaucta caro ſecum alterationem qualitatum affert: quod in carnoſioribus factis corporibus apparet: nihil enim in ipſis immutatur, niſi magnitudo molis: At in inflammatione adeſt dolor, calor, & color, qui mutatur, quæ indicant non additam eſſe conſimilem ſubſtantiam, quia à ſimili non patitur ſimile.

Non à flatu.

Ad ſecundum dico, falſum eſſe, ꝙ inflammatio fiat ex flatu: & ratio prima eſt, quia aliquando talis flatus inter ſecandum videretur: quod non apparet. Secunda ratio eſt, ꝙ, vt fit in alijs flatuoſis abſceſſibus, ſecta inflãmatione, ſtatim tumor concideret, quod non fit. Tertia, in vulneribus non fieret inflammatio, cùm tanta adſit ſolutio, vt flatus facilè expiret: nam ſi continuo exudat ichor ſpiritu atque flatu valde craſſior, etiam ſpiritus ipſe egredi poſſet. Quare dicendum eſt nequaquam à flatu fieri inflammationem, ſed à ſanguine. Argumento adſunt venæ circumpoſitæ, quæ prius non apparentes, iam diſtentæ viſuntur: ſecundò, color rubicundiſſimus, ac florens ſanguinis, qui tumorem, ac partes vicinas inficit: tertiò, inciſa phlegmone, ſtatim floridiſſimus ſanguis fluit: ergo non continetur flatus.

Non à feruore, & extenſione ſanguinis.

Ad tertium dico eſſe falſum quòd inflammatio fiat ex feruore, atque eliquatione, ac extenſione ſanguinis: quia, ſi hoc verum ſit, in febre totum corpus intumeſceret, quia maſſa ſanguinis, & omnes partes valde feruent. Secundò, quamuis ſanguis eliquetur, ac extendatur, non tamen tantum ſupra priſtinam molem, neque ita feruet, quemadmodum moles partis creſcit in phlegmone. Tertiò, ſi hoc verum eſſet, ſtatim, refrigerato ſanguine, medicamentis refrigerantibus deberet reſidere, ac finiri inflammatio, atque tumor ſtatim, quod non fit, ergo &c. Quartò ad id de cera, atque pice, dico, quòd illæ, quia concretæ ſunt à frigore, atque denſatæ, propterea à contrario calido eliquatæ extenduntur; quod non patitur ſanguis, quia ſemper eſt liquidus, & ſemper calidus, ideo parum calidior, ac extenſior redditur: quod ſi ſupra carbones ponatur, maximèque ferueat, non creſcit, ſed potius imminuitur, ac decreſcit. Ergo non extenſa materia ſanguinea fit inflammatio; ſed potius à nimia copia, ac quantitate addita, cui aſtipulantur venæ illæ, colorque ſanguineus partis. Colligimus ergo inflammationem à nimia ingeſti ſanguinis copia prouenire.

Inflammationis differentiæ à loco affecto.

Cuius inflammationis licet quatuor tantum ſint ſpecies penes materiam, vt dictum eſt; tamen aliæ ſpecies, vel differentiæ ex alijs locis deſumptæ coſtituuntur à noſtris medicis, & primò à loco affecto plures accipiunt differentias, & ſingulas proprijs nominibus donant: nam ſi membranæ cerebri inflammentur, phrenitidem vocant; ſi coniunctiua tunica oculi, ophthalmiam vocant Græci, Latini lippitudinem; ſi glandulæ, aut muſculi circa fauces, anginam, vel ſynanchem; ſi membrana coſtas velans, pleuritidē; ſi inguina, bubonem; tametſi bubo propriè ſignificet omnem inflammationem glandularum, & non ſolam inflammationem inguinum, vt nunc in vſu poſitum eſſe videtur, vt teſtatur Galenus in 2. ad Glauconem cap. 1. & in lib. de tumoribus cap. 15. & lib. 13. meth. cap. 5. hoc itaque modo à loco affecto, ideſt a parte, in qua eſt inflammatio, plures à Medicis capiuntur differentiæ inflammationis: quoniam & pro diuerſitate loci, in quo eſt, curatio variat, ſicut etiam pro varietate materiæ, a qua fit: & ita duos iam habemus locos, à quibus differentiæ inflammationis promuntur, materia ſcilicet, & locus affectus.

A motu.

Tertius eſt natura ipſius inflammationis: nam aliquæ inflammationes citò creſcunt, citoque ſuppurantur, & deſinunt, teſte Galeno in 2. ad Glauconem, & hæ phymata vocantur, quamuis Celſus lib. 5. cap. 28. vocet phymata quoſdam tumores cuiuſcunque partis inflammatos furunculis ſimiles, verùm maiores: lib. etiam ſexto cap. 18. vocat phymata quoſdam alios tumores, qui circa penis glandem oriuntur: aliquę tardò admodum mouentur, & tardè ceſſant.

A more.

Quartò differentiæ accipiuntur à moribus: nam quædam ſunt inflammationes blandæ; quædã maligniſſimæ, vt eſt tumor ille, qui à Græcis vocatur phygethlon, in quo eſt magnus dolor, & aliquid puſtulæ ſimile, atque adeſt eryſipelas adiunctum, & tardè matureſcit, de quo tumore loquitur Galenus, in 2. ad Glauconem cap. 1. & in lib. de tumoribus cap. 15. Sed notate, quòd Celſus lib. 5. cap. 28.

vocat

vocat hunc tumorem panum. Inter inflammationes etiam, quæ malos mores habent, eſt tumor ille, qui à Galeno in lib. de tumoribus cap. 15. vocatur δοθιῆν, & nihil aliud eſt, quàm inflammatio cutis cum magno dolore, paruo tamen occupato ſpatio, & corrumpitur aliqua ſubſtantia cutis, & cacoethes etiam fit, ſi occupauerit aliquam ſub cute particulam: inflammationis ſpecies hæc à Quinto Sereno cap. 39. vocatur papula acuta, dum inquit.

Cum ſanguis nimius puri commixtus atroci. „
Aeſtuat, & papulas altè ſuſtollit acutas. „

A Celſo autem nominatur furunculus, vt eſt videre lib. 5. cap. 28. à noſtris, ſi benignus ſit iſte tumor, dicitur vulgò fignolo, ò ciccione, ò bugnone; ſi verò ſit malignus, & occuparit partes neruoſas, & præcipuè in digitis, dicitur vulgò mal del fico, ò mal del pino; ſi verò hic moribus valde latior ſit furunculo, ac planior, à Celſo eodem loco vocatur phyma. Iam habetis omnes ſpecies inflammationis ſimplices, & compoſitas, differentes materia multiplici, loco affecto, calore, ſuppuratione, celeritate, malignitate, ac benignitate, atque ſimilibus. Vnde ſicuti ſpecies, ſeu differentiæ ſunt variæ, atque diuerſæ, ita quoque varias indicant curationes.

Cauſa autem harum affectionum vna duntaxat coniuncta eſt, nimirum ſanguis ipſe fluens, & neceſſario fluens, dico neceſſario, quoniam per aggregationem ſucceſſiuam, & paulatinam materiæ in aliquo loco nō fit inflammatio, ſed requiritur neceſſariò, vt fluat aliunde. Igitur materialis cauſa eſt ſanguis fluens. Fluxionis aūt cauſa varia, & multiplex eſt, aliqñ abundantia magna ipſius ſanguinis: aliqñ ſymptoma in ipſo exiſtens, vt cum nimis feruidus eſt, aliquando latitudo viarum mediarum; aliquando fluit ſanguis ipſe per ſe à principio intrinſeco impulſus, vt terra, cum deorſum moueatur; aliquando cauſa fluxionis eſt dolor in parte, in qua fit inflāmatio; vt cōtingit in fracturis, in luxationibus, &c. aliquando eiuſdem partis ſitus decliuis; vel laxitas, etiam textura rara, atq; imbecillitas. Extrinſecę autē cauſę ſunt ambiens calidior: tactus corporis calidi, vel aliter affecti: attritio: cucurbitulæ: motus validus, motus aſtrorū, vt præſertim lunæ, & huiuſmodi reliqua; quæ omnia ſolent eſſe cauſa attractionis ſanguinis, & per conſequens inflammationis.

Inflammationis cauſa coniuncta eſt ſanguis fluēs

Fluxionis interna & externæ cauſæ.

Sed dices: quomodo dignoſcam ego inflammationem veram à reliquis tumoribus? procul dubio per propria ſigna, quorum (omiſſa aucta quantitate, quæ eſt quid commune inflammationi cum reliquis tumoribus) primum eſt calor intenſus perceptus tùm ab ægro, tùm à Medico, & calor ille apparet medico tangenti vaporoſus ſine punctura. Secundum eſt color rubeus, & ſincerè rubeus, nihil habens, vel albedinis, vel
nigredinis; ſed eſt color, qualis ex balneis, vel ex igne fieri ſolet. Tertium eſt dolor 1
vehemens & continuus, niſi pars inflammata fuerit parui, aut nullius momenti. 2

Symptomata legitimæ inflammationis, eorumq; cauſæ.

Sed animaduertatis, quod dolor non eſt ſemper æqualis in omnibus inflammationi- 3
bus: nam in aliqua vehementiſſimus, in aliqua mitis, pro vt pars affecta eſt magis, vel
minus ſenſibilis vna, quàm altera, ratione neruorum. Quartum eſt pulſatio magna 4
in quocunque tempore inflammationis, & hoc eſt verum, & neceſſarium ſignum.
Sed cur, dices, tunc fit magna pulſatio in loco inflammato? Gal. in 2. ad Glauconem cap. 30. dicit, quia ex inflammatione coanguſtatur locus, circa quem mouetur arteria; & cum pulſatione fit dolor, quoniam arteriæ percutientes partes adhærentes faciunt dolorem: ſecundò, quia partes illæ, cum ſint inflammatæ, vix tactæ afficiuntur dolore: tertiò, quia aliquando arteriæ ipſæ dolent, cum imbiberint aliquam humiditatē, ex qua inflammatæ ſint: inflammatæ, inquam, quoniam ex imbibita humiditate facta eſt obſtructio. Tria igitur concurrunt aliquādo ad dolorem magnum in inflammatione: percuſſio arteriarum ad parietes valida: inflammatio partium adiacentium: & inflammatio ipſarum & arteriarum, quando & ipſæ doleant ratione membranulæ ipſas ambientis, quæ neruoſa eſt: hac eadem de cauſa, & venæ dolent. Et notate, ꝙ, qñ arteriæ inflammantur, tunc fit magis exquiſitus ſenſus pulſationis, maiorque dolor: atque talis pulſatio à veterrimis, teſte Gal. in 2. de locis aff. cap. 3. proprie pulſus vocata eſt; at poſteriores omnē arteriarum motum, quem ſenſu percipere poſſimus, pulſum vocarunt.

Doloris pulſatiui maioris, aut minoris cauſæ.

Quando igitur pulſatio erit vehemens, indicatur, ꝙ & partes adiacentes, & corpus
arterię eſt inflāmatum: hac. n. de cauſa fit tam valida pulſatio; ſi verò arteria non erit in-
flammata, pulſatio erit lenior. Quintum ſignum eſt tenſio, vel extenſio inflāmatæ par- 5
tis magna, qđ fit ratione plurimi ſpiritus; plurimi autem ſpiritus fiunt ex multo ſangui-
ne; & ideo tenſio indicat eſſe inflammationem; & tenſio percipitur non ſolùm à me-
dico, ſed etiam ab ægro. Sextum eſt renixus ipſius tumoris, quando ſcilicet appoſitus 6
digitus repellitur, quem renixum ad tactum Græci vocant ἀντιτύπον, quod duritiei in
ſe quandam habet ſimilitudinem, quāuis vera non ſit durities. Vltimum ſunt venæ illius 7

Signa nothæ inflammationis.

partis apparentes, & turgentes magis quàm conſueuiſſent, & maximè, ſi videantur repletæ ſanguine rubicundiori, hæc omnia indicant veram inflammationem. Quòd ſi cum his ſignis erit adiunctum aliquod oſtendens eryſipelas, colligetis inflammationem eſſe eryſipelatoſam: ſimiliter, ſi adſit aliquod ſignum oedematis, vel ſcirrhi, colligetis, quòd eſt inflammatio aut oedematoſa, aut ſcirrhoſa, de quibus poſtea agemus.

Veniamus modo ad curationem inflammationis, quam duobus modis poſſem inſtituere: vno modo incipiendo à cauſis, & deueniendo ad reliqua, ſicuti feci de curatione in vniuerſum; alio modo, vt faciunt chirurgi noſtri, ſupponendo cauſam, & tumorem iam factum accipiendo; quamuis aliqui recentiores ſint, qui iuxta varietatem cauſarum ſanationem inflammationis diſtinguant, non animaduertentes, quòd nulla eſt inflammatio, quæ fiat abſque fluxione copioſæ materiæ; aliter non fieret inflammatio: Atque in hoc differt inflammatio à reliquis tumoribus, quod aliqui ex ipſis oriuntur, non fluente materia; verum nulla inflammatio poteſt fieri ſine copioſo fluxu ſanguinis, quæ eſt

Vter ex duobus curandi modis eligendus ſit.

cauſa interna. Supponam ergo cauſam, & accipiam tumorem iam factum: & ſciatis, quòd hic modus curandi eſt magis practicus, & videtur vtilior: & ideo hanc curationem ego quoque cum Recentioribus, & præcipuè cum Guidone inſtituam, circa quam alij dicunt quinque capita eſſe obſeruanda; alij quatuor tantùm, vt Guido, & cùm ipſo ego etiam conſentio, quia alia capita ab alijs propoſita reducuntur ad aliquod quatuor capi-

Capita 5. curationis.

tum Guidonis. Primum igitur caput dicit Guido victum ordinat, hoc eſt, pertinet ad ea omnia: quæ faciunt ad conſeruandam ſanitatem præſentem, & ad reuocandam omiſſam: talia autem ſunt ſex res non naturales, de quibus Galenus egit in lib. artis medicæ cap. 85. & ſunt illæ, quæ noſtrum corpus neceſſario alterant, quibus viuimus, atque fungimur vita: & ita ſub primo capite comprehenduntur ſex res non naturales, quales ſunt aer ambiens: cibus & potus: motus & quies: ſomnus & vigilia: excretio & retentio excrementorum: & animi affectus. Alterum caput pertinet, inquit Guido, ad adæquationem materiæ antecedentis, hoc eſt, pertinet ad alterationem, & motum omnem, qui fit circa materiam facientem tumorem. Tertium pertinet ad remotionem materiæ facientis tumorem, hoc eſt, pertinet ad curationem facti tumoris. Quartum verſatur circa ſymptomata, atque ſuperuenientia accidentia mitiganda, & auferenda.

Primum caput de victus ratione.

Aer.

Quod ad primum igitur caput pertinens ad ſex res non naturales enumeratas à Gal. in lib. artis medicæ cap. 85. hæc ſunt obſeruanda, & primò circa Aerem, quoniam aer ambiens maximi eſt momenti in magnis inflãmationibus, præſertim exiſtentibus in capite, & facie: Si igitur erit inflammatio magna & tempeſtas æſtiua, aer debet eſſe frigidus, nõ exceſſiuè tamen: & ſi talis non ſit naturâ, arte parandus eſt, irrorando thalamum aqua frigida, inſpergendo frondes, & huiuſmodi, ſed non intromittatur ventus, quia obeſſet valde: Cauſa autem cur aer, ſi æſtas ſit, debeat refrigerari, eſt, ne ſanguis, ſi non eſt in motu, agitetur, & ſi mouetur, vt quieſcat, & vt refrigeretur corpus totum, ſi ſit calefactũ, & ſi qua pars inflammata nimis calida ſit, atque illi non poſſimus tutò apponere frigida, vt eſt pulmo, ne magis incaleſcat. Sin tempeſtas fuerit hyemalis, aer debet eſſe temperatus, quoniam frigidi nimis eſt conſtipare, denſare, atque tranſpirationẽ particulæ inflammatæ impedire. Dicit etiam Raſis in 26. lib. continentis, cap. 2. tract. primi, ꝙ ſtratum, ſupra quod æger cubat, debet eſſe frigidum: & intelligatis, ſi æſtas ſit. Sed maioris momenti eſt illud, quod docet Galenus in 2. ad Glauconem cap. 2. & Paulus lib. 4. cap. 17. & Auicenna in 3. 4. tractatu 1. c. 3. & eſt, ꝙ omnia medicamenta, linamenta, & reliqua oĩa, quæ inflammationi applicãtur æſtiuo tẽpore, debent eſſe frigida; hyeme aũt temperata.

Motus & Quies.

Alterum caput ſex rerum non naturaliũ erat motus, & quies. Si igitur videritis, quòd ſanguis ſit in motu, vel humores ſint calidi, & corpus ſit plenum, curate, vt totũ corpus quieſcat: nam motus calefacit, & eſt in cauſa, vt humores reddantur fluxiles: loquor de quiete totius corporis, quoniam nemo eſt, qui neſciat, ꝙ pars inflammata, verbi gratia, crus debet ẽt quieſcere: & ſemper quies partis affectæ in quocunq; corporis habitu probatur: Cum itaq; motus valde obſit, & corpus totũ, & pars debet quieſcere: alioqui difficilis redderetur curatio: & hinc eſt quòd inflammationes thoracis, & oculorum ſunt curatu difficiles, quia ſunt in continuo motu, nec poſſimus illarum partium motum inhibe-

[illegible] notãda.

re. Sciatis tamen ex Galeno in 13. methodi cap. 6. quòd ſi inflammatio eſſet in partibus ſuperioribus, & partes inferiores moueri, & exerceri poſſent, adeo, vt totum corpus non multum incaleſceret, maximè talis motus prodeſſet, quoniam fieret attractio partis alicuius materiæ peccantis ad inferiora: ſimiliter, ſi partes inflammatæ eſſent inferiores, prodeſſet motus ſuperiorum, ſi totum corpus non admodum incaleſceret. Notate etiam quòd pars affecta non ſolum debet quieſcere, ſed illi etiam talis præbendus eſt ſitus, qualis à naturali ſitu indicatur, qui ſi inferior ſit, ſublimior quieſcat.

Tertium

Digitized by Google

Somnus, & Vigilia.

Tertium erat ſomnus, & vigilia, in quo hæc obſeruanda ſunt, quòd ſi inflammatio fuerit leuis, non oportet, vt ſitis multum ſolliciti, an multum, vel parum dormiat æger; contra autem, ſi inflammatio fuerit alicuius momenti: & tunc dormiat æger noctu, quantum fieri poſſit, moderatè tamen; interdiu autem (niſi cogatur ex nimia laſſitudine, aut vigilia nocturna) in magna inflammatione haud dormiat: quod & Hipp. nobis præcepit in 2. præſag. 11. cum inquit: interdiu vigilare, noctu dormire oportet. Niſi igitur vigilarit nocte, niſi etiam ſentiat laſſitudinem, vt inquit Aetius lib. 9. cap. 39. aut adſit maximus dolor, & caliditas totius ſanguinis, atque corporis, fugiatur ſomnus diurnus, quia caput replet, ab eoque cibus non perfectè coquitur, ſed potius acetoſus fit. Neque etiam profundior noctu conceditur, quia valde pars affecta calido ſpiritu priuata inflammatione tentatur.

Cibus, & Potus.

Cibus & potus erant in quarto loco. Recentiores victum tenuem commendant, frigidum, & humidum; ideo exhibent lactucas, ſpinachia, borragines, ideſt buglosſum, multam aquam in vino, & ſi febris adſit, exhibent priſanam, lac amygdalarum, & hordeũ, atque cœnam vitandam cenſent. Verum in his etiam diſtinguendum eſt, quoniam non idem victus in omni tempore tumorum conuenit: nam ſi adſit plenitudo, inedia penitus probanda eſt, aut victus tenuiſſimus, qui frigidus ſit, atque in ſe ſiccitatem habeat, & exiguam aſtrictionem, ſi præſertim ſanguis ſit valdè calidus, & in motu: nam frigiditate contẽperabitur feruor; ſiccitate verò & aſtrictione ſanguis quoquo modo craſſeſcet; & non ita facilè fluet; tenuitate poſtea ipſius victus minuetur ſanguis. Conueniunt igitur fercula ex oryza; priſana, aut hordeum mundum in ferculo integrum; oxalis; borago cocta; ſpecies illa ribes, quæ vua creſpina, vel vua ſpina vocatur, & eſt quædam vitis idea Theophraſti: conuenit & panis ablutus, biſcoctus; vinum granatorum acidorum; pira acerbiora cocta, aut cruda atque ſimilia. Quòd ſi non adſit plenitudo, non tanta requiritur tenuitas victus, ſed ea, quæ quietum ſeruet ſanguinem. Si verò adſit febris, humidus atque frigidus addatur victus, vt ſunt lactucæ coctæ, borago, panis ablutus, endiuia cocta, panatella vocata cum lacte ſeminum peponum: Vinum verò valdè ineptum eſt, quia ex ſui natura incaleſcens corpus, ac venas calefacit: & quamuis concedatur ab iſtis, vt à Guidone, tamen in nulla ſatis exquiſita inflammatione conceditur à Galeno in 8. libro de compoſ. medic. localium, cap. 7. & ſi parum vini concedendum eſt, aut quia ventriculus penitus aquam, aut alium liquorem non perferat, illud dandum, quod in inflammationibus à Galeno conceditur in primo ad Glauconem, cap. 14. nigrum ſcilicet, craſſum, & acerbum, quod & aqua valde diluatur. Verum ipſius loco hæc potio optima erit: Coque duos ſextarios aquæ in olla, donec parum deficiat; poſtea adde geminos cariophyllos, & duos ſcrupulos cinnamomi integri, & iterum bulliat; poſtea ab igne auferatur, & frigida fiat; clauſa olla operculo; tunc addatis ſacchari puri, vini granatorum acerbioris añ. ℥. ij. & hanc aquam bibat æger: Vel coquatis coriandros præparatos in aqua; deinde coletur, & addatis paſſulas, ac parum iterum bulliat, & hac aqua vtamini; vel loco paſſularum addatis ſyrupum acetoſum ſimplicem, atque ſimilia.

Victus tenuiſſ. refrig. aſtring. non nihil.

Refrig. & humectans.

Potiones loco vini.

Vinum oligophoron, & victus paulo plenior.

Quòd ſi nulla febris, nulla amplius plenitudo, neque fluxio adſit, & vinum oligophoron, & oua, & caro concedi poteſt, inſpectis viribus: tunc enim vinum, vt teſtatur Gal. lib. 8. de compoſ. med. per loca, c. 7. nutrit, concoquit, roborat, & putrefactioni reſiſtit.

Aluum lubricantia.

In quinto loco rerum non naturalium erant excretio, & inanitio: ſemper ergo aluus tenenda eſt lubrica medicamentis, atque cibis, quæ lenia ſint, neque calida, vt chyſterib. communioribus, aut decocto mercurialis, vel maluæ epoto, aut pauciſſima quantitate floris caſſiæ: reliqua omnia, quæ calidiora ſunt, vitentur; ſed cum alijs lenibus ſeruetur aluus ſemper mollis, omnis enim fecum, ac excrementorum retentio mala eſt.

De paſſionibus animi.

Vltimo in loco erant animi affectiones, quas omnes, & præcipuè violentas fugiat æger; vt clamorem, contentionem, iram, furoremque: ſimiliter fugiat omnes profundas venereorum cogitationes, atque actus ipſos, vt hoſtes infenſiſſimos auerſetur: mærores pariter, atque animi anguſtiæ ſæpiſſimè obſunt; contrà hilaritas, lætitia, gaudium, riſus, & huiuſmodi alia valde proſunt.

Secundum caput reſpicit antecedẽtem cauſam.

Vena ſectio ad animi deliquium.

Alterum caput materiam antecedentem adæquat, dicit Guido, hoc eſt, complectitur ſub ſe ea omnia, quæ circa imminutionẽ materiæ verſatur, & præparationem eiuſdem. Inſtituta igitur victus ratione, quæ cõprehenditur ſub ſex capitib. (vt diximus) exiſtente in corpore ſanguinis plenitudine, lenita aluo, ſecanda eſt vena, quod in omni inflammatione alicuius momenti eſt faciendum: dico ſecandam eſſe venam, quemadmodum fuit ſententia Galeni in primo Aphorum 23. de mente Hipp. & ſi maxima eſſet plenitudo, vſque ad animi deliquium erit ſecanda, ſi vires tulerint: hocq; addatis ex Gal. lib. 13.

meth. cap. 5. quod non ſolum mittendus eſt ſanguis, ſi adſit plenitudo; ſed etiam puro exiſtente corpore, non tamen pleno, dummodo & celeritas morbi, atque magnitudo celerem fluentis materiæ inhibitionem indicet, quod fit in doloroſis, calidiſſimis, atque magnis inflammationibus; ſi tamen conſenſerint vires, natura, ætas, anni tempus, regio, conſuetudo, atque ſimilia. Cæterum ſi inflammatio pura non eſſet, ſed haberet aliquid bilis, vel alterius humoris, hoc eſt, eſſet eryſipelatoſa, vel oedematoſa, vel ſcirrhoſa, ſecandane, eſſet vena? Dico, quòd ſi inflammatio ſapiat eryſipelas, quemadmodũ ferè ſemper ſolet, ſecanda eſt etiam vena, & exhibendum pharmacum, quod bilem euacuet: vnde dicebat Raſis in 27. lib. continentis tractatu primo cap. 2. Quando inflammatio eſt vehemens, laxatio choleræ rubeæ conuenit. Auicenna pariter fen. 3. lib. 4. cap. 3. tract. primi purgationem, ſi opus eſt, probat: Hipp. autem in 2. de victus ratione in acutis, tex. 10. in inflammatione membranę ſuccingentis coſtas, poſt ſectam venam, exhibet medicamentum materiam bilioſam euacuans, quoniam vt plurimum inflammatio illa ſapit naturam eryſipelatis, quare poſt ſectionem venæ propinandum erit pharmacũ, quod bilem educat. Sed præmittatur ſemper venæ ſectio, ſi fieri poteſt, vt fuit ſententia illius viri, qui conſcripſit quartum lib. de ratione victus in morbis acutis, in inflammatione igitur magna exhibebitis pharmacum, quod bilem educat. Sed ante, exiſtente, vel non exiſtente plenitudine, ſecabitis venam; deinde præmiſſis aliquot ſyrupis, vel decoctis alterantibus exhibebitis aliud pharmacum, quod bilem educat, ſed ſit medicamentum aliquanto validius, quàm illud prius fuerit. Et ſi videritis, quòd ſanguis propter maximum feruorem ſit in continuo fluxu & motu, tentandum eſt, vt motus ille quieſcat: hoc autem fiet quieto, & refrigerato corpore, & ſanguine, qui in venis totius ambitus continetur: hoc autem aſſequemini, ſi curabitis, vt, quæ extrinſecus occurrunt, vt ambiens, ſint frigida, exhibendo pariter cibum, & potum refrigerantem, nec non & ſyrupum aliquem refrigerantem, cuiuſmodi hic eſſet.

Purgatio bilis. *Sang. miſſio purgationi præponenda.*

Potiones refrigerantes.

℞. Syrupi { Roſ. recentis, Violati } an. ℥. s.
Acetoſi ſimplicis, ℥. j.
Decoctionis { Hordei, Acetoſæ, Endiuiæ } an. ℥. j. s.
Miſce pro ſyrupo.

Si videritis, quòd ſanguis ſit nimis tenuis, exhibendum erit aliquid, quod ipſum craſſefaciat; qualis eſſet potio hæc.

℞. Syrupi { De papauere, Diamoronis } an. ℥. s.
Violati, ℥. ...
Decoctionis { Hordei, Iuiubarum, Acetoſæ } an. ℥. j. s.

Reuellentia.

Hæc potio reſtigerabit, & craſſiorem reddet ſanguinem. Demum, vt quieſcat inflammatio retrahatis ſanguinem à loco affecto cum reuulſionibus, vt, verbi gratia, cum ligaturis, compreſſionibus, ſectione venæ reuellentis, frictionibus, cucurbitulis, ſanguiſugis, ſcarificationibus, rubrificationibus, aliiſue inſtrumentis, & modis, quibus materia aliò reuellitur. hæc ſunt, quæ circa ſecundum caput, ideſt circa æquationem materiæ ſunt agenda.

Tertium caput: Curatio cauſæ coniunctæ. *Quinti modi euacuandi part. affect.*

Cui ſuccedit tertium, quod reſpicit euacuationem materiæ peccantis, ſeu, vt Recentiores dicunt, materiam coniunctam euacuat, ideſt, quæ tumorem facit, & morbũ ſanat. In ſuperioribus autem diximus quinque eſſe modos, quibus aliquam particulam euacuare poſſumus; primus eſt reuulſio, quæ fit, quando ad contrariã partem trahentes ſimul locũ affectum euacuamus, quòd videmus ſæpius in angina, & in pleuritide, iterum ad venas retracta materia. ſecundus modus eſt deriuatio, quæ per partem vicinam fit, aut per venas vicinas, vt qñ in angina incidimus venas ſub lingua: tertius eſt repercuſſio, quæ fit in loco affecto, tùm à particulis ipſis noxium expellentibus, tùm à medicamẽto humori contento inimiciſſimo: quartus modus eſt inciſio, atq; ſcarificatio ipſius loci, qua materia contẽta faciſime egredi poſſit: quintus, & vltimus modus eſt reſolutio, qua in halitũ cõuerſa materia euaneſcit. Cum igitur ſatisfactũ ſit 2. ſcopo ſeu capiti, quæ materiã antecedentẽ æquat, vt dicit Guido, ſatisfactũ, inq̃, ſit per exhibitũ pharmacũ, per ſectam venã, per alterationẽ humorũ, atq; per reuulſiones eorundẽ, vidẽdũ modo eſt, quo modo & tertio capiti ſatisfacere poſſimus, q̃ caput reſpicit materiã cõiunctã, ideſt, quę inflãmationẽ facit,

& ſui

& ſui euacuatiouem indicat. Cum ergo euacuatio talis materiæ fieri poſſit quinque modis, vt diximus, videndum eſt, quinam illorum modorum ſit opportunus. Dico igitur, quòd poſſemus vti ſcarificatione; ſed nos docet ratio, quòd debeamus ſemper curare morbum facile ac iucundè, & ſine introductione alterius morbi, ſi fieri poſſit: nos enim, cum in gangræna excidimus artum; id facimus, quia aliter ægrum ſeruare à morte non poſſumus: ſic etiam ſcarificamus, aut incidimus inflammationem, quia aliter euacuare materiam non valemus. Altera ratio, qua in inflammationibus non debemus ſtatim poſt repulſionem ſcarificare, hæc eſt; quia maior dolor excitaretur, & ſi inflammatio ſit in principio, maior etiam ipſa fieret. His ergo de cauſis ſcarificatio non conuenit. Deriuatio autem aliquando opportuna eſt: ſed quia ad partem ſanam trahimus humorem, ideo ſatius erit modum euacuandi faciliorem hoc inuenire, ne in parte ſana nouus quidam excitetur morbus. Remanent ergo reſolutio, & repercuſſio; ſed cum in principio non ſit opportuna reſolutio, quia excitat attractionem; iccirco remanet ſola repercuſſio, abſentibus repercuſſionem impedientibus ſuperius dictis.

Scarificatio à tuta curatione, & à dolore probibetur.

Deriuatio quoque non admittitur.

In quibus errant, mea ſententia, Recentiores, quoniam quaſdam proponunt cauſas, quæ nunquam in inflammatione reperiuntur, neque poſſint impedire repercuſſionem, & vna cauſa, quæ impedit ſecundum ipſos, eſt ſi materia fuerit venenoſa, quod implicat contradictionem, vt dicamus inflammationem oriri à ſanguine non prauo, ſed laudabili; & iam dicamus materiam eſſe venenoſam: nos enim ſupponimus puram inflammationem: at pura inflammatio fit à ſyncero ſanguine, vt ipſi quoque fatentur: quæ nam igitur erit materia, ſeu qualitas venenoſa in puro ſanguine, quæ impediat vſum repellentium in principio? ego certè neſcio videre, niſi extrinſecus ab aliquo venenoſo animali imprimatur. Altera cauſa, quam dicunt impedire vſum repellentium in principio, eſt, ſi materia, ſeu inflammatio fuerit in emunctorio. Sed decipiuntur, quoniam ſi ſit vera phlegmone, in emunctorio repulſa materia non patitur cor, aut hepar, aut cerebrum: quia materia, quæ repellitur eſt ſanguis, & quidem bonus qui, ſi vllo modo deberet lædere, id faceret ſua quantitate aggrauando; ſed nec hac ratione poteſt nocere, quia facta antea eſt ſanguinis miſſio: ideo nullum poteſt oriri malum, ſi ſanguis repellatur ad aliquod dictorum viſcerum. Tertia cauſa eſt, ſi materia fuerit critica: Verùm nec iſtud dicendum eſt, quia bonus humor, ideſt, ſanguis non excernitur per criſim à natura, niſi ob multitudinem; non autem ob qualitatem, vt reliqui humores putreſcentes: & quamuis per nares in criſi egrediatur ſanguis; tamen ſciatis, quod hoc fit per accidens, vt materia mixta ſanguini egrediatur: Quarta cauſa eſt ſi materia fuerit nimis craſſa: Sed in hoc etiam decipiuntur: quia in principio exquiſitæ inflammationis non datur materia craſſa, immò mediocris fluit ſanguis, qui in principio facilè detrudi poteſt. Proponunt & alias cauſas, quas dicunt impedire inflammationem, quas omitto tanquam vanas.

In legit. inflam. neque uenenoſa qualitas probibet repercuſſionem.

Neque adenes.

Nec criſis.

Nec ſanguinis craſſitias.

Quòd ſi aliquis dicat; non ne & tu in ſuperioribus feciſti mentionem harum cauſarum? cur ergo hos nunc reprehendis? Domini, ſciatis has cauſas poſſe remorari repercuſſionem tumorum quorundam; non autem inflammationum verarum: at ego tunc loquebar de quolibet tumore: Ideo decem proponebantur cauſæ, quæ vſum repellentium in principio impedirent: prima quarum erat materia venenoſa: ſecunda materia critica: tertia materia in emunctorio: quarta particula imbecilla: quinta erat cauſa procatarctica vt ictus venenatorum: ſexta dolor præſens, & intolerabilis: ſeptima materia expulſioni inepta: octaua materia nimis impacta: nona materia nimis copioſa fluens, aut corpore non purgato: decima, & vltima materia nimis frigida: Sed harum cauſarum prima, ſecunda, tertia, ſeptima, & pars nonæ non accidunt in pura inflammatione: at in quibuſdam inflammationibus mixtis, aut in carbunculo, ac ſimilibus reperiri poſſunt, de quibus iam non loquimur. Niſi igitur adſit aliqua ex dictis cauſis, quæ impediat nos, vtemur repellentibus in principio inflammationis, incipientes à leuioribus, & ſic primo vtemur oxycrato, ideſt, poſca ſeu mixta aqua cum aceto ita, vt bibi poſſit, hoc ergo vtemini cum ſpongia, vel vtamini iſto.

Obiectionis ſolutio.

Oxyrlodinō.

℞. Ouum vnum cum vitello, & albumine,
Olei roſ. complecti }
Violacei } añ. ℥. j. s.
Aquæ roſ. q. s. Miſce, & vtere.

Auicenna tertia quarti cap. 3. tract. 1. facit mentionem cuiuſdam herbæ, quam vocat herbam apoſtematis, quam dicit moderatè repellere: & credo eſſe herbam illam, quam nos vulgò (ſaua graſſa) vocamus, poteritis igitur in huius herbæ ſucco madefacta linamenta ſuperimponere, & eſt bonum medicamentum. Si videritis, quòd affectus non ceſſet, vtamini validiore repercutiente, cuiuſmodi eſſet emplaſtrum hoc.

Herba apoſtematis.

Emplaſtrum valentius.

℞. Farinæ hordeaceæ
Corticum granatorum
Foliorum ſemper viui
Sumach } añ.q.ſ.

Cortices granatorum, & ſumach coquantur in vino, cocta terantur, mixtaque cum folijs ſemperuiui, & cum farina fiunt emplaſtrum applicandum frigidum loco inflammato, & eſt medicamentum Galeni in 2. ad Glauconem, cap.2. licet Guido aſcribat falsò ipſi Auicennæ. Si robuſtius ſit corpus vtamini hoc emplaſtro.

Aliud validius.

℞. Sandalorum rubeorum
Alborum } añ.ʒ.iij.
Boli Armeni
Terræ ſigillatæ } añ.ʒ.j.s.
Olei roſ. in fundo reſidentis ℥.ij.
Foliorum { Lactucæ, Portulacæ, Plantaginis, Semper viui magni, Solatri } añ.m.j.
Pulueris Sumach.℥.s.

Miſce optimè in mortario, & fac emplaſtrum, & refrigeratũ imponas. Sed ſi inflammario eſſet in loco, vbi nec madefacta linamenta, nec emplaſtra poſsent applicari, vt ſolet fieri in palato, in loculis mulierum, & ſimilibus locis, vtendum erit medicamentis liquidis, & humidis, quæ non recipiant oleum, ſed poſſint gargarizari. Qua in re optimum erit decoctum hordei, aqua plantaginis, lac extractum ex ſeminibus peponum, lac muliebre & ſimilia: hæc lenia ſunt. Validiora autem ſunt decoctum plantaginis, ſolatri, ſemperuiui, quibus addatis ſyrupum violaceum, vel ſyrup.diamoronis, vel ſyrupũ de roſis ſiccis. Si velitis adhuc validiora, vtamini decocto ſumach gallatum, balauſtiorum, ſummitatum plantaginis, & admiſceatis ſyrupum myrtinum, vel diamoronis.

In augmento repellentibus digerentia permiſcẽda. *Notanda.*

Cùm autem videritis, quòd inflammatio incipit augeri, omittatis vſum medicamentorum, quæ ſolùm repellunt, & vtamini, quæ ſimul repellunt, & reſoluunt, & ita habebitis alteram ſpeciem euacuationis, quæ dicitur reſolutio. Miſceatis igitur æquis ponderibus repellentia, & reſoluentia; ſed memores ſemper eſtote, vt in habitibus imbecillis vtamini lenioribus medicamentis; in robuſtis validioribus: At nunquam in inflammationibus deueniatis ad vſum eorum, quæ validiſſime reſoluunt, quia ſunt nimis calida, & inflammatio pariter eſt morbus calidus: In habitu igitur delicato poteritis vti oleo roſaceo ſolo, quia tale eſt Recentioribus, quod repellit, & leuiter digerit; poſtea poteritis admiſcere oleum roſaceum cum chamomelino æqua quantitate, & madefacta linamenta ſuperponere inflammationi: Si verò habitus corporis eſſet validior, poteritis vti hoc emplaſtro.

Emplaſtrũ.

℞. Foliorum abſinthij
Maluàrum
Roſarum
Farinæ hordei } añ.q.ſ.verbi gratia ℥.j.

Terantur, & miſceantur; poſtea adde olei camomelini quantum ſufficit; deinde addita pauca aqua, apponatur igni, quouſque acquirat formam emplaſtri. Poteritis etiam ex vobis ipſis parare alia medicamenta, accipiendo reſoluentia, vel primi, vel ſecundi ordinis, à nobis ſupra aſſignata.

Digerentia in ſtatu pura qualia ſint applicanda.

Cum inflammatio deuenerit ad ſtatum, relinquatis prorſus vſum repellentium, & vtamini medicamentis digerentibus duntaxat primi, vel ſecundi generis, & nunquam tertij, ob cauſam nuper dictam, & ita conuenit emplaſtrum hoc.

℞. Foliorum parietariæ
Radicum altheæ
Furfurum tritici } añ.℥.j.
Seminum anethi
Fænugræci } añ.℥.s.
Olei chamomelini ℥.iij.
Aquæ.q.ſ.

Miſce, & coque ad emplaſtri conſiſtentiam. Ad eandem intentionẽ habemus diachylon cum gummis, diachylon magnum, diapalma diſſolutum cum oleo liliorum alborũ, vel cum oleo chamomelino, vel roſaceo, quod proponitur à Galeno in 2. ad Glauconẽ cap.2.

Digitized by Google

cap. 2. Si inflammatio incipiat declinare ſuppurarique, & tentet abſceſſum facere, curandi eſt, vt curatur abſceſſus, de quo ſupra.

Quartum caput reſpiciebat ſymptomata: primò ergo mitigendus erit dolor, ſi adetit, quomodo autem id poſſitis facere, docui ſuperius, quemadmodum etiam quo modo tenſio remittenda, & durities emollienda, de qua re habebitis etiam infra, quando agam de ſcirrho. Sed ſi inflammatio terminetur in gangrenam, quemadmodum ſæpe ſolet ex inſcitia chirurgi applicantis medicamenta aſtringentia, & conſtipantia, curanda erit, ſicuti curatur gangræna, de qua ſuo loco dicemus. Si verò ex qualitate mala materiei fierent ex inflammatione furunculi, curatio furunculor. .n erit vtenda, de qua paulo infra in curatione carbunculi verba faciam. Superſunt inflammationes compoſitæ, nimirum inflammatio eryſipelatoſa, oedematoſa, & ſcirrhoſa: quæ indicant curationem compoſitam: quando igitur vos docuero ſimplicem curationem eryſipelatis, oedematis, & ſcirrhi poteritis vos ipſi complicare curationem: ſequitur modò, vt de carbunculo agamus.

Quartum caput: Lenitio ſymptomatum.

De Carbunculo. Cap. VIIII.

IN hoc morbo primò adnotandum eſt vnum, quòd ſolet parere magnam aliquando difficultatem, & confuſionem, vt contigit Recentioribus chirurgis: atque illud eſt, quòd morbus hic quem carbunculum vocamus, varias eſt ſortitus appellationes: nam apud barbaros iſtos recentiores reperimus hæc nomina: Ignis Perſicus, ignis ſacer, ignis Perſus, ignis ſanctus, Pruna, Carbunculus, & Anthrax: quæ nomina vnum & idem morbi genus ſignificant; ſed non omnibus iſtis barbaris hoc fuit notum: nam Gulielmus Placentinus, Bertapalea, Guido, Argilata, & Ioannes de Vigo cofundunt ipſa: cum enim vidiſſent apud Raſim in lib. 27. cõtinentis Tract. 2. cap. 1. caput de igne ſacro, vel igne Perſo, & poſtea in eodem lib. Tract. 5. caput alterum de carbunculo, putarunt hæc inter ſe differre, & ita diſtinctè de igne ſacro, & de carbunculo egerunt. Guido verò noſter credidit prunam, carbunculum, ignem ſacrum, vel perſicum eſſe idem genus morbi; & poſtea diſtinxit anthracẽ, ratus quòd differret ab illis, & ita fecit peculiare caput de anthrace, & poſtea confundit anthracem cum bubone peſtifero; ſed deceptus eſt, quoniam antrax non differt ab igne Perſico, vel Perſo, vel ſacro, & ab alijs nominibus: nam anthrax Græcè carbunculum Latinè, vel carbonem ſonat: & ita anthrax eſt idem, quòd carbunculus, ignis ſacer, vel perſicus, & huiuſmodi: quemadmodum eſt videre apud Paulum in 3. ſuo lib. cap. 22. vbi agit de anthrace oculorum, ex quo loco clarè apparet anthracem non differre à carbunculo: Similiter & apud Celſum in 6. lib. cap. 6. vbi agit de carbunculo oculorum: Præterea omnes Galeni interpretes, vbicunque vocem ἄνθρακα reperiunt, ſemper vertunt carbonem, vel carbunculum. Igitur Anthrax apud Græcos eſt Carbunculus apud Latinos, & Ignis Sacer, ignis Perſicus, Pruna, & huiuſmodi apud Barbaros, & apud Auicennam: &, vt carbunculus, & anthrax idem ſunt, ſimiliter & pruna, & ignis Perſicus ſunt idem inter ſe: & hæc poſtea non differunt ab illis: Quòd autem hoc ſit verum, hinc fiet perſpicuũ, quòd Auicenna in 3. 4. cap. de igne Perſico, vel de pruna, deſcribit eodem modo ignem ſacrum, vel prunam, quo Galenus anthracem in 2. ad Glauc. cap. 1. & 2. & 14. methodi cap. 10. & Paulus lib. 4. cap. 25. Præterea Auicenna in curatione prunæ mittit ſanguinem vſque ad animi deliquium; ſecundò monet, vt fiant profundæ ſcarificationes: tertio, vt non vtamur medicamentis valde frigidis, vt in eryſipelate: quartò vtitur emplaſtro ex plantagine, & lenticula; & pane συγκομίτῳ: quinto vtitur trochiſcis Andronis, & Paſionis: ſextò ad abluendum locum affectum vtitur vino dulci: ſeptimò, & vltimò monet, vt non vtamur acribus his medicamentis circa partes ſanas, ne exulcerentur: ſed ponamus ſupra carbunculum tantum; refrigerantia verò, & reliqua medicamenta monet, vt ponamus hinc inde in partibus vicinis, quæ omnia cum & Galenus ipſe moneat, & doceat nos 14. meth. cap. 10. & 2. ad Glauconem cap. 1. in curatione anthracis, non poſſumus aliud dicere, quàm quòd iſti morbi ſint vnum & idem. Sed quid fuit cauſa erroris Recentiorum in his nominibus? Nihil aliud, quàm inconſtantia Auicennæ, quoniam dixit etiam ignem Perſicum, vel prunam fieri à materia bilioſa, ſeu cholerica, & propterea monet, ſi pruna ſit à materia cholerica, ne altè ſcarificemus; Recentiores autem, quia ſciebant carbunculum fieri ab atra bile, ideo putarunt prunam eſſe morbum diuerſum

De appellationibus Carbunculi.

Error Recentiorum.

Cauſa erroris.

ſum à carbunculo: Et eò etiam magis, quòd viderant alibi Auicennam dicentem in prima, ſi ſit ægritudo timoroſa, mittendum eſſe ſanguinem vſque ad animi deliquium; & tamen antea dixerat, & inculcauerat ſæpe, in materia bilioſa non eſſe mittendum ſanguinem, quia ſanguis eſt veluti frenum bilis: hæc igitur magna Auicennæ inconſtantia fuit in cauſa, cur Recentiores errarunt. Id autem ne vobis etiam contingat, habeatis pro confeſſo ea omnia nomina ſuperius aſſignata habere eandem ſignificationem cum carbunculò apud Latinos, & cum anthrace apud Græcos: itaque colligamus ignem Perſicum, vel ſacrum, vel ſanctum, vel prunam, aut carbunculum, aut anthracem idem ſignificare, neque differre genere, ſed tantùm aut ratione principij, aut virium, aut malignitatis, atque ſimilium. Dictus eſt autem Carbunculus anthrax ab antro (vt dicunt iſti) eò, quòd, cum ſanatus eſt, relinquit foueam. Guido autem dicit dictum eſſe ab antra, quod eſt cor, quia carbunculus ſua virulentia primo petat cor. Alij, quòd intrò penetret, quæ omnes etymologiæ ſunt accommodatæ. Verior tamen eſt hæc, quòd carbunculus ſit anthrax Græcè dictus, quæ vox idem ſonat, quod carbunculus, eò, quod morbus iſte aſſimiletur carboni: Nam in ipſo in principio oboritur veſica, ſubinde eſchara, id eſt, cruſta aliquando nigra, aliquando ſubpallida: vnde & ignis ab alijs eſt vocatus, quoniam & ignis exurendo prius efficit veſicam, deinde cruſtam: idem etiam (vt dixi) fit in carbunculo: nam licet interdum in ipſo non appareat, niſi veſica: tamen, ſi ſcarificabitis veſicam, videbitis ſub ipſa latentem cruſtam; Et cum carbunculus non ſanatur, relinquit membrum perinde, atque ſi à feruenti aqua fuiſſet exuſtum, ita, vt cutis facilè ſeparetur, & flaccidum totum membrum exiſtat.

Etymologiæ Anthracis, & Carbunculi.

Carbunculi definitio, ex Galeno.

His præmiſſis, videndum modò eſt, quid ſit carbunculus. Galenus itaque in 6. aphoriſ. comment. 45. deſcribit ipſum, & ait, quòd carbunculus eſt vlcus eſcharoſum, cui adiungitur magna inflammatio partium circumſtantium; Ex qua deſcriptione, elicimus carbunculum eſſe morbum compoſitum ex vlcere, & tumore, & intemperie. Dicit enim eſſe vlcus eſcharoſum, quia cruſtra conſequitur naturam carbunculi: Ait deinde, quòd adiungitur inflammatio magna partium adiacentium: Quare oſtendit carbunculũ eſſe morbum mixtum ex tumore præter naturam, vlcere, & inflammatione: Quod enim ſit vlcus, indicat cruſta, quæ, fractis veſicis, ſtatim apparet: quòd verò ſit tumor, oſtendit magna inflammatio, quod teſtatur Galenus 14. meth. cap. 10. & licet Galen. in deſcriptione ipſius videatur ipſum reponere inter vlcera, tamen ego de ipſius etiam mente in ſecundo ad Glauc. cap. 1. & 2. & lib. de tumoribus, & 14. metho. dico, carbunculum eſſe ponendum non inter vlcera; ſed inter tumores præter naturam, quoniam, quando fit carbunculus in aliqua parte, prius pars intumeſcit, deinde ſuccedit vlcus: Nec ob id errauit Galenus in ipſius deſcriptione, quoniam intentio ſua fuit ſolùm explicare, & ſignificare nobis, quòd carbunculus eſt morbus compoſitus; & ideo reſpiciens ſolutam vnitatem, & puſtulam cruſtoſam appellauit vlcus; & quia eſt morbus tam ſimilarium, quàm organicarum partium: nam ratione magnæ intemperiei eſt partium ſimilarium; quia, vt Galen. ait in lib. de inæquali intemperie, cap. 9. conſtat ex inæquali intemperie; & ideo, lib. 1. de facult. medic. ſimpl. cap. 19. enumerat inter calidas affectiones corporis; ratione verò auctæ quantitatis eſt diſſimilarium; ſicut & ratione ſolutæ vnitatis immanifeſtæ, & manifeſtæ: Idcirco hoc modo definiemus ipſum. Carbunculus eſt tumor calidiſſimus, cui puſtula vlceroſa, vel eſcharoſa adiungitur, partes ſimilares, & organicas afficiens; vel, ſi vultis, ſubticearis vltima illa verba (partes ſimilares &c.) Quod verò ſit morbus etiam inſtrumentorum teſtis eſt Galenus lib. 3. de ſymptomatum cauſis, cap. 1.

Carbunculus eſt morbus cõpoſitus ex intẽper. aucta magnit. et ſolut. unit.

Definitio auctoris.

Differentiæ.

Hoc tamen eſt vobis ſciendum, quòd morbus iſte habet aliquot differẽtias; nam alius eſt carbunculus maligniſſimus, & omnino incurabilis, qui neceſſariò vel mortem generat, vel membrum corrumpit; alius non eſt ita malignus, & curabilis, licet difficilis ſit curatio: Præterea habemus carbunculos epidimiales, quorum alij ſunt contagioſi, & vocantur peſtilentiales, & ghianduſcie, & peſte vulgò; alij non ſunt contagioſi: Item alij dicuntur carbunculi inguinum, alij oculorum, vel aliarum partium.

Cauſæ: Externæ: Victus prauus.

Dicamus nunc de cauſis carbunculi, quarum vna communiſſima datur, eſtque veluti externa, atque illa eſt mala victus ratio; altera verò, & magis interna eſt, malus ſuccus, cacochymia à Græcis vocatus. Quòd autem mala victus ratio, & cacochymia ſit carbunculi cauſa communiſſima, patet ex Galeno in libello de cibis boni & mali ſucci, cap. 1. vbi ait, quòd cum ob annonæ caritatem multi populi Romano Imperio ſubditi coacti fuiſſent veſci fabis, hordeo, lentibus, arborum germinibus, herbis, plantarum radicibus, & huiuſmodi inſineris, ac mali ſucci; inde factum eſt, vt omnes ferè in vltimo vere, ineunte æſtate, multis modis laborarint, & varijs tumoribus, vlceribuſque fuerint correpti:
„ Ex illis namque (ait ipſe) alia eryſipelatode, alia erant phlegmonode, alia ad herpetis ſimili-

Digitized by Google

ſimilitudinem ſerpentia, nonnulla impetiginem, vel ſcabiem quaſi, & lepram referre videbantur. Sed ex his, quæ ſeſe mitiſſimè per cutim extulerunt, vitioſos humores ex viſceribus, & imis corporis partibus extraxerunt: cumq́ue nonnullis inſtar carbunculi, aut phagedenæ cum febre acciderent, multos longo quidem tempore ſuſtulerunt, vixq́ue pauciſſimi ita affecti mortis periculum euaſerunt. Palàm igitur eſt, ex Galeni ſententia, communiſſimam & veluti externam cauſam carbũculi eſſe malam victus rationem: Altera autem, & magis interna eſt congeſtio mali ſucci fluentis in partem affectam, quemadmodum fuit ſententia etiam Galeni in 3. de temperamentis, cap. 3. & 3. de ſymptomatum cauſis, cap. 1. Sed cuiuſnam ſucci congeſtio (dices tu) eſt cauſa magis interna carbunculi? Auicenna in tertia quarti, capite de pruna, & igne Perſico, dicit cauſam carbunculi eſſe fluxionem ſucci bilioſi mixti cum atra bile. Igitur ſecundum ipſum interna cauſa carbunculi erit fluxio, & congeſtio bilis, cum qua ſit mixta atra bilis: cum enim dixiſſet, quòd materia cholerica fluens eſt cauſa carbunculi, ſiue ignis Perſi, vel prunæ, infra ſubiungit hæc verba: Et vnumquodque amborum eſt de cholera citrina adurente permixta melancholiæ; Quam ſententiam ſuprà, ſi memores eſtis, non admittebamus, quoniam dicebamus carbunculum reponi inter illos tumores, qui fiunt ex ſanguine ſupercalefacto. Sed diceret aliquis: animaduertas, quòd tu contradicis non ſolùm Auicennæ, verũ etiam Galeno; nam & Galeni ſententia fuit, quòd carbunculus fiat ex atra bile, quemadmodum eſt videre apud ipſum in lib. de atra bile, cap. 4. & 5. & in primo lib. de differentijs pulſuum, cap. 9. vbi ait: Quòd ſi ſanguis ſupra modum aſſetur, pars eius ſubtilior, ac pinguior conuertitur in flauam bilem: quæ autem craſſior in atram, ex qua fiunt tumores carbunculi appellati: nam & in his ex ſanguine ſupra modum efferueſcente ad atræ bilis humorem fit tranſmutatio: Eandem etiam ſententiam habuit Galenus in libello de tumoribus præter naturam. Igitur carbunculi cauſa communiſſima, & externa erit praua victus ratio; intrinſeca verò cacochymia; magis verò particularis, & determinata erit aggregatus humor atrabilaris, ſeu melancholicus in partem affectam defluens. Quomodo ergo (dices tu) reprehendis Auicennam dicentem, carbũculum fieri ex bile mixta cum melancholia, cum & Galenus carbunculum ex atra bile fieri cenſuerit? Animaduertatis, quòd & oppoſitam Galeni ſententiam, & illam quidem claram admodum habemus, quemadmodum eſt videre in ſecundo de præſagijs ex pulſu, cap. 1. vbi inquit, carbunculum fieri ex ſanguine putreſcente, & feruente; in ſecundo etiam ad Glauconem, cap. 2. ait carbunculum fieri ex ſanguine calido, & craſſo, quem 14. metho. cap. 10. vocat humorem craſſum, ac feruentem; quid ergo dicendum? quòd ſibi fortaſſe contradicat Galenus, vel quod errarit? Abſit; ſed Auicenna vtique errauit. Galenum autem optimè ſenſiſſe iudicabitis, vt iudicandum re vera eſt, ſi vocis iſtius (atra bilis) vel (atrabilaris ſuccus) vel (melancholicus ſuccus) ſignificata intelligetis, & quot modis conſueuerit Galenus voces has accipere. Sciatis igitur, quòd vox iſta (atra bilis) vel (atrabilaris) vel (melancholicus ſuccus) ſignificat apud Galenum aliquando humorem per aduſtionem ex bile flaua genitum, qui ſi in terram concidat, exurit, vel fermentat ipſam, id eſt, facit, vt ebulliat, efferueſcatq́ue, atque ampullas facit, & hic ſuccus verè atra bilis nuncupatur; Aliquando ſignificat ſuccum frigidum, & ſiccum, qui in hepate generatur, dum coquitur chylus, eſtq́ue fex ſanguinis, & iſte ſuccus non fit per magnam exuſtionem ex bile, vt ille, ſed habet potius materiam terreſtrem conſiſtentem in chylo; Aliquando etiam voces illæ non ſignificant veram atram bilem, aut fecem ſanguinis; ſed ſanguinem ipſum exiſtentem propè terminos atræ bilis, qui nondum tamẽ exceſſit latitudinem ſanguinis; ſed tamen eſt craſſus redditus, aut ex mala victus ratione, aut ex ſupercalefactione: dico, qui craſſus ſit redditus ex altera iſtarum cauſarum, non autem ex admixtione alterius humoris, quia tunc non eſſet verè ſanguis. Quando igitur maſſa ſanguinea fuerit reddita craſſior, aut ex prauo victu, aut ex ſupercalefactione, vocatur interdum à Gal. atra bilis, vel atrabilaris ſuccus, eò, quòd ſit ſimilis atræ bili, & quoad conſiſtentiam craſſam, & quoad colorem nigrum; ſanguis tamen eſt, & verè ſanguis, non autem eſt bilis, vel alius humor, & talis ſanguis à Recentioribus vocatur non naturalis ex ſui natura, non autem per admixtionem. Quòd autem Galenus conſueuerit ſanguinem hunc craſſum vocare nomine atræ bilis, patet ex ſupra citato loco, in primo de differentijs febrium, cap. 9. vbi cum dixerit, quòd carbunculi fiunt ex ſanguine in atræ bilis humorem conuerſo exponens ſeipſum, quid per atram bilem intelligat, ſubiungit dicens: Ita autem hoc loco accipi volo, atræ bilis humorem, vt qui nondum exquiſitè in atræ bilis naturam tranſierit; ſed in quodam ſit confinio conſtitutus: Videte, quomodo exponat ſeipſum, quòd per atram bilem intelligat ſanguinem craſſum, qui ſanguis eſt poſitus in confinio atræ bilis: nam ſi exueret formam ſanguinis, ſtatim fieret atra bilis. Vera igitur eſt Galeni ſentẽtia,

Interna: Cacochymia.

Non bilioſa cũ ſubdominio atra bilis, contra Auic.

Videri cacochym. atrabilarem ex Galeno.

Non atram bilẽ, ſed ſanguinem feruentem generare carbunculũ ex Gal.

Solutio contradictionis ĩ Gal. per diſtinctionẽ vocis atrabilis.

Sanguis feruens aliquãdo dicitur atra bilis, qa eſt in huius confinio.

Digitized by Google

& nulla eſt apud ipſum contradictio : nam ſemper , cùm dicit carbunculum fieri ex atra
bile, vel atrabilari, melancholicove ſucco, intelligit de ſanguine craſſo in confinio atræ
bilis conſtituto. qui ſanguis fit craſſus non ex mixtione alicuius alterius humoris, ſed
Cõcluſio contra Auic.
aut ex mala victus ratione, aut ex ſupercalefactione. Et ita decipitur Auicenna (eius
pace dixerim) quòd materia carbunculi ſit bilis mixta cum ſucco melancholico. Col-
ligamus igitur carbunculum fieri ex fluxione ſanguinis praui ex ſui natura feruentis;
ac craſſioris geniti, nondum tamen melancholiæ naturam ſortiti, qui à Galeno aliquan
do humor atrabilaris vocari ſolet : atque hoc modo interpretanda ſunt loca Galeni ad-
ducta in lib. de atra bile : in primo de differ. febrium : in lib. de tumoribus, & in ſecundo
comm. in tertium epidem. commen. 50. vbi dicit carbunculum gigni ex craſſa materia,
Epilogus dictorũ de cauſis.
atque feruente. Cauſa igitur remotiſſima eſt vſus ciborum malorum : propinquior co-
cochymia corporis: propinquiſſima autem eſt ſanguis non naturalis ex ſe, ideſt, craſſior,
ac feruentior, ſucco melancholico ſimilis, qui ad partem fluit, magiſque inibi feruet, &
corrumpitur : & hæc de cauſis.

Signa.
Sequitur de ſignis, quorum primum eſt cruſta in media inflammatione oborta : cum
primum enim incipit carbunculus, ſtatim in media inflammatione apparet vlcus cru-
ſtoſum, quaſi, vt inquit Galenus, igne excitatum, aut carni mortuæ, aut denigratę ſimil-
limum, & cruſta illa arida, atque exuſta eſt, & huiuſmodi ſignum proponitur ab omni-
bus medicis : Alterum ſignum, quod proponitur à Galeno in ſecundo ad Glauconem,
cap. primo, & in 14. methodi, capite 10. & à Paulo lib. quarto, cap. 25. & eſt, quòd, inci-
piente carbunculo, & inflammatione, ſtatim in media parte inflammationis maximus
excitatur pruritus, adeò, vt æger nequeat continere ſe, ne ſcalpat, & fricet : & talis pru-
ritus vehemens non excitatur in omnibus partibus inflammationis; ſed ſolum in media
parte ambiente tantum ſpatium, quantus eſt nummus, vel vnguis : quam partem pru-
rientem dum ſcalpit æger, oboritur puſtula, vel veſicula aliquando non vnica, ſed plu-
res exiles, ac milij magnitudine, quæ diſruptæ cum ſunt, apparet ſtatim ſubtus cruſta
aduſta valde, non diſſimilis ambuſtis igne; igitur ſecundum ſignum incipientis carbun-
culi eſt pruritus, vel veſicula. Tertium eſt color cruſtæ, & aliquando ipſius cruſtę quan-
Diſcrimina Carbunculi, & Gãgrenę.
titas : ſed hic animaduertatis, ne gangrænam pro carbunculo accipiatis. Sciatis ergo,
quòd gangræna cum corripit partem aliquam, corrumpit ipſam totam; carbunculus
verò in principio corrumpit ſolùm minimam partem, & illam quidem in medio in-
1 flammationis ſitam : ſecundò pars gangræna correpta licet ſit nigra, non eſt tamen cru-
2 ſta exuſta; at pars cruſtoſa in carbunculo eſt maximè exuſta : tertiò color cruſtæ in gan-
3 græna eſt vel cęruleus, vel niger; cruſtæ verò carbunculi color vt plurimum eſt cineri-
4 cius, aliquando niger, aliquando liuidus, aliquando plumbeus. Quartum ſignum eſt,
quòd inflammatio, quæ accidit in carbunculo, eſt diuerſa ab inflammatione, quæ acci-
dit in eryſipelate, vel in phlegmone : habet enim duas notas, quarum vna eſt, quòd co-
lor eius tendit ad nigredinem, ita, vt ſi cum multo colore rubeo eſſet mixta portio co-
loris nigri, vt habemus à Galeno decimoquarto methodi, capite decimo. vel color ip-
ſius inflammationis eſt talis, qualis conſpicitur in fruſto picis nigræ diſrupto, ater vi-
delicet, ac ſplendidus, vt teſtatur Paulus, & Galenus in libro de tumoribus, cap. ſexto:
altera nota eſt, quòd cutis inflammationis carbunculi, non huc, & illuc diducitur, vt
fit in alijs inflammationibus; ſed hæret perinde, atque loco connata eſſet, vel clauo af-
fixa : & hæc ſunt ſigna indubitata, & maximè memoriæ mandanda : quandoquidem,
non cognito morbo, ignoratur curatio : vnde ſuccedit, & maximè in hoc morbo pe-
5 riculoſo, vt, quæ conuenit, curatione non adhibita, intereat æger. Quintum ſignum
eſt dolor non ſolum maximus, pungens, & grauans, qualis ſolet eſſe in alijs inflam-
mationibus; ſed etiam eſt coarctans, ita, vt videatur ægro, quòd pars vinciatur vincu-
6 lis, vel cathenis. Sextum ſignum eſt, vt dicit Galenus in primo de differentijs febrium,
& decimoquarto methodi, capite decimo, & multis alijs in locis febris ardentiſſima
Signa carbunculi maligni.
7 ſuccedens. Septimum nauſea, vel vomitus, ſed præcipuè nauſea continua : & hoc ſi-
gnum non ſolùm indicat carbunculum, ſed malignitatem ipſius : & eſt etiam ſignum
certum tumoris peſtilentis. Octauum eſt proſtratio appetitus. Nonum eſt tremor, ac
8 pulpitatio cordis, quod ſignum indicat etiam malignitatem carbunculi. Vltimum eſt
9 delirium, quæ tria vltima ſigna, ſcilicet nauſea, tremor cordis, & delirium, indicant
10 etiam malignitatem carbunculi, vt dixi, & ideo non inuenietis ipſa in quocumque
carbunculo, ſed in ijs, qui ſunt alicuius momenti : his addatis aliud ſignum propoſitum
à Galeno primo com. primi prorrhetic. tex. com. octaui, & eſt deſipientia.

Prognoſtica.
Cùm autem carbunculus ſit morbus periculoſus cautè à Medico, chirurgoque eſt pro
cedendum, & prænunciandum, quid ſecuturum ſit. Quare non erit ab re, ſi de præſagio
aliquid

aliquid dicemus. Paulus itaque, cum quo conſentit & Auicenna, ait, quòd quando car 1
bunculus oboritur in parte aliqua carnoſa, non eſt timendus, etiam ſi eſſet vehemens,
& malignitatem haberet coniunctam. Igitur, ſi videbitis carbunculum obortum in fę-
more, aut in parte carnoſa brachij prænunciate ſanitatem: nam huiuſmodi partes car-
noſæ poſſunt perpeti omnem actionem: poſſumus enim, ſi opus eſſet, exurere locum,
amputare carnem, & huiuſmodi alia efficere: præterea cum in carbunculo curando ſit
opus magna copia caloris innati, & in partibus carnoſis abundet talis calor, non eſt ti-
menda mors. Sed ſi carbunculus eſſet in parte neruoſa, vt in partibus circa podem, vel 2
in extrema manu, dicunt, prænunciandũ eſſe illius partis impedimentum: nam ex cor-
ruptione vel nerui, vel ligamenti alicuius, neceſſariò articulus remanebit impeditus.
Tertiò ſi carbunculus occupet partem aliquam nobilem, vel organum, vt aurem, vel ocu 3
lum, prænunciate impedimentum, deſtructionemque partis illius: rariſſime enim acci-
dit, vt ſi in ſuperciliis, vel aliis partibus oculis adhærentibus oriatur carbunculus, non
deſtruatur viſio, moriaturuè æger: igitur prænunciate mortem, vel ſaltem corruptio-
nem partis. Quarto, ſi in emunctoriis oriatur carbunculus, vt ſub axillis, vel poſt au- 4
res, vel inguinibus, vt ſepius tũ carbunculi, tùm peſtilentes tumores ſolent oboriri, præ
ſagium non eſt bonum, inquit Auicenna, quoniam frequenter carbunculi in huiuſmodi
partibus oborti reſiliunt, & occupant partes interiores nobiles: & ideo maximè in his
locis carbunculi ſunt cum Auicenna timendi, & non niſi malum prænunciandum. Quin 5
tò ſi circa ſtomachum, vel faucem oriatur carbunculus, timenda eſt ſtatim ſuffocatio: &
propterea cum Celſo prænunciate ſuffocationem. Sextò, ſi carbunculus in principio ſui 6
ortus ſit coloris rubri, deinde contrahat colorem ſubluteum, vel citrinum, eſt bonum
ſignum, vt ait Auicenna: & ideo, cum hoc videbitis, non prænunciate mortem: Con-
tra autem, ſi incipiat cum colore nigro, vel liuido, & ſubinde nigredo, aut liuor augea
tur, prænunciate mortem, vel ſaltem partis illius corruptionem. Septimò, ſi omnia 7
accidentia ſupra enumerata, & pro ſignis accepta ſint vehementia, & augeantur, præ-
nunciate magnum malum. Octauò, ſi carbunculus alicubi appareat, mox deliteſcat, & 8
febris non remittatur, ægerque non ſubleuetur, prænunciate mortem: nam materia re-
troceſſit, & occupauit aliquam partem principem. Nonò & vltimò, omnis carbuncu- 9
lus de mente antiquorum eſt timendus, ſiue magni, ſiue parui videatur momenti: &
ideo in hoc non credatis recentioribus chirurgis dicentibus nullum tumorẽ eſſe timen-
dum præter peſtilentes; ſed dubio procul decipiuntur: verum tamen eſt, quod non ita
timendum eſt, ſicut, qñ cum tumore coniuncta eſt peſtis. Et hæc ſatis ſint de præſagio.

Pro curatione incumbendum eſt quatuor illis capitibus, vt fiebat in curatione inflammationis; & primò rebus non naturalibus dictis, & principio aeri, qui debet eſſe frigidus, & humidus, cum in carbunculo maximus ſit feruor: igitur, ſi aer natura non ſit talis, parate ipſum vos, madefaciendo thalamum cum aqua frigida, vel cum aqua roſacea admixto aceto, inſpergendo frondes frigidas; transferantur aliquando lapides frigidiſſimi in thalamum: hæc, ſi æſtiua fuerit tempeſtas, erunt vobis agenda; ſi verò hyemalis, aer erit conſeruandus, qualis fuerit, dummodo non ſit ita frigidus, vt fiant obſtructiones. Quieſcat omninò æger, alioqui inflammaretur magis ſanguis. Somnus in principio fugiatur, quantum poteſt; niſi aderint ſummæ vigiliæ: nam in carbunculo ſolent aliquando adeſſe, & intenſæ vigiliæ, & profundus longuſque ſomnus, ſomnus quidem ex vaporibus eleuatis obſtruentibus meatus cerebri: vigiliæ verò ex acrimonia ſpirituũ, qui efferuntur ad caput. Monent itaque recentiores & bene, vt æger non dormiat, nec etiam nocte profundo & longo ſomno, ne materia retrahatur ad internas partes; & ideo præcipiunt, vt in cubiculo, vbi eſt æger, ſint, qui continuò remiſſa voce loquantur, ac de rebus ſuauiſſimis ſermonem habeant, ne æger in profundum, & longum cadat ſomnum quod certe cum ratione factum eſt: nam tametſi ex ſomno refrigerentur partes corporis exteriores, tamen calor interius magis augetur, ſi præſertim longus, & profundus fuerit ſomnus. Interdiu nullo modo dormiat. Victus ſit frigefaciens, & humectans, & ita opportuna erunt fercula ex lactuca, boragine, endiuia, acetoſa, lapatho; & ex cichoraceis reliquis, vt ex ſoncho, & condrilla: fiant autem fercula in iure, vel in aqua; conuenit etiam ptiſſana, panis lotus, & huiuſmodi. Potus ſit aqua decocta, vel cruda liberaliter etiam, vt ait Celſus, ingeſta, & ideo ſi aderit intenſa ſitis, vt ſolet, & æger appetat potum aquæ, permittatis vt bibat quantum vult. Poteritis etiam cum aqua miſcere ſyrupum acetoſum, de acetoſitate citri, de agreſta, de ſucco acetoſæ, de ſucco limonum, & ſimiles ſyrupos: & licet aſtringant, non ob id ſunt timendi, quoniam febris, quæ adeſt non habet ortum ex obſtructionibus. Exhibemus etiam aliquando iuſcula pulli tenerrimi, in quo etiam fuerit decocta lactuca, vel quid ſimile, & interdum exhi-

Curatio continetur 4. capitibus.

Primũ verſatur in ordinandis rebus non naturalibus.

bemus

bemus ius pulli, in quo ſit ſuccus vel limonum, vel granatorum, vel aranciorum; Oua in hoc morbo fugiatis, non quia calefactionem eorum timeam; ſed quoniam nimis nutriunt, qua etiam de cauſa cætera omnia, quæ valdè nutriunt, damno. Aluus ſit ſemper lubrica, & ideo ſi ſua natura non erit talis, curate, vt cum clyſterijs ſaltem quotidie excernantur feces. Paſſiones animi euitet omnes, præſertim triſtes: ſimiliter cogitationes, actusque venereos.

Secundũ caput eſt de ratione minuẽdę antecedẽtis materiæ.

His actis, deueniendum eſt, vt Barbari iſti dicũt, ad æquationem antecedentis materię, hoc eſt, deueniendum eſt ad ea, quæ circa materiam pertractantur. Primum igitur obſeruandum eſt, an materia illa ſit multa, & an adſit plenitudo, & ſimul cum plenitudine adſit cacochymia, quam ſi adeſſe videritis, ſecate venam, vt minuatur plenitudo, cauſaq; carbunculi, & præterea, vt refrigeretur maſſa ſanguinea, quod maximè in hoc morbo curando indicatur. Igitur ob imminutionem plenitudinis, & materiæ facientis tumorem, necnon ob refrigerationem ſecanda eſt vena, niſi virtus repugnet. Sed quo modo, aut quouſque ſecanda eſt? Vſque ad defectum animi dicit Galenus in 14. meth. cap. 10. conſentiente etiam Auicenna, Paulo, & Chirurgis recentioribus; dummodo (intelligatis vos) adſint conditiones requiſitæ, ab ipſoque enumeratæ in 13. methodi cap. 2. atque illæ ſunt, vt virtus conſentiat, ætas non ſit puerilis, non ſit copia crudi humoris, & tempus anni non refragetur, neque regio ſuo extremo vel calore, vel frigore: ſecate igitur venam vſque ad deliquium animi exiſtente plenitudine, vel etiam plenitudine non exiſtente, vt maſſa ſanguinea refrigeretur: maxima enim refrigeratione egemus, quàm conſequi ſolemus ex larga ſanguinis miſſione. Nec timendum eſt copioſum ſanguinem mittere, quoniam cum materia ſit craſſa, virtus nõ tam citò deficiet: nam cum materia craſſa, craſſi quoque ſtant ſpiritus; craſſi verò ſpiritus non citò reſoluuntur. Et hanc ob cauſam in quacunque materia craſſa maior copia ſanguinis poteſt extrahi, quàm in materia tenui, quia in tenui ſunt etiam tenues ſpiritus, & facilè citoque reſolubiles. Copioſus igitur in hoc morbo poteſt mitti ſanguis, modo aliquid non aduerſetur:

Sãguinis ad lipothymiã vſque miſſio laudatur.

Cõtrouerſia: Num ſit in eadem parte vena ſecanda, an verò in oppoſita?

Sed dices: qua ex parte vena eſt ſecanda? De hac re lis eſt magna inter recentiores Chirurgos: nam Petrus Argillata, lib. 1. de cura carbunculi, inquit, quòd mittendus eſt ſanguis in principio principiante (vt vtar ſuis verbis) per partem oppoſitam, vt materia reuellatur, vt ſi, verbi gratia, carbunculus eſſet circa ceruicem ad aurem ſiniſtram, erit ſecanda vena capitalis dextri brachij, vel in genu. Pariter Gulielmus Placentinus, in capite de carbunculo, & anthrace, inquit in principio ſecandam eſſe venam partis oppoſitæ. Eiuſdem quoque opinionis fuit Guido noſter, qui in principio ex oppoſita parte ſanguinem mittendum eſſe cenſet, poſtea ex alia parte. Ex altera parte eſt Theodoricus Epiſcopus ille Ceruienſis, qui ſcripſit libellum de re chiturga ad mentem Galeni; vir ergo iſte in 3. lib. cap. 12. iudicat ex Galeni ſententia ſanguinem eſſe mittendum ab eadem parte, quam ſententiam ſecutus eſt magiſter Leonardus Bertapalia cap. 10. de cura carbunculi. Huius ſectæ fuit etiam Ioannes de Vigo, & multi alij. Vtraque autem ſecta ſuis mouetur rationibus: Nam rationes prioris ſunt iſtæ: incipiente huiuſmodi tumore, ac fluente materia, aliò reuellenda eſt: ergo vena eſt ſecanda in oppoſita parte. Secundò, ſi ab eadem parte mittatur ſanguis, fiet maior materiæ attractio ad affectum locum, ergo venę ſectio in eadem parte eſt fugienda.

Ratio prohibentium veram reuulſionem.

Altera ſecta reſpondet, & ait, quòd quamuis indicetur reuulſio, tamen eſt fugienda, & eligenda attractio ad locum affectum, quia ex duobus malis, eligendum eſt minus: at minus malum eſt, vt maior copia materiæ trahatur ad affectam partem, quam quod eadem maligna materia diſpergatur per totum corpus, atque trahatur ad aliquam partem principem, vt ad cor, vel ad hepar, & huiuſmodi, quia ex hoc poſſet ſequi mors, quod non fiet ſecta vena in eadem affecta parte: augebitur quidem morbus, tracta copioſiori materia ad illam, non tamen vſque adeo augebitur, vt ægrum interficiat; ſed maius malum, quod poſſet efficere, eſt corruptio partis illius: verum melius eſt partem tantum, quàm vitam amittere: & ideo concludit ſecunda ſecta, venam non in oppoſita parte, ſed in eadem eſſe ſecandam. Quare vt videtis vtraque ſecta ſuas habet rationes; & certè difficultas hæc eſt magni momenti, & ob id proponere eam vobis volui.

Hypotheſes pro dubitationis propoſitæ enodatione.

Vt autem, quid hac in re tenendum ſit, percipiatis; ſciendum eſt, & ſupponendum, quòd, ſi loqueremur de carbunculo peſtifero, forte non eſſet facienda reuulſio; ſed de tali carbunculo loquemur infra: loquimur ergo nunc de carbunculo tumore non maligno, cuius materia eſt ſanguis non naturalis fluens ex omnibus venis; ſed præcipuè à venis magnis, & dicitur ſanguis non naturalis, quia peccet, vel in caliditate, vel ſubſtantia, eò, quod ſit craſſior redditus; tamen bonus ſanguis eſt, & adhuc poteſt partes nutrire; nec, dum talis ſanguis fluit, eſt corruptus; nec omnis ſanguis, qui fluit ad partẽ affectam,

quamuis

quamuis ſit craſſior natura ſua, is malignus eſt, aut malus, cùm nondum putruerit; & ſi putruit, non ita tamen, vt malignitatem acquiſiuerit; ſed, cum in partem iam fluxit, inibi incaleſcit magis, & media eius pars exuritur adeo, vt vertatur in melancholicum ſuccum, ex quo deinde fit eſchara. Sanguis igitur craſſus, qui eſt materia carbunculi, dum fluit, non eſt corruptus; at in parte, in quam fluxit, conſtipatur, & ex conſtipatione augetur eius caliditas, ita, vt pars media vertatur in melancholicum humorem, qui humor melancholicus eſt ille, qui facit eſcharam; & re vera portio illa ſanguinis, quæ facit eſcharam, eſt verè maligna, & venenoſa, atque exuſtæ melancholiæ naturam ſapit: & aliquando fuit prius talis; aliquando, ac ſæpius in loco affecto ſtatim, ob feruorem, fit talis: nam prius feruor concipitur in loco, antequam gignatur cruſta, & prius etiam percipitur pruritus, ac ſimilia, & talis cruſta non poteſt fieri à materia, niſi ſit talis, atque particulæ maximè hæſerit, ita, vt difficillimè per reuulſionem auſerri poſſit. Ex dictis itaque primo colligatis, & notatis, quòd ſanguis, qui eſt materia carbunculi, dum fluit, eſt verè ſanguis, & purus; quod patet, quia, excepta parte eſcharæ, reliquus tumor inflammationem patitur, à ſanguine tamen craſſiori totius corporis, & non naturali vocato, vt conſtat ex colore nigello cum rubore mixto; in reliquis ſanguis bonus eſt, & aptus nutrire; ſed tantum mutatus eſt vel in ſubſtantia, quia ſcilicet factus eſt craſſior, vel in qualitate, quòd factus ſit calidior. Secundò notate, quòd ſanguis, cum iam fluxit, caliditatem, quam accipit, non accipit ex aliquo extrinſeco, ſed in ipſa parte: nam conſtipatur ibi, & conſtipatus ebullit, & ſic caliditatem ſummam acquirit. Tertiò notandum eſt, & ſupponendum, quòd humor faciens carbunculum, & eſcharam ipſam, eſt redditus craſſior, & præcipuè pars illa, quæ facit eſcharam: & ideo non poteſt facile de loco ad locum moueri, & certè ita craſſus eſt redditus, vt non poſſit repelli: ſi non poteſt repelli, ergo nec retrahi: valet enim à commutata proportione, ſi clauus tabulæ infixus non poſſit repelli, non poterit etiam retrahi: ita quoquè, cum ſanguis faciens carbunculum ſua craſſitie non poſſit repelli, vt fuit ſententia Galeni in 14. methodi, capite 10. non poterit etiam retrahi. Tribus his ſuppoſitis, videlicet, quòd ſanguis faciens carbũculum poteſt dupliciter peccare, in craſſitie, & in qualitate calida, & quòd, licet hoc modo ſit immutatus, nihil minus tamen ſanguis, & verè ſanguis eſt, & nullam putredinem, malignitatemque contraxit: hoc igitur eſt primum ſuppoſitum. Alterum verò eſt, quòd materia faciens cruſtam eſt ſanguis, qui in parte mutatus eſt per exuſtionem in melancholicum ſuccum, mutatus (dico) eſt in parte ipſa affecta, non autem in fluxu, quia, dum fluebat, ſyncerus ſanguis erat; licet aliquando poſſit etiam eſſe talis, dum fluit, ſed rarò. Tertium, quòd talis ſanguis in melancholiam mutatus, & faciens eſcharam, eſt valde fixus, & impactus, ita vt motui renitatur cuicunque. His ſuppoſitis, & adnotatis, facile eſt determinare, quid hac in re ſit tenendum.

Hunc tractatũ eſſe de carbunculo ex ſanguinis alimentalis, licet craſſioris, & feruẽtioris, non tamẽ venenati fluxu.

Sanguis tamen eſcharã producẽs venenatus eſt.

Sanguis in affecta parte ex conſtipatione aſſatus & craſſefactus, neq; repelli, neq; reuelli poteſt.

Dico igitur, quòd vtraque opinio peccat, & quòd nec pura reuulſio, nec pura deriuatio in carbunculo conuenit; ſed quędam euacuatio media; quæ & deriuationis, & reuulſionis rationem participet. Non cõuenit quidem pura deriuatio, quæ fit per locum proximum loco affecto, ac per eadẽ locorum differẽtias, vt per inferna ab infernis, ſub vmbilico, per ſuperna à ſupernis, ſupra hepar, non conuenit, inquam, quoniam augeretur magis morbus, vt ſi carbunculus eſſet in oculo, & ſecaremus venam circa aurem, augeremus morbum: ſimiliter, ſi eſſet circa clauiculam, & ſecaremus venam in humero, quia tota ferè maſſa ſanguinea eò attraheretur, & maximè augeretur morbus. Quare pura deriuatio nullo modo conuenit, & ſic non eſt ſęcanda vena propinqua loco affecto.

Auctor decernit de lite præſcripta.

Puram deriuationẽ reijcit.

Sed pro maiori intelligentia determinationis, meminiſſe vos oportet, quòd in inflammationibus duplex datur humor, alter quidem, qui à toto corpore fluxit in locum affectum, ſcilicet in vaſa, quæ in affecta parte reperiuntur, & maximè in vaſis maioribus, & quod ex ipſis vaſis reſudans in cauitates ipſius partis facit inflammationem: alter verò humor, ſeu ſanguis eſt, qui non reſidet, nec quieſcit, vt hic iam dictus; ſed continuò fluit, & eſt in motu. Quemadmodum igitur duplex eſt humor in inflammationibus, ita & in carbunculo; & ſicuti humor eſt duplex, ita pariter duplex euacuatio: altera quidem illius materiæ, quæ iam fluxit, & firmata eſt; altera verò illius, quæ continuò fluit: Materia, quæ fluxit, & tranſudauit extra vaſa, inibique firmata facit partis inflammationem, non indicat euacuationem per ſectionem venæ; at materia illa, quæ fluit, & quæ fluxit, adhuc tamen eſt in vaſis, vtique vtraque hæc materia indicat euacuationem per ſectionem venæ. In carbunculo igitur incipiente, cum maior pars materiæ fluat, & non niſi minima portio fluxerit, indicatur vera reuulſio, vt, quantum fieri poteſt, reflectatur motus ille: reflexio autem cum fiat per motus valdè contrarios, ideo pro reuulſione, reflexioneque ſęcanda eſt vena maximè oppoſita loco affecto: & ita,

Reuulſione ad oppoſita probat in principio.

ſi carbunculus i nciperet oboriri in dextra parte,ſecanda erit vena in latere ſiniſtro; ſi in parte ſuperiori,vena erit ſecanda in parte admodum inferiori,& è conuerſo : nam quãto remotior vena ſecatur,tanto melior fit reuulſio .

Ἴξις eſt rectitudo ſecũdum fibras.

Et notate,quòd in reuulſione, atque in deriuatione. obſeruanda eſt ἴξις, quæ præcipitur ab Hipp.vt teſtatur Gal.lib.2.ad Glauconem cap.2.ἴξιν autem vocat Hipp.lib.primo, de ratione victus Tex.29. φορὰν vt ait Galenus in commento, rectũ illum tramitem,quo fertur gula ad ventrem per thoracem ; aliquando etiam ἰθυωρίαν quam aliqui è regione; ſed malè,mea ſententia,interpretati ſunt. alij, & clariùs ſecundum rectitudinem, ideſt, fibrarum communicationem,vt conſtat lib.1.de officina medici tex.15.& 3.lib. de fract. Tex.10.& ex Gal.in 6. epidem.comm.Tex.2.

In augumento pura non conuenit reuulſio.

Sed non ſemper indicatur euacuatio illius quod fluit , quod fit per veram reuulſionẽ, vt iam dixi;at aliquando indicatur euacuatio materiæ illius,quæ iam fluxit;ſed nondum è venis egreſſa eſt: Quæ euacuatio poteſt fieri & per reuulſionem,& per deriuationem: Verum nec pura reuulſio,nec pura deriuatio opportuna eſt;non quidem pura reuulſio, quoniam cum fiat per partem oppoſitiſſimam,& valde remotam, oporteret maximam copiam ſanguinis educere , antequam euacuaretur materia in vaſis ipſius partis affectæ exiſtens : nec euacuatio per puram deriuationem facta eſt accommodata , quia , cùm fiat per ſectionem venæ propinquæ loco affecto,copioſa aliunde ad locum affectum attraheretur materia, & ſic augeretur morbus . Si igitur nec hæc, nec illa euacuatio conuenit , quænam conuenit ? Illa , quæ & deriuet , & reuellat ſimul , quam euacuationem vocauimus ſuperius reuulſionem impropriè dictam , quæ euacuatio fit per partem oppoſitam , ſed non oppoſitiſſimam , ita , vt ſapiat naturam reuulſionis , & deriuationis,de quo euacuationis genere intellexit Hippocrates quando monuit in pleuritide ſecandam eſſe venam eiuſdem lateris:quod fecit, vt ſimul,& ſemel deriuaretur,euacuareturque materia . Si itaque carbunculus penitus fiat,ita, vt materia ſolum fluat, vel minima pars fluxerit,ſat eſt ſecare venam , quæ reuellat tantum;& extrahendus eſt ſanguis vſque ad defectum animi .

Medicus rarò purã adminiſtrat retractionem , ſed potius motum ex reuulſione & deriuatione miſtũ , quia tardè vocari ſolet .

Sed ſciatis,quòd rarò Medicus eſt præſens vero illi principio carbunculi,quando materia fluit;ſed ſemper aduocatur ferè in augmento, quando tumor eſt factus, & materia fluxit, adhucque fluit . Et ideo tunc indicatur euacuatio,quæ partim reuellat;partim deriuet , quæ euacuatio eſt reuulſio impropriè dicta : Ita ſi carbunculus oboriretur in maxilla, vel circa collum,& materia partim fluxiſſet in uaſa loci affecti, partimque flueret, ſecanda eſſet vena brachij eiuſdem lateris : hoc enim modo materia fluens reuelletur, reflectetur que motus ille;& quæ fluxit in vaſa,euacuabitur per deriuationem,quia venæ brachiorum ſunt coniunctæ venis iugularibus : Ita quoque erit faciendum,ſi carbunculus eſſet in oculo; ſi in angulo vel dextro, vel ſiniſtro, ſecabitis venam brachij hepaticã, vel communem vocatam lateris videlicet oppoſiti .

Obiectionis contra reuulſionem miſtam ſolutio.

At dices : animaduertas , quòd ſuccedent incommoda ſupra iam enarrata , quòd, videlicet, materia retrahetur per vniuerſum corpus , & repet in partem aliquam nobiliorẽ, & interficiet : nam in omnibus reuulſionibus materia retrahitur per vniuerſum corpus.Dico falſum eſſe,quòd in omnibus reuulſionibus impropriè dictis materia retrahitur per totum corpus : nam ſi trahatur ab oculo , ſecta vena in brachio, non diffundetur per vniuerſum corpus : ſimiliter, ſi retrahatur ab humero dextro, ſecta vena in humero ſiniſtro . Pariter ſi carbunculus ſit in inguine dextro, & ſecetur vena poplitis ſiniſtri, vel è contra . Quare falſum eſt, quòd ex qualibet reuulſione retrahatur ſanguis, & diſpergatur materia per vniuerſum corpus .

Obiectionis cõtra reuulſ. dilutio .

Sed dices adhuc : ſi materia flueret tãtum,& pars aliqua eſſet iam fluxa,vt ſuprà dictũ eſt, & vteremur reuulſione, nonne retrahetur, & diſpergetur ſanguis retractus per totũ corpus? Igitur nec in principio vtendum erit reuulſione,ne materia retracta,& diſperſa per totum corpus repat in partem principem. Dicebam,ſi memoria tenetis,nos rarò adeſſe vero principio carbunculi, dicebam præterea, ſanguinẽ,ex quo fit carbunculus,non eſſe putrefactum, nec vllam in ſe habere malignitatem, ſed ſolum peccare, vel in craſſitie,vel in feruore,non eſſe inquam malum,neque dum fluit,neque cum iam fluxit, & in venis continetur : ſed vtique malignus fit cum è vaſis eſt egreſſus in partem affectam: Cum itaque non ſit malignus , etiam ſi in principio carbunculi retraheretur , & diſperſus per totum corpus reperet in partem principem,non lęderet .

Sanguis adhuc in uenis nec quantitate nec qualitate nocere poteſt .

Sed dices:ſi non lędet ſua qualitate,lędet quantitate : Dico,ꝙ nec hoc fieri poteſt,quĩa per reuulſionem pars ipſius ſanguinis euacuatur. quare nullum ſequitur inconueniens.

Cęterũ adhuc diceret aliquis : ſi caſu fieret, vt retraheretur pauca illa materia, quæ ex vaſis partis affectæ tranſudauit in partem ipſam, & ibi per exuſtionem facta eſt maligna,

ſi,inquam,

ſi, inquam, talis materia retraheretur ad partem principem, nonne iugularet? Proculdubio; ſed non poteſt retrahi, vt etiam ſupra ſuppoſitum eſt, & dictum de ſententia Galeni in decimoquarto methodi, capite 10. & in decimotertio methodi, capite 16. non eſſe vtendum repellentibus, vbi materia eſt craſſa, quia non poteſt repelli: nam eſt craſſa & fixa. idipſum etiam dicebat de materia iſta carbunculi in decimoquarto metho. capite 10. ſi igitur non poteſt extrudi, ergo à commutata proportione non poterit etiam elici, & reuelli. Igitur euacuatio erit tuta, ſiue fiat per propriam reuulſionem, ſiue per impropriam: Et ita patet, malè dixiſſe eos, qui volebant ſecandam eſſe venam proximam loco affecto.

Sangnis elapſus è venis in carbũculo nec reuelli, nec repelli poteſt.

Sed animaduertatis, quòd aliquando euacuanda eſt materia a loco ipſo affecto, quando ſcilicet materia tanta eſt, vt egrediatur ex vaſis in partem ipſam, & nullo alio modo poteſt euacuari, quàm per ſectionem venæ loco affecto proximæ: ſi enim non euacuaretur, poſſet facere gangrænam: & ideo in eo caſu eligimus minus malum, ob idq́; ſcarificamus partem ipſam tumentem, vel ſecamus venas eiuſdem membri affecti: & ſic vtimur vera deriuatione: Hoc facimus coacti, vel à corruptione, quam timemus, vel à materia, quæ ſit ita impacta, vt alio modo euacuari non poſſit: Sed ſi eſſetis in principio carbunculi, non eſſet opus tali euacuatione. Illa igitur euacuatio, quæ fit per veram deriuationem ex ſecta vena proxima loco affecto, tunc eſt tuta, quando ſpatia partis affectæ ſunt ita repleta materia, vt periculum ſit, ne ex carbunculo fiat gangręna, & quando aliæ euacuationes non habent locum.

Deriuatio vel Euacuatio per locũ affectũ quando facienda.

Verum notandum eſt etiam, quòd ſæpe cum ſanguine fluente eſt mixtus melancholicus humor: & ideo optimè monent Recentiores Chirurgi, exhibendum eſſe aliquod medicamentum, quòd vtrũque humorem poſſit euacuare: & quæ id præſtare valeant, multa proponuntur ab ipſis: nam Bertapalia proponit mirobalanos, caſſiam, mannam, electuarium de ſucco roſarum, & diaphœnicon. Gulielmus verò epithymum, colocynthidem, aloem, ſcammonium, euphorbium, & ſimilia. Quod talis mixtus humor ſit euacuandus, probè ſanè dicunt; ſed non in principio, antequam concoquatur, & paratæ fuerint viæ: alioqui medicamentum exhibitum nihil prodeſſet: pręparanda igitur prius eſt materia, & viæ aperiendæ, & parata cum vtraque fuerint, quod cognoſcetis ex vrina, tunc exhibitis confectionem hamech, vel electuarium de pſyllio: quæ etiam poteritis commiſcere vel cum caſſia, vel cum diacatholicone: placet mihi ſummopere electuarium de pſyllio: &, niſi viæ fuerint apertę, in hoc morbo non ſunt exhibenda valida medicamenta: poteritis etiam pharmacum componere hoc modo:

Purgandum præparata materia.

Proponũtur purgantia.

℞. Diacatholiconis, }
Diaprunis non ſolutiui } añ. ℥. s.
Confectionis hamech, }
Electuarij de pſyllio } añ. ʒ. j. s.

Miſce, & cum decocto cordialium florum, & fructuum, & tormentillæ fiat potio: cui addatur Vini granatorum, Syrupi violati añ. ℥. j. Miſce pro potu.

Aliquando admiſcemus cum iam dictis medicamentis ſyrupum roſaceum, vel ſyrupum de agreſta, vel conſimilem, qui poſſit materiam illam concoquere.

Notate etiam, quòd in carbunculo ſunt exhibendi ſyrupi illi, qui habeant vim attemperandi feruorem, reſiſtendi putredini, & roborandi diſſipatos ſpiritus: & ideo medicamenta etiam exhibenda debent tales vires habere, ſi præſertim in carbunculo maximus aderit feruor. Oportebit igitur cum medicamẽtis commiſcere aliquod, quod has facultates poſſideat: talia autem ſunt endiuia, acetoſa, ſonchus, Scabioſa, qua certè nihil eſt præſtantius, & nihil aliud eſt, quam ſtœbe Antiquorum, & maximè ſiccat, ita vt dixerint Antiqui ipſius duntaxat ſuccum aſſumptum poſſe ſanare carbunculum; præcipuè ſi maximus non adſit feruor, quia cum maximè exſiccet, non ita prodeſſet: & tantam herba hæc ſiccandi vim habet, vt nihil reperiatur præſtantius ad reſiſtendum putredini in illis gangrænis, vbi non poſſumus vti metallicis: aliquid igitur dictorum medicamentorum commiſcendum erit cum medicamento, vel etiam aliquid ſcordij. Pro roborandis autem ſpiritibus, & corde ipſo proponunt omnes Calendulam vocatam, & eſt herba Sancti Ioannis vulgò appellata, & accommodata eſt ad talem vſum: ſimiliter & Borago, quę bugloſſam Antiquorum eſt. Poteritis igitur exhibere medicamentum diſſolutum cum ſyrupo acetoſæ, vel de ſucco limonum, & huiuſmodi: Poteritis quinetiam exhibere decoctiones dictarum herbarum. Syrupi autem, quibus vti poteritis, ſunt qui feruorem, ac malignitatem humoris compeſcant, qualis eſt ſyrupus de agreſta, de ſucco endiuiæ, de ſucco citri, de fumo terræ, de meliſſa, acetoſus ſimplex, & ſimiles.

Refrigerantia: Putredinem arcentia: Reſtaurãtia cordialia.

Vſtio Carbunculi maligni, & vehementis.

His peractis, & inſtituta recta victus ratione, deueniendum erit ad locum ipſum affectum; circa quod nihil præſtantius (ait Celſus) lib. 5. capit. 28. agi poteſt, quàm exuſtio, quoniam (ait) illud non eſt graue. Sed quomodo (dices tu) non eſt graue locum exurere? Reſpondet ipſe, quia pars carbunculo affecta non ſentit: quòd ſanè veriſſimum eſt: nec aliunde prouenit, quàm ex maxima exuſtione, quæ ab humore introducta eſt in parte. Sed locum exurere, licet ſit aliquando neceſſarium, non tamen in omnibus carbunculis hoc eſt agendum, ſicut & regula, quam ipſemet Celſus tradit, nos monet: Regula autem eſt, quòd vis, pro magnitudine morbi, eſt adhibēda: ſi igitur intenſus, ac vehemēs eſſet carbunculus, proculdubio erit exurendus; ſin mediocris, nequaquam.

De agendis circa cruſtā in mediocri carbunc.

Sed eſto, quod ſit mediocris carbunculus, quid circa ipſum erit agendum? Docet hoc nos optimè Galenus in 14. methodi cap. 10. & cum Galeno etiam Paulus: Præcipiunt auctores iſti, & maximè Galenus primum habendam eſſe rationem partis illius carbunculi, in qua eſt cruſta; ſecundò reſpiciendum eſſe ad partes reliquas inflammatas, & eſcharæ circumpoſitas, & tumeſcentes: Circa cruſtam autem monet Gal. vt diſrumpamus ipſam nouacula, vel ſcalpello, mox, vt altè ſcarificemus, quò detur aliquis exitus ſanici, & corrupto humori. Hinc colligatis contra Tagaultium, hirudines non eſſe ipſi cruſtæ, pro ſcarificatione, ideſt, loco ſcarificationis applicandas, nam tarda nimis eſt actio: nolunt enim animalcula illa cruſtæ hærere; & cum hæſerint, non exugunt ſanguinem craſſum, ſed tenuem; intentio autem medici debet eſſe, vt egrediatur ſanguis craſſus; idcirco Gal. præcipit faciendas eſſe ſcarificatioues profundas: quare nouacula, ſemper ſcarificabitis, & profundè quidem.

Detergentia & putredinē reprimentia ex veteribus.

Sed animaduertatis, quod non partes eſcharæ adhærentes ſunt ſcarificandæ, ſed ſolùm particula illa, quæ cruſta obducebatur: Quæ ſola pars ſcarificata cum fuerit, detergatur locus ſpongia madente lixiuio cum Aegyptiaco pauco, aut aqua ſalita calida; Poſtea imponendum ipſi eſt medicamentum, quod exſiccet, & deſtruat putredinem: talia autem ſunt, vt ait Paulus in 2. lib. cap. 12. trochiſci Andronis, Paſionis, & Pòlyidæ, quod facit etiam Galenus 14. meth. 10. qui trochiſci ab eodem inibi deſcribuntur, nec non in 5. de compoſit. medic. per genera cap. 11. & 14. Sed animaduertatis, quod viri iſti, diſſentiunt in deſcriptione: nam variant pondere. Ego autem cum mando, vt parentur, vtor deſcriptione Galeni, quæ melior certè eſt; vtraque tamen bona. Aliquando igitur vnum trium dictorum medicamentorum ſcarificato loco eſt imponendum; ſed non ſub forma ſolida, at dilutum, vt ait Gal. 14. methodi cap. 10. & in 2. ad Glauconem cap. 2. cum vino aliquo dulci ad ſordium craſſitudinem, vel cum vino thæreo, vel ſcybilite, vel cum ſapa, vel ſucco plantaginis, vel aliquando vino auſtero, aut acero: & inquit, quòd, quando in parte inflammata, & tumente eſt magnus feruor, medicamenta illa ſunt diſſoluenda vel cum vino dulci, vel cum ſapa, vel cum ſucco plantaginis; quando autem in parte inflammata non aderit tantus tumor, nec tantus feruor, cum acero, vel cum vino auſtero. Huius rei cauſam ipſe non reddit: Vnde ego multum laboraui in inuenienda cauſa, quam credo eſſe hanc, quòd qnando partes circumpoſitæ eſcharæ non ſunt valdè tumidæ, & ſunt valde inflammatæ, indicatur, vt partes illas ſiccemus, non autem exuramus, & vt exacerbatam partem leniamus; & ideo tunc imponimus medicamentum diſſolutum vel cum vino dulci, vel cum ſapa, vel cum ſucco plantaginis: hæc enim omnia leniunt: At quando tumor eſt magnus, nec tantus feruor, tunc timenda eſt corruptio membri; & ideo imponimus medicamentum diſſolutum vel vino auſtero, vel aceto: quoniam hæc impediunt putredinem, & altius penetrant.

Repetitio dictorum.

Itaque ſi in carbunculo non ſit neceſſaria exuſtio, ſcarificate ipſum ea tantum in parte, vbi eſt cruſta; & poſt ſcarificationem profundam, imponatis aliquod trium dictorum trochiſcorum diſſolutum eo modo, quo dictum modo eſt. ſed animaduertatis, quòd antequam imponantur medicamenta ſcarificato loco, abſtergenda eſt ſanies illa, & humor ille egrediens cum ſpongia madida, vel cum lixiuio acri, vel aceto, in quo ſit diſſoluta ſalis portio: Abſterſus hoc modo cum optimè fuerit locus, imponetis aliquod dictorum medicamenrorum diſſolutum ſucco arnogloſſi (ideſt, plantaginis) vel ſapa, vel vino dulci, ſi videlicet maximus adſit feruor in inflammata parte; ſi verò tantus non adſit feruor, cum vino auſtero: Sed, vt dixi, non imponatis medicamentum ſupra partes inflammatas, quia exulceraret; at ponatis ſolum ſupra ſcarificatam partem eſcharoſam. Habemus & varia alia medicamenta eandem vim habentia, quam & trochiſci dicti habent, quorum aliqna Maſſiliotæ, aliqua Apionis, aliqua Apollonij, & aliqua aliorum vocantur, vt Organici, Magni, & Diodori ad cruſtas carbunculi, vt videre eſt apud Galenum in quinto de compoſitione medic. per genera cap. 15.

Sed

Medicamenta quædã veterũ quibus nos caremus.

Sed & in trochiſcis dictis,& in alijs medicamentis dictis enumeratis loco citato à Galeno, eſt vna difficultas, atque illa eſt, quòd non poſſunt paſſim parari, cum multa nobis deſint eorum, quæ ipſa ingrediuntur, quale eſt alumen ſciſſile, alumen rotundum, chryſocolla, myſi, lapis Alius, diphryges, nitrum rubrum, & ochra: quæ omnia recipiuntur in trochiſcis, & in medicamentis alijs; & tamen à nobis deſiderantur: Ideo loco ipſorum ſolemus, apparente cruſta, & incipiente nigreſcere, etiam ſi tota nondum ſit facta nigra ſcarificare locum; & egredientem ſaniem abſtergimus ſpongia diluta lixiuio, vel cum aceto, cum pauco ſale iniecto in ipſum; poſtea accipimus ouum, & ſub cineribus coquimus, ita, vt durum fiat totum, vitellum ſcilicet, & albumen; poſtea accipimus eius vitellum ita feruens, & eius per medium ſecti tantam accipimus quantitatem, quanta tegat partem ſcarificatam, & ſupra partem ipſam vitelli oui inſpergimus tantum ſalis triti, quantum poſſit recipere, & retinere, & ita hoc modo partem vitelli calidam, & ſale inſperſam loco ſcarificato imponimus, & ſæpe ſæpius auferimus, & recens medicamentum eodem modo calidum, ſaleque aſperſum imponimus: Vtimur autem medicamento hoc ad imitationem Galeni, qui vtebatur trochiſcorum illorum puluere aſperſo vino dulci, vt ex tali medicamento haberet exſiccationem, & ita reſiſteret putredini; ſecundò lenitionem aliquam, ob vinum dulce: Quæ duo pręſtat nobis & medicamentum illud ex vitello oui & ſale: nam ſal ſua ſiccitate reſiſtit valde putredini, vt patet de carnibus ſalitis: ſimiliter & vitellum oui, quia frigidum & ſiccum eſt; & ratione cuiuſdam vnctuoſitatis aliquo modo mitigat. Sed, ſi medicamentum hoc leue videretur, validiora non deerunt, quæ poteritis ſcarificatæ, & cruſtoſæ parti applicare, quale eſt vnguentum Aegyptiacum ſimplex Meſue, quod paratum habetur in officinis: & recipit iſta aceti partes ſeptem, æruginis æris partes quinque, mellis partes quatuordecim: poteritis igitur ipſius portionem ſupra linamentum extendere, & cruſtoſæ parti applicare; vel vtamini alio, quod Auicennæ inſcribitur, cuius Auicenna vmbram tantum deſcripſit lib. 4. fen. 3. in curatione gangrenæ, quod conſtat ærugine, alumine, melle, & aceto partibus æqualibus. Verum, quia & iſta lenia aliquando ſunt, ideo commiſcemus interdum cum ipſis aliquid chalcanti vſti, vel quid aluminis vſti: Nec aliquando etiam hoc ſufficit: nam ſæpè cruſta ſerpit ita vt breui tempore magna ſatis fiat: videbitis enim hodie, verbi gratia, cruſtam vix incipiẽtem, cras valde auctam, perendie magis: & ideo tunc opus eſt, vt validiori adhuc vtamur medicamento, quale eſt Aegyptiacum Ioannis de Vigo traditum lib. 8. cap. 13. quod in officinis ſolet parari, & eſt validiſſimum medicamentum, & fit ſic:

Noſtra medicamẽta ad anthracẽ apertũ abſtergendum, ſiccandum, mitigandum.

Valentiora.

Aegyptiacum Ioan. de Vigo.

℞. Aeruginis, Mellis, Aluminis, Aceti, añ ℥. ij.
Arſenici ʒ. ij.
Sublimati ʒ. j.

Tritis terendis, miſce, & coque ad vnguenti conſiſtentiam.

Signa ſuperatæ putredinis, quæ eſt dictorũ medicam. terminus.

At quouſque (dices tu) debeo ego circa cruſtam vti medicamentis his? Eouſque, quo videritis malignitatem eſſe ſuperatam, & cruſtam non amplius ſerpere: Quod duobus ex ſignis cognoſcetis, quorum alterum eſt, quod cruſta non procedit vlterius: ſed hoc ſignum eſt fallax: idcirco oportet, vt recurratis ad alterum, & eſt linea quædam parua, & alba in confinio cruſtæ, & inflammatarum partium ſita: quando igitur inter cruſtoſam, & inflammatam partem videbitis apparere albam lineam, habeatis pro certo malignitatem eſſe ſuperatam; quoniam ex linea illa albeſcente indicatur Naturam cępiſſe ſeparare malum à bono, & quòd malus humor cępit ſequeſtrari à ſanguine, & concoqui, necnon ſiccari à naturali calore; nam ſub linea illa continetur materia iam concocta & victa: & ita indicatur, quòd Natura fouet, quòd bonum eſt, & concoquit illud, quod malum eſt. hic igitur eſt terminus quouſque vos debeatis vti medicamentis circa cruſtam, nimirum, quouſque ſuperata fuerit malignitas.

Vſtio carbũculi malignioris vſque ad doloris ſenſum.

Sed accidit aliquando, vt dicit Celſus, vt medicamentis nullo modo poſſimus malignitatem vincere, & ideo, non apparente linea illa, ad vſtionem eſt deueniendum. mens etenim Galeni fuit in omnibus ſerpentibus morbis, in quibus medicamenta nihil proſunt; ſed ſuperantur à morbo, vtendum eſſe vſtione: igitur & vos cum malignitatem medicamentis non cedere videritis, exuratis cruſtoſam partem. Sed vſq; ad quem terminũ debemus nos exurere? Dũ ex omni parte ſenſus doloris exiſtit, ait Celſus, hoc eſt, donec partes omnes æqualiter incipiẽt dolere: nam per primam, ſecundam, & tertiã aliquando

impoſitionem cauterij ferri non excitatur dolor, ſed vtique calor: nam prius calor, deinde dolor perſentitur: & ideo Celſus dicit, dum perſentitur dolor: exurenda igitur cruſta eſt vſque eò, quouſque partes ſentiant dolorem: tunc enim indicabimur ex dolore partem cruſtoſam, & carnem omnem corruptam fuiſſe exuſtam: his additis & aliud ſignum pro termino exuſtionis cognoſcendo, & eſt cum corrupta caro cruſtæ modo ob ignem durüerit.

Emplaſtrũ maturãs poſt cauterium.

Facta vſtione, maturanda eſt cruſta, vt ipſa & exuſta caro concidat, ad quam intentionem Recentiores noſtri proponunt emplaſtrum quoddam, quod mihi placet, cuius deſcriptio talis eſt:

℞. Foliorum { Malorum / Violariæ } ⎫
Radicum altææ coctarum in aqua ⎭ aã. partem vnam,

Farinæ { Hordei / Tritici } aã. partem mediam,

Butyri recentis ⎫
Axungiæ recentis ⎭ aã. q. ſ.

Miſce, & fac emplaſtrum ſupra cruſtam imponendum. Loco iſtius emplaſtri poteritis etiam vti tetrapharmaco vnguento ita vocato ab antiquis, quo medicamento ſoleo ego frequenter vti in maturandis cruſtis, ſimiliter vti poteritis vnguento (baſilicon ſimplex) dicto, quod eſt Meſuę. Cum cruſta, & corrupta caro ceciderit, deueniatis ad detergentia, deinde ad ea, quæ carnem gignunt, poſtremò ad illa, quæ cicatricem obducunt.

Notandum de magna vi Scabioſæ, & Conſolidę minoris contra putredinem.

Adhuc tamen vos ſcire velim Recentiores noſtros; & ſunt Theodoricus, & Rogerius, inter medicamenta cruſtæ applicanda, non dico pro auferenda cruſta exuſta, ſed pro reſiſtendo putredini, duo mirum in modum extollere, & illis valdè fidere; & ſunt duæ herbæ; quarum prima Scabioſa eſt, quam inter duo ſaxa viua contundunt, & ſupra carbunculum, in parte tantum cruſtoſa, ponunt; & ſua ſiccitate, quæ non parua certè eſt, putredini omni reſiſtit: Altera eſt, quam Theodoricus, & Rogerius Chirurgi Herbam Venti vocant, & eſt Conſolida minor ab aliis vocata: & ideo caſtigate lecturam in Guidone, & Tagaultio, & vbi legunt conſolidam maiorem, minorem ſcribatis; à nonnullis etiam herba hæc vocatur Symphyton petreum; ſed errant, quoniam non eſt ſymphytum; à Fuchſio vocatur prunella. & deſcribitur à Mattheo Sylvatico. hanc itaque herbam contundunt inter duos lapides viuos, & cruſtæ applicant, & tantam habere vim dicunt, vt hæc vna herba carbunculos ſanet. Equidem herbis his nunquam vſus ſum; ſed ſi offeretur occaſio, vt ruri eſſem, & alia medicamenta non poſſem habere, audacter vterer, & hæc de ijs, quæ circa cruſtam fiunt.

De agendis circa tumorem.

Circa tumorem autem, ac partem inflammatam plura ſunt agenda. Quando igitur cum cruſta eſt tumor magnus, & inflammatio magna, & carbunculus eſt vel in principio, vel in augmento, nulli dubium, quòd in parte tumida multa continetur materia, & quòd materia adhuc fluit: duplex igitur offertur indicatio: altera accepta à materia, quæ fluxit; reliqua verò ab ea, quæ fluit; & ſic indicatur vtendum eſſe refrigerantibus, repercutientibusque, vt ei, quæ fluit inhibeatur fluxus; & altera repercutiatur. Sed hic

Difficultas de repellentibus.

duæ ſunt difficultates; quoniam Galenus 14. methodi, cap. 10. dicit, quòd materia, quæ fluxit, craſſa eſt, igitur non poterit repercuti. Præterea, ſi vteremur aliquo medicamento validiſſimo, ita, vt repercuteretur, repercuſſio non videretur tuta, quoniam fieri nequit, vt portio aliqua materiæ illius, quæ fluxit. & in vaſis inflammatæ partis continetur, non tranſudarit è venis in partis ipſius cauitates, & ibi facta iam ſit quoquomodo putrida: & ideo, ſi valido vteremur repercutiente, non ſolùm quæ in vaſis, ſed & quæ extra continetur, materia repercuteretur; & ita pars illa putrida, & maligna iam facta, poſſet repere ad partem aliquam profundam, & illam lædere, aut etiam ad partem nobilem,

Solutio; moderatè repercutiendum.

& ægrum enecare. Hæc cum vidiſſet oculatus Galenus, præcipit, vt vtamur refrigerantibus, & aſtringentibus quidem, ſed moderatè: nam vult, vt moderatè temperemus, moderatèque repercutiamus: & præterea, vt medicamenta refrigerantia, & aſtringentia moderatè, habeant & aliquam vim digerentem: igitur medicamenta applicanda debent refrigerare, aſtringereque moderatè, & aliquam concoquendi vim habere: Quænam igitur erunt hæc medicamenta? Recentiores proponunt emplaſtrum de duob. granatis, quod acceperunt ab Auic. in curatione carbunculi, & Auic. à Paulo mutuatus eſt:

Nimium repellẽtia Recentiorũ improbantur.

capiunt enim duo mala punica, vnũ acidum, alterum auſterum, & integra coquũt in aceto, deinde tungant in mortario, & ſupra linteum poſitum applicant inflammatæ parti. Sed medicamentum hoc nullo modo placet, quoniam validiſſimè repellit, tùm ratione vtriuſque mali, tùm ratione aceti: nos autem egemus, quę repellant, trigefaciãt, & digerant

rant

rant leniter; medicamentum autem iſtud nullam habet vim digerendi; ideo mihi nõ ſatisfacit, cum vera ea eſſe crediderim, quæ à Gal. prodita ſunt de agendis. Solent etiam recentiores loco huius emplaſtri accipere bolum Armenum; vel ſanguinem draconis, & miſcent cum oleo roſaceo, & aceto, & applicãt, quod medicamentum Auic. quoque conficit ex bolo, aqua, & aceto. Sed nec hoc placet quoniam validius repellit, quàm ſit opus.

Oleũ ex nucibus rancidis conuenit in declinatione potius, quam principio.

Addunt aliud medicamentum ex Paulo, & eſt: accipiunt nuces iuglandes rancidas, & ex nucleis extrahunt oleum, & partem inflammatam inungunt. At nec hoc placet, licet & Antiquiores, & recentiores citãtur: nam & apud antiquos fuit in vſu, vt videre eſt apud Galenum in ſeptimo de ſimplicium medic. facult. cap. de nuce, vbi inquit, quòd aliqui exprimunt ex nuce antiquiori oleum, quo vtuntur ad gangrenas, & carbunculos. Verum non habemus mentionem, quo nam morbi tempore Antiquiores illi hoc medicamento vterentur; credo tamen ego, quod in declinatione, quia tunc egemus maiori digeſtione; in alijs autem morbi huius temporibus nullo modo vterer: quod vero Galenus intelligat iſtud oleum conuenire in declinatione, patet ex eius verbis, dum ait: Tunc ſane admodum fit per halitum euaporatorium, &c.

Repellentia quæ placent Auctori.

Itaque vterer potius emplaſtro de punicis, quod nonnulli alij Recentiorum parant hoc modo: Accipiunt malum punicum acetoſum, & alterum dulciſſimum, illud, vt repellat, hoc vt digerat; & coquunt in aqua hordei, quæ refrigerat, & aliquantulum digerit; in qua aqua ponunt etiam portiunculam aceti; vt penetrationem medicamento exhibeat; & ſimul cum aqua coquunt copioſa ſemina lentium, & folia plantaginis; poſtea colant, & contundunt in mortario; & addunt deinde carnem cidoniorum, & Appiorum malorum coctorum ſub prunis; &, facto emplaſtro, applicant. Componatis igitur emplaſtrum hoc modo: ℞. punicum acetoſum vnum, punicum dulce vnum: integra bulliant in aqua hordei, & aceto paribus menſuris, vel ſit minor portio aceti, & addite duos manipulos lentium, & plantaginis: cocta colentur, cribrentur, prius tamen tritis, & addantur carnis citoniorum, pomorum appiorum ſub prunis coctorum añ. ℥. ij. miſce, & fac emplaſtrum, quod inter duo vela poſitum applicetur parti inflammatæ. Si haberetis nuces iuglandes virentes, & ex earum nucleis confeceretis emplaſtrum, & imponeretis, optimum eſſet: nam recentes nuclei iuglandum digerunt & nõ nihil etiam aſtringentis qualitatis obtinent, quòd maxime requiritur: & ideo Auic. rectè proponit in hoc caſu oleum ex nucleis iuglandum recentibus: quod verò in nucleis, & oleo ipſorum ſit aliqua vis aſtringens, teſtis eſt Gal. loco dicto. Sed omnium præſtantiſſimum, & paratu facillimum eſt emplaſtrum, quod nos docet Gal. in 14. methodi cap. 10. & conſtat ex lenticula, folijs plantaginis, & pane optimo. Accipimus enim folia plantaginis, & ſemina lentium, & coquimus ſimul in aqua; deinde contundimus; & addimus panem clibanitem, ait Gal. & facto emplaſtro, applicamus parti inflammatæ & tumeſcenti; ſed non, vbi eſchara eſt; nec etiam vtimur hoc emplaſtro, quando paruus eſt feruor in parte inflammata, etiam ſi tumida valde eſſet; ſed vtimur, quando maximus adeſt feruor. Emplaſtrum hoc proponunt recentiores tanquam Auic. cum tamen ſit Gal. & Pauli, quod ab ipſis emplaſtrum de arnogloſſa vocatur.

Emplaſtrũ de Arnogloſſa.

Quatuor ſpecies panis apud Antiquos.

Ceterum, quia de clibanite pane, ideſt, cocto in clibano facta eſt mentio, idcirco non erit extra rem, vt vobis declarem, quomodo panis iſte ab alijs differat, & quid ſit. Sciatis igitur, quòd quatuor differentias, vel ſpecies panis à modo, quo coquebatur, acceptas habemus apud Græcos. prima quarum eſt κλιβανίτης κλιβανίτος etiam ab Atticis eſt vocatus, vt habemus ab Ariſtophane: aliqui ex noſtris vocant hunc panem furnaceum; ſed malè, quia clibanus differt à furno, vt conſtat ex Plinio, & Columella. Differt autem ſpecies hæc panis à pane furnaceo, ſicut, & clibanus à furno differt: erat autem clibanus furnus quidam teſtaceus portatilis, quale eſt ſolum apud nos, in quo tortæ vulgo dictæ coquuntur; Ab huiuſmodi furno clibano antiquitus vocato accepit nomen panis, qui in eo coqueretur, vt dictus ſit clibanites, & maximo tunc temporis in pretio erat, quoniam ſumma cum diligentia æqualiter partes ipſius omnes extrinſecæ, atque intrinſecæ coquebantur: poterant enim ad libitum ignem remittere, augere, temperareque, vt ipſis opus eſſe videbatur; quod nõ poteſt fieri in furno: & propterea panis ille efficiebatur optimus: qualis & noſter panis eſt, quem Monachæ facere ſolent ex farina, ſaccharo, & aqua roſacea, & zuccaritium, vel buccellatum panem vocant: qui ſanè optimus eſt, tum ratione materiæ præſtantiſſimæ, ex qua fit: tum ratione coctura: nam æqualiter omnes partes coquuntur. Igitur prima differentia panis à coctura accepta eſt clibanites. Altera ſpecies vel differentia eſt ἰπνίτης ab Antiquis Græce dictus, ideſt, panis furnaceus: nam ἰπνὸς furnum nobis ſonat: quòd autem ipnitis panis idem ſit, qui furnaceus, col-

Clibanites.

ligi

ligi poteſt ex Simeone ſeti anthore Græco, & recenti: nam vbi Galenus in primo de alimentorum facultat. cap. ſecundo legit panem ipniten; Simeon legit furnaceum: debetis namque ſcire, quòd Antiqui auctores Græci non vtebantur voce iſta φ ουρνὸς; Recentiorer autem Græci ipſa vtuntur, ſicuti Simeon, & Alexander. Secunda igitur ſpecies panis eſt, furnaceus vocatus ab eo, quòd in furno magno coqueretur.

Tertias Species.

Tertia erat panis, qui coquebatur ſupra cratem vel ſupra cineres, vel foci pauimentum.

Quarta.

Quarta coquebatur ſub cineribus, & ideo ſubcinericeus panis eſt appellatus.

Collatio dictarum quarta panis ſpecierum.

Sed inter omnes ratione cocturę clibanitis primas obtinebat, quia, vt dixi, panis iſte ęquè coqueretur; omnium peſſimus erat ſubcinericeus, eò, quòd inter coquendum ſemper aliquid cineris, & malæ qualitatis ſuſciperet: duarum autem intermediarum differentiarum peior erat panis ille, qui ſupra cratem coquebatur, quoniam inæqualiter coqueretur, ſed alibi nimis, alibi parum: qui verò in furno magno coquebatur, erat hoc melior, quia magis æqualiter in omnibus partibus coqueretur, & eò etiam æqualius, quò magis paruus conficiebatur panis: panes enim magni non bene coquuntur intus foris verò exuruntur: & hinc diſcatis panes eſſe paruos faciendos, quia æqualiter magis coquuntur in internis, atque externis partibus: Optimus igitur omnium panis ille erat, qui clibanites, ideſt, qui in clibano, furno teſtaceo, portatili, & paruo coquebatur: ſecundo loco eſt furnaceus: tertio, qui ſuper cratem aut ſupra cineres, aut foci pauimentum coquitur: quarto & vltimo ſubcinericeus, qui coquebatur inuolutus in cineribus. Galenus itaque clibanitem eligebat in conficiendo cataplaſmate tanquam omnium præſtantiſſimum.

Triplex alia panis differētia à materia panis triticei

Sed altera eſt adhuc panum differentia à materia, ex qua fiunt accepta, nimirum ex triticea: de hac enim loquor ſola, etiam ſi ex alijs rebus quam plurimis fiat panis, fieretque antiquitus: Ratione igitur materię triticeæ differebant panes; quoniam quidam panes fiebant ex ſimilagine, hoc eſt, ex puriſſima farina, & puriſſimi panes vocabantur; alij conficiebantur ex puris ſurfuribus, vel ex maiori parte ſurfurum, & ſurfuracei nuncupabantur; alij demum ex materia mixta, ideſt, ex tota farina, quæ & florem farinæ, & ſurfures contineret, & panem, qui ex hac materia mixta fiebat, appellabant Græci tempore Galeni αὐτοπυρὶν, Antiquiores verò Galeno appellarunt συγκομιστὸν, hoc eſt, portatilem, eo, quod ij, qui inſtituerent facere iter per mare, pararent ſibi menſam cum tali pane. At cur, dices tu, Nautæ parabant ſibi menſam hoc pane? Quoniam panis iſte ratione floris farinæ ſuauis eſt; ratione autem ſurfurum diu perdurabat, & reſiſtebat putredini: nam citius vermibus corripitur panis factus ex pura farina, quam qui ex ſurfuribus fit. Triplex igitur eſt panis differentia à materia accepta: prima illius, qui fit ex flore farinæ: altera qui ex tota farina non deputata tertia ex ſurfuribus. Pro conficiendo itaque emplaſtro vult Galenus vt accipiamus panem clibanitem, ſed non, qui ex puriſſima farina fit: quoniam emplaſtrum fieret nimis viſcoſum, & tenax, perinde atque glutem eſt, & ita obſtrueret meatus cutis, & augeretur feruor. Nec miremini, quòd Galenus obſeruet rem hanc, quę poſſet alicui paruis momenti videri: quoniam in morbis magnis paruiſſimus quicunque error maximus redditur; & ideo non debet medicus in morbis difficilibus ne per vnguem quidem extra terminos rectæ curationis exire: & propterea non ſinatis, non ſinatis, quæſo, iuuenes veſtros chirurgos emplaſtrum in carbunculis, & huiuſmodi alijs morbis conficere ex pane facto ex flore farinæ: quia error eſſet longè maior quam ijs fortaſſe videbitur, quia ex obſtrnctione meatuum poſſet vſque adeo augeri feruor, vt pars corrumperetur: Nec panis furfutaceus eſt bonus, quoniam cum ſurfures ſint craſſarum partium, vis emplaſtrj impediretur, quo minus penetraret vſque in profundum inflammatæ, ac tumeſcentis partis: præterea panis furfuraceus magis refrigerat, & ſiccat, quàm panis factus ex tota farina, ſed emplaſtrum ageret ſolum inſuperficiem, & corticem partis. Et ideo præcepit Galenus, vt accipiamus panem medium, ideſt, factum ex tota farina: nam hoc modo habebimus medicamentum mixtum, & mediocre, quod non citiſſime, nec tardiſſime penetrabit; Itaque, ſi magna ſit inflammatio, ac maximus feruor, conficiatis cataplaſma, ſeu emplaſtrum ex folijs arnogloſſi, id eſt, plantaginis, & ex ſeminibus lenticulæ decoctis in aqua, & ex pane clibanite, qui tamen ſit factus ex tota farina.

Mitius refrigerantia, & magis digerentia.

Si verò tantus non eſſet feruor inflammatæ partis, & tumor magnus, vtendum erit alijs medicamentis; vnde Galenus in ſecundo ad Glauconem monebat nos, vt conficeremus emplaſtrum, ex farina orobi decocta in oxymelitæ, & per farinam orobi intelligatis farinam ſeminum orobi amari non autem orobi dulcis; nam intentio eſt: vt reſiſtamus putredini; quod farina illa ratione amaroris præſtat; Et ſi non haberetis farinam orobi; vtamini farina lolij; vel farina lupinorum cocta pariter in oxymelite; & faciatis emplaſtrum; quo ego ſoleo frequenter vti. Et ſi timebitis caliditatē lupinorum, addatis

parum

Digitized by Google

parum furfuris triticei; addimus etiam aliquando aliquid olei roſacei, & ita fit medicamentum optimum: in his medicamentis debetis inſiſtere, vſque quo declinet morbus.

In declinatione autem vtamini reſoluentibus. Recentiores ſolent applicare hoc medicamentum. *Digerentia pura in declinatione.*

℞. Foliorum cupreſſi viridium,
Paſſularum ſine nucleis, } añ. ℥. ij.
Caricarum,
Farinæ hordeaceæ ℥. iiij.
Filiorum rutæ m. j.
Mellis ℥. ij.
Nucleorum iuglandis vetuſtorum ℥. ij.
Picis naualis ℥. i.
Vini veteris q. s.

Teruntur omnia, & coquuntur in vino ad conſiſtentiam emplaſtri: medicamentum hoc in declinatione valde conuenit. Sed ſi non opus eſſet tanta reſolutione, poteritis vti diapalma puriori, vel oleo iuglandium antiquorum, vel medicamento illo propoſito à Paulo in curatione carbunculi, quod conſtat ex auripigmento, lithargyrio, & oleo vetuſtiſſimo, & cum his medicamentis perſiſtetis vſque in finem.

Quandoque carbunculus eſt mali moris, ita, vt coniunctam habeat malignitatem; ſolet etiam habere coniuncta aliqua ſymptomata difficilima, & ſæuiſſima, quæ & ipſe extinguenda ſunt: Symptomata autem, quæ ſolet habere coniuncta, ſunt: febris vehemens, & ardentiſſima: nauſea continua cum vomitu, & aliquando ſine vomitu; proſtratio appetitus; deliquium animi; delirium; & tremor cordis: hęc ſunt, quæ carbunculus ſolet habere coniuncta, & timenda ſunt ſemper, ne fiant: Suſpicionem autem de aduentu iſtorum habebitis, quando videbitis magnam vehementiam morbi. Primò igitur, ne fiat febris, habenda eſt ratio aeris, qui frigidus valde eſſe debet: & ideo mandabitis, vt cubiculum irrigetur ſæpe aqua roſacea, vt ſpiritus diffundantur per aerem, & attracti ab ægro ſuperent malignitatem morbi: odoretur æger aquam roſaceam, cum qua mixtum ſit acetum roſaceum, paucum vinum maluaticum, & infuſi in ipſa ſint ſandali: nec ſolum liquoribus dictis inſpergendus eſt thalamus, ſed etiam folijs myrti, ſalicis, & ſimilium. Supra cor imponenda ſunt epithemata, quorum duo, & illa quidem diuerſi generis habemus opportuna, quorum alterum eſt liquidum, alterum habet formam emplaſtri, ita, vt illiniri poſſit: liquidum igitur hoc modo conficitur. *Præcautio grauiſſ. ſymptomatum.*

℞. Aquarum { Meliſſæ, Roſarum, Bugloſſi, } añ. ℥. iiij. *Epithema cordiale.*
Vini maluatici ℥. ij.
Pulueris { Meliſſæ, Roſarum, Corallorum alborum, } añ. ʒ. ij.
Specierum cordialium temperatarum, ʒ. iiij.

Miſcentur omnia, & cum ipſo madefacti panni vel linei, vel lanei ſupra cor applicantur. Vel loco huius vtamini altero quod poſſit illiniri ſupra linteum, & applicari; & paratur hoc modo.

℞. Olei roſacei omphacini, Vnguenti roſ. Meſue, } añ. ℥. ij. *Vnguentum cordiale.*
Aceti roſacei, Aquæ roſaceæ, } añ. ℥. j. s.

Miſce, & bulliant ad conſumptionem aceti, & aquæ; deinde adde paruam quantitatem ceræ albæ; poſtea ſuper inſperge pulueres hos.

℞. Pulueris { Santalorum omnium ʒ. j. s. Coralli { Albi, Rubri, } añ. ʒ. j. Croci, ℈. s.

Fiat medicamentum, quod habeat optimam conſiſtentiam vnguenti, quo inungatur, illinaturue totus thorax; tam pars ſiniſtra, quam dextra, vt arteriæ accipiant vim medicamenti, & deferant ad cor, & impediatur putredo, vel extendatur ſupra linteum, ſeu petiam magnam, & applicetur. Sed animaduertatis, quòd, quando renouabitis medicamentum, ſemper deradendum eſt aliquo inſtrumento illud, quod ſupra locum exſiccatum remanſit; alioqui obſtruerentur pori cutis. Non tamen hoc ſatis eſt, ſed opus

eſt

Digitized by Google

eſt, vt monent recentiores, vt quotidie exhibeamus electuarium aliquod, quod roboret cor, hepar, & alia viſcera, quale eſt electuarium quod ipſi hoc modo parant.

Electuariũ.

℞. Sacchari roſacei,
Bugloſſati,
Conſeruæ ex floribus citri mali,
Zucchari boraginati, } añ. ℥.j.
Specierum trium ſandalorum,
Specierum diarodon abbatis, } añ. ʒ.iiij.
Theriacæ optimæ ʒ.iij.
Pulueris corallorum alborum,
.Rubeorum, } añ. ʒ.s.
Fragmentorum ſmaragdi,
Vnionum, } añ. ℈.s.
Foliorum auri nu. quinque vel ſex vel ʒ.s.
Syrupi de acetoſitate citri q. ſ.

Fac electuarium, & exhibeas ſemel in die matutina hora, vel etiam veſpertina, ſi poſſit, quantitate auellanæ, cum decocto, vel aqua ſcabioſæ, vel pentaphylli, vel bugloſſę. Sed animaduertatis, quòd difficile eſt, vt habeantur fragmenta veri ſmaragdi: nam loco ſmaragdi vendunt vitrum, nec poteſt dignoſci: & ideo melius erit, vt loco ſmaragdi accipiatis fragmenta vnionum, vel aliquid aliud, vt cornu ceruinum combuſtum. *De theriacæ exhibitione.* Alij ex recentioribus vtuntur ſola theriaca, atque quotidie ipſam exhibent, quantitate fabæ, diſſolutam vino maluatico, aut decoctione, vel aqua ſcabioſæ, dum æger vacet febre; ſi verò adſit febris, eliquant theriacam non vino, vel decocto ſcabioſæ, ſed aqua roſacea, vel endiuiæ, aut boraginis, aut bugloſſæ, & admonent, ne exhibeamus poſt aſſumptum cibum citius, quàm tranſacto ſpatio ſex horarum: neque cibetur poſtea æger niſi ſeruato eodem temporis ſpatio; quamuis quidam ſeptem horas, alij nouem aſſignent ad conficiendam theriacam. Tamen hæc ſit vobis æterna regula accepta ex Galeno in lib. de theriaca ad Piſonem cap. 17. quod eo tempore theriaca eſt ſumenda, quando æger cibos optimè concoxerit, neque ſe ijs grauatum ſenſerit, neque ſemper quantitas eadem ſit, ſed varia: nam pro neceſſitate, ac celeritate morbi tum copioſior, tum paucior exhibeatur, pariter ratione temporis intercidentis inter ipſam, atque cibum dandum, quare ſi æger ita affligatur, vt requirat validius medicamentum, neque opus habeat frequentiori cibo, danda eſt pondere nucis auellanæ eliquata tribus cyathis aquæ calidæ, aut decoctionis, aut ſtillatitiæ aquæ aut vini, tribus, inquam, cyathis, hoc eſt, vncijs tribus, & drachmis ſex, ſi contra quinta, vel ſexta hora, poſt aſſumptum medicamentum, requirat æger alimentum, tunc tantum theriacæ exhibeatur, quanta eſt faba ægyptiaca cum duobus cyathis liquoris. Sed obſeruanda etiam ſunt febris valida, æſtus nimius, & rem peries calidiſſima. Vnde ego ſecuritatis gratia, cum vix bona theriaca reperiatur, vterer potius, & vtor electuario ſuperius dicto. Hæc agenda ſunt ne ſæua ſymptomata ſuccedant; quod ſi acciderint, ac primò febris, ea ratione tractanda eſt, qua omnes febres, quæ putreſcente aliquo humore in corpore maligno, ac ſæuo accenduntur, & in hoc non eſt immorandum cum meam operam hoc non requirat.

Delirij curatio. Sin autem delirium aderit, ac phrenitis, vt ſæpius ſolet, vel cum febre, vel ſine febre, oportet medicum eſſe admodum diligentem in adminiſtrandis iis, quæ tale ſymptoma poſſint ſedare: euacuato igitur ac purgato corpore, retrahenda eſt materia à capite, per medicamenta euacuantia cum cucurbitulis, vinculis, ſcarificationibus, & huiuſmodi alijs reuellendi inſtrumentis: quo facto, incumbendum eſt parti affectæ, & ita temperandum eſt caput, fouendo ipſum cum aqua roſacea, ſimul cum oleo roſaceo, & addatur paucum acetum; ſed ſit paucum: addimus aliquando oleum violaceum, vel nenupharinum loco roſacei. Quandoque etiam opportunum erit inijcere clyſteria facta ex ptiſſana, imponendo etiam aliquando portiunculam mellis roſacei, & olei roſacei. Si videatis, quòd vena in media fronte exiſtente ſit tumida, ſecate ipſam: nam euacuabitur ſanguis ille, & præterea reuelletur materia à carbunculo: Conueniunt etiam cucurbitulæ ſiccæ, & ſcarificatæ, & multa alia, quæ proponuntur à ſcriptoribus.

Cibi faſtidiũ quomodo remouendum. Si adſit nauſea continua, & appetitus proſtratio, vt ſolet ferè ſemper, & nauſea fiat ex bile in ore ventriculi exiſtente, & ſtimulante, tunc bilis euacuanda eſt cum medicamento aliquo leniente, qualis aloes eſt, ſyrupus roſaceus ſolutiuus, violaceus ſolutiuus: & ſi velitis, poteritis etiam addere aliquid rhabarbari infuſi; ſed non exhibeatis ſolum, quia nimis calefaceret: poteritis ergo exhibere drachmam vnam aloes lotæ cum infuſione rhabarbari aqua dilutam; vel drachmam rhabarbari dilutam decocto cordiali; vel

ſolam

ſolam cum paſſulis manſam: nam hoc roborat magis ſtomachum:& ideo, ſi adeſſet diſſolutio magna ventriculi, tunc addatis rhabarbarum non amplius infuſum, ſed in forma ſolida. At ſi non bilis, ſed viſcoſa aliqua, & pituitoſa excrementa ſint in ventriculo, deueniendum erit ad aliud medicamentum, exhibent recentiores bis, aut ter oxymel ſimplex, aliquando ſolum, aliquando mixtum cum decocto hyſſopi, vel origani, vel ſatureiæ, & ſimilium, vt incidatur, concoquaturque materia illa: deinde exhibent hoc medicamentum.

℞. diaphœniconis ʒ.iij.
  Specierum de hiera ſimpl. ℈.ij.
Miſce: certe medicamentum eſt præſtantiſſimum.

De vomitu, ciendo.

Sed ſi natura faciat non ſolùm nauſeam, verum etiam vomitum, & excernat materiam illam per vomitum: tunc adiuuanda eſt cum ijs, quæ vomitum proritant, qualis eſſet decoctio ſeminum anethi ſimul cum oxymelite ſimplici; accipiendo ſcilicet librã vnam decoctionis, & quatuor vncias oxymellis. Sed, ſi nequeat euomere, deueniatis ad aliquod validus, qualis eſt aqua corticum iuglandium viridium, qua certè nihil eſt præſtantius ad irritandum vomitum: conficitur autèm aqua hoc modo: Accipiuntur decem lib. corticum viridium iuglandium,& per cortices intelligatis putamina illa viridia, quæ aridæ teſtæ ſunt obuoluta, accipiuntur igitur decem libræ iſtorum putaminum, & teruntur, & triti perfunduntur aceto, & relinquuntur ſex, vel octo dies in aceto, vt optima fiat maceratio & mixtio, poſtea ponuntur in elambich, & extrahatur aqua; Hanc exhibemus quantitate trium, vel quatuor vnciarum,& mouet vomitum validiſſimè: prouocandus tamen eſt vomitus exhibita aquâ cum penna vel digito in gulam iniecto: aliquando non exhibemus ſolam, ſed mixtam cum aqua anethi, vel petroſelini. Cum hac itaque aqua corticum vel ſola, vel mixta commouebitis vomitum: nec timeatis talem aquam corticum iuglandium exhibere; quoniam nihil obeſt, etiam ſi in magna quantitate exhiberetur.

Aqua ex corticibus ingladium.

De vomitu ſiſtendo.

Verùm accidit aliquando, vt vomitus ſit nimis violentus, & longus, & non expurgentur talia, qualia deberent, & æger in periculo ſit vitæ:& ideo tunc vomitus ſiſtendus eſt, & retrahendi humores, qui ſurſum feruntur; hoc autem fiet cum vinculis partium extremarum, frictionibus, ſcarificationibus factis in oppoſitis partibus: inungetis etiam ventriculum cum oleo abſynthij, vel cum oleo myrtino, vel oleo cidoniorum: applicabitis etiam aliquando emplaſtrum factum ex cruſta panis & oleo maſticino, vel emplaſtrum ex palmulis vino maceratis, thure, maſtice, roſis, ac ſimilibus, quæ omnia appetitum etiam proſtratum reuocare poſſunt. Euacuato, ac roborato ventriculo, quandoque etiam applicabitis cucurbitulas ad hypochondria.

Contra palpitationem.

Si verò adſit tremor, ac palpitatio cordis, vtamini epithematibus ſupra deſcriptis pro præcautione, ſimiliter & inunctionibus: exhibeatis etiam vel electuarium ſupra propoſitum à recentioribus, vel magnas confectiones: vtuntur Recentiores hoc electuario.

Electuariũ.

℞. Coaguli { Hædini, Vitulini, Ceruini } añ.℥.ij.s.
  Vini odoratiſſimi ℥.ij.
  Teſticulorum galli coctorum in poſca facta
  Ex aqua bugloſſi ℥.j.s.
  Electuarij trium ſandalorum
  Electuarij diarhodon Abbatis } añ.℥.j.
  Sacchari roſ. ℥.vi.
  Pulueris vnionum
      Smaragdi } añ.gr.iiij.
  Syrupi roſacei
      de aceroſitate citri } añ.q.ſ.

Miſce, & coque parum ad electuarij conſiſtentiam, cuius exhibent quotidie hora opportuna vnum cochlear ante cibum. De ſyncope nihil dico cum ea, quæ dicta ſunt ipſam quoque ſanent: ſequitur gangræna.

De Gangræna, & Sphacelo. Cap. X.

Varior.ũ nominũ apud Grecos, Arabes; Latinos diſtinctio.

MORBVS, de quo acturi nunc ſumus, ſæuiſſimus, & curatu difficilimus eſt: ſed præter difficultatem, quæ ſolet eſſe in ipſo curando, eſt etiam alia de nominibus appellationibusuè plurimis, quibus morbum hunc donari inuenimus, & illis quidem ita varijs, vt non paruam faciant difficultatem: legimus enim apud Arabes gangrænam, de qua diſtincta faciunt capita, quo ad ſigna, quo ad cauſas, & quo ad curationem: Aſcachilos ſecundò apud eoſdem inuenimus, & diſtinctè etiam, quo ad ſigna, cauſas, curationemque de hoc morbo agunt: Tertiò apud eoſdem legimus eſthiomenos, quæ vox ſignificat genus morbi prædicti ſimile: Quartò legimus apud Recentiores morbum lupæ, vel lupam: Quinto ignem ſancti Antonij, vel quòd ipſe ſit paſſus genus tale morbi, vel quod afficiat eo illos homines, qui nolunt ipſum colere. Apud alios autem Medicos Græcos, & probatiores Latinos, habemus voces has γάγγραινα, σφάκελος, vel ſphacelus, φαγέδαινα, θηρίωμα, vel therioma ἕρπης ἐσθιόμενος, cancer, νομὴ, vel nome, & νέκρωσις, & præterea, ſideratio, corruptio, mortificatio, & putrefactio: has omnes voces legimus apud auctores: Sed, ſi qua in re difficultas eſt vlla, in his certe vocibus eſt maxima, verum ſecundum magis & minus; in vocibus, dico, eſt difficultas: in re autem, & ſecundum eſſentiam non ita: Nam illud, quod Aſcachilos dicitur ab Arabibus, idem ſignificat, quod ſphacelus: Gangræna etiam apud Arabes idē ſignificat quod gangræna apud Græcos, & Latinos, & ita poſſumus dicere, quod omnes iſtæ voces ſignificent idem genus morbi: ſed notate, quòd vox hæc Eſthiomenos apud Græcos ſignificat genus quoddam vlceris cutim tantũ exedens, de quo morbo non loquimur in præſentia: apud Arabes autem, & Latinos, & præcipue apud Celſum in ſexto lib. cap. 18. ſignificat morbum, non cutim duntaxat, ſed partem totam, non tamen quamcunque partem, ſed colem duntaxat, ac pudenda exedens, & corrumpens. Idem dico de Phagedæna, quæ vox apud Galenum ſignificat genus vlceris cutim erodens: de quo morbo non loquimur nunc nos. Apud Celſum etiam reperimus vocem hanc (Cancer) de cuius curatione agit in 6. lib. cap. 18. & eſt genus idem morbi, de quo nunc verba facimus: dico quòd eſt idem genus morbi apud Celſum, & Arabes, non autem apud Galenum, Paulũ, & alios Græcos: nam apud hos vox iſta (cancer) ſignificat genus quoddam morbi lōge diuerſum ab hoc, de quo nunc eſt ſermo: nam quod cancer vocatur à Græcis, à Celſo explicatur ſub nomine carcinomatis: at quando in ſexto lib. cap. 18. agit de cancro pudendorum, per cancrum nihil aliud intelligit, quam Gangrænam. Igitur Aſcachilos, & ſphacelus apud Arabes: Gangræna apud Arabes & Græcos; Eſthiomenos apud Arabes, & Celſum: & Cancer apud Celſum, omnes iſtæ voces idem prorſus genus morbi ſignificant, nimirum illud, de quo nunc inſtituta eſt nobis pertractatio, & quod Thirioma vel Therioma dixi vocari; & propterea animaduertatis, quod vox iſta Thirioma, vel Therioma apud Galenum ſignificat etiam genus quoddam vlceris maligni: nam ſignificat Gangrænam in vlcere. itaque Gangręna, Aſcachilos, morbus Lupæ vel Lupa apud Recentiores, vel Ignis ſancti Antonij, Sphacelus apud Arabes, Gangræna apud Arabes, & Græcos: Eſthiomenos apud Arabes, & Celſum; & Cancer apud Celſum, idē genus morbi ſignificant, de quo nunc agimus, & à Græcis vocatur Nomi, ideſt, nome, Gangræna, ſphaceloſque. Cœterum cum tot vocibus appelletur morbus iſte, vniuſcuiuſque reddenda eſt cauſa: Dicamus itaque primò de Gangræna. Sed prius ſcire oportet ex Galeno in 2. methodi cap. 2. quòd quilibet affectus ſortitur nomen aliquando à cauſa, à qua fit; aliquando à parte, quam corripit; aliquando à ſymptomate. Inter eas affectiones, quas dicit nominari à ſymptomate, enumerat ſcirrhum, inflammationem, & Gangrænam: inflammatio quidem à ſymptomate nominatur, eò, quòd ea pars, quæ inflammatione corripitur quoquomodo inflammetur, ita ſcirrhus à ſymptomate nomen eſt ſortitus, quoniam pars ſcirrho affecta fit dura: de Gangræna idem dico; nimirum nominari à ſymptomate, quoniam Gangræna eſt veluti animal quoddam exedens, & corrumpens partem: & ideo morbus iſte dictus eſt Gangræna à verbo Græco γράω, quod ſignificat comedo; & per ἀναδιπλασιασμὸν, reduplicata litera, formatũ eſt verbum ſeu vox Gangræna, quæ voracem exedentemque morbum ſignificat; videbitis enim hodie, verbi gratia, brachium corripi Gangræna, & denigrari particulam minimam magnitudine, verbi cauſa, vnius vnguis; cras autem vel perendie videbitis totum fermè brachium exeſum,

Gangrænæ etymologia.

atque corruptum : adeò morbus iſte exedit. & propterea à ſymptomate hoc Gangræna eſt appellatus, ſicut phlegmone dicitur, quia incendat, & ſcirrhus, quia obdurer locum, Vocatur etiam ſphacelos à dictione Græca ἀπὸ τοῦ σφακέλζειν, quod eſt σπᾶν idest, contrahi, vnde σφακελίζειν, & ab hoc σφάκελον diductum eſt quaſi inflammatio cum contractione; atque corruptione particulæ:nam morbus iſte ita contrahit, conuellit, ligatque artum, vt ipſum corrumpat:nam in tali morbo contrahuntur omnes facultates, ſcilicet naturalis, vitalis, & animalis, ita vt artus non nutriatur, non moueatur, & ſit prorſus, ac ſi eſſet mortuus. Sed hic debetis notare ex Galeno in ſecundo de locis affectis cap. ſeptimo, quod ſi qua vox eſt, quæ difficultatem iuuenibus parere poſſit, hæc vna eſt, conuellere vel conuulſio: nam conuulſio ſiue ſphacelos non ſemper ſignificat hunc morbum, de quo agimus, ſed aliqui antiquorum per hanc vocem intelligebant dolorem vehementem, Igitur apud aliquos ſignificabat dolorem vehementem.

Sphaceli nomen.

Alij dicebant, quòd ſphacelos ſignificat inflammationis exceſſum; hoc eſt, quando pars inflammata valde incenditur: Alij dicebant ſignificare conuulſionem ſimplicem, quando ſcilicet conuelluntur vel nerui tantum, uel muſculi alicuius partis: Alij vocabant ſphacelum duntaxat contractionem fortem, & vehementem: Alij conuulſionem corporum neruoſorum cum inflammatione: Alij non conuulſionem, quæ fit, ſed illam, quam expectamus ob inflammationem, ſphacelum vocarunt: Alij quancunque tenſionem validam: Alij oſſium teredinem tantum: Alij integram mortificationem partis, nimirum morbum hunc, de quo agimus nos, qui morbus habet integram partis corruptelam, & phagedæna dicitur à Celſo eadem ratione, qua gangræna, quia exedat totam partem, oſſa, carnem, neruos, &c. eſt autem dictus phagedæna ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, quia exedat carnes, oſſa, atque omnia, Eſthiomenos eſt etiam à Celſo; à Barbaris, Recentioribuſque vocatus morbus iſte, quia ſerpat, abſumat, exedatque partem; non loquor de eſthiomeno Græcorum, qui eſt morbus quidam leuis cutim exedens tantum.

Phagedena.

Eſthiomenos.

Dicitur etiam thirioma, vel therioma; quia ſit, vt quidam dicunt, ferinum quoddam genus morbi: nam apud Hippocritem ſexto Epidemiorum, Text. vigeſimoquarto, legimus vocem hanc θήριον, vel θηρίωμα, quæ ſignificat ſecundum quoſdam ſyluestre genus ſæuientis vlceris. Alij interpretantur vocem illam phthiſim, dicentes, quòd ſignificat phthiſim, & dicunt morbum hunc vocari therioma, hoc eſt, ferinum, quoniam, quemadmodum feræ habent vngues aduncos, ita &, qui hoc morbo laborant, aduncos habent vngues: igitur ab aduncitate vnguium, ſecundum iſtos, morbus hic dictus eſt therioma, vel thirion, vel therion: Alij dicunt morbum dici thirion, quaſi venenoſum, & malum: nam thyria vocantur vermes, qui in inteſtinis oriuntur, & cum venerint ad ventriculum, tuſſim cient: θήριον enim apud antiquos ſignificat viperas, ac reliqua ſerpentum genera. Verum Galenus, quod magis placet, malignum ac ſæuum vlcus intelligit; vt ſunt feræ omnes.

Therioma.

Auctor autem introductorij capite decimoſexto, vocat therioma maliguum quoddam vlcus omnes partes corporis occupans, quod carcinomatis naturam, ac veſtigia ſequatur. Neruoſis à Galeno dicitur, quia νεκρὸς mortuum ſignificat: ob ſimilitudinem igitur ita vocatur. Dicitur & νομὴ à Galeno, quia progrediatur depaſcendo, nome enim Græcè paſcuum Latinè ſignificat igitur, quia continuò partem depaſcit, nomi eſt hic morbus appellatus; ſed notate, quòd νομὴ apud Galenum ſignificat propriè putredinem cum vlcere, quæ ſerpat: ideo colligatis corruptelam eſſe duplicem, vnam cum vlcere; alteram cum tumore, de qua nunc agimus.

Nome.

A noſtris etiam Latinis dicitur ſyderatio, quia accidit idem in partibus hoc morbo correptis; quod ſolet accidere in ſyderatis plantis; nam ſydus apud Græcos, & antiquos omnes quaſi per excellentiam vocatur canicula, quia hoc ſydus inter alia omnia edat, cum oritur, effectus magnos, & violentos: vnde plantæ, quæ patiuntur ab aſpectu huius ſyderis, dicuntur ſyderatæ, & à Theophraſto in quinto libro de cauſis plantarum ἀστροβλῆται, ideſt, paſſæ aſtrum: oriente enim cane, accidit plantis, vt priuetur vita: & propterea ruſtici nunquam dicunt plantas, quas verno tempore plantarunt, eſſe liberas, niſi tranſacto Auguſto menſe: & ita cum videritis plantas æſtate ſiccatas, dicatis illas eſſe ſyderatas. hac quoque ratione partem hoc morbo correptam ſyderatam vocamus; & morbum ipſum ſyderationem. vocatur etiam putrefactio, & corruptio. ſed hic noteris, quòd hæc corruptio, & putrefactio vitæ in parte aliqua, aliquando habet coniunctum aliquod vlcus, quod

Syderatio.

Putrefactio corruptio.

præceſſerit ipſam corruptionem ; aliquando eſt ſine vlcere , ſed habet tantum tumorem coniunctum ; vt igitur poſſitis diſtinguere inter vlcera corrupta , & inter tumores corruptos , opus eſt cognoſcere voces , quæ hæc ſignificent : quædam enim ſunt voces , quæ ſignificant tumorem cum vlcere ; quædam verò ſine vlcere : voces ſignificantes tumorem cum vlcere ſunt hæ. Therioma ; Eſthiomenos ; Phagedæna ; Morbus lupi ; Morbus Sancti Antonij : voces autem ſignificantes tumorem ſine vlcere ſunt , Aſcachilos ; Gangræna Arabum ; Necroſis Galeni ; Syderatio apud Latinos , & de huiuſmodi tumore ſine vlcere eſt nobis ſermo : ideo omittamus voces illas , & dicamus , quid ſit morbus , de quo in præſentia agimus . Sed primò ſcire debetis , quòd partes corporis ſolent exedi dupliciter : Vno modo , quando ſenſim , ac ſenſim exeditur , conſumiturque ſubſtantia , & conuertitur in ichorem , ac pus , ita , vt nihil aliud remaneat quàm ſanies ; quod ſolet accidere in vlceribus , quæ ſerpentia vocantur : Altero verò modo , quando putrefit pars ipſa , verbi gratia , caro , & remanet non ſanies , ac ichor , ſed ipſamet caro putrefacta , vt ſi , verbi gratia , in parte aliqua oboriatur puſtula maligna , quæ corrumpitur , & ad eius corruptionem ſuccedit etiam corruptio carnis ſubiectæ ; verum caro illa non conuertitur in ichorem ac ſaniem , ſed remanet ipſamet caro corrupta , & putrefacta ; & hæc dicitur putredo , vel corruptio ; quæ aliquando habet vlcus præexiſtens ; aliquando non vlcus , ſed tumorem tantùm ; & de hac corruptela ſine vlcere præcedente loquimur nos , & vocatur vel ſphacelos , vel gangræna : nam hæc duo inter ſe conueniunt in hoc , quod ſunt tumor feruens , cui adiungitur corruptio , & putrefactio partis : Differunt autem ſecundum magis , & minus : nam alter intenſior , alter remiſſior morbus eſt , quando enim tumor habet corruptelam aliquarum partium , ſed non omnium , vt ſi , verbi gratia ; incipiat corrumpi pars cutis in brachio ; deinde corrumpatur caro , & non aliæ partes , talis corruptio appellatur gangræna ; ſed ſi corruptio eſſet non ſolum cutis , & carnis , ſed etiam neruorum partiumque reliquarum vſque ad oſſa , non amplius gangræna , ſed ſphacelus vocatur . Igitur gangræna eſt corruptio tantùm aliquarum partium , & illarum quidem ſuperficialium , & mollium ; Sphacelus verò omnium partium externarum , & internarum , & oſſium etiam ; ita , vt gangræna videatur eſſe quaſi ſphacelus incipiens ; ſphacelus autem ſit gangræna in facto eſſe , quemadmodum fuit ſententia Galeni in ſecundo ad Glauconem capite nono , in quarto de articulis decimoſeptimo , & in ſeptimo aphor. 50.

Cum vlcere. *Sine vlcere.* *Cum ichore.* *Sine ichore.* *Gangrænæ , & ſphaceli differētia conſiſtit in magis & minus*

Sed ſciatis , quod ad naturam ſphaceli requiritur etiam corruptio oſſis ſicut dictum eſt , vt habetur ex Galeno in ſexto methodi capite quinto , imò dicit ipſe , quod ſola oſſis corruptio , ne dum reliquarum partium , vocatur ſphacelos ; idem quoque ſonat ſyderatio , aſcachilos Auicennæ & eſthiomenos Auicennæ. Denotant enim ſæuam & partium omnium corruptionem , & illam quidem ſerpentem .

Sphacelo adiuncta eſt oſſis corruptio.

At Therioma notat vlcus cum gangræna . Herpes eſthiomenos vlcus ſimiliter cum gangræna ſerpente . Cancer verò eſt nomen commune . At phagedæna ſignificat ſphacelum pudendorum : hæc itaque eſt natura gangrænæ , & ſphaceli : conuenientia ſimiliter & differentia ; in quorum vtroque adſunt ſymptomata , vt priuatio ſenſus , nutritionis , & reliqua , de quibus infra ; nunc de cauſis vtriuſque dicamus , & primo de efficiente .

Cauſam igitur effectiuam immediatam huius affectus duplicati (de vtroque enim ſimul agere propono) inuenio eſſe ſuffocationem , ac corruptionem caloris innati , & particulæ patientis : nam ſtatim , ſuffocato calore , ſequitur vel gangræna , vel ſphacelus : Et vt calor multis ex cauſis ſolet ſuffocari , ac corrumpi , ita videretur , quòd multiplex huius duplicati morbi eſſet efficiens cauſa : Nam calor ſuffocatur primò à corruptione temperiei partis : ſtatim enim , corrupta temperatura partis , corrumpitur , ſuffocaturque calor ipſius partis .

Cauſa immediata gangrænæ , & ſphaceli eſt caloris natiui extinctio , quæ tres alias habet cauſſas.

Altera cauſa , qua ſuffocatur , & corrumpitur calor , eſt ablatio ſpirituum : ſcitis enim per vniuerſum corpus deferri ſpiritus vitales , atque animales : & ideo quotieſcunque non deferuntur , ac quotidie , & continuò non ſubminiſtrantur , calor langueſcit , & tandem ſuffocatur , anima enim ſpiritibus conſeruatur . Tertia cauſa eſt prohibita tranſpiratio : nam quandoque ſpiritus vitales feruentiſſimi atque copioſi exiſtunt in parte aliqua , & cùm non habeant exitum , conſtipant ſe ſe , & demum ſuffocant , & ad eorum ſuffocationem , ſequitur languor innati caloris , & tandem corruptio : igitur tertia cauſa ſuffocationis caloris eſt , ſpirituum feruor , atque abundantia , & eorundem tranſpiratio prohibita . Igitur corruptio ,

vt ſuffocatio vitalis caloris,& inſiti particulæ patientis prouenit vel ex corruptione temperaturæ; vel ex ablatione & interceptione ſpirituum, quibus anima in corpore conſeruatur; vel ex ſuffocatione eorundem ſpirituum.

Prima eſt temperaturę corruptio vel ex contuſione.

Ex corruptione quidem temperaturæ, varijs modis, & varijs ex cauſis, quarum prima eſt contuſio: quando enim pars aliqua contunditur, & quidem valdè, fit vt ex contuſione eliquetur illud, quod in parte ipſa denſum, ac ſiccum eſt, ad eliquationem immutatur caliditas, & frigiditas, quoniam & ſubiectum mutatum eſt; ad immutationem autem harum qualitatum ſequitur mutatio temperaturæ, & corruptio: ad corruptionem temperaturæ corrumpitur calor partis innatus: nam calor ſeruatur in ſubiecto temperato: ad corruptionem tandem caloris ſequitur corruptio partis; & hoc modo ex contuſione magna fit gangræna, vel ſphacelus: habitus enim humidus & ſiccus corrumpitur: vnde ſuccedit aliqua frigidi, ac calidi mutatio, ac totius temperiei corruptio, vbi anima conſtare non poteſt. Altera cauſa corrumpens temperiem, & calorem, & conſequenter faciens morbum hunc, eſt immoderata frigiditas, vt ſolet accidere in ijs, qui faciunt iter per niues: ita enim aliquando refrigerantur pedes, vt deſtruatur temperies ipſorum pedum; & ad pedum temperaturam corruptam, corrumpitur calor, & ſic pedes corripiuntur gangræna, & ſphacelo, ita, vt neceſſe ſit pedes amputare.

Vel ex immodico frigore.

Vel ex igneo calore & frigore medicamenti ſimul partem affligentibus,

Tertiò corrumpitur aliquando temperatura, calorque, & fit morbus iſte, ratione peccati commiſſi à Medico inter curandum, & præcipue id ſolet accidere in eryſipelate, aut inflammatione vehementi, quando ſcilicet applicant in principio aliquod medicamentum frigidiſſimum, valdeque conſtipans, quale eſt ſuccus plantaginis, lactucæ, & huiuſmodi, non euacuato ad huc corpore: tunc enim ratione duarum qualitatum oppoſitarum ſcilicet caliditatis tumoris, & frigiditatis medicamenti corrumpitur partis temperatura, ad cuius corruptionem corrumpitur & innatus calor partis, & tandem fit gangræna, vel ſphacelus.

Vel ex ſolo feruore.

Quartò corrumpitur temperatura ob maximum feruorem tumoris: quandoque enim tumor, qui in parte aliqua exiſtit, eſt ita feruens, vt ob nimium feruorem deſtruat partis temperaturam; & ſic, non peccante etiam chirurgo, ſuccedit gangræna, vel ſphacelus.

Vel ex applicatione cauſtici; vel ſeptici.

Quintò deſtruitur temperatura, & calor partis, ex applicatione alicuius medicamenti putrefacientis, & corrumpentis, & ſic ſuccedit gangræna, vel ſphacelus, vt ſolet accidere in hydropicis, quando ſcilicet medicus excitat illis cauteria in cruribus: tunc enim applicat cauterium, verbi gratia, portiunculam medicamenti ex cantharidibus; quo medicamento, & conſimili fit, vt ſtatim deſtruatur temperatura, & calor partis; illius ſcilicet cruris, quæ pars in hydropicis frigida ſatis eſt, & ita corrumpitur calor, & ſuccedit gangræna, vt ſæpe vidi. Et ideo caueatis ab excitatione cauteriorum in cruribus in hydrope, quoniam à medicamento cauſtico ſæpe ſolet deſtrui temperatura, & calor illarum partium, & tandem fieri ſphacelus.

Vel ex maligna puſtula.

Sextò corrumpitur temperatura partis à puſtula aliqua venenoſa in illa parte exiſtente; quoniam puſtula, ob ſuam virulentiam, deſtruit temperaturam partium adiacentium, & ſic fit gangræna, vel ſphacelus, vt ſolet accidere in carbunculo ratione illius puſtulæ malignæ, quæ ſi non rectè curetur, ſtatim fit ex carbunculo ſphacelus.

Vel ex ictu venenoſo.

Septimò corrumpitur temperatura, & calor, & fit iſte morbus, ex ictu animalis alicuius venenoſi, vt viperæ vel ſerpentis; & ideo citiſſimè occurrendum eſt huiuſmodi ictibus; alioqui fere ſemper ſolet ſuccedere gangræna, vel ſphacelus; quoniam ex introducta qualitate virulenta deſtruitur optima temperies, & calor partis.

Vel ex inſigni ſiccitate, & febre ardente.

Octauò corrumpitur aliquando temperatura ratione nimiæ ſiccitatis, & ſuccedit deinde ſphacelus, & gangræna: quod ego ſemel vidi in quodam, qui paſſus erat febrem ardentem ſpatio nouem, vel decem menſium, & ad tantam ex tali febre ſiccitatem deuenerat, vt nihil aliud, quàm oſſa videretur: quo factum eſt, vt primum crura ſphacelo ſint corrupta, & amputata; deinde aliæ partes, vt brachia, ad eo, vt in multis partibus fuerit ſphacelo correptus, & illa abſciſſa fuerint, antequam miſer ille mortuus fuerit: nam cum primum videbat partem aliquam ſphacelo correptam, iubebat, vt ſibi amputaretur, quia non poterat perferre tam grauem odorem: & vſque adeo corpus eius totum erat exiccatum, vt inter ſecandum nec ſanguis, nec alius humor videretur egredi.

Vel ex grumo in aneuriſmate.

Nonò & vltimè corrumpitur temperatura partis, & fit gangræna, vel ſphacelus, vt teſtatur Galenus in lib. de Tumoribus cap. 11. ex grumo ſanguinis in aneuriſmate contento, & corrupto: &, vt intelligatis, Aneuriſma eſt dilatatio, & veluti varix ar-

teriæ, ſicuti vera varix dicitur dilatatio venarum: quando igitur arteria dilatatur valde, ſolet in parte dilatata ſanguis grumeſcere, & inibi diu manẽs in grumum verſus cùm nequeat per arteriam propelli, corrumpitur: corruptus deſtruit temperaturam partis, & calorem, & demum eſt in cauſa gangrænę, aut ſphaceli.

Secunda cauſa extinctionis eſt interceptio ſpirituum vitalis, vel animalis.

Alteram cauſam, qua corrumpetur calor inſitus alicuius partis, diximus eſſe interceptionem ſpirituum vitalium, in qua re admiror Auicennam tertia quarti Tract. primo, cap. decimoquinto, qui afferens cauſam hanc non dixit ſpiritum vitalem, ſed dixit ſpiritum animalem, quem interpretatur hoc modo, ſpiritum ex corde, & anima, quaſi quod vitalem, & animalem intelligat, ſcilicet illum, qui ex corde, & illum, qui ex cerebro ortum habet: Quod an verum ſit, experientia indicat: nam interceptio ſpiritus naturalis, cum ille ſecundum quoſdam non detur, non facit, vt corrumpatur particula, & ſi datur, non tamen ſtatim corrumpitur pars, ſed ſenſim: at intercepto ſpiritu vitali, ſtatim eo priuata particula corrumpitur, quod quotidie videmus; pariter animali, non quidem ſtatim, ſed breui tamen temporis ſpatio. Ego enim vidi plurimos, qui affecti ſunt paralyſi cruris vtriuſque, & breui ſpatio temporis pedes integri gangræna affecti ſunt; cum tamen nulla arteriarum ante adeſſet obſtructio: quod ex pulſu percipiebatur. Si igitur ſpiritus vitalis, atque animalis præripiatur, fit gangræna, atque ſphacelus. Intercipiuntur autem ſpiritus multis de cauſis, primò quidem ex vinculo aliquo arcto nimis comprimente, & coarctante neruos, venas, atque arterias ſuperiores; quo fit, vt non tranſmittantur ſpiritus ad partem infra vinculum, & ita deſtituta ſpiritibus, deſtituitur etiam calore, & deſtituta calore innato corripitur gangræna, vel ſphacelo: Quod ego bis vidi, aliquando quidem in quodam homine, qui reus habebatur, & propterea à iudice tormentatus eſt, ita, vt cum nollet fateri, quæ iudex vellet, fuerit horam integram ſuſpenſus vinctis ſimul brachijs iuxta carpum; & cum vinculum eſſet admodum arctum, inhibitus eſt tranſitus ſpirituum ad manum; & ita ſtatim excitatus eſt ſphacelus in vtraque manu: vt demum neceſſe fuerit eas amputare. Vidi altera vice mulierem quandam ſphacelo correptam ob eandem cauſam, ſcilicet ob impedimentum ſpirituum ob arctum vinculum: Erant mulieres aliquot ſimul ludentes, earum altera cum arripuiſſet annulum alteri, in ſuum digitum impoſuit. erat autem annulus ille paruus reſpectu illius digiti, vi tamen factum eſt, vt digitus annulum fuerit ingreſſus; vnde cum annulus non potuiſſet extrahi, manſit in digito per totam illum diem, & noctem ſequentem; nec mulier curabat illum extrahere; vnde factum eſt, vt digitus intumuerit, & ſic ego mane accitus reperi ſphacelatum digitum. Prima igitur cauſa interceptionis ſpirituum eſt vinculum aliquod nimis actum. Altera verò eſt contuſio, vel tumor arteriarum ſuperiorum; aut, ſi ex contuſione, vel alia cauſa obortus ſit tumor aliquis, qui impediat tranſitus ſpiritus calidi. Tertia cauſa eſt medicamentum valde refrigerans & adſtringens, vt quando medicus in inflammationibus magnis applicat medicamenta refrigerantia, & adſtringentia: conſtipantur enim nerui, & vaſa, non daturque tranſitus, & ſic corrumpitur calor, & ſit Gangræna. Quartò & vltimò intercipiuntur ſpiritus ex obſtructione principiorum neruorum ex materia in ipſorum principijs infarcta, quando ſcilicet principia neruorum obſtruuntur, abſque quo adſit tumor, vel aliquid aliud comprimens, quemadmodum ſolet accidere in paralyſi; aut facta ſit obſtructio propter ſectionem ipſius nerui, aut ſecta arteria, ac propter cicatricem, aut quia arteria non fuerit intercepta.

Vinculũ arctum ſpiritibus membra priuat.

Alia cauſæ interceptionis ſpirituũ.

Tertia cauſa extinguẽs calorem eſt ſuffocatio ſpirituum.

Tertia & vltima cauſa corruptionis caloris innati in parte erat ſuffocatio ab ipſiſmet ſpiritibus facta, vt quando ſpiritus ſunt feruentes, & copioſi, & nequeunt exhalare, tunc ſuffocant calorem innatum, & ſe ipſos etiam, ſi ſpiritus vitales, & alij tranſmittantur: quod fit in magnis inflammationibus, quæ interdum venas, arterias, & poros cutis ita obturant, conſtipantque vt ſpiritus ibi ſtrangulentur, prohibita in totum effluuij vaporoſi tranſpiratione. hę ſunt cauſæ efficientes corruptionis caloris, & per conſequens generationis gangrænæ, vel ſphaceli.

Cauſa materialis gãgrænæ &c.

Alia cauſa eſt materialis interna, ac coniuncta, & eſt humor ſanguineus præcipuè deſtitutus calore inſito, & ſpiritibus bonis, atque corruptus ſimul cum partibus, quas occuparit; quando enim humor ſanguineus deſtituitur ſuo calore naturali, & impactus eſt in parte aliqua, ſolet fieri Gangræna, vel ſphacelus: & hæc ſint ſatis de cauſis.

Signa.

Dicamus nunc de ſignis, quæ proponuntur nobis à Galeno in libello de tumoribus
1 præternaturam cap. 8. & primum eſt color immutatus, vult enim Galenus, vt obſer-

uemus

uemus colorem inflammatæ partis, & ſi videamus, quòd color ille floridus immutetur vel ad nigrum, vel ad alium, indicatur adeſſe principium gangrænæ. Alterum ſignum eſt remiſſio doloris, & pulſationis, & non remiſſio morbi, hoc eſt, ſi adſit dolor, & pulſatio, & remittantur, ſed ad remiſſionem ipſorum non remittatur tumor, indicatur adeſſe gangrænam in partibus intimis tumoris: & hoc ſignum traditur etiam à Galeno ibidem. Tertium ſignum eſt flacciditas, vel mollities, & malus odor, & 3
color niger partis, & hoc eſt certum ſignum incipientis ſphaceli, vel facti. Quartum 4
eſt excitatio foraminis, & veſtigij ad compreſſionem digiti, & eiuſdem diuturna permanſio; quando ſcilicet vos comprimitis tumorem digito, videbitis, quòd remanebit fouea, nec cito obliterabitur; & in hoc diſtinguitur ab oedematis ſigno: nam oedematis quoque proprium ſignum eſt, vt ad compreſſionem digiti excitetur fouea, ſed ſtatim remoto digito, recurrit pars, & repletur foramen; in gangræna autem, & ſphacelo non tam citò aboletur veſtigium, & cutis à carne ſeiuncta videtur. Quintum & vltimum ſi- 5
gnum eſt priuatio ſenſus, ita, vt ſi nouacula vel alio inſtrumento incidatis, ſcalpatiſuè altius etiam tumorem ipſum, æger non ſentiat, habeatis tunc pro certiſſimo ſigno, quòd pars eſt corrupta, & facta gangræna vel incipit ſphacelus.

Et cum morbus iſte ſit periculoſus, oportet medicum præſagire ſemper, antequam *Præſagia.*
aliquid moliatur: ſed quid præſagiendum eſt inquies? quòd qualiſcunque vel magna, vel parua fuerit gangræna, & in qualibet parte extiterit, habet periculum adiunctum, 1
quoniam eſt de genere eorum morborum, qui citiſſimè ſerpunt: & ideo, niſi ſtatim ſuppetias feramus, interficit ſua ferocitate hominem, vt ait Galenus, & confirmat Paulus, quia eſt de genere eorum, qui corrumpunt partem, & per conſenſum poſſunt interficere hominem: leuiſſima enim quæque gangræna in qualibet parte fuerit, poteſt per venas, & arterias communicare putredinem cordi: & ideo quælibet gangræna eſt periculoſa. Secundo, ſi ſenſus ſit ablatus, & gangræna ſit in toto brachio, vel in to- 2
to crure, ita, vt factus ſit ſphacelus, rariſſimi liberantur: & ideo prænunciate mortem, quia videtur impoſſibile prohibere, ne ſpiritus putridi communicentur cordi. Ter- 3
tiò, ſi corruptela deuenerit ad axillam, vel ad inguina, vel ad penem, vel ſcrotum, vel ad veſicam ſemper prænuncianda eſt mors: ſolus enim Deus poteſt ſaluare. Quar- 4
tò & vltimò, ſi gangræna ſit in corpore iuuenili, robuſto, in parte carnoſa, & in parte ſuperficiali, ac cutanea, ita vt muſculi ſint adhuc integri, nerui non læſi, aut leuiter læſi, nulluſque articulus carne penitus nudatus ſit, & gangræna nondum planè ſit firma, ſed incipiat, factaque ſit ex cauſa exiſtente in parte ipſa, vt ex obſtructione cauſata, ex contuſione, vel arcto vinculo, & huiuſmodi, non autem facta ſit ex obſtructione vaſorum, vel ex alia intrinſeca cauſa, prænunciate magnum periculum, ſed non mortem: nam plurimi, immo ferè omnes liberantur, ſi rectè curentur; Quando autem occupato toto membro, aut ad thoracem, aut inguina, aut ad veſicam peruenerit, non poteſt ſuccurri, præcipuè ſi occuparit veſicam, teſte Celſo, pariter ſi occuparit inteſtinum rectum.

Conſequens modo eſt, vt de curatione agamus. Incipiente igitur gangræna, vel ſphacelo, ea ferè omnia conueniunt, quoad victum, quæ in curando carbunculo diximus opportuna eſſe, nimirum quæ validè refrigerent, & feruorem contemperent; quæ optime tamen concoquantur, & pauca quantitate exhibeantur, & ita cibi acetoſi, & frigidi conuenient: dicit enim Celſus loquens de hoc morbo: Deinde danda quæ per cibum potionemque aluum, ideoque etiam corpus adſtringunt, ſed ea leuia. Igitur in initio gangrænæ vel ſphaceli conueniunt adſtringentia, & refrigerantia; & propterea in cibis, & potu ſemper commiſcendum eſt aliquid, quod refrigeret, & adſtringat, & aliquid etiam, quod roboret os ventriculi, & vt in vniuerſum dicam, omnes cibi, qui conueniunt in carbunculo, ſunt etiam accomodati in hoc morbo. Igitur pro potu detur aqua cum » ſyrupo acetoſo ſimplici, aut vino granatorum, & poſt cibum aliquid detur, quod cor, » caput, hepar, & ventriculum roboret: quod fiet, ſi conſeruam ex cidonijs malis exhibeamus, cum pauca quantitate electuarij de gemmis, diathodon abbatis, & triaſandalorum, Aeger quieſcat ſemper: Somni ſint parui, non multi, nec profundi: ſomni diurni ſunt peſſimi: Excrementorum ſiccorum, idest, fecum ſumma habeatur ratio, vt quotidie, ſi vires ferant, vel ſaltem altera quaque die iniiciatur clyſter, vel glans, ſi ſponte non egeat; vel accipiat per os medicamenta, quæ ventrem leuiſſime leniant: Animi anguſtias fugiat omnino, atque venereas cogitationes: Aer refrigeretur, quantum fieri poteſt.

Victum inſtituendum eſſe quātitate medicum, qualitate refrigerantem, adſtringentem, corroborantem.

De alijs rebus non naturalibus.

His peractis, & inſtitutis, deueniendum eſt ad euacuationē, quæ duplici fit inſtrumento, nimirum ſectione venæ, & pharmaco. Sed primò de ſectione venæ dicamus: quando

De ſectione venæ in gangræna ex feruore, & conculcatione ſãguinis. gangræna, vel ſphacelus incipit, fitque ob copiam humoris ſanguinei fluentis, & conſtipantis poros, in loco, vbi eſt morbus, & adeſt feruor magnus, præcipit Celſus in 5. lib. cap. 26. vt ſecemus ſtatim venam conſentientibus viribus, tametſi nullus alius (exceptis recentioribus) faciat de venæ ſectione mentionem expreſſam: expreſſam dico, quoniam & alij omnes medici tacitè idipſum dicunt, quoniam cum præſupponant eandem ferè curationem conuenire in hoc morbo, & in carbunculo; & dixerint in carbunculo ſecandam eſſe venam vſque ad animi defectum, hoc idem cenſeo ego eos voluiſſe, vt intelligeretur in curanda gangræna, vel ſphacelo. Itaque ſi gangræna, vel ſphacelus ſubſequatur ad inflammationem, ſecabitis venam vſque ad deliquium animi, ſi præcipuè adſit feruor maximus, ſiatque morbus ex conſtipato ſanguine in loco affecto. Dixi ſecandam eſſe venam, ſi morbus iſte ſequatur inflammationem, vel fiat ex feruore magno, vel ex multitudine humoris ſanguinei conſtipati in parte, & vaſa aliqua ſanguine ſint repleta, vel nerui ipſi; dixi, inquam, ſecandam eſſe venam in his caſibus, vt materia ex parte aliqua imminuatur: Quoniam ſunt aliqui caſus in quibus nullo modo ſecanda eſt vena: & primò, ſi gangræna inciperet in parte aliqua ratione nimiæ frigiditatis, vt ſolet accidere ijs, qui in triremibus manent, vel iter per niues faciunt, vel ex applicatione medicamenti nimis frigidi, vena ſecanda non eſt. Secundò ſi gangræna, vel ſphacelus ortum habuerit ex applicatione medicamenti cauſtici, ac corrumpentis calorem inſitum, non conuenit ſectio venæ. Tertiò ſi inciperet ex ſectione neruorum, vel arteriarum, vel venarum. Quartò, ſi fieret ex nimia conſumptione, & ſiccitate totius corporis. Quintò, non eſt ſecanda vena, quando gangræna, vel ſphacelus fit ratione veneni, vt contingit ex ictu animalis virulenti: in his caſibus nulla ratione ob gangrænam mittendus eſt ſanguis, niſi aliqua alia ſit cauſa, quæ ſtimulet ad mittendum ipſum. His quinque caſibus exceptis, ſemper in gangræna, vel ſphacelo, ſecunda eſt vena, dummodo non refragentur conditiones requiſitæ ad venæ ſectionem. & hæc de euacuatione per ſectionem venæ.

Quinque caſus, in quib. non licet venam ſecare.

Purgatio iiſdem in caſibus adhibenda vel omittenda in quibus venæ ſectio. Succedit altera euacuatio per pharmacum, in qua ſunt etiam illa quinque obſeruanda; nam ſi gangræna, vel ſphacelus haberet ortum ex aliqua illarum cauſarum, vt vel ex veneno, vel ex frigiditate, vel ex applicatione cauſticorum, vel ex nimia ſiccitate, & conſumptione, vel ex ſectione alicuius nerui, uaſiſque, non conuenit pharmacum exhibere. Sed ſi gangræna ſuccederet inflammationi, uel carbunculo, uel cancro, uel eryſipelati, ob aliquem mali, furioſique humoris fluxum, uel facta ſit ex copia ſanguinis coaceruatã in loco affecto, tunc opus eſt materiam educere, & ſanguinem depurare cum pharmaco; dummodo uirtus ſit robuſta, & ductus aperti: Pharmacum autem eligatur, quod exuſtos, ac feruore calefactos humores euacuet, & ita poteritis exhibere hoc medicamentum.

℞. foliorum ſenę ℥.i.
Radicum polypodij ℥.s.
Pulpæ thamarindorum ʒ.vj.
Cinnamomi } añ.℈.ij.
Gingiberis }
Aquæ fumiterræ q.ſ.

In ſundantur omnia per decem horas, & bulliant vnica ebullitione, deinde colentur, & addantur.

Confectionis hamech ʒ.vj.
Floris caſſiæ ℥.s.
Syrupi roſ. ſolutiui, uel uiolacei ℥.iij.
Miſce, & fiat potio, & exhibeatur.

Poſſem multa alia pharmaca uobis proponere, & alia multa proferre, ſed non neceſſaria: Verum hanc regulam addam tantum, quòd, antequam purgemus, ſi dantur induciæ, attenuandus eſt humor; ſin minus, ſubito euacuandus, quod ut plurimum fit.

Quomodo locus affectus tractãdus in gangræna ex frigore. Hoc facto, deueniendum eſt ad locum affectum, & primò ſi gangræna uel ſphacelus fieret ratione nimiæ frigiditatis, ſtatim imponenda ſunt, quæ calefaciant ualde actu, & potentia; ſed non exurant: Vnde ſoleo ego parare emplaſtrum; quo impoſito, feliciſſimè curatio mihi ſuccedit iſtius morbi, ut ſæpius expertus ſum, dum eſſem Piſis in illis miſeris hominibus, qui in Triremibus detinentur. Emplaſtrum autem ſit hoc modo.

Emplaſtrũ expertum.

℞. Raphani hortenſis radicem vnam,
Rapi radicem vnam.

Terantur

Terantur optimè in mortario, vel deradendo (nihil enim refert) deinde adde

Seminis ſynapis. ℥.j.
Pulueris cariophyllorum ʒ. iij.
Olei ſeminum lini } añ.q.ſ.
Olei iuglandium veteris }

Miſce, & tere in mortario, & facto emplaſtro, calefiat, & imponatur loco affecto.

Poteritis & vos aliquo alio medicamento vti, dummodo calefaciat valde actu, & potentia; at non exurat. Relinquitur autem medicamentum in loco per vnam diem, & plus etiam, ſi fuerit opus: & omnes ferè gangrenæ, quæ ortum habent ex nimia frigiditate, ſanantur ex ſola applicatione rerum calefacientium.

Ex obſtructione.

Si verò morbus fieret ratione obſtructionis neruorum, vel arteriarum, vel venarum, præter ea, quæ imponuntur loco, quæ debent calefacere, indicatur remotio illius obſtructionis; aliter nunquam ſanaretur morbus: quomodo autem remouenda ſit obſtructio, non eſt hic locus, vt vòs doceam.

Ex ſiccitate.

Si fiat ratione ſiccitatis totius corporis, nihil eſt moliendum, quoniam impoſſibile eſt, vt ſanetur; ſed neceſſariò morietur æger, vel ſaltem erit amputandum membrum, de qua re infra dicemus.

Ex reſectione neruorũ, aut vaſorũ.

Similiter ſi ex ſectione alicuius vaſis, vel nerui magni orta ſit gangrena, vel ſphacelus in parte infra ſectionem, amputanda eſt pars, & nihil aliud agendum.

Ex veneno.

Si verò fiat ex veneno, eadem conuenit curatio, quàm ſuperius docuimus de tumore, qui fiebat à cauſa venenoſa.

Ex conculcatione, & feruore.

Sed ſi gangræna, vel ſphacelus ſucceſſerit carbunculo, vel inflammationi, vel erypelati ex obſtructione meatuum, & pororum, & ex compreſſione arteriarum: vel fiat ex coaceruato plurimo ſanguine in parte aliqua, vt ſæpiſſimè ſolet accidere, quid erit agẽdum? Galenus in ſecundo ad Glauconem, cap. 9. inquit, quòd quando gangræna, vel ſphacelus fit ex tanta copia humoris ſanguinei partem conſtipantis, atque in ea infarcto, ita vt ſuffocet calorem inſitum, indicatur euacuatio maxima illius materiæ, quæ eſt extra venas, in parteque coaceruata; & quod euacuanda eſt ſectione facta in loco affecto, ſcarificando ſcilicet ipſum, ita, vt non ſolùm cutis, ſed & carnoſæ partes ſecentur, quò egrediatur magna copia humoris feruidi & impacti in loco: & aliquando etiam poſt huiuſmodi ſcarificationes applicandæ ſunt hirudines loco ſcarificato, modo velint hærere, vt euacuetur etiam, ſi quid remanſit humoris illius ſanioſi, & mali. *Scarificatio profunda.* Dicit etiam Paulus lib. 4. c. 19. obſeruandum eſſe an in loco affecto ſit aliqua vena magna valde turgida, & quòd, ſi adeſt, debet ſecari, vt per locum affectum euacuetur illa materia. *Sectio venæ in loco affecto turgidæ.* Eſt tamen aduertendum, quia ex venæ ſectione multa incommoda poſſunt oriri: & ego ſemel vidi Bononiæ gangrænam, in qua fuit ſecta vena, & priuſquam vas obduceretur, amiſit vitam. Sed docuit Paulus, quòd quando incidimus venam, debemus illam vincire, quia alirer cõtinget fluxus ſanguinis, & per conſequens mors. Quare debemus venam vincire & munire, ne fluxus contingat. Sic igitur vel cum ſcarificationibus, vel ſectione venę manifeſtę in loco affecto euacuabitis materiam illam. *Abſterſio.* Quo facto, habeatis paratum lixiuium acre, quod ſiccet, detergat, aperiat, & attenuet, cuiuſmodi erit lixiuium commune, ſi incoqueretis ſal, grana lupinorum, addita portione vnguenti Aegyptiaci: & hoc lixiuio imbuta ſpongia, fouebitis ſcarificatum locum. Deinde præcipit Paulus lib. 4. cap. 19. vt imponamus emplaſtrum Galeni, quod fit ex farina lolij, ex farina orobi, & fabarum cum oxymelite: & eſt emplaſtrum optimum: digerit enim, & ſiccando putrefactionem impedit: nam lolij farina ex Galeni ſententia in 6. de facult. ſimpl. medic. eſt calida in tertio gradu incipiente; ſicca verò in fine ſecundi: idem agit eruum, idem etiam faba, ſed leuius. Ego autem ſoleo vti emplaſtro facto ex farina lupinorum, & oxymelite; quandoque etiam admiſceo farinam lolij, ſi habeam: dixi, ſi habeam, quoniã hic difficilè habetur, ita etiam farina erui: & ideo earum loco vtor farina lupinorum cocta in lixiuio acriori, & oxymelite: & optima eſt: nam Paulus ex decocto lupinorum amarorum abluit gangrenas; hoc eodem ſonet Dioſcorides; idem confirmat Auicenna & Galenus lib. 6. ſimplic. Sed animaduertatis, quòd hæc emplaſtra ſunt imponẽda circa partem ſanam inflammatam, ac tumidam; *Locus applicandorũ medicamentorum.* In parte autem ſcarificata poſſumus imponere varia illa genera vnguenti Aegyptiaci, quæ in officinis habentur: poſſumus etiam imponere trochiſcos illos Andronis, vel Polyidæ, vel Paſionis, vel Muſæ. Et ſi videritis, quòd ex impoſitione horum medicamentorum non ſerpat amplius morbus, & exſiccetur ita locus, vt appareat genita cruſta: tunc ceſſandum eſt ab his medicamentis, & imponenda ſunt ea, quæ cruſtam auferant: Sin autem medicamentis dictis morbus non cedat, ſed ſerpat adhuc, deueniẽdum eſt ad vſtionem, quæ facienda eſt eo modo, & vſque ad illum terminum, quo di-

ximus

ximus conuenire in carbunculo. Exurere enim oportet ferro candente, non ſolum id, quod eſt inter ſanum,& vitiatum,vt ait Celſus; ſed totum ſimul,corruptumque vro: & ſi magna fuerit portio carnoſa corrupta, prius partem illam nouacula reſeco, poſtea, quod eſt reliquum, exuro.

De abſciſſione membri ſphacelati.

Cęterùm, ſi totum membrum, caro, oſſa, nerui, vaſa, & reliqua ſint corrupta, quid agendum? nimirum illud, quòd Poeta præcepit, dicens,

Enſe recidendum eſt, ne pars ſyncera trahatur.

Quæ etiam ſententia fuit Galeni 14. methodi, cap.vltimo: nam membrum corruptum eſt de iis,quæ prorſus ſunt præter naturam: cumque hoc ſit morbi genus extremum,extrema etiam remedia requirit,teſte Hippocrate 1.Aphoriſm. Verùm,vt Celſus ait,lib.7. cap.33. cautè agendum eſt, quoniam duplex in membri amputatione imminet periculum: Primum quidem eſt ſanguinis profluuium magnum, quo multi inter ſecandum moriuntur: immò non ſolum ex largo profluuio, quod ſæpius ſolet adeſſe; ſed etiam ex minimo, quia maxima in hoc morbo ſolet eſſe virium imbecillitas: & ideo ex pauca etiam reſolutione ſpirituum moritur æger. Alterum, quod facit magnum periculum, eſt animi deliquium: nam ferè omnes inter opus delinquunt animo: nam virtus eſt valde imbecilla: cum magna etenim putredine, qualis eſt in ſphacelo, non poteſt ſtare virtus valida partium corporis: & ideo facilè ſuccedit ſyncope, & mors denique ſæpius, Hęc itaque duo videntur deteſtari,immò deteſtantur amputationem membri iuxta ſententiam Celſi. Addunt Recentiores, vt Guido, & alia duo, & primum eſt honeſtas, ſeu decor, qui debet omninò ſeruari: honeſtius enim videtur, vt membrum corruptum per ſe concidat,quam ipſum incidere: & ideo ſi videretis gangręnam, vel ſphacelum obortum in digitis pedum,vel in conſimili alia parte,non amputetis;ſed ſinatis,vt natura per ſe expellat: nam inibi non imminet periculum vitæ. Alterum, quod ſecundum Recentiores impedit amputationem membri, eſt ſummus dolor, qui re vera maximus ſolet adeſſe: fieri enim nequit,vt, dum ſecatur corruptum membrum, non ſecetur etiam aliquid partis ſanæ,vt vel neruus,vel ligamentum, vel alia ſentiens particula; & præterea, etiam ſi non adeſſet dolor, hac ratione excitabitur à ferro candente: nam ſecto membro, pro ſiſtendo ſanguine, & auferendo, ſi quid corruptum remanſit, opus eſt locum exurere: & ita quatuor ob cauſas non eſt amputandum membrum.

Quatuor timēda in amputatione.

Modus euitādi quatuor incommoda dicta Guidonis.

Propterea Guido dicit ſe inueniſſe rationem, ac modum, quo poſſimus ſphacelatum membrum auferre,& ſeparare,abſque quo ipſum ſecemus,& in illas difficultates, atque incommoda incurramus: Modus autem eſt talis: Eſto, verbi gratia, quòd ſphacelata ſit manus,ita vt caro, nerui, oſſa, & reliqua ſint corrupta,& mortificata, ſcarificanda eſt tota manus ab externa cute vſque ad oſſa, ſunt autem ita profundæ ſectiones faciendæ, vt tota ſanies, & corruptus, malignusque humor egrediatur: quibus ſcarificationibus, inciſionibusve hoc primum commodum aſſequemur, quòd impedietur vlterior progreſſus putredinis, & corruptelæ; nam educta tota illa ſanie exiſtente in mortificata parte, non ſerpet amplius putredo: Scarificata optimè à ſummo ad imum, cum fuerit manus tota, apponendum eſt medicamentum aliquod defenſiuum in parte ſana, vt puta in carpo, vt vi illius medicamenti ſana pars reſiſtat putredini: & proponit Guido medicamentum tale:

Linimētum poſt ſcarificationem ad partem ſanam.

℞. Olei { Roſacei, Omphacini, Myrtini, Violacei } añ. ℥.ij.
Aceti acerrimi
Succi { Plantaginis, Solatri, Abſynthij, Scabioſæ, Conſolidæ minoris } añ. ℥. s.

Miſceantur, & bulliant ad conſumptionem omnium ſuccorum, ita, vt ſola olea ſuperſint, deinde adde

Boli Armeni
Sanguinis draconis
Santalorum omnium
Maceris
Cinnamomi
Schœnanti
Cyperi } añ. ʒ.j.

Miſce

Digitized by Google

Miſce omnia, & cum ſufficienti quantitate ceræ albæ fiat medicamentum, quod habeat formam linimenti, & applicetur parti ſanæ, deinde obducatur pars linamentis. Hoc facto, vult Guido, vt ſupra partẽ corruptam, & iam ſcarificatam inſpergatur hic puluis, ita vt repleantur omnes illæ ſectiones.

Puluis ad partes ſcarificatas.

℞. Argenti ſublimati
Arſenici } añ. ℥. j.

Fiat puluis, & inſpergatur tãdiu in ſcarificatam partem, quãdiu videritis abſumptam eſſe totam illam humiditatem, & quod caro illa ſit mortificata, & nerui ſint exuſti, & facti veluti cruſtoſi. Cùm autem omnes illæ partes apparebunt eſcharoſæ, & conſtiterit, quòd morbus non ſerpit amplius, abſtineatis ab inſperſione pulueris, vt, verbi gratia, ſi hodie accedentes ad ægrum videbitis partes ſcarificatas exſudare humiditatem quandã, inſpergatis puluerem; ſi cras itidem videbitis, iterum inſpergatis: ſed ſi perendie videritis humiditatem omnem fuiſſe abſumptam, & cruſtoſa omnia, ac exuſta apparere, non inſpergatis amplius puluerem; ſed obuoluatis partem ipſam corruptam ſparadrapo, & ita relinquatis, quouſque pars per ſe conciderit. Sparadrapum autem vocant telam quãdam liquore imbibitam, & ad vmbram exſiccatam: eſt enim in officinis quædam empyrica pannorum infectio, multiplex ac varia: Inuenerunt autem medicamentum, ſeu telam hanc Recentiores, ne opus ſemper eſſet linteola immutare, ſicuti neceſſe eſt in huiuſmodi putridis vlceribus, ac morbis: nam ſtatim lintea putreſcunt: Igitur, ne abſumerentur tot lintea, inuenerunt ſparadrapum, quaſi ſparnia drapum, vel ſparagna drappo voluerint vulgò dicere. Sed debetis adhuc ſcire, quòd ſparadraporum conficiendorum mixtiones, & liquores varij in officinis habentur, vt dixi: aliæ enim ſunt mixtiones pro conficiendis ſparadrapis frigidis; aliæ pro ficcis, &c. Ego tamen eam duntaxat mixtionem vobis proponam, qua fit ſparadrapum pro vlceribus malignis, & ad noſtrum facit propoſitum: mixtio autem, ſeu liquor, quo inficiunt telam, fit hoc modo:

Cruſtis apparentibus, abſtinendum à puluere cauſtico; ſed inuoluẽda pars Sparadrapo.

Sparadraporum conficiendorũ ratio.

℞. Aloes
Myrrhæ
Succi acetoſæ
Galliæ moſcatæ
Aliptæ moſcatæ
Corticum granatorum
Nucum cupreſſi
Nucis moſcatæ
Santalorum omnium
Ligni aloes
Seminum cumini
Aluminis rochæ } añ. ℥. j.

Miſce, tere, & fiat puluis.

℞. Pulueris huius ℥. j.
Picis nigræ
Reſinæ pini
Picis Colophoniæ } añ. ℥. ij.
Maſticis
Thuris
Styracis liquidæ } añ. ℥. j.
Gummi tragacanthi
Gummi Arabici } añ. ℥. s.

Miſcentur ad ignem, & eliquatis reſinis, & picibus, fiat medicamentum liquidum: Quòd ſi adhuc craſſum videatur, additur portio ſeui hircini; & hoc eliquato medicamento inficitur tela, arrepta videlicet tela vtraque manu; & extenſa maneat, & immergitur, & extrahitur, & permittitur, vt humor ille excoletur, deinde iterum infunditur tela, & ſinitur, vt percoletur humor; & ſic tertia vice fit; deinde exſiccatur ad vmbram: & huiuſmodi telam exſiccatam ſparadrapum vocant: Quæ tela corruptę parti applicata non putreſcit, ſicuti alia tela, quoniam parui meatus ſunt ita medicamento repleti, vt humor corruptus nequeat telam permeare. Vult itaque Guido, vt huiuſce telę ſparadrapi vocatę conſuamus quantitatem ſufficientem circumcirca membrum mortificatum, & inibi conſutam relinquamus, quouſque membrum cadat: & ſi quid ſaniei reſudarit à tela, abſtergenda continuò eſt; & hoc modo ſeparatur mortificatum membrum à parte ſana abſque inciſione, ſeu amputatione.

Cæterùm

Modus Guidonis corruptum ſeparandi quibus occaſionibus ſeruiat, quibus non.

Cœterum ſeparandi hic modus licet in quibuſdam occaſionibus conueniat, non tamen in omnibus eſt opportunus: nam corruptela membri aliquando deuenit vſque ad articulum, vt, verbi gratia, ſphacelatur aliquando brachium, & corruptela occupat totam ulnam vſque ad articulum, ideſt, cubitum; aliquando corruptela peruenit ſolũ vſque ad mediam vlnam: Quando igitur corruptela peruenit vſque ad articulum, laudo modum ſeparandi à Guidone propoſitum; quia ſeparatio facile, & citò ſuccedit: nam, corruptis illis ligamentis, concidit pars corrupta, cum terminus corruptionis non tranſeat articulum; At ſi corruptela perueniret ſolùm vſque ad medium oſſis, vt puta ad mediam partem vlnæ, ita, vt medietas vlnæ verſus cubitum nulla eſſet corruptione affecta, ille ſeparandi modus nullo modo eſt opportunus, quoniam diuturnò nimis rempore fieret: difficilè enim, & longo rempore ſeparatur medicamentis corruptum os à ſano; quo fieret, vt diu corrupta pars appenſa ſeruaretur, & ſimul etiam ſanies illa, ac fœtor intolerabilis: & hæc eſt vna occaſio, in qua modus ille ſeparandi corruptum membrum non eſt accomoda, nec vtilis. Alrera occaſio eſt, quando corruptela citiſſimè ſerpit: ſi enim velimus illo ſeparandi modo vti, anrequam ſepararetur, corruptæ eſſent partes ſanæ, vel mortuus æger: & proprerea in his duabus occaſionibus, quando ſcilicet corruptela deuenit ſolùm vſque ad medium oſſis; & quãdo morbus citiſſimè ſerpit, cogimur vti ſectione. Modus autem ſeparandi Guidonis ſine ferro, & igne eſt bonus, quando corruptela deuenit vſque ad articulum, & ſphacelus eſt factus ratione nimiæ frigiditatis, vt ſi ſphacelatus eſſet digitus, impium certè eſſet ferro ipſum ſeparare: ſed ſi ſit corruptela vſque ad medium oſſis, ſerparque citiſſimè, deueniendum neceſſariò eſt ad amputationem: quæ re vera, vt diximus, eſt periculoſa; tamen, cum nullum aliud habeamus auxilium, & maius periculum immineat, cogimur tali auxilio vti: nam Celſus lib. 7. c. 33. ait: Hic quoque nihil intereſt, an ſatis tutum præſidium ſit, quod vnicum ſit.

Celſi ratio amputandi memb. corrup.

Secandum igitur eſt membrum: ſed qua ratione? Celſus inquit, quod ſecandum eſt in confinio partis corruptæ, & ſanæ, & ita in confinio, vt potius ſecetur particula partis ſanæ, quam relinquatur quidpiam corruptæ: ſecta hoc modo parte per tranſuerſum vſque ad os, dicit diducendam eſſe ſurſum partem carnoſam, ac ſanam, diducẽdam, dico, manibus, vt os medium promineat: quod os dicit eſſe ſecandum ſerrula; deinde deradendum, & æquandum in eius fronte, & ſinendum mox, vt caro recurrat, & tegat os, & quodſi cutis ei non fuerit inducta, linamentis erit contegendum, ſpongiaque ex acero ſuperaddenda. Hoc facto, vult, vt occurramus cum albo oui, & alijs medicamentis, quibus ſolemus mederi cruentis vulneribus: Et monet nunquam ſectionem eſſe faciendam propè articulum: vnde & Recentiores dicunt ſecandum eſſe membrum per quatuor digitos infra articulum: nam ſi in articulo vel propè ſecaretur, fieret conuulſio, & tandem mors.

Improbatur

Sed parcat mihi Celſus, hic eius amputandi modus nullo modo placet; quoniam Galenus vult, vt ſectio in ea parte fiat, vt ſemper relinquatur portio partis corruptæ in parte ſana, vt conſeruetur vita. Nam ſi ſecaretur portio partis ſanæ, vt vult Celſus, dubio procul occideretur æger, tùm propter dolorem intenſiſſimum, tùm propter fluxionem ſanguinis, & conuulſionem, quę incommoda, & ſimilia euitantur ſi ſectio fiat talis, vt relinquatur aliquid partis corruptæ, quanta verbi gratia eſt craſſities vnius digiti; cum enim ſectio fiat in parte corrupta, non tantus excitatur dolor, non conuulſio; nec tanta etiam fluxio ſanguinis, quoniam venæ, & arteriæ in corrupta parte exiſtentes ſunt & ipſæ corruptæ. quare non imitemini modum amputandi Celſi.

Recentiorũ modus.

Recentiores autem, vt Theodoricus, Guido, Petrus ab Argilata, Albucaſis, & multi alij ſolent hoc modo facere: Accipiunt duas funes, quarum altera vinciunt partem corruptam; reliqua partem ſanam proximam corruptæ: & alteram funem vni miniſtro, reliquam alteri offerũt, iubentque, vt trahant; ſed alter in vnum latus; reliquus in reliquũ: & tunc in medio ſpatio inter vinculum, & vinculum in parte tamen ſana, vt faciebat Celſus, ſecant.

Repudiatur etiam.

Sed nec iſte ſecandi modus placet, quoniam præter dicta habet adhuc aliud incommodum: & eſt, quòd ex vinculo partis ſanæ facilè pars illa ſana ſcilicet poſſet corrumpi.

Tertium aliorum periculoſum eſſe.

Alij, vt euitent dolorem, qui inter ſecandum excitatur vehementiſſimus, exhibent medicamenta, quæ ſomnum inducũt, vt opium & ſimilia; poſtea excitant cum aceto appoſito naribus, ruta, aut ſimili. Quod non placet; nam ſi medicamentum erit debile, non excitabit tam profundum ſomnum, vt ex dolore excitato à ſectione partis ſanæ non expergefiat æger: nam dolor fieret tantus, quod mortuum ferè excitaret: ſi verò medicamentum erit validiſſimum, periculum magnum eſt, ne moriatur æger: nam uirtus in tali morbo debilis admodum eſt: & prætetea ſcitis, quòd, qui à medicamento ualido eſt ſopotatus, eſt ueluti mortuus.

Igitur

Auctori quo modo ſectio adminiſtretur.

Igitur omiſſis rationibus, & modis his ſecandi, faciatis hoc modo: Statim, cum deueniti ad ſectionem faciendam, faciatis, vt Chirurgus, qui eruditus, ac exercitatus ſit, habeat ſerram, quæ optimè ſecet; habeat & ferramenta opportuna omnia, & quę igni ſunt apponenda: habeat etiam parata inſtrumenta, quæ faciunt ad ſiſtendum ſanguinem, vt album oui concuſſum, chalcanthum vſtum, & ſimilia. nec curate, vt æger tunc dormiat; nec aggrediamini talem actionem ægro, & cognatis nolentibus, viribusque non optimè prius perpenſis, & conſideratis. ſed æger ſit contentus, & ſui omnes, & vos non niſi ab ægro, & propinquis ſæpe ſæpius exorati ſuſcipiatis tantam prouinciam; & deinde ſuſcipientes proponatis ſemper periculum magnum, quod imminet, & ſi gangręna peruenerit ad humerum, vel ad axillam, vel ad inguina, aut ad aliam ſimilem partem, non ſuſcipiatis tale onus; contrà verò, ſi ſalutis ſpes adſit, ſuſcipiatis, ſed rogati ſemper prius, & antequam aggrediamini actionem, exhibeatis ægro bina oua ſorbilia, & offam in vino maluatico, vel in conſimili vino potentiſſimo, & cum biberit æger mediam vini partem, inſpergatis ſibi in faciem, & ferè in totum corpus aquam roſaceam: decumbat commodè in ſtrato, & tecto capite, ne inſtrumenta cernat; Neque enim omnes ſunt Illuſtriſſimus ille Ioannes de Medicis, qui, cum accepiſſet in crure glandem plumbeam ex inſtrumento illo bellico, quod moſchettam vulgò nominant, crus tandem ſphacelatum eſt: vnde, cùm Mantuæ eſſet, voluit, vt ſibi amputaretur crus, nec vnquam ab vllo potuit diſſuaderi; immò tanta fuit animi ipſius conſtantia, quod inter opus ipſemet voluit tenere partem cruris ſuperiorem, & interim dum clamabat, dictabat etiam Chirurgo, ſeca hic, exure ibi, & conſimilia; & amputato deinde crure, voluit ſibi oſtendi: tanta fuit viri, ac Principis illius animi fortitudo. at non omnes, vt dixi, ſunt Ioannes de Medicis: & ideo non ſinatis, vt æger, dum ſecatis, ſtet capite detecto.

Chirurgo ante ſectionem meditanda.

Ægri diſpoſitio quæ eſſe debeat.

Hiſtoria Ioãnis de Medicis.

Requiſita.

Quando itaque corruptio membri non peruenit vſque ad articulum, ſed eſt in intermedio, ferro amputandum eſt membrum; ſed antequam deueniatis ad ſectionem inſtrumenta omnia (vt dixi) opportuna præparanda ſunt, quemadmodum album oui concuſſum, ſplenia, & linamenta albo oui madefacta: præparandus eſt ſuccus porraceus, chalcanthum vſtum, poſca facta cum aqua roſacea, & aceto: apponenda ſunt ferramenta requiſita ad ignem, vt candeſcant, & inter cætera nouacula, quæ craſſior eſſe debet: paranda quoque eſt ſerrula: reficiendi ſpiritus cum exhibitione ouorum ſorbilium, vini maluatici, & ſimilium; exhibeaturque parum vini optimi diluti: decumbat æger quietiſſimè, nec conſpiciat ferramenta, nec actionem: nam actio terret medicos, & aſtantes, nedũ patientem: his præparatis deueniendum eſt ad actionem. Sed primum inueſtigandum eſt, quouſque perueniat corruptio: quod aſſequemini ſcarificando partes corruptas, & pungendo modò hanc, modò illam, quam diu deueneritis ad partem, quæ prædita ſit ſenſu: & ita ſciueritis quouſque perueniat corruptio, nimirum, vſque ad partem ſentientem: nam pars mortificata, etiamſi pungatur, nihil ſentit.

Termini corruptionis cognitio.

Funiculus et deligatio partis ſanæ.

Inuento termino corruptionis, habeatis funiculum paratum, qui non ſit valde craſſus, nec valde ſubtilis, & in confinio partis ſanæ, vbi coniungitur cum parte corrupta, vinciatis partem ipſam ſanam, & multis ſpiris, ſeu gyris aſcendatis ſurſum verſus ſanam partem, ita, vt ſpiræ comprehendant ſpatium trium aut quatuor digitorum partis ſanæ, & funiculi ſpiræ non valde premant, nec leniter: hoc autem facimus tùm ſedandi doloris, tùm etiam ſiſtendi ſanguinis profluuium gratia: nam à vinculo comprimuntur nerui, ita vt non tot ſpiritus recipiant; immò, quos habent, exprimuntur, & ita minor ex ſectione efficitur dolor: minus quoque ſanguinis fit profluuium, quoniam à vinculo comprimuntur venæ, atque arteriæ. Sed animaduertatis, quòd non arctiſſimè, vt dixi, vincienda eſt pars, quoniam præter dolorem, qui ex arcto vinculo magnus excitaretur, periculum eſſet, ne mortificaretur pars ſana vincta; & ideo mediocriter arctè liganda eſt pars.

Nouacula candens, & abſciſſio partis mollioris.

Ligata hoc modo parte, deueniatis ad ſectionem, & ita capietis nouaculam candentẽ, & in confinio partis corruptę, & ſanæ propè funiculum; in confinio dico, ita vt remaneat partis corruptæ appenſæ ſanæ tanta quantitas, quanta eſt latitudo vnius digiti minimi: & ita ſecabitis in parte corrupta per digitum minimum, vel paulò plus infra ſanam partem: ſecabitis, inquam, carnem corruptam circum circa os: ſecamus autem nouacula ignita, vt ſimul, & ſemel ſecemus, & ſiſtamus ſanguinem: nam nouacula ignita excitat eſcharam, & ſic prohibetur tantus ſanguinis effluxus.

Serrula & abſectio oſſis: Exuſtio vaſorũ, & putridi relicti.

Secta carne, ſtatim, arrepta ſerrula, ſecare os ipſum: Et remoto membro corrupto, ilicò, acceptis ferramentis candentibus, bis, & ter, vt opus fuerit, exuratis ora venarum, & arteriarum; mox ferramentis etiam ignitis exuratis ſenſim carnem corruptam, & relictam in parte ſana, quouſque caro illa tota putrida, & mortificata, fuerit exuſta:

Quod

Digitized by Google

Quod cognoſcetis ex dolore : nam quando æger incipiet perſentire dolorem ex vſtione, quam facitis, indicatur, quòd caro illa eſt tota exuſta.

Ablatio vinculi & oſſis in circuitu exuſtio.

Hoc facto, ſubitò auferatis vinculum : nam cum exuſta ſit caro tota, & ora vaſorum, non imminet amplius periculum fluxionis ſanguinis : Et ablato vinculo, repentè accepto ferramento ignito, & lato, exuratis os circumcirca foramen : Debet etiam ferramentum eſſe latum, ne ingrediatur foramen, vbi medulla reſidet : Exuritur autem os primò, vt pars corrupta, quæ relicta eſt, ſeparetur à ſana : ſecundò, vt humiditates, quæ infecerunt medullam, exſiccentur : igitur appoſito lato, ignitoque ferro ſupra os contineatur ibi, quamdiu fuerit exuſtum.

Localia adſtringentia, tum eſcharę tum partis ſanæ.

Hoc facto, accipiatis linamenta, & ſplenia dicta albo oui madida, & infuſa in ſucco porri, vt voluit Galenus : nam eſcharam roborat, & ſanguinem firmat ſua quadam vi, & ita infuſa applicentur ; inſperſo tamen prius ſupra cruſtam puluere chalcanthi vſti : poſſetis etiam ſuperinſpergere puluerem trochiſcorum Andronis, Polyidæ, & Paſſionis : Ego tamen non diſcedo à chalcantho vſto, ac rubro, quo nihil in hoc eſt præſtantius. Habenda præterea ratio eſt partis ſuperioris ſanæ, vt ſi, verbi gratia, eſſet amputatum brachium à medio vlnæ infrà, habenda eſt ratio reliquæ partis totius vſque ad axillam, & ita obuoluemus ipſam totam defenſiuo vocato, ex bolo Armeno ; vel linamentis madidis poſca facta ex aceto, oleo roſaceo, & aqua roſacea ; & curamus ; vt faſciæ, & alia linamenta madeant, vel cum poſca dicta, vel cum vino auſtero. His factis, relinquimus partem ita obuolutam vigintiquatuor horas ; poſtea detegimus ; & ſi videmus, quòd cruſta humeſcat, iterum ſuper inſpergimus puluerem chalcanthi vſti : & exſiccata cruſta, ſuperimponimus ea, quæ cruſtam maturent ; & quotidie cruſtam ipſam abluimus ſucco eleoſelini.

Detergentia & ſiccantia poſt remotionem eſcharę.

Separata cruſta, applicamus ea, quæ detergunt, & ſiccant ; & poſtremò, quæ cicatrice obducant : In foramine autem oſſis, vbi medulla eſt, ſoleo ego imponere linamentum ſiccum, vt humiditas, quæ illic tota colligitur, exſugatur à linamento. Verùm circa ora, & margines oſſis ſoleo imponere ceratum, quod exſiccat valde, & efficit, vt os exuſtum citò concidat : quod ceratum conficio ego, & voco ceratum de euphorbio ; & impono, ita, vt non contangat partes carnoſas. Fit autem ceratum hoc modo :

Ceratum de Euphorbio ad margines oſſium.

℞. Picis Colophoniæ } añ. ℥. s.
Terebinthinæ }
Olei de ſpica, vel liliorum alborum ℥. j.
Pulueris { Iridis, Otobi amari, Peucedani, Dictami albi, Oppoponacis, Euphorbij } añ. ℈. s.
Ceræ quantum ſuff.

Miſce, & fac ceratum mediocri conſiſtentia præditum, ita, vt non ſit ita molle, vt non conſiſtat in loco ; nec ita durum, vt nequeat adhærere. Ceratum hoc eſt certè præſtantiſſimum ad ſeparanda oſſa corrupta : nam ego ſeparaui magna oſſa, & illa quidem triginta diebus, & breuiori etiam aliquando tempore. Et hoc modo curatur ſphacelatum membrum.

Poſt mutilationem exonerāda plenitudo.

Sed vnum adhuc eſt à nobis maximè aduertendum, & ſciendum poſt amputatum artum, atque illud eſt ; quòd, quando homo habet artus integros, viſceraque integra, & præcipue hepar, vtiturque recta victus ratione ; generat magnam copiam ſanguinis, qui ab omnibus membris pro alimento attrahitur, & præcipuè ab ijs, quæ in continuo ſunt motu, qualia crura ſunt : & propterea, ſi caſu accidat, vt crus amputetur non poteſt abſumi tantum ſanguinis, quantum prius abſumebatur : vnde fit, vt qui conſueuit tranſmitti ad illum artum, tranſmittatur ad alias partes, & corpus totum ſanguine repleatur, varijsq; deinde corripiatur morbis. Ne hoc igitur poſt amputatum membrum accidat, debetis mandare, vt per biennium ſaltem bis in anno ſecetur vena, dummodo ſanguis non euacuetur per hemorrhoidas ; & hoc modo defendet ſe æger à plenitudine, quæ maxima ſolet eſſe in ijs, qui membro aliquo manci ſunt ; & ſunt ſemper rubicundiſſimi, & pariter conſeruabunt ſeſe ſanos.

De Carbunculo ſeu Bubone peſtilenti. Cap. XI.

Varia nomina huius affectus.

CVM loquerer ſuperius de carbunculo, dixi omnia confundi à Recentioribus, qui opinantur prunam, ignem perſicum, carbunculum, atque anthracem inter ſe varia eſſe non ratione tantùm maioris, aut minoris morbi, ſed ſpecie. inter hæc connumerant Althoin, quod anthraca peſtiferum eſſe putant, qui vltimus eſt inter inflammationes, vel tumores, qui à ſanguine fiunt, de quo agit Auicenna. Nam tumoris genus, quod Græci Bubonē vocarunt, Arabes, teſte Auicenna; Thoin, & cum articulo Arabico Althoin vocarunt, vt videre eſt tertia quarti: Bubo namque aliquando, teſte Galeno, lib. 13. methodi ſignificat quamcunque glanduloſorũ corporum inflammationem. Pariter Auicenna cap. de althoin deceptus nomine Bubonis, φύματος, & φύγεθλον, de quibus ſuprà facta eſt mentio, tres ponit huius vocis ſignificationes, quas nominat quibuſdam vocibus corruptis: inquit enim, quod antiquiſſimi appellarunt omne genus tumorum pernicioſorum in quacunque particula corporis voce quadam, quæ Arabicè dicta eſt althoin, & quod primi Carmata hoc vocarunt: ſecundò dicit, quòd ſignificat quamcunque inflammationem, vel tumorem calidum corporum glanduloſorum ceruicis, inguinum, aut alarum: tertiò quòd aliquando ſignificat earundem partium tumorem venenoſum atque pernicioſum, quod quidem tumoris genus peſtiferum bubonem, vel peſtilentialem vocamus, ſitque hæc inflammatio, vel carbunculus, nihil facit ad rem. Quod autem idem ſit althoin Auicennæ cum bubone, hinc conſtat; Auicenna vocat althoin inflammationem glandoſorum corporum: idem teſtatur Galenus de bubone in ſecundo ad Glauconem, cap. primo, & lib. 13. meth. c. 5. atque Paulus lib. 4. cap. 22. vbi idem Paulus loquitur de bubone cum febre peſtilentiali coniuncto. De hoc ergo morbo agere nunc conſtituimus, qui altholhoin, vel althoin peſtilens vocatur, vel inflammatio peſtilentialis, vel carbunculus peſtifer, vel etiam bubo ab antiquis eſt dictus. Et nihil aliud eſt, quàm inflammatio peſtilens, vel carbunculus peſtifer, ortus circa partes glanduloſas. Huius cauſa vna aſſignatur efficiens, atque immediata; altera verò materialis.

Nomen & definitio bubonis peſtiferi.

Cauſa efficiens bubonem.

Efficiens quidem eſt robuſta facultas expultrix viſcerum, vt puta cerebri, cordis, & hepatis, quæ partes, vt ab oneroſo pondere liberentur, expellunt excrementa ad ſua emunctoria, vt, quando cerebrum afficitur, & eius expultrix vis valida eſt, expellit materiam ad propria emunctoria, id eſt, ad glanduloſas partes, quæ ſunt poſt aures, & in ceruice, & fiunt tumores parotides vocati: ſi verò à facultate cordis expultrice expellatur materia, fit tumor ſub axillis: ſi ab hepate, in inguinibus. Cauſa autem, cur vis expultrix detrudat materiam, eſt, quoniam ſtimulatur ab ea, ratione ſuæ malignitatis, quæ materia ſeu humor malignus eſt.

Cauſa materialis ſãguis malignus.

Deinde cauſa materialis huiuſmodi tumorum eſt ſanguis craſſus, vel tenuis putrefactus, & ex toto præternaturam factus, ita, vt non mereatur amplius nomen ſanguinis, nec alterius cuiuuis humoris: nec eius qualitas eſt qualitas ſanguinis, vel bilis, vel alterius humoris; ſed præternaturalis omnino, & ex diametro contraria humano corpori, a qua qualitate proritata facultate expultrice, extrudit ipſum humorem. Igitur cauſa efficiens bubonis peſtilentis eſt valida vis expultrix; materialis verò eſt maſſa ſanguinea corrupta, & contagioſa, malignaque facta: quod idem eſt, ac ſi dicas, eſt humor ſanguineus corruptus, atque ex toto præternaturam factus, ac qualitate quadam venenoſa præditus, atque occulta totaque ſua natura, atque ſubſtantia temperaturæ humanæ inimica, qui prius ſanguis ſecundum naturam erat, ſed varia de cauſa corruptus eſt poſtea.

Efficiens malignitatis.

Sed quæ efficiens cauſa malignitatis iſtius eſt diceret aliquis? Prima eſt peſſima victus ratio, ſicuti dicebat Galenus in libello de cibis boni, & mali ſucci, cap. primo, vbi dicit, quòd varietas, atque vſus malorum ciborum, qui non habeant analogiam ad corpus humanum, eſt in cauſa huius prauitatis. Altera cauſa, qua ſanguis putrefit, & fit peſtifer, eſt aliquando aer ambiens corruptus: ſcitis enim elementa omnia, excepto igne, corrumpi, & præcipuè aerem; & ideo ſi contingat, vt corruptus ſit, & peſtilens factus, non ſecundum qualitatem calidam, vel humidam, ſed potius, quia minutiſſimæ quædam particulæ ſuæ ſubſtantiæ ſint corruptæ: ſi ergo ſit corruptus, inficit maſſam ſanguineã tum quatenus per poros corporis ingreditur, tùm etiã per pulmones attractus.

Aeris corruptio quotuplex, et quomodo fiat.

Aer autem biſariam contingit, vt corrumpatur, vel per ſe, nulla alia re ſecum admixta; vel ex admixtione corpuſculorum putridorum, quæ corrupta ſint, & toto genere contraria humanæ naturæ, quæ corpuſcula per ipſum aerem ſeminantur: hæc autem corpuſcula minima aliquando eleuantur à terra; aliquando etiam vapores iſti corrupti, ſeu hæc minima corpuſcula efferuntur, vt ait Galenus in primo de differentijs febrium, capite 4. ab aquis ſtagnantibus corruptis, & ita commiſcentur aeri, ipſumque inficiunt, ſuntq; demum in cauſa vt corrumpantur ſpiritus, & ſanguis in corporibus humanis: aliquando etiam eleuantur ex telluris ſpecubus, voraginibus, & cauernis, quæ diu clauſæ fuerint, deinde aperiantur: nam ſæpe contingit, vt in antris corrumpatur aer vel ratione cadauerum inibi exiſtentium, vel alia de cauſa, vt factum fuit de peſte illa Tripolis ſæuiſſima, quæ hoc modo orta eſt:

Peſtis Tripoli quomodo orta.

Biennium apotheca quædam ſtetit clauſa: vnde factum eſt, vt merces, quæ inibi erant, multæ putruerint: tandem reſerata apotheca, ingreſſi ſunt duo baiuli, vt merces aſportarent; & vix ingreſſi ceciderunt, & mortui ſunt: nam ex mercibus putrefactis corruptus fuerat apothecæ aer, qui attractus à miſeris illis, infecit eorum ſanguinem, & ſpiritum; & denique totus prouinciæ aer eſt corruptus, & maxima peſtilentia excitata.

Peſtis Italiæ.

Anno quoque illo, quo Gallicus exercitus venit in Italiam, & initum eſt bellum in Rauennate agro, fuit facta magna ſtrages, & cum inhumata relicta fuiſſent corpora, infecerunt vſqueadeo aerem, vt maxima deinde in tota Italia fuerit peſtilentia excitata. Quandoque etiam aer putreſcit ratione ardentiſſimæ caliditatis precedentis, vt ait Galenus in primo de differentijs febrium, cap. 4. quando ſcilicet in aliquo loco fit

Peſtis Athenienſis.

æſtus magnus, & inſuetus inibi eſſe, quemadmodum contigit Athenis, tempore Thucididis: nam cum aer ex maximo æſtu corruptus fuiſſet, infecit etiam humana corpora. Sunt & qui peſtilentiæ cauſam referant in Deos, vt videre eſt apud Galenum in prefatione in primum Epidemiorum: huius autem ſententiæ fuerunt Poetæ, quemadmodum habemus apud Homerum primo Iliados, qui fingit Apollinem excitaſſe peſtilentiam in exercitu Græcorum, vt obſequeretur Criſæ, & peſtem ita ſæuam fuiſſe teſtatur, vt canes, bruta, & omnes homines perirent, nec propterea inepti iudicandi ſunt Poetæ, quoniam per Apollinem ipſi intelligunt Solem, qui procul omni dubio potuit in eo exercitu peſtem ſuſcitare agendo in excrementa; & ſordes, quæ copioſæ ſolent eſſe in exercitibus, ſicut & in Aulis: ſordes autem illæ excalfactæ putruere, & infecere aerem.

An aſtra gignant peſtem.

Qui rectiùs in ſuperos cauſam retorquent, vt Aſtrologi, dicunt aſpectus Celeſtes eſſe in cauſa peſtis ob eclipſes Lunæ, vt ſi eclipſis Lunaris coniungatur cum Marte, & Saturno, & Mars dominetur, idque fiat in aliquo ſigno humano dicunt generari peſtem: fit enim in iſtis elementis inferioribus talis alteratio; vnde à terra, & aqua tales vapores eleuantur, qui aerem inficiunt. Vtrum autem hoc ſit verum, necne, apud me ignotum eſt; ſed hoc ſcio, quod aſtra agentia in hæc interiora poſſunt varijs modis mutare aerem, & ita poſſent eſſe in cauſa corruptionis aeris.

Sed licet aer corruptus ſit communis cauſa peſtis corrumpẽdo humores corporum; non tamen eſt cauſa corruptionis ſanguinis in omnibus humanis corporibus; ſed in ijs tantum, quæ ad putredinem ſunt parata: ſcitis enim requiri proportionem inter agens, & patiens, alioqui non reſultaret actio vlla.

De preparatis ad peſtẽ.

Cæterùm quænam ſunt hæc corpora peſti obnoxia, & parata? Primum ſanguinea, ideſt calida, & humida: nam calidi, & humidi eſt, vt facile putreſcat. Secundò, quæ habent meatus valde apertos. Tertiò, quæ habent poros præter modum anguſtos: nam ob anguſtiam nulla datur exhalatio aeri putrido attracto per pulmones: vnde, cum nequeat euaporare, corrumpit ſanguinem. Quartò, corpora repleta humoribus, & cacochimica ſunt obnoxia putredini, vt ait Galen. in primo de differentijs febrium, cap. 4. Raſes autem in lib. de peſtilenti febre, ſeu de peſte, qui liber habetur Græcus, & Latinus ex Græco factus, non autem ex Arabico, & eſt impreſſus cum Alexandro Tralliano. Raſes itaque in eo lib. loquens de putredine, inquit, quòd cauſa, cur ſanguis putreſcat, eſt mutatio ſanguinis, ac ipſius ebullitio per ætates: ſanguis enim inquit in primo ſeptennario aſſimilatur vuæ, ex qua fit muſtum feruefcendo; in ſecundo verò ſeptennario aſſimilatur muſto, ex quo fit iam perfectum vinum: & ſicut magis ebullit muſtum, ex quo fit vinum, quàm ſuccus ex quo fit muſtum; ita ſanguis in humano corpore in ſecundo ſeptennario mutatur, & magis feruet, quàm in primo ſeptennario. Cùm itaq; in primo ſeptennario mutetur ætas, & ferueat ſanguis, non eſt mirum, ſi pueri in ſeptimo, vel octauo anno conſtituti facilè peſte corripiantur: Pariter, cũ in ſecundo ſeptennario maior fiat ebullitio, & feruor diutius duret, facillimum eſt, vt ſanguis putreſcat; & ideo qui 14. ætatis ſuę annum agunt facilè peſtilentia corripiuntur. Igitur & mutatio ætatis eſt cauſa, vt ſanguis contrahat putredinem. Et hinc colligatis cauſam, cur adultiores, ſicciores, & ſenes difficilius incurrant in peſtem, quàm pueri, & feminæ.

Succedit

Succedit modò de ſignis cognoſcendi tumorē peſtilentem à non peſtilenti: quorum primum eſt, vt ait Raſis cap. 4. & Galenus in 9. de facultatib. ſimplicium, cap. de Terris, febris intenſa, atque continua; non tamen valde calida, neque valde vehemens, immò calor tepidus percipitur tum à medico, tum ab egro: attamen æger valde debilis eſt, inquietusq́; & cor quaſi conculcatum ſibi videtur: Quotieſcunque igitur videritis cum tumore eſſe coniunctam febrem continuam, & febris non ſit cum tanto calore, vt perſentiatur ab ægro; & tamen videatis, quòd æger nequit loco conſiſtere, indicatur vobis bubonem eſſe peſtilentem. Alterum ſignum ſumitur à colore totius cutis; & præſertim faciei, & oculorum: quia in peſtilēti tumore ſtatim immutatur color: nam in oculis, & facie apparet veluti color flammeus, igneusve, vt teſtis eſt Galen. in 3. de præſagijs ex pulſu, cap. 4. quandoque etiam color in facie eſt, qualis ſolet eſſe in eryſipelate, rubeus ſcilicet inclinans ad citrinum: Cùm igitur videritis adeſſe febrem continuam, & colorem talem, colligatis ſubitò tumorem eſſe peſtilentem. Addunt Recentiores, & Raſes, quòd color ſæpe ſolet eſſe citrinus inclinans ad fuſcedinem, qualis color apparet etiam aliquando in puſtulis, petecchie dictis. Tertium ſignum accipitur à lingua: nam vel citrina, vel nigra fit, ſiue adſit coniuncta ariditas ipſius, ſiue non, & hoc ſignum eſt certiſſimum, & vulgaribus etiam notum. Quartum ſumitur ab vrina, quæ vt plurimum eſt ſubiugalis, craſſa, & turbida; aliquando etiam tenuis, & aquoſa: nam & aquoſa vrina indicat malignitatem, quia indicat naturam non potuiſſe ſuperare malam qualitatem, nec concoquendo humorem, nec expellendo; & ideo qualis humor ſeroſus attrahitur à renibus, talis etiam excernitur: & hoc ſignum proponitur à Galeno in tertio de præſagio ex pulſu, capite 4. Quintum ſignum accipitur à fecibus: nam habent odorem intolerabilem, quæ indicant calorem putredinalem dominari in corpore; & aliquando, dum exeunt, habent ſpumam coniunctam, quæ ſpuma indicat maximum adeſſe in corpore feruorem; aliquando etiam feces ſunt colliquatæ, & eſt ſignum certiſſimum peſtis, vt teſtatur Galenus in tertium Epidem. commentario 3. comm. tex. 57. aliquando nigræ, aliquando virentes, aliquando citrinæ: ſed prius exeunt flaua, ac ruffa colliquamenta, deinde nigra, vt ſanguis, ac fex, vti teſtatur Galenus 4. aphoriſ. 21. ſed vt plurimum fluxus eſt cholericus: & aliquando innatat ipſis veluti pinguedo, quam noſtri vocant colliquationem. Sextum accipitur ab ijs, quæ accidunt circa ventriculum: & eſt primò nauſea continua, cui ſæpe adiungitur vomitus bilioſæ materiæ, vt dicit Galenus lib. 5. methodi, capite 12. qui vomitus diuturnus eſt, ac vehemen: & primò eſt cholericus, vltimò melancholicus, atque niger, atque aliquando ſuccedit alui profluuium: adiungitur etiam quandoque ſitis, & quandoque non, ſed appetitus omnino proſtratus. Septimum ſumitur à ſudore; nam ſolet eſſe frigidus, ac fętidiſſimus, ita, vt & ipſi ægri aliquando percipiant; & hoc præcipuè ſolet accidere circa alas, thoracem, & caput. Octauum ſumitur ab halitu oris: nam halitus ſolet eſſe fœtidiſſimus, vt ait Galenus in tertio de præſagio ex pulſu, cap. 4. quod ſignum magni facit magiſter ille Crux, ita, vt dicat ſe non alijs ex ſignis, quàm ex halitu cognouiſſe quamplurimos peſte correptos; immò gloriatur, quod poſſet ſolo odore cognoſcere, an hoc cadauer ſit mortuum peſte, necne. Sed vt ingenuè fatear hoc ſignum excedit vires humanas; & eſt potius belluarum olfactu id perſpicere: nam, vt ait Thucidides de peſte Athenienſi, multæ aues carniuoræ accedebant ad cadauera illa, & cognoſcentes, quòd peſte erant mortua, diſcedebant. Dico itaque, quòd nos non poſſumus dignoſcere peſtem olfactu; ſciatis tamen, quod halitus ſolet eſſe fœtidus præter conſuetudinem, necnon celerrimus, ac vehementiſſimus, ita, vt non reſpondeat calori extrinſecus percepto à Medico, aut ab alio, qui adſit. Nonum eſt difficultas reſpirandi, & præterea, vt ait Raſes capite 4. vocis raucedo, & ſimilis voci cornicis, vel coruii: & talis reſpirationis difficultas eſſe ſolet, vt totus thorax doleat, ita, vt dolor communicetur clauiculæ, ac iugulo. Decimum eſt oſcitatio & pandiculatio frequens: nam quando bubones peſtilentes inceperint erumpere, vel eruperint, frequentiſſimè fiunt oſcitationes, & pandiculationes. Addunt quidam pruritum narium, & cutis totius, ita, vt, qui peſte ſunt correpti, ſemper cogantur ſcalpere nares, & cutim vniuerſam; fit autem pruritus ratione putridi vaporis eleuati ad nares, & habentis aliquid nitroſi acquiſiti ex putredine, ita, vt vellicet tunicas: & hoc eſt vndecimum ſignum; quod & in vermib. puerorum ſolet accidere. Duodecimum eſt maximus dolor, ac pulſatio capitis, ita, vt ægri videantur habere in capite magnum pondus, & veluti flammam, & fiunt veluti dementes, & dolor aliquando communicatur dorſo. Decimumtertium eſt vigiliarum inſtātiam, & cum vigilijs ſæpe ſolet eſſe coniunctum delirium, vel ſemiſtoliditas, & aliquando vigilias inſequitur coma, ita, vt videantur dormire apertis oculis: ſæpe etiam in declinatione peſtilentis febris inſequitur lethargus, ad quem poſtea inſequuntur parotides peſtilentes.

Signa diagnoſtica. *1. à febre.* *2. à colore faciei.* *3. à lingua.* *4. ab vrina.* *5. à fecibus.* *6. à ventriculi accidentibus.* *7. à ſudore.* *8. ab anhelitu.* *9. à reſpiratione.* *10. ab oſcitatione.* *11. à pruritu.* *12. dolor cordis pulſatiuus.* *13. à vigilia, & mētis alienatione, ſeu conſternatione.*

14. *à ſyncope, & cardialgia.* Decimumquartum eſt ſyncope mala, & longa, cum dolore etiam aliquando oris ventriculi maximo, ac mordicatione; quod fit, quia ſtomacho communicantur mali vapores, ac humores mordicantes. 15. *à colore tumoris.* Decimumquintum eſt mutatio coloris ipſius tumoris, vt, ſi incipiat inflammatio, & ex colore rubeo fiat viridis, vltimò niger, certiſſimum eſt ſignum peſtilentis tumoris, & neceſſariò omnes morientur, in quibus apparet hoc ſignum, vt fuit ſententia Auicennæ, dum ait: Et ex eo quod ad nigredinem eſt decliue non euadet aliquis; intelligatis vos, dummodo niger ille calefiat ratione exuſti ſanguinis, non autem cruſtæ ſuperinductæ, vt accidit in gangræna, & carbunculo; quoniam tunc non omnes moriuntur. *Vlt. ab analogia.* Vltimum ſignum ſumitur ab analogia, vt ſi, verbi gratia, videritis aliquem habere tumorem paruum, & breui tempore ex eo mori, deinde cæteros eiuſdem domus, ſuſpicabimini omnes hos eſſe mortuos eodem genere morbi; ſi poſtea videritis, quòd in alia domo alius corripiatur ſimili tumore, habeatis illum eſſe peſtilentem. *Breuis enumeratio ſignorum.* Signa igitur peſtilentis carbunculi, vel inflammationis, vel cuiuſcunque alterius tumoris ſunt, febris continua cum caliditate non admodum manifeſta, nec tangenti medico, nec ægro: color cutis & faciei aliquando igneus; aliquando rubeus inclinans ad citrinum: aliquando citrinus inclinans ad fuſcedinem: lingua aliquando citrina, aliquando nigra: lotium ſubiugale, aliquando tenue, & aquoſum: fęces peſſimi odoris; aliquando ſpumoſæ; interdum eliquatę cum pinguedine ſupernatante, & coloris vel viridis, vel citrini, vel nigri: nauſea continua cum vomitu quandoque bilioſo, quandoq; ſine vomitu: appetitus proſtratio; ſudor fętidiſſimus: halitus pariter; difficultas reſpirãdi: raucedo aliquando: oſcitatio, & pandiculatio frequentiſſima: pruritus narium, & totius cutis; dolor capitis maximus: vigilia: delirium, vel ſemidelirium aliquando; interdum coma; interdum lethargus; mutatio coloris in ipſo tumore. & hæc de ſignis.

Prognoſtica. De Prognoſtico: ſemper, cum videritis hæc ſigna, pręnunciate mortem: nam licet aliqui ſanentur; pauciſſimi tamèn ſunt: eadem enim fermè omnia ſuccedunt iis, qui euaſuri ſunt, & iis, qui mori debent, vt colligimus ex vſu, & ex Galeno in 4. aphor. 21. & ideò ſemper mortem pręnunciate, & ad ægros non accedatis, & eò etiam magis debetis mortem prænunciare, quò videbitis morbum eſſe ſæuiorem, atque nouum, quia morbi noui ſemper ſunt ſæuiores illis, qui cœlo regionis iam ſunt aſſueti.

Curatio. Cognita peſtilenti lue ex proprijs ſignis; allatoque prognoſtico, conſequens eſt, vt ſtatim deueniamus ad ea, quæ aliquam opem ferre valeant: & quemadmodum aer ambiens eſt cauſa communis, & efficiens huius morbi; ſiue aer ſit corruptus propria putredine, ſiue ex admixtione putridorum corpuſculorum; ita etiam aeris primò diligentiſſima habenda eſt ratio, vt quemadmodum fuit cauſa corrumpens; ita quoque ſit cauſa conſeruans. *Aeris humiditas, & caliditas auferenda.* Verùm cum aeris corruptio, ac putredo maxima ſit, ob idque non poſſimus ipſi reſiſtere (neque enim poſſumus ſubſtantiam illam malignam oppugnare) ideo indicatur, vt inſiſtamus in remotione illius, quòd aeris corruptelam fouet, & malignam illam ſubſtantiam, quod nihil aliud eſt, quàm humiditas, & caliditas; at præcipuè humiditas, ſecundariò caliditas: quòd autem humiditas, & caliditas ſint fomentum peſtis, teſtis eſt Galenus in primo de temperamentis, cap. 4. de mente Hippocratis. Aer igitur ſiccandus eſt, & refrigerandus, & præſertim aer, vbi æger manet, & in hoc primò inſiſtendũ eſt, quemadmodum fuit ſententia Galeni in primo de differentijs febrium, cap. 4. vbi ait, quòd primum, quod nos inficit, eſt ambiens aer; & propterea ipſius quoque habenda primò eſt ratio, ne inficiat: tota enim curatio, vt ipſe teſtatur, in hoc conſiſtit, vt cauſam agentem extrinſecam imbecillam reddamus, atque corpus aptum ad reſiſtendum efficiamus, aut ad expellendum morbum iam receptum. Vnde habemus apud Galenum in lib. de Theriaca ad Piſonem, cap. 16. ſi Galeni liber eſt, quod in peſte illa, quæ graſſabatur in Aethyopia, & inde communicata eſt Græciæ, Hippocrates volens conſulere ſaluti Ciuitatum, quibus præerat, iuſſit, vt comburerentur publicè per Vrbes Corollæ illæ, quæ ex feneſtris, & domorum ianuis pendebant, vt aer expurgaretur, ſiccareturque, & ita putredo non communicaretur illis populis; ſimiliter iuſſit comburi alias res odoriferas: Et, vt intelligatis, Corollæ nihil aliud erant, quàm coronæ ex frondibus, herbiſque odoratiſſimis, vt ex lauro, myrto, &c. quæ triumphi; ornamentique alicuius gratia appendebantur feneſtris, ac ianuis; quæ conſuetudo etiam vſque ad hæc noſtra tempora ſeruata eſt; tametſi non ex odoratis herbis, ſed ex virentibus frondibus tantum, & aliquibus etiam odoratis corollæ nunc fiant, vt ſæpe vidiſtis; cum quis accipit doctoratus inſignia, vel vxorem ducit. Hippocrates igitur iuſſit vt comburerentur corollæ illæ, ne aer reciperet contagium. *Aeris correctio variè fit.* Hoc itaque exemplo, & vos moti admonebitis, vt comburantur, & præcipuè in thalamo, vbi æger eſt, aliqua ligna odorata, cuiuſmodi ſunt ligna ex cedro, iuniperina, cupreſſina, ex theda, coni pinei ſylueſtres, & ſimilia: inſpergatur

gatur

gatur acetum per totam domum, exurantur in thalamo ſantali, roſæ ſiccæ, violæ, thymiama, vulgò tigname, in officinis dicta bona eſt, & nihil aliud eſt, quàm cortex, ex quo reſudat ſtyrax liquida, quem corticem ſi exuratis, ſentietis optimum odorem: poteritis & medicamentum aliquod parare, & ipſius portiunculam ſæpe comburere ſupra carbones in teſta exiſtentes: Medicamentum autem fiat ſic.

℞. Malorum communium, vel Appiorum, vel alterius generis corticem *Suffimigiũ.*

ſiccatum
Corticum citri } añ. ℥.s.
Santalorum omnium
Roſarum rubearum } añ. ℥.j.
Camphoræ
Carabe electæ } añ. ʒ.j.
Myrtillorum
Foliorum myrti ſiccorum } añ. ℥.s.
Maceris
Ladani } añ. ʒ.j.s.
Violarum ℥.j.
Nucum cupreſſi ℥.ij.

Terantur ſimul omnia, ita, vt fiat puluis, qui puluis deinde excipiatur cum pice, & maſtice eliquata, & iſtius medicamenti comburatur portio ſupra carbones; & certè eſt optimi odoris. Repleatur quoque thalamus floribus, frondibuſque virentibus; irroretur etiam aqua roſacea, myrti, florum mali medici, in quibus bullierint gariophylli, ſantali, roſæ, & ſimilia: Et animaduertatis, ne faciatis illud, quod ſolent ineptę mulieres, quando vident aliquem correptum peſte: ſolent enim ſæpe madefacere corpus, vel aceto, vel aqua roſacea, vel alio adſtringenti liquore, & peſſimè faciunt, quoniam obſtruuntur meatus cutis: quare faciatis, vt nullo modo madeat corpus; ſed ſemper æger habeat in manu aliquod quod olfaciat, & poſſit attenuare, diſcutere, & putredini reſiſtere, necnon ſpiritus roborare: vnde probatur valde ſpongiola aceto repleta, vel decocto aliquo odorato. Et quia ſpongiola illa non ita commodè, nec cum decore ab hominibus geſtari poteſt; ideo Recentiores monent, vt ex ligno cupreſſino, vel conſimili fiat pila intrinſecus tota excauata, & perforata multis foraminibus, & intus collocetur ſpongiola: Decoctum autem, quo poteritis ſpongiolam explere, fiat hoc modo: *Cauendum, ne madefiat corpus.*

℞. Specierum cordialium temperatarum ℥. s. *Decoctum ſpongia exci piendum, & ex pila perforata olfaciendum.*

Muſci
Ambrę } añ. gr. ij.
Camphoræ gr. j.
Santalorum omnium añ. ʒ.s.
Ladani. ʒ. ij.
Vini maluatici
Aquę { Roſaceæ, Foliorum myrti, Arantiorum } añ. q.s.
Aceti parum.

Miſce, & bulliant, ita, vt fiat veluti confuſio, & hoc decocto madefiat ſpongiola. Sed ſi peſtis inuaderet hyemali, frigidoq́; tempore, faciatis, vt decoctio fiat cum medicamentis calidioribus. Si æger etiam, qui incipit pati peſtem, ſit nobilis, & diues, ſtatim, ſi fieri poſſit, aſportetur de loco, vbi eſt, ad alium magis apertum, & melioris aeris: dixi, ſi fieri poſſit, quoniam ſæpius vires ſunt imbecillæ, adeo vt melius ſit in eo loco ægrum relinquere, quàm aliò transferre: nam ex motu acceleratur ſibi mors: Vnde colligatis hinc magnam fuiſſe miſeriam & detrimentum ægrorum ſuperiori anno in hac Vrbe, quod in curru aſportarentur extra Vrbem ad locum illum publicum: nam ratione illius motus, magis imbecillæ reddebantur vires, & ſic citius interibant: Sed licet hoc malum eſſet illis ægris; ſaluberrimum tamen erat poſtea vniuerſæ Ciuitati. Talis itaque aeris habenda eſt ratio. *Deportare ægrũ in aliũ locum, vires aliquãdo prohibent.*

De cibo autem & potu nunc dicendum. Cibus igitur in iis, qui incipiunt pati peſtem, debent eſſe boniſucci, facilis concoctionis, & citi, multiq́ue alimenti, & ſemper exhibendum eſt aliquid, vt reficiantur vires, quæ imbecillæ admodum ſunt, & continuò redduntur magis: Tenuiſſimum enim victum non laudamus, quia vires vt plurimum in hoc morbo ſunt proſtratæ, & hac etiam ratione, non multum cibi pro qualibet vice eſt dandum, ſed parum, & ſæpe; quia multum cibum ob vires debiles æger non concoqueret. *De cibo & potu.*

Vnde ratione etiam imbecillitatis virtutis neceſſe eſt exhibere ea, quæ facilè concoquantur: nam ea, quæ præſtantiſſimè ſunt concocta, facilè penetrant, citoque nutriunt: & propterea iura optima ſunt, iura, dico, pullorum perdicum, phaſianorum, carnis vitulinæ, hedinæ: at carnes ſint optimè coctæ, vt earum tenuis ſubſtantia diſſoluatur in ius, & maior fiat nutritio: vnde contuſa, & eliquatæ carnes ex animalibus dictis maximè probantur. Verùm cum maſſa ſanguinea ſit infecta; adſitque putredo; idcircò ea, quæ exhibentur, non debent eſſe obnoxia putredini, ſed reſiſtere: vnde hac ratione iura ſine alio admixto non probarentur: Quare & cum iuſculis, & cum omnibus illis, quæ exhibentur, ſemper commiſceatis aliquid quod ſiccet, frigefaciat, & aliquam vim aſtringendi habeat: neque enim aſtrictio in hoc caſu eſt timenda: nam quamuis in febre ex putredine orta, ſiue ſit febris peſtilens, ſiue non, omnes fugiant aſtringentia; tamen non ita eſt faciendum in febre peſtilenti, quæ habet adiunctum bubonem peſtiferum: nam febris hæc non habet ortum ex putredine vt illa, ſed fit per contagium, & propterea non adeſt obſtructio, niſi leuis; in illa autem maior adeſt obſtructio in toto corpore, quarum obſtructionum ope febris putrida eſt excitata; ſed febris peſtilens cum bubone peſtilenti, de qua nunc loquimur, oritur ex contagio: nam aer infectus inficit tacta corpora, ſicuti pomum corruptum corrumpit aliud contangendo: quia ex corrupto efferuntur vapores, qui petunt, & ingrediuntur bonum & ipſum corrumpunt. Cum itaque hoc ſit, quòd videlicet in hac febre non adſint obſtructiones niſi paruæ; non eſt timenda aſtrictio aliqua in cibis, immò omnino eſt eligenda: nam roborat partes, & reſiſtit putredini: & ideo cum edulijs quibuſcunque commiſceatis ſemper aliquid, quod aſtringat, & ſit acidi ſaporis: Et ita cum carnibus incoquantur folia acetoſæ, pinpinellæ, ſonchi, boraginis, & ſimilia: in iuſculis autem poteritis impònere portionem ſucci limonum, vel aranciorum acidorum, vel mali medici: poteritis etiam cum cibo dare aliquid conſeruæ bugloſſi, vel roſarum, vel conſeruæ florum aranciorum, vel parum conditi ex ceraſijs acidis, vel ipſammet ceraſorum ſubſtantiam ſaccharo conditam, vel cortices citri ſaccaro conditos: panis ſit optimè coctus, ſi comedi poſſit.

Aſtringẽtia intus non eſſe formidanda.

Aſtrictionis vtilitates.

Potus.

Pro potu autèm exhibeatis aquam coctam comixtam cum ſyrupo roſato ſimplici, quo nihil melius, vel cum pauco ſyrupo de agreſta, vel de acetoſitate citri, vel cum ſyrupo de moris, vel cum ſyrupo de ſucco limonum, vel cum vino granatorum. Aliqui exhibent aquam puriſſimam, & frigidiſſimam, & hic fuit Raſes: Quod non probo in febre peſtilenti cum bubone, quoniam non eſt tantus ardor, vt tantam requiramus refrigerationem; ſed febris eſt languida, ita, vt vix calor percipiatur ab ægro, & à medico tangenti. Præterea, cum calor ſit valde imbecillus, & partes omnes relaxatæ, & debiles valde, ex tanta refrigeratione facilè extingueretur calor ipſe: & ideo ſi aqua eſſet danda, non eſſet ex frigidiſſimo, neque etiam ex calidiſſimo fonte accipienda, ſed potius deberet eſſe cocta valde, & poſtea refrigerata, vt omnis infectio, quæ poſſit ab aere communicari aquæ, per coctionem abſumatur. Alij exhibent vinum, & rectè quidem faciunt; ſed non quodlibet vinum probatur, at illud, quod quaſi non ſit vinum dicendum: nam debet eſſe pauciferum, ſubſtantiaque aquoſum, album, & habere aliquid auſteri: nam tale vinum refrigerat, leuiter nutrit, & partes, per quas tranſit, roborat. Sed dices nonne vinum quodlibet habet ſpiritus calidiores? Vtique habet, vt patet ex eo, quòd ex albiſſimo, & paruiſſimo etiam vino educitur aqua erodens per diſtillationem, tametſi non ea quantitas aquæ extrahatur, quæ ex vino potenti: & ideo dico, quod ſpiritus illi pauci admodum ſunt, ita, vt non poſſint calefacere: vel, ſi timeretis ſpiritus illos calidos; extrahatis ipſos: quod fiet, ſi imponetis in vino micam panis; & permiſeritis, vt vinum abſorbeat; deinde ſine expreſſione extraxeritis & ſemoueritis, hoc modo ſeparantur vapores calidiores à vino: Sed in vino albo paucifero, & aliquo modò aſtringenti non ſunt timendi ſpiritus illi, quare audacter exhibeatis huiuſmodi vinum. Recentiores autèm dicunt vinum eſſe propinandum in patera ex auro, cui ſit addita pars quinta argenti; & addunt, quòd mixtura talis auri cum argento debet eſſe facta à natura, non autem ab arte; ego autèm neſcio videre rationem, quomodo talis patera poſſit aliquo pactò vinum alterare, & cur quinta potius pars, quam ſexta, vel ſeptima argenti debeat eſſe; nec ſimiliter reperio rationem, cur mixtio debeat potius eſſe naturalis, quam artificialis. Aliqui etiam ſunt, qui capiunt laminam auream candentem, & extingunt in vino, quod debet exhiberi, quod & ego probo, & multo magis, ſi ferrum candens extingueretur; quia ſiccior qualitas relinqueretur in vino à ferro, quam ab auro, licet aurum ſui natura valde veneno reſiſtat, Igitur vos vel hoc modo paratum vinum, vel etiam ſine eo, quod in ipſo fuerit extinctum ferrum, vel aurum, exhibere poteritis, ſed habeat conditiones dictas. Quod autèm vinum in peſtilenti febre cum bubone

Aquæ frigidiſſ. potus nocet.

Vinum quale debeat exhiberi,

Mica panis vini ſpiritus abſorbet.

In vino poteſt extingui aurum, ſeu potius ferrũ.

bone conueniat, auctoritas eſt Galeni in nono de facult. cap. de Terris: nam ipſe ibi teſtatur, quod dabat terram quandam cum vino in febre peſtilenti cum bubone, & reddit rationem, quare daret terram cum vino; quoniã, inquit, in tali febre non adeſt magnus feruor. Vnde nos Medici anno ſuperiori cum peſtis hic graſſabatur conſuluimus rogati ab iſtis, qui præerant huic rei, vt ægris darent pro potu vinum, vt roborarentur vires ægrorum, vinum, inquam, quod eſſet album, aqueæ ſubſtantiæ, & haberet aliquid auſteri.

Obiectio cõtra refrig. & adſtringentia.

Sed diceret aliquis animaduertas, quod refrigerantia, & aliquantulum aſtringentia non videntur conuenire, & ratio eſt, quoniam in bubone peſtilenti ſanguis vt plurimũ eſt craſſus, & exuſtus, & ideo ſi addamus refrigerantia, quæ ratione frigiditatis aſtrictionem aliquam habent, craſſiorem reddemus ſanguinem. Præterea, in febre peſtilenti cum bubone ſemper adeſt virium imbecillitas, & idcirco indicatur, vt cibos eos exhibeamus, qui citò conficiantur, citoque permeent, & nutriant: hoc autem non fiet, ſi cum edulijs admiſcebimus refrigerantia, aſtringentiaque: nam cibus reddetur compactior, & ita tardius concoquetur, & concoctus tardius perueniet ad membra nutrienda, & ſic non reficientur cito vires imbecillę. Dico ego nulla ratione eſſe timendam admixtionem eorum, quæ poſſint aliquo pacto aſtringere, quia talia ſunt etiam acida; acidi autem eſt incidere; & ideo licet non exobſtruant; tamen ſunt in cauſa, vt nec etiam fiant obſtructiones; quoniam, vt dixi, habent vim incidendi: & ſi etiam craſſefacerent ſanguinem parum admodum, id poſſunt facere. Præterea etiam, ſi craſſefacerent, parum obeſſet: nam maior, ac præcipua indicatio eſt, vt reſiſtamus putredini: nam magis vrget, quàm craſſities ſanguinis; quinimò craſſities ſanguinis videtur, quòd magis prodeſſet, quàm obeſſet, quia ſi ſanguis redderetur craſſior ſpiritus putridi non ita facile perfunderetur per totum corpus, & ita minus offenderentur partes, & robuſtiores eſſent: nam incraſſata materia, quæ eſt in venis ex vſu refrigerantium, & ſiccantium, additur ipſi frenum, ne ita furioſa feratur. Addatis, quòd admixtio refrigerantium, & aliquo modo aſtringentium facit ad robur partium; in hac autem febre cum peſtilenti bubone nihilo magis egemus, quàm robuſtis viribus. His præmiſſis, reſpondeo ad rationes, & primò ad primam, cum dicebatur: quando ſanguis eſt craſſus, non ſunt exhibenda ea, quæ ipſum magis craſſum reddunt: ſed in febre peſtilenti cum bubone eſt ſanguis craſſus: ergo non ſunt exhibenda, quæ aſtringunt: Dico, quòd hæc ratio præſupponit vnum falſum, nimirum, quod in peſtilenti bubone ſit ſanguis craſſus: nam ſæpe etiam peſtilentes bubones fiunt ex materia tenui, vt fuit ſententia Galeni in libello de cibis boni & mali ſucci, cap. primo, vbi loquens de bubonibus peſtilentibus dicebat ſic: Sed aliquando rufiorem, ſeroſiorem, nimiſque acrem reperimus: Loquitur enim de ſanguine, qui egrediebatur, dum ſecabat venam. Itaque patet in bubonibus peſtilentibus eſſe aliquando ſanguinem tenuiſſimum. Ad alteram rationem, quæ erat, quòd aſtringentia impediunt alimentum, vel cibum concoctum, ne deducatur ad membra, & nutriat: Dico hoc eſſe falſum, quia nos exhibemus cibaria non craſſæ ſubſtantiæ, ſed tenuis, vt oua ſorbilia, iura & ſimilia; hæc autem, etiam ſi habeant admixtum aliquid, quod refrigerando aſtringat, non tardius concoquuntur, diſtribuunturque per membra nutrienda: nam præterquam quod pauca eſt aſtrictio, habent etiam vim ſiccandi, cuius ratione ſi non exobſtruant, nec etiam obſtruunt, vt etiam ſupra diximus.

Soluuntur.

Aliqua craſſefactio prodeſt.

In bubonib. ſanguis aliquando tenuis eſt.

Leuiter refrig. & adſtring. coct. & diſtribut. non impediunt.

Controuerſia de sõno & vigilia.

His determinatis, & præmiſſis hoc modo; ſuccedit, vt dicamus de ſomno, & vigilia, in qua re diſſenſio & controuerſia eſt inter Recentiores: nam aliqui volunt quòd melius ſit permittere, vt peſte correpti ſemper vigilent, & quòd, ſi non vigilent, eſt curandum, vt vigilent: Alij è contra, quòd debent dormire, quantum voluerint, & quòd ſibi conciliandus omnibus modis eſt ſomnus, ſi non aderit. Vnde retulit mihi quidam fide dignus vir, qui in hoc gymnaſio honeſto ſatis in loco profitetur, quòd, cum aliquando fuiſſet peſte correptus, curatus eſt atroci, & beſtiali, vt ita dicam, curatione à fęmella quadam, quæ ſibi permittebat, vt dormiret, quantum vellet. Curandi autem modus fuit talis: cum incepiſſet vir iſte pati peſtem, nondumque oborti eſſent bubones, fęmella illa accipiebat allium, & contundebat, & ipſo contuſo fricabat optimè quater, quinquies & ſepties in die tempora huius viri, arterias circa carpum, circa taloſque. vnde accidit, vt valida accenſa ſit febris, & mox duo oborti ſunt bubones; & tandem liberatus eſt vir iſte. Igitur, vt dixi, lis eſt & quidem magna, nunquid peſte correpti debeant ferè ſemper dormire, an vigilare? In qua re duæ, vt diximus, ſunt ſectæ, & vtraque rationibus apparentibus valde nouetur.

Argumenta pro ſom.no.

Ea enim, quę commendat ſomnum, argumentatur hoc modo: Somnus eſt cõtrarius vigilijs; vigiliæ autem ſolent affligere correptos peſtilenti bubone: cum igitur hoc ſit,

melius

melius eſt, vt æger dormiendo contrahat habitum, ne incidat in vigilias, quæ maximè ſolent obeſſe. Secundò, ſomnus humectat & refrigerat: in bubone autem peſtilenti timemus calefactionem, & ſiccitatem totius corporis, quia debilitant vires: ergo ſomnus eſt admittendus, & concedendus; non autem vigilia, quia vigilia calefacit & ſiccat. Tertiò, vigiliæ diſſipant ſpiritus, & vires: ſomnus verò roborat vires, fouetque ſpiritus: in bubone autem peſtilenti ſemper adeſt virium imbecillitas, quemadmodum fuit ſententia Auic. in 1.3. cap. de epilepſia, & de cura memoriæ corruptæ, vbi etiam ait, ꝙ vigilia eſt noxia in affectibus cerebri, quia replet cerebrum, & repletionem conſequitur cerebri imbecillitas: capitis autem repletio nocet in peſtilenti morbo: ergo vigilia eſt fugienda: Cum itaque in tumoribus peſtilentibus timeamus valde virium imbecillitatem, & vigiliæ ſint in cauſa debilitatis, ſequitur, quòd ſomnus, non autem vigilia erit peſte correptis concedendus, hæ ſunt rationes huius ſectæ.

Rationes pro Vigilia. Altera verò contrà probat vigilias eſſe concedendas, & non ſomnum, his rationibus: In bubone peſtilenti ſolet accidere coma vigil, lethargus, & ſimilia grauia ſymptomata, quæ non poterimus euitare, ſi admittamus ſomnum: & ideo, vt non incurrat æger in hæc, & tandem in mortem, eſt melius, vt ſibi concedatur vigilia, quàm ſomnus. Secundò, in venenoſa materia non eſt concedendus ſomnus, vt inquit Auicenna in curatione aſſumpti veneni, ſiue venenum fuerit per os aſſumptum, ſiue ex ictu viperæ fuerit in corpus receptum: nam venenum ratione ſomni ſpargeretur per totum corpus: ſed in febre peſtilenti cum bubone eſt materia venenoſa, ergo, &c. Tertiò, in ſyncope humorali non eſt concedendus ſomnus, vt inquit Auicena fen. 11. lib. 3. & 3. primi: nam ſanguis ex ſomno concentratur ad partes interiores, vt etiam Hipp. in 6. epidem. ſec. 5. fatetur dicens, ſanguis in ſomnis magis ad interiora refugit, hocque confirmat Galenus in commento illius textus: ſi ergo in ſyncope nos euitamus ſomnum: ergo & in bubone peſtilenti eſt vitandus: nam ſæpe in tali morbo accidit ſyncope. Quartò, Galenus in 4. aphor. 67. inquit, quòd in ſomno humores ſolent conuerti in ſpiritus, ideſt, vapores: nam retracti ad partes interiores magis incaleſcunt; calefacti valde generant malos vapores, qui facilè, & magis etiam petunt caput, ſi igitur in peſtilenti bubone concederetur ſomnus, ſequeretur, quòd generarentur multi vapores putridi, qui petentes caput poſſent generare phrenitidem, vel coma vigil, vel ſubeth, vel conſimilem aliam affectionem, & tandem mortem. Quinto, Galenus in eodem loco dicit, ſomnus in morbis exitialibus aliquando facit labores, timores, & conuulſiones: ſed bubo peſtilens dubio procul eſt morbus exitialis: ergo ſomnus in ipſo non eſt concedendus; alioqui poſſet inſequi conuulſio, vel aliud incommodum. Sexto, & vltimò, omnes practicantes mandant, vt æger correptus morbo peſtilenti, non dormiat: ergo ſomnus non conuenit. Quare, vt videtis, vtrinque ſunt anguſtiæ: & certè difficultas hæc eſt magna, & magni momenti.

Auctores iudicium. Ego tamen mediam quandam viam inſequor, ita, vt nec ſomnum, nec vigiliam omnino concedam: nam quandoque vnum, quandoque alterum conuenit: quandoq; non: ad vtrunque enim aliquando ſolent inſequi ſymptomata grauia, vt ad ſomnum coma vigil, lethargus, & ſimilia; ad vigiliam autem phrenitis, & huiuſmodi: & ideo oportet Medicum diligenter conſiderare, ac præuidere, quæ commoda, quæque in commoda ad ſomnum, & ad vigiliam inſequantur, & tunc probè ſciet, vtrū magis eorum conueniat. Videamus ergo commoda, quæ ſolent conſequi ex ſomno. *Commoda ex ſomno.* Primum igitur commodum eſt, quòd vis animalis ægri in ſomno quieſcit; Secundum, naturalis facultas in ſomno viget, & concoquit: Tertium, viſcera exercitantur, & optimè agunt ſua munera; Quartum, calor naturalis viſcerum intenditur; Quintum, ſanguis & calor omnis retrahitur ad interiora ex ambitu totius; ſextum corpus humectatur; ſeptimum & vltimum ſitis omnis extinguitur: hæ ſunt vtilitates, quas æger ſolet accipere ex ſomno. *Quibus caſibus prouocandus.* Et propterea, quotieſcunque videritis, quòd æger incipit pati vigiliam, non ſolum debetis permittere, vt dormiat, ſed etiam prouitare ſomnum. Similiter, ſi videatis corpus totum ſtatim exſiccatum, vt ſolet accidere (nam duobus, aut tribus diebus corpus à febre peſtilenti abſumitur) cum, inquam, corpus exſiccatum videritis, & timebitis delirium, concedatis, conciliètiſque ſomnum. Pariter, ſi vires erunt proſtratæ, neceſſariò indicatur ſomnus, quare in his caſibus concedendus eſt ſomnus conciliandusque, ita, vt aliquando non inconueniens ſit vti opiatis vel exhibendo per os, vel venas temporum liniendo. *Quando prohibendus.* Contrà autem, ſi aderit lethargus, coma vigil, ſyncope, &c. nullo modo eſt concedendus ſomnus; immò, ſi aderit, remouendus erit, etiam ſi vires debiles forent: nam maius eſt commodum, quod inſequitur in hoc caſu ex vigilia, quàm incommodum, & hæc ſint ſatis de ſomno deque vigilia.

De

De reliquis non naturalibus.

De motu autem & quiete nihil dico; quia, cum motus imbecilles reddat ſemper vires, nullus alius motus eſt ægro concedendus, quàm vt mutet locum, & ex infecto ad ſalubrem eat: & propterea opus eſt, vt nec etiam è lecto ſurgat egerendi gratia ſed ſubijciatur ipſi vas aliquod, vt poſſit ſe exonerare; & certè melius erit. Aluus ſit continuò lubrica, & ideo bonum erit quotidie lenire aluum clyſtere, quod humectet, refrigeretque, quale eſſet clyſtere ex decocto violarum, melle roſaceo, cum luteo oui, & pauco ſale. Venus eſt omninò ſugienda, ſicuti etiam repletio ciborum, & potus, ſed parum & crebrius cibetur æger pro virium ratione. Animi affectus effugiat quantum fieri poſſit: ſed hoc videtur impoſſibile: nam quis eſt, qui poſſit læto eſſe animo, cum videt ſe deſeri à ſuis amicis, affinibus, & cognatis, vel modò patrem modo fratrem interire, modo Magiſtrum Crucem campanulo & curru cadauera extra aſportantem accedere? certè non niſi fatuus: quantum tamen fieri poteſt, lætus ſtet æger. *Magiſter Crux erat miniſter quidam Præfectorum ſanitatis eo tempore, quando peſtis graſſabatur Patauij, & optimè dignoſcebat peſte infectos.*

Lis de venæ ſectione in bubone peſtilenti difficilis eſt.

Pro curatione bubonis peſtilentis primum, quod occurrit, eſt, vt videamus, quid obſeruandum ſit in euacuatione, & præcipue ea, quæ fit per ſectionem venæ: In qua re principio ſe ſe offert quæſtio ſatis difficilis, & multi momenti, an videlicet in bubone peſtilenti ſit ſecanda vena, vel bubo ſit in principio vel in augumento, vel in ſtatu? Partiti ſunt hac in re Auctores, &, vt dixi, difficultas magna eſt, & quod difficultatem maximam facit, eſt, quoniam videmus, quòd ſectio venæ in peſtilenti bubone aliquando prodeſt, aliquando obeſt, idipſum etiam eſt illud, quod difficultatem facit in pleuritide, an videlicet eiuſdem lateris, an oppoſiti ſecanda ſit vena? nam videmus, quòd ſectio venæ eiuſdem lateris interdum prodeſt, interdum obeſt: ſimiliter & ſectio venæ lateris oppoſiti. Eodem modo, cum videamus, quòd bubo peſtilens aliquando bene ſuccedat ex ſectione venæ, aliquando malè, maximam parit nobis difficultatem, & tres hac in re ſunt opiniones. Aliqui igitur ſunt, qui dicant, quod in bubone peſtilenti (ſiue ſit, in principio, ſiue in augmento, ſiue in ſtatu) ſemper ſit ſecanda vena, moti primò auctoritate Galeni, qui in lib. de venæ ſectione cap. 9. & in 4. de morbis acutis cap. 19. dicit, quòd, cum morbus eſt vehemens, pendetque à materia humorali, ſecanda eſt vena: quod etiam videmus obſeruatum fuiſſe ab omnibus in morbis magnis humoralibus, & inter cæteros in carbunculo non peſtilenti: qui ſi malignus ſit, nemo erit, qui non ſecet venam, quoniam pendet à materia humorali; eſtque vehementiſſimus morbus. Si hoc igitur verum eſt, ſequitur neceſſariò in bubone peſtilenti ſecandam eſſe venam, quoniam pendet à materia humorali, & preterea acutus morbus eſt. Arguunt ſecundò auctoritate eiuſdem Galeni in 11. methodi cap. 13. & 14. vbi ait, quòd in omni febre putrida, immò in omni magna putredine datur indicatio de ſectione venæ quoniam refrigeratur ſanguis, & aufertur occaſio maioris putredinis, ſi aliud non fieret: ſed ſic eſt, quòd in bubone peſtilenti adeſt putredo, febris quin etiam continua; ergo indicatur ſectio venæ, non tantum ratione morbi, hoc eſt bubonis, quantum etiam ratione febris. Tertio, in bubone peſtilenti, qui cum ſemper coniuncta eſt febris, adeſt obſtructio: igitur ſecanda eſt vena: nam licet obſtructio non ſit primò facta ex corruptione humorum; tamen ex contagio corruptus eſt ſanguis; corruptionem ſecuta eſt exuſtio ipſius, & ita craſſus, & melancholicus per exuſtionem factus ſanguis potuit etiam obſtructiones facere: igitur ſecanda eſt vena, ſaltem vt auferantur obſtructiones, ne procedat corruptio: nam in febre ex obſtructione facta, ſecanda eſt vena, etiam ſi non adſint ſigna plenitudinis, teſte Galeno lib. 8. meth. cap. 4. Quarto in bubone peſtilenti ſæpius apparent ſigna abundantiæ ſanguinis: ſigna autèm ſunt, quod lotia apparent rubra ſimul, & craſſa, cum opacitate quadam: ergo indicatur ſectio venæ, ſaltem ad præſeruationem: in omni enim plenitudine timenda eſt corruptio, & ſanguinis accenſio. Quintò Auicenna, in 1. 4. inquit: in febre peſtilenti dominante ſanguine ſeca venam. Raſis etiam in lib. de peſte, capit. 6. licet non loquatur de bubone peſtilenti, ſed de febre peſtilenti; tamen dicit ſecandam eſſe venam: idipſum confirmat Paulus lib. 2. capit. 36. ex ſententia Rufi; idem Auenzoar lib. 3. Theor. tract. 3. colligitur itaque, tùm auctoritate, tum vſu recentiorũ, bonum eſſe ſecare venam in bubone peſtilenti, immò neceſſariò eſſe ſecandam, ſiue bubo incipiat, ſiue augeatur, ſiue in ſtatu ſit: Alij dicunt quòd incipiente bubone peſtilenti non eſt primò ſecanda vena; ſed quædam alia agenda.

Probatur venæ ſectio.

Refellitur ab auctor venæ ſectio in feb. peſt. cũ bubone.

Ego autem dico quòd nec in principio bubonis peſtilentis, nec in augumento, nec in ſtatu eſt ſecanda vena; non nego tamen, quòd in febre peſtilenti pura, ſine bubone non ſit ſecanda, licet etiam in hoc ſit aliqua difficultas diſcutienda ab excellentiſſimis iſtis Practicis: nam non de hac febre loquimur nos; at de bubone peſtilenti, qui ſemper habet

con-

coniunctam febrem; & in hoc dicimus non eſſe ſecandam venam: Nam ſecare venam in hoc morbo eſt interficere ægrum: vnde credo ego, quòd omnes, quibus anno ſuperiori, dum peſtis hic graſſabatur, fuerit ſecta vena, ſint mortui: qua de re licet exemplum non habeam, quod poſſim proponere; tamen plurimi, & fide digni homines ſunt, qui dicunt, quòd in magna illa Italiæ peſte, quæ fuit anno à Natiuitate Domini, 1528. nulli ex ijs, qui ſuperfuere, fuit ſecta vena, & quòd nullus eorum, quibus fuit ſecta vena, viſus eſt euaſiſſe. Quare ſum in hac firma ſententia, in bubone peſtilenti non eſſe omnino ſecandam venam.

Reſpondetur ad aphoriſmum Hipp. Sed qui dicunt conuenire ſectionem venæ, adducunt pro ſe auctoritatem Hippocratis in ſecundo aphor. 29. vbi ait: Inchoantibus morbis, ſi quid videtur mouendum, moue: ideo dicunt iſti: cum videamus in bubone peſtilenti plenitudinem ſanguinis, cacochymiamque, indicatur in initio ſectio venæ. Verùm authoritas illa eſt potius contra ipſos: nam inibi Galenus in commentario dicit dictum Hippocratis eſſe intelligendum in morbis ſalubribus, non autem in morbis mortalibus; bubonem autem peſtilentem eſſe mortalem nemo eſt, qui dubitet.

Addunt etiam, quòd ſæpius viderunt patientes bubonem peſtilentem, in principio tamen, habuiſſe vires validas: ergo, dicunt, cum conſentiat virtus, morbuſque ſit magnus, neceſſariò ſecanda eſt vena. Dico ego mendacium eſſe ſupra omnia mendacia, quòd in bubone peſtilenti conſentiat virtus: rariſſimè enim accidit, quod alicui incipiẽti pati bubonem conſtent vires. Sed omnes ferè habent vires proſtratas: quod etiam probabo. Scire itaque debetis, quòd triplex imbecillitas virium, vel ex triplici cauſa

Triplex virium imbecillitas. prouenit: Prima imbecillitas eſt, quæ fit ratione multitudinis humoris aggrauantis, & fere ſuffocantis arterias, & facultatem viſcerum, & præcipuè cordis, vt cum adeſt in corpore plenitudo, facultas cordis, & aliorum viſcerum redditur imbecilla ob pondus: nam quaſi ſuffocantur inſtrumenta facultatis, quæ inſtrumenta nihil aliud ſunt, quàm ſpiritus ipſi. Altera imbecillitas eſt, quæ fit per reſolutionem ob defectum alimenti, vt cum reſoluuntur ſpiritus, & non adeſt materia, ex qua poſſint continuo reparari, ſequitur, vt facultas reddatur imbecilla, ſicuti languida redditur flamma in lucerna, ob defectum olei, ita etiam imbecillæ redduntur vires, cum non adeſt bonus ſanguis, ſed inanitæ ſunt venæ, aut potius plenæ aqua, aut malo ſanguine, quo non alitur cor, ac reliqua membra: non enim inconueniens eſt exiſtimare, quòd venæ ſint plenæ malo humore, aut ſeroſa ſubſtantia, & tamen reſoluatur virtus vitalis ob defectum alimenti: cum illud, quod non ſit proportionatum, non attrahat, nec eo nutriatur: & hæc imbecillitas vocatur imbecillitas reſolutionis, quæ fit, vt dixi, ob defectum materiæ, & illa, quæ accidit in morbis diuturnis: illa uerò prior dicitur imbecillitas aggrauationis. Tertia imbecillitas eſt, quæ prouenit ratione uenenoſæ qualitatis; quæ qualitas à tota ſubſtantia contraria eſt facultati, formæque viſceris & in ipſam primò agit, non autem in ipſius inſtrumenta, hoc eſt, in ſpiritus; & ita poteſt eſſe talis imbecillitas in corpore, non tamen adeſſe ſpiritum reſolutionem, nec pleniudinem; & ad hanc malignam qualitatem reuocatur aliquando, qualitas illa, quam humores contrahunt ex putredine, ſicuti acredo, quia acrimonia etiam humorum aliquando putredinalis ſtimulat cor, & eſt in cauſa imbecillitatis.

In Bubone peſt. incipiẽte vires imbecilles ſemper eſſe, & quomodo. Hoc ſtante, dico, quod incipiente bubone peſtilenti licet poſſit eſſe, quod nõ adſit imbecillitas aggrauationis (nam poteſt non adeſſe plenitudo) tamen impoſſibile eſt, quin adſit imbecillitas reſolutionis, & facta ratione venenoſæ qualitatis: cum enim dicamus, dicantque & ipſi in bubone peſtilenti corruptam eſſe maſſam ſanguineam, & corruptelam eſſe in magnis uenis, neceſſarium eſt fateri, non adeſſe in uenis bonum alimẽtum, quod partes poſſint attrahere, & ita adeſſe imbecillitatem reſolutionis: nam & ipſi concedunt corruptelam, quæ contagio acquiritur, eſſe in uenis, non autem extra uenas. Igitur cum corruptus ſit ſanguis, neceſſe eſt, ut deficiat alimẽtum, quo uires poſſint foueri. Non negabunt etiam ſecundò, quòd in tumore peſtilenti adſit uenenoſa qualitas, quare neceſſariò in bubone peſtilenti eſt imbecillitas proueniens ex reſolutione, & uenenoſa qualitate, & quandoque etiam imbecillitas aggrauationis, quæ ex plenitudine ortum habet. Immò dico, quòd in hoc morbo uires poſſunt reſolui his tribus modis, à multitudine, à reſolutione, atque mala qualitate, licet in peſte ut plurimum à duabus ultimis reſoluatur, ſcilicet, à reſolutione, ſeu ex defectu alimenti, atque à malignitate: Nunquam enim fit, quòd in peſte, infecto ſanguine, non imminuatur alimentum particulis ipſis. Similiter nunquam accidit, quòd in peſte ſtatim malignitas non offendat cor, ſaltem aliqua ex parte, præcipuè, cùm uideamus ſignum, materiam ſcilicet trãſmiſſam à principe parte ad emunctorium; cum tamen fieri poſſit, quòd nulla adſit multitudo, Sed uelint, nolint, opus eſt, ut concedant, ſi nulla adſit multitudo, quod non mittendus

Digitized by Google

tendus eſt ſanguis; quamuis ille dominetur, id eſt, tota maſſa; quæ reperitur, plus ſanguineæ ſubſtantiæ habeat, quam reliquorum humorum, quamuis neque ipſius adſit maxima quantitas.

Neque in bubone cũ plethora ſanguinem mittendum.

Iam probo quod neque ſi adſit multitudo mittendus eſt ſanguis: nam ſi multitudo eſt cum cacochymia, certum eſt ſanguinem non debere mitti, & ratio eſt, quoniam illud, quod paucum eſt, ac probum in maſſa, ſeruat uires: Secundò illud, quòd uenenoſius tranſmittitur, recurret ad uenas, ac in corpore ſeruabitur, ſi uerò multitudo eſt bona, id eſt, ex ſanguine bono, dico, quòd, cum per omnes conſter, talem putredinem concipi non in extremis venis, ac minutiſſimis; ſed in magnis, ac cauis, tota fermè maſſa corrumpitur, panimque ſanguinis relinquitur, quod nutriat, ac ſit opportunum; & tunc, ſi mittamus ſanguinem, ſimul minima illa quantitas ſanguinis boni euacuabitur, atque ea ratione iugulabitur homo.

Sed tantum ſi tota maſſa corrupta ſit.

Sin autèm conſtaret totum ſanguinem eſſe penitus corruptum, neque ſolidas partes nutriri, niſi ex ſecundis ac proprijs humiditatibus certe tunc mittendum eſſe ſanguinem iudicarem, atque maxima quantitate, vt fermè totus euacuaretur, aut ſaltèm magna pars: Quam rem mihi videtur obſeruaſſe Paulus lib. 5. cap. 2. de cura venenoſorũ ictuum qui in principio cõmendat attractionem ad locum affectum; poſtea, cum venenum iam occuparit totum corpus, atque infecerit totum ſanguinem, mandat vt mittamus ſanguinem, quaſi quod velimus iam totam materiam euacuare: Quod conſtat in morſu canis rabidi, in quo cum ſenſim, ac ſenſim ſerpat Paulus non mittit ſanguinem, neque Raſis, neque Aliabbas, neque Aetius, quamuis Auicenna contrarium agat, ſed non ſine reprehenſione. Quare ego vnum tantum concederem tempus mittendi ſanguinis, cum conſtat totam penitus maſſam eſſe corruptam, nec quicquã vtilis in venis contineri: quod difficillimum eſt cognitu, raroque accidit cum vita. Adderem & aliud tempus, cum bubo iſte penitus intrò retrahitur, & retrocedit, vt ſæpe accidit, tunc omnino ſecarem venam, quoniam non adeſt amplius illud, quod impediebat venæ ſectionem, & erat, ne ſanguis corruptus ex commotione retraheretur ad partes interiores: cum enim ſit iam retractus, non adeſt amplius ſuſpitio, quòd retrahatur.

Item ſi bubo retrahatur.

His duobus caſibus exceptis, nunquam ſecanda eſt vena in bubone peſtilenti: primò, quia vires vt plurimum non conſtant: ſecundò, quia aufertur frenum illius, quod corruptum eſt; tertiò, quia diſtrahitur natura à ſua actione: ideo ſequitur oppoſitum illius, quod optamus: nam ratio, propter quam ſolemus venam ſecare, eſt, vt euacuemus illud, quo natura diſtrahitur à ſua operatione, vt ex onerata validius agat in morbum ipſum. Vnde tutius eſſe crederem in reliquis omnibus caſibus aut incipiente, aut iam facto bubone; non mittere ſanguinem, quam mittere; cum nihil proſit, & multum obeſſe poſſit, quum actionem tentatam a natura impedimus, aut ipſam ad actionem illam acceleramus; cum tamen talem violentiam perferre non poſſit: ſed potius refugiendum eſt ad illa, quæ venenum è corpore euacuent, atque ſua natura illud extinguant, qualia ſunt plura antidota. Vnde dicebat Galenus in 9. de ſimpl. medic. facult. cap. de terris, quòd nullus ex ijs, qui non aſſumpſerant bolum Armeniacum, ſanatus eſt in illa peſtilenti contagione ſuorum temporum, quamuis omnia, quæ agi potuerint, fuerint acta: ergo ad alexipharmacum eſt confugiendum.

Antidota pro venæ ſectione eligenda.

Supereſt modò vt reſpondeamus rationibus dicentium, quòd ſtatim in principio ſecanda eſt vena. Fuit prima ratio talis: In omni morbo magno conuenit ſectio venæ: bubo peſtilens eſt morbus magnus, ergo ſecanda eſt vena. Ad hoc negatur conſequentia, quia non valet abſolutè: morbus eſt magnus, ergo conuenit venæ ſectio: nam à magno morbo abſolutè indicatur magnum, & exquiſitum remedium: at miſſio ſanguinis parua quantitate dicitur quidem ſanguinis miſſio; non tamen remedium magnum, ſed ſi dicerent: morbus eſt magnus, ergo indicatur magnum remedium, vtique teneret conſequentia. Ergo ſequitur quod ab alio indicetur miſſio ſanguinis, quid igitur hoc erit? Humor multitudine, aut qualitate peccans, qui ſui etiam euacuationem indicet: qui, ſi multus ſit, & multam indicat euacuationem: & propterea vacuatio indicatur ab humore, qui non poſſit alterari; ſicut euacuatio cita indicatur à celeritate morbi; & multa euacuatio a multitudine materiæ peccantis: atque ea ratione intelligendus eſt Galenus; aliter eſſet in errore. At dicet aliquis: in peſte datur indicatio euacuandæ materiæ venenoſæ, quæ euacuatio indicatur etiam cita, quia ſerpit; & magna, quia materia illa multa eſt; ac in venis profundis. Reſpondeo eſſe verum; ſed addenda eſt clauſula addita à Galeno, quod magnus morbus indicat miſſionem ſanguinis, ſi conſtant vires: hic autem non conſtant vires, ergo non eſt mittendus ſanguis: quod ab eodem confirmatur in commento 29. 2. aphor. cùm dicat in exitialibus morbis non mittendum eſſe ſanguinem:

Enodatio argumẽtorum pro venæ ſectione.

guinem : hocque ob vires, quæ non ferunt : Et ſciatis, quòd rariſſimè accidit, vt in bu-
bone peſtilenti etiam incipiente conſtet virtus. Altera ratio erat : In bubone peſtilenti
adeſt putredo, ergo ſecanda eſt vena. Dico, quòd licet adſit corruptio; tamen non eſt
ſecanda vena; quoniam non poſſumus euacuare, quod corruptum eſt, niſi ſimul & ſe-
mel educamus illud quod bonum eſt, cum autem bonum ſit paucum, nihil ferè boni ſan
guinis remaneret, & ita auferretur frenum illius, quod eſt corruptum, & augeretur cor
ruptio. Præterea, cum ſemper adſit præſens virium imbecillitas, ſi educeremus pau-
cum illum bonum ſanguinem, iugularemus ægrum. Tertia ratio erat : Adeſt obſtructio
ergo conuenit ſectio venæ, vt ſaltem auferantur obſtructiones, ſicuti etiam conuenit in
febre peſtilenti ſine bubone. Negatur, quod in bubone peſtilenti adſit obſtructio. Di-
cebant: adeſt corruptio : corruptio auget calorem, & ita exuritur, & craſſeſit ſanguis ita,
vt poſſit obſtruere. Dico, quòd maxima requiritur exuſtio ad hoc, vt ſanguis vertatur
in melancholiam, & obſtruat; ſed in bubone vertitur potius in bilem, & ita ſanguis bi-
lioſus non obſtruit : Addatis, quòd non omnis febris peſtilens fit ex obſtructione, immo
in nimia raritate meatuum aliquando reperitur. Præterea, non animaduerterunt iſti;
quòd bubo peſtilens & peſtis ipſa poteſt aliquando eſſe cum deperditione virium ſine fe
bre, licet rariſſime hoc accidat; accidit tamen interdum, vt fuit ſententia Hipp. & Ga-
leni in 3. comment. in tertium Epidem. 59. & Galeni in 9. de facult. ſimpl. cap. de terra
ſamia. Ad auctoritatem Pauli, & Aetij de mente Rufi, dico; quòd loquuntur de præ-
ſeruatione, non autem de curatione: in quo caſu & ego concedo ſecandam eſſe venam;
neque enim tunc adeſt putredo, aut virium imbecillitas; & ideo ſectio venæ proderit :
nam refrigerabitur totus habitus; & redditur corpus minus obnoxium huic morbo, &
hoc pacto Raſes lib. 3. continentis interpretatur verba Rufi, vbi nullam facit mētionem
ſanguinis mittendi in ægrotantibus, niſi in variolis, in quibus illam accuſat, cum iam
variolæ eruperint. Ad auctoritatem Raſis in lib. de peſte, dico, quòd non loquitur de
bubone peſtilenti, at de febre peſtilenti : & ſi etiam loqueretur de bubone, eſſet mihi ſu-
ſpecta eius auctoritas, quoniam in 3. continentis loquens de bubone peſtilenti nullam
facit mentionem de ſectione venæ; & ideo ſuſpicor, quòd Græculus ille, qui tranſtulit,
aliquid fortaſſe de ſuo addiderit. Auctoritas etiam Auicennæ eſt mihi ſuſpecta, nec
eam probo.

Concluſio. Colligatis igitur in bubone peſtilenti, vel incipiente, vel augeſcente nunquam eſſe ſe-
candam venam, niſi in duobus caſibus ſupra dictis : nam ſi incipientibus bubonibus gal
licis nullus eſt, qui ſecet venam; immò omnes coarguimus tonſores iſtos, qui hoc fa-
ciunt : nam ſanguis ille corruptus retrahitur ad hepar, & ad corpus totum: tanto minus
eſt ſecanda in bubone peſtilenti, ne venenoſa materia retrahatur per corpus vniuerſum
& hæc de ſectione venæ.

De Purgatione. Sequitur modo de purgatione, quæ eſt etiam magni momenti, & de ipſa etiam eſt
controuerſia non parua : nam Empirici iſti medici gloriantur, quod multos ſanent per
exhibitionem medicamentorum purgantium, & exhibent non ſolum ſcammonium, &
conſimilia; ſed etiam præcipitatum, & validiora, ſi habeant, ita, vt non ſolum purgent
per ſeceſſum; verum etiam proritent vomitum aliquando, & afferunt multa exempla
eorum, qui ſanati ſunt per exhibitionem medicamentorū purgantium; & maximè qui-
dem purgantium, vt infra dicam. Sed eorum opinio eſt contra omnem rationem, &
Rationes contra purgationem. aduerſatur ſententiæ omnium Rationalium Medicorum, qui incipiente, vel augeſcen-
te bubone peſtilenti, dicunt non conuenire exhibitionem medicamentorum ſiue lenien
tia, ſiue purgantia ſint, primò, quia, cum vires ſint imbecillæ, non ferunt purgationes.
Secundò, quia, cum in bubonibus peſtilentibus adſit vt plurimum fluxus ventris colliqua
tiuus, ſi exhibeantur medicamenta purgantia, natura redderetur vſque adeo imbecilla, vt
timendū eſſet, ne, proritata a medicamēto, æger ex toto colliquaretur. Tertiò dicunt, non
eſſe exhibēda pharmaca, q̄a pharmaca vt plurimū calida ſunt, vt teſtatur Gal. 1. aphor. 24.

Diluuntur, & refutantur. Sed iſti decipiuntur, quoniam quamuis imbecilla ſit virtus; tamen, remanente in cor-
pore prauo humore, magis debilitabitur, quam à violentia medicamenti purgantis vnde
maior ſemper ſequetur vtilitas, quàm damnum : Ideo rectè plurimi empirici exhibent
pharmaca, incipiente &̄ bubone, quantumcunque virtus ſit debilis, dummodo æger non
ſit in eo ſtatu, vt reddat animam : tunc enim non eſt exhibendum pharmacum : ſed, niſi
moriatur, ſemper exhibent pharmacum, & ſæpiſſime cum felici ſucceſſu, quamuis virtus
eſſet valdè debilis: quoniam debilitas illa oritur ratione venenoſæ materiæ, qua euacua-
ta per pharmacum, virtus reficitur. Ad ſecundam rationem dico, quòd obſeruatum eſt,
laborantes bubone peſtilenti pati fluxum ventris ob feruorem atque putredinem, quæ
continuò in humoribus reperitur, quæ putredo ſi auferatur cū medicamento purgante

humorem

humorem putreſcentem, ſtatim ceſſat fluxus: Rationabile enim eſt, vt facultas retentrix viſcerum fuerit debilitata ob feruorem, atque propter materiam venenoſam: & propterea, educta materia illa, roborabuntur viſcera, & ſic ceſſabit fluxus, vt ſæpius ab Empiricis eſt obſeruatum. Ad tertiam rationem reſpondemus, quòd quamuis medicamenta ſoluentia ſint calida; tamen dicimus cum Galeno in commento illo citato, quòd maior eſt vtilitas, quæ inſequitur ex humoris euacuatione, quàm incommodum ex caliditate medicamenti, quamuis poſſimus & ſimul miſcere medicamenta refrigerantia, aut poſtea exhibere: quam pharmacorum caliditatem non ita timuit Auenzoar lib. 3. Tract. 3. capit. 4. qui exhibet medicamentum ex euphorbio. Sunt & alij multi Medici, qui non timentes caliditatem medicamentorum in bubone exhibent mithridatum, & theriacam, quæ calida ſunt, tamen rectè faciunt ob venenum humoris. Quare non eſt dicendum, quòd non conueniat exhibitio pharmacorum in bubone peſtifero incipienti.

Duplicia purgantia.

Sciatis tamen, quòd medici, qui pharmaca exhibent, ſunt bipartiti: nam alij exhibent medicamenta benedicta vocata, atque leuia, fugiuntque ſcammoniata: nam exhibent mannam, caſſiam, aloem, rhabarbarum, agaricum, mirobalanos citrinos, chebulos, thamarindos, pruna, diaprunum non ſolutiuum, diaſenam, diacatholiconem, & ſimilia, qua medicamenta valde laudo: Et ideo, ſi videbitur opportunum, hæc exhibeatis pro ratione humoris, qui peccat in corpore; ea tamen ratione, vt aliquando, & ſcammoniata exhiberi poſſint atque validiora, vt alij Medici faciunt: Quod maximè confirmatur ab ijs, qui praxim ſine ratione exercent, vt fuit Ioannes de vigo, ac Iacobus Carpenſis vnus noſtris temporibus audaciſſimus, atque fortunatiſſimus Medicus, qui, quando graſſabatur peſtilentia illa magna, & ſæuiſſima, & fuit anno 1527. à natiuitate Saluatoris noſtri, dum chirurgus iſte incedebat per vrbem, omnibus exhibebat medicamentum purgans robuſtum: quodnam autem illud eſſet, neſciebamus; ſed quod eſſet medicamentum purgans, erat notiſſimum, & eorum, qui ſanabantur, maior pars aſſumpſerat medicamentum purgans. Gentilis etiam in ſuis commentarijs in quarto canon. fen. prima refert, quod ſuis temporibus, ſæuiente peſte, plurimis exhibebantur medicamenta ſcammoniata, & plurimis etiam lenientia; & tamen plurimi eorum, quibus exhibitum fuerat purgans robuſtum, ſanabantur: non ita eorum, qui aſſumpſerant lenientia. Idem confirmat Auenzoar loco ſupra citato, & proponit medicamentum, quod valdè à Recentioribus probatur: Vnde ex mente iſtorum poſſetis quodlibet genus medicamentorum ſoluentium, & etiam potentiſſima, quale eſt præcipitatum, incipiente bubone peſtilenti, exhibere. Et licet ego non audeam horum ſententiam prorſus damnare (experientia etenim multum hac in re valet) tamen non auderem ego ſoluentia robuſta exhibere, & tantò minus præcipitatum, licet non defuerint, qui ipſum exhibuerint, vt Ioannes de Vigo, & maximo cum ſucceſſu, immò anno ſuperiori cum peſtis hic graſſabatur fuit quidam iuuenis, qui in loco illo publico extra vrbem Lazaretto vulgò dicto præcipitatum aſſumpſit, & ſanatus eſt, & multis deinde alijs exhibuit & feliciter admodum. Hoc quamuis ita ſit, vt referunt: tamen ego nunquam auderem præcipitatum exhibere: nam eſt veluti diabolus, quinimmò, vt dicunt chymiſtæ, eſt filius diaboli, nimirum hydrargyri, ideſt, argenti viui: vos tamen, ſi exhibere volueritis, poſſetis quantitate vnius, vel duorum, triumuè ad ſummum granorum ſimul mixtum cum theriaca, vel ſaccharo roſ. vel huiuſmodi alio medicamento exbibere, & hic animaduertatis, quod antidota, ſi integra ſint, & exhibeantur ſimul cum alijs medicamentis, impediunt actionem aliorum medicamentorum, vt dicunt Recentiores. Empirici tamen iſti oppoſitum obſeruarunt: nam ſi exhibeatur theriaca, verbi gratia, poſt exhibitionem alicuius medicamenti purgantis, non ſoluetur aluus, ſed potius ſupprimetur: & hac ratione experiebatur Galenus, vtrum theriaca eſſet integra nec ne? ſed, ſi theriaca admiſceatur cum purganti, ſoluentiue medicamento non impediet purgantis medicamenti actionem, ſed potius adiuuabit. Igitur antidota ſimul mixta cum ſoluentibus agunt per virtutem ſoluentium; exhibita autem poſt ſoluentia impediunt actionem illorum: hoc Empirici iſti ſunt experti, & propterea exhibent medicamenta ſoluentia cum antidotis; & inter cætera exhibent vnum ſecundum formam, quam iam iam proponam, cum prius dixero, quòd ſemper incumbendum eſt proportionalibus humoribus, ideſt, exuſtis ob putredinis feruorem. Vnde maximè laudo electuarium roſatum Meſue, confectionem hamech, diacatholicon, diaſenã cum lapide lazuli, vel cum lapide Armeno, atque ſimilia, Medicamentum autem, quod exhibent, eſt tale.

Empirica ratio curandi proponitur, & admittitur.

De præcipitato.

Purgantia nõ impediuntur à miſtis antidotis, ſed poſt ſumptis.

℞. Confectionis Hamech } an. ℥.ij.ſ.
Electuarij roſ. Meſues }

Purgans validum.

Diacatholici }
Floris caſſiæ } añ. ʒ.iiij.
Antidoti de ſanguinibus ʒ.j.s.

Miſce, & cum ſufficienti, quantitate decocti florum & fructuum cordialium fiat potio, & exhibeatur: Loco autem antidoti de ſanguinibus poſſetis accipere Mithridatũ, vel Theriacam pondere vnius drachmæ. Sed animaduertatis, quod per antidotum de ſanguinibus iſti non intelligunt de ea, de qua meminit Galenus de mente antiquorum; ſed de quodam alio antidoto, quod ipſi conficiunt, & antidotum de ſanguinibus vocant: & eius deſcriptio talis eſt:

Antidotus de ſanguinibus.

℞. Sanguinis ſicci { Anat. maſculi, Anat. fœminæ, Anſeris, Hædi }
Rutæ Syluestris
Seminum { Fœniculi, Cimini, Anethi, Napi, Rapi } } añ. ʒ.iij.

Radicum { Gentianæ, Trifolij, Squinanti }
Thuris
Roſarum rubearum ſiccarum } añ. ʒ.iiij.

Piperis albi
Longi
Coſti
Phu
Seminum aniſi
Cinnamomi } añ. ʒ.ij.

Myrrhæ
Spicæ nardi } añ. ʒ.vj.

Belzuini
Radicum aſari
Ammoniaci } añ. ʒ.iij.

Foliorum amaraci
Agarici optimi } añ. ʒ.ij.

Carpobalſami gr. xx.

Radicum ireos
Croci
Rheubarbari electi
Gingiberis
Maſticis } añ. ʒ.j.

Stæchadis Arabicæ ʒ.v.

Miſcentur, & teruntur omnia optimè, vſque quo redacta fuerint in tenuiſſimum puluerem; deinde miſcetur puluis cum quatuor libris mellis deſpumati optimi; & ad ignem fit medicamentum, & ſeruatur, cuius, tempore vſus, exhibent quantitatem ſupradictam.

Cum loquerer de curatione communiori tumorum, in quibus materia ſit venenoſa, deſcripſi purgans medicamentum, cum quadam antidoto ſatis digna, ac multiplici, quod etiam nunc valde probo: illinc ergo petite. Addidi, quoſdam exhibere hoc:

Præcipitati doſis & compoſitio.

℞. Præcipitati præparati aqua ardenti, & roſacea. gr. iiij.
Zuccari roſacei ℥.s. Miſce.

Habent præterea iſti aliud medicamentum, quod eſt ipſorum ſacra anchora: dicunt enim habere talem, ac tantam vim, vt, ſi natura inceperit expellere materiam vel ad inguina, vel ad alias partes, & faciat bubones, & exhibeatur ſtatim tale medicamentum, non ſolum non impedit (vt dicunt) motum naturæ, immò adiuuat ita, vt natura propellat validiùs materiam; & nihilominus faciat bubones etiam grandiores; & tandem materiam illam euacuet: Vocant autem medicamentum hoc, pharmacum de duabus capis, & conficiunt ipſum hoc modo.

Accipiunt

Accipiunt duas cæpas, vnã albã, alteram rubeã, vel ambas albas, ſi rubea nequeat haberi, & vtramque cepam excauant, & in cauitatem vtriuſque iniiciunt duas drachmas antidoti de ſanguinibus ſupra deſcriptis; cepas deinde ambas coquunt in furno, ita, vt tota virtus antidoti diffundantur per vniuerſas cæpas; poſtea extrahunt, & terunt, tritaſque collocant in linteo, & ſuccum exprimunt, cui ſucco addunt poſtea hæc omnia.

Aliud purgans de duabus cæpis.

Confectionis Hamech }
Electuarij roſati Meſues } ãn. ʒ.j.
Diaprunis non ſolutiui }
Floris caſſiæ }
Mannæ } ãn.℥.s.

Miſce, & cum ſufficienti quantitate decoctionis ſcabioſæ, fac potum, & exhibe. hæc eſt ſacra anchora empiricorum, quo medicamento dicunt non impediri, ſed adiuuari naturam.

Cæterùm ego nec hoc, nec illud aliud medicamentum pharmacoſum, niſi rarò, auderem exhibere. ſed vterer potius recta curandi ratione, quæ eſt, vt inſtituta recta victus ratione, & caſtigatis ſex rebus non naturalibus, leniatur aluus ſtatim cum clyſtere; vel cum lenientibus mitioribus, quæ reſiſtunt putredini, & feruorem attemperant; deinde ſecetur vena, ſi videbitur ſecanda; & illicò exhibeantur ea, quæ reſiſtunt putredini, & ſunt verè antidota, quæ etiam ante venæ ſectionem poterunt exhiberi: Inter quæ eſt medicamentum illud probatum, quod frequentiſſimo in vſu fuit Florentiæ, quando anno 1527. in ea vrbe ſæuiebat peſtis, & omnes ferè, qui eo fuere vſi, ſunt ſanati, vt mihi relatum eſt à quibuſdam Medicis Florentinis adhuc viuentibus: Medicamentum autem eſt puluis integri, veri, & perfecti ſmaragdi; & eſt medicamentum Arabum, cui omnes attribuunt vim magnam reſiſtendi peſtilentiæ, vt inter cæteros videre poteſtis apud magnum Albertum in tractatu ſuo de rebus metallicis, ſeu de lapidibus, cap. de ſmaragdo. Modus autem, quo Florentini illi exhibebant, eſt talis: molebant ſmaragdum ſupra pictorium lapidem, ita, vt redigeretur in puluerem tenuiſſimum, & diluebant cum aqua roſacea, addito pauco vino maluatico, & ita dilutum puluerem exhibebant quantitate quinque granorum hordei, vel ſeptem ad ſummum, & ſpatio viginti quatuor horarum exhibebant ſemel, aut bis: Et de hoc medicamento referunt Florentini atque Dominus Marcus Antonius de Sancto Geminiano illud idem, quod referebat Galenus de terra Armeniaca. Dicit enim Galenus, quòd tempeſtate ſua, cum graſſaretur peſtis, exhibebat ipſe terram Armeniacam, & quòd omnes ſanabantur, præterquam illi, qui arte aliqua non poterant ſanari: hoc ipſum referunt illi de ſmaragdo: igitur ſmaragdum exhibeatis. Verum quia non facilè, nec ab omnibus habetur, ideo ad alia medicamenta eſt confugiendum: Inter quæ eſt terra quædam, quæ ex Anatolia defertur ex lacuna quadam, & maximo eſt in pretio in Græcia pro hoc morbo, & præcipuè in vrbe Conſtantinopolitana, & defertur mixta cum quadam argilla. Huius terræ, vel luti vidi ego magnã copiam apud Illuſtriſſimum Ducem Ferrarienſem: nam ipſi dono miſſa eſt à Rege Turcarum. Et referunt, quòd Turcarum ille Rex non bibit in alio vaſe, quàm ex hac terra, & bolo Armeno confecto: ſimiliter & fercula in vaſis ex hac terra factis vult, vt ſibi parentur. Lutum hoc, ſeu terram colligunt ſub ſolſtitio æſtiuo, ac propè feſtum Diui Ioannis Baptiſtæ, cuius rei tanta eſt religio apud Turcas, vt quicquid luti colligitur die feſto, vel propè feſtum Diui Ioannis, illud totum ſeruetur pro Turcarum Imperatore: nam ex hac creta, atque ex bolo Orientali formantur ollulæ, lances, atque crateres, & pocula, quibus bibit, carnes coquuntur, atque omnia, quæ ad cibos Imperatoris pertinent, parantur, vt dixi. Color ipſius eſt plumbeus, pauco rubore, at cineritio addito. Medicamentum leuiſſimum eſt pondere; neque ſubſtantia valde rata, ſed mediocri, quę linguæ valdè hæret: tales ſunt notæ illius terræ, vel luti. Terram hanc ego expertus ſum in febre peſtilenti, & in vermibus, & fælici cum ſucceſſu; in bubone autem peſtilenti nequaquam. Sed ſi nec hoc, nec illud medicamentum haberetis vtamini creta illa alba, & pura, quæ defertur ex inſula Melitenſe, vel de Malta vulgò vocata: quæ creta, cum pura eſt, admirandas habet facultates, & illas quidem occultas: hanc terram ſolent deferre ſæpe nebulones iſti, herbolarij dicti vulgò, qui viperas ferunt oſtenduntque, & dicunt ſe eſſe de familia Diui Pauli: ab ipſis igitur poteritis facilè huiuſmodi cretam habere & exhibere pondere ℈.s. & admiſceatis cum Mithridato, vel Theriaca; vel ſola vtamini; vel componatis medicamentum hoc modo.

Rationalis curandi methodus.

Smaragdus Florentiæ expertus.

Terra ex Anatolia quanti pretij, & vſus apud Turcam.

Deſcriptio illius terræ.

Alia antidota.

℞. Boli Orientalis }
Cretæ Melitenſis } ãn.gr.v.
Mithridati. ʒ.j.

Miſte, & eum decocto ſcabioſæ, tormentillæ, ſcordei, angelicæ & gralegæ fiat potus. Optima quoque in hoc caſu eſt Cardina, ita, vt miracula faciat: optimus quoque eſt Bolus Orientalis eodem modo, & in eadem quantitate exhibitus: poteritis etiam exhibere Theriacam, vel Mithridatum purum. Sed ſciatis, quod in peſte magis faciunt medicamenta ſimplicia, quàm compoſita, vt theriaca & mithridatum.

Antidotus de ouo.
Nux vomica.

Nobiles Germani vtuntur medicamento quodam, quod apud me eſt ſuſpectum; tamen referam ipſum, & docebo, quomodo parent: Accipiunt igitur nucem vomicam (ita vocatam in officinis, & vulgò etiam) quæ nihil aliud eſt, quam nux metella antiquorum, qua nuce vtimur ad enecandos canes; ſed notare, quòd in officinis ſunt duæ nuces, vel fructus nucis nomine donati, altera metella, quæ eſt vera vomica Arabum; altera vomica, quę eſt vera metella: hanc igitur ſecundam nucem accipiunt, & ouum etiam, ex quo extrahunt albumen totum, & relinquunt vitellum intra teſtam, quam teſtam replent croco, & admiſcent quædam alia, ſed præcipue nucem vomicam: & hoc modo ſeruant medicamentum, quod vocant medicamentum de ouo, ſiue antidotum de ouo, & tempore vſus exhibent: & inter cætera, quę referunt medicamentum iſtud agere, eſt, quòd mouet tantum ſudoris, vt ſit mirum, ita, vt materia venenoſa excernatur per ſudorem. Medicamentum apud Germanos eſt maximo in vſu, & dicunt experientia iam eſſe comprobatum, quòd facit mirum in modum. Locutus enim ſum ego aliquando Piſis cum duobus meis ſcholaribus Germanis Baſilienſibus, qui medicamentum hoc aſſumpſere bis, & ſanati ſunt: & adhuc mihi oſtendebant cicatrices bubonum, quos paſſi fuerant, quare poſſetis, & vos exhibere tale medicamentum: nam licet vomica nux ſit venenum canum, fortaſſe erit antidotum reſpectu hominum: nam multa reperiuntur, quæ ſunt venenum vni ſpeciei animalium, alteri verò antidotum.

Terra Armen.
Ruta Capraria.

Optima quoque eſt terra Armeniaca, quæ nunc habetur. Sed ſi omnia hæc deſint, non deerit Gralega herba vocata, & à nonnullis appellata Ruta capraria, & ab alijs Onobrichis, licet onobrichidis notas à Dioſcor. aſſignatas non habeat, ſed ſat ſit nobis ſcire, quòd talis herba habeat maximas vires ad ſuperandam peſtem, vt re vera habet, non ſolum ad ſuperandam, ſed etiam ad præſeruandos homines ab ipſa: Modus autem, quo exhibetur, eſt, vt tundatur & exprimatur ſuccus, & exhibeatur ſuccus ipſe bis vel ter in die: & re vera experientia comprobatum eſt, quòd plurimi ex aſſumptione huius ſucci ſunt ſanati.

Vincetoxicum.

Addatis & herbam illam quam vincetoxicum vocamus, cuius radix in hoc morbo ſuperat omnes alias herbas, & profectò viſa ſunt miracula ex hoc medicamento: poteritis igitur ex radicibus eius exprimere ſuccum, & exhibere.

Oleum Clementis.

Habemus & celebratum Oleum Clementis vocatum: dicitur autèm Clementis, quoniam Clemens Pontifex fuit auctor, vt tale oleum componeretur anno 1527. quando peſtis illa ſæuiſſima graſſabatur per totam Italiam tempore ſui Pontificatus, & multis eo maximo alexipharmaco ſubueniebat: quod oleum ipſe vocabat oleum ſcorpionis, & omnes, qui tunc tali oleo ſunt vſi, euaſere: Modus autèm, quo vtebantur oleo illo, erat, quod inungebant dorſum in ſpatio illo, quod eſt ad medullam ſpinalem, & partes omnes, vbi detectæ ſunt arteriæ, vt in carpo, in temporibus, atque alijs in locis, vbi ſunt pulſus, ſimiliter & cordis regio inungebatur, & oleo vtebantur frigido, & vngebantur partes dictæ ter ſpatio ſex horarum. Oleum certè eſt præſtantiſſimum,

Hiſtoria.

& vidi ego aliquando, cum eſſem Ferrariæ, miraculum ex ipſo. Rauennatenſis namque Cardinalis habebat deſcriptionem huiuſmodi olei; & cum cuperet experiri ipſum, impetrauit ab Illuſtriſſimo Duce, vt periculum faceret de eo in quodam miſero morti damnato, & ita curauit, vt Excellentiſſimus Braſauolus exhiberet miſero homini riſa galli, & ſublimati fere vnciam, & noluit, vt exhiberentur vomitoria, nec antidotum vllum: ille, cum biberet potionem, dicebat ſe perſentire veluti ignem, & cum bibiſſet, ſexta vel octaua hora, concidit ſemimortuus; & tunc ſtatim inunctus eſt oleo illo, & inde ad dimidiam horam reuiuiſcere cepit, & vſque adeo refectus eſt, vt quinque dies vixerit vi medicamenti; ſed ſemper habuit ſingultus, vnde omnes, & Braſauolus etiam, qui prius deridebat tale oleum, cœpere credere, & quaſi affirmare, quod ſi homini illi exhibita fuiſſent vomitoria, & quæ reſtitiſſent cauſticæ vi medicamenti exhibiti, quod liberatus fuiſſet: tanta eſt olei illius facultas, atque virtus. Hoc eodem oleo cum ego ſæpe vſus feliciſſimo cum ſucceſſu in vermibus.

Deſcriptio olei Clemẽtis.

Deſcriptio autem olei iſtius eſt talis.

℞. Olei antiquiſſimi lib. quinque, & quanto antiquius fuerit, tanto erit melius; & ſi non habeatis antiquiſſimum, faciatis vos hoc modo: ponatis oleum in ſartagine, & curare, vt bulliat ad conſumptionem dimidiæ partis, & quod remanebit, habebit vim olei antiquiſſimi.

Terebinthinæ optimæ ℥.vi.
Euphorbij, Caſtorei, añ. ʒ.i.
Lumbicorum terreſtrium præparatorum M.i.

Colligantur hæc omnia ſimul, & ponantur in vaſe vitreo; quo optime clauſo, collocentur in olla repleta aqua frigida, & ponantur ad ignem, bulliantque in hoc duplici vaſe, quod balneum Mariæ vocatur, bulliant, inquam, per quatuor horas; deinde extrahantur, & coletur oleum, exprimanturque omnia leniter; poſtea adde ipſi oleo colato centum & octuaginta ſcorpiones, & duas viperas ſeminas in fruſta diſſectas; & nihil viperarum abijciatur, ſed & ſanguis, & inteſtina, & omnia ponantur in oleum, & bulliat iterum materia tota, ideſt, oleum & reliqua in duplici vaſe, quatuor, vel ſex horis, deinde extrahatur vas, vbi eſt oleum, & exponatur ſoli ſpacio decem dierum canicularium: dico in diebus canicularibus, vt viperæ, & ſcorpiones habeant maiorem veneſitatem; immò ſciatis, quòd primus auctor iſtius olei vult, vt ſcorpiones, & viperæ capiantur diebus canicularibus, vt oleum habeat maiorem vim: Galenus tamen in ſuis conficiendis antidotis præcipit, vt viperæ capiantur in principio æſtatis, & hoc ideo, quoniam videbat medicamenta eſſe aſſumenda per os, non autem applicanda extrinſecus, vt iſtud oleum. ponatur igitur oleum ad ſolem decem diebus canicularibus; deinde auferatur & addantur hæc omnia.

Zedoariæ electæ, Tormenrillæ, Radicum gentianæ, Dictami albi, Ariſtolochiæ longæ, Rhabarbari electi, añ. ℥.i.
Florum Altheæ, Hyperici, i. perforatæ, Ebuli, Roris marini, añ. M.i.
Theriacæ communis, Mithridati communioris, añ. ℥.i.

Tritis terendis, miſceantur, & ponantur omnia in vaſe, & claudatur vas primò cera, deinde panno; & ſubmergatur in cumulo fimi equini, inibique relinquatur ſpatio trium menſium, & extrahatur; poſtea colentur, exprimanturque leniter omnia, & ponatur oleum in vaſe vitreo vel ſtanneo, & ſeruetur: & hoc vtuntur poſtea eo modo, quo ſupra dictum eſt. Sed chymiſtæ ſolent extrahere oleum per ſublimationem, ideſt, per elambicum: cum enim educitur vas è limo ponunt ea omnia in elambico, & ad ignem extrahunt oleum pulchro certè colore præditum. Sed mihi magis placet, vt extrahatur per expreſſionem, excolationemque, quoniam remanent ipſæmet ſubſtantiæ medicamentorum in oleo.

Varias itaque antidotos poteritis exhibere, opportunis tamen horis, & ſimul etiam vti ijs, quæ extrinſecus applicantur, quale eſt oleum dictum, & poſtea pro corde poteritis parare ſacculum hoc modo. *Sacculus pro corde.*

℞. Roſarum rubearum M.i.s.
Coriandrorum præparatorum ʒ.ij.
Spodij, Corallorum rubeorum, Santalorum alborum, Rubeorum, añ. ʒ.i.
Margaritarum ℈.j.
Oſſis de corde cerui ʒ.j.
Corticum citri ʒ.j.s.
Camphoræ gr. iiij.

Miſce, tere, & ſacculum compone, quem poſtea madefactum aqua roſacea, bugloſſæ, & vino maluatico ſupra tegulam calentē calefacito, & cordi imponito. Verum ſi epithema humidum, aut ceratum vultis, quærite atque repetite ex eo loco vbi carbunculum curauimus, atque illius ſymptomata: nam illa medicamenta ſunt optima. *Curatio extraordinaria cuiuſq; ſymptomatis.*

His actis, incumbendum eſt ſymptomatibus, quæ bubonem conſequi ſolent, & ſunt varia, vt nauſea, fluxus ventris, lethargus, ſitis intenſa, dolor dorſi, & dolor thoracis. Si igitur adſit nauſea, vel continuus vomitus, danda ſunt ea, quæ à me ſunt dicta

ad hæc ſymptomata facere; poſtea, quæ ſtomachum roborent, ibi etiam explicata. Si fluxus ventris adſit, purgatione ſanabitur, atque potione illa, quæ ex bolo, atque creta Melitenſi conſtat, ſi frequentius exhibeatur. Si adſit lethargus, aut delirium, ea curetur ratione, quam audiuiſtis à doctiſſimis his Practicis. Si ſitis violenta, atque faucium, & oris exuſtio adſit, ſub lingua ſemper habeat æger vnum ex his orbiculis.

Cōtra ſitim.

℞. Seminum citrulli, Tragacanthi — añ. q.ſ.

Diſſoluto gummi cum albo oui, miſce cum ſemine, & fiant pilulæ, quæ ſiccentur in vmbra pro tempore vſus. Contineatur lactuca in ore: ſimiliter offulę melopeponis vocati anguriæ, & in Hetruria cucumero: poterit & ſaccarum candi, & ſimilia ore continere, vel abluatur os iſta aqua, & de ea aliquando tepida parum bibatur.

℞. Aquarum { Bugloſſæ, Boraginis, Meliſſæ, Galegæ, Capillorum veneris, Scabioſæ } añ. ℥. iij.

Syrupi { Acetoſi ſimplicis, De ſonco, De acetoſitate citri } añ. ℥. ij.

Miſce, & clarifica.

Atque hoc vnum obſeruet æger, ne maneat ſupinus hiante ore, quoniam magis ſiccaretur palatum, ac fauces. Quòd ſi adſit magnus, & continuus, vt ſolet, dolor dorſi circa regionem medullæ, qui dolor prouenit ex magnis arterijs, ac venis, quæ inibi ſunt (incaleſcunt enim valde ex magno feruore) illiniendum, inungendumque eſt dorſum cum aliquo medicamento opportuno, quale hoc eſſet.

Contra dolorem dorſi.

℞. Olei { Roſacei completi, Violacei } añ. ℥. j.

Santalorum omnium añ. ʒ. ſ.

Ceræ albæ q. ſ.

Fiat linimentum, & inungatur ſpinalis medulla. Aliquando etiam ſolemus vti alio medicamento, quod eſt præſtantiſſimum, & deſcriptio eſt talis.

℞. Vnguenti { Populeonis, Roſati Meſue } añ. ℥. j. { Alabaſtrini candidiſſimi ℥. ſ.

Olei nenuphharis ℥. j. ſ.

Camphoræ ℈. j. Miſce.

Inungitur eo dorſum totum: medicamentum, vt dixi, eſt optimum: nam refrigerat, & diſcutit plurimos vapores putridos, & venenatos. Poteritis & vos exemplo iſtorum alia medicamenta parare. Si vltimò adſit dolor thoracis vtamini hoc:

Contra dolorem thoracis.

℞. Olei { Amygdal. dulcium, Roſati completi } añ. ℥. j.

Miſce, & inungatur thorax; vel vtamini infrigidante Galeni.

Loci affecti curatio præpoſtera.

His per actis, deueniendum eſt ad locum affectum, id eſt, ad bubonem ipſum, & hæc curatio reuera pertinet ad Chirurgum. Circa tumorem autem varia ſolent adminiſtrari, & agi: ſed iſti nebulones primum quod agunt eſt, quòd forcipe candenti ſecant, & euellunt incipientem tumorem, & dicunt, quòd ex huiuſmodi ſectione dolorosa attrahitur tota materia venenoſa ad locum. Cæterùm ego non poſſum laudare talem modum curandi, non ob id, quia ego damnem vſtionem, & ſectionem (nam & ego ipſas laudo dummodo opportuno tempore fiant) ſed damno modum hunc curandi: quia iſti nullum habent reſpectum doloris, qui maximus excitatur ex vſtione, & ſectione tali in initio: vnde fit, vt vires, cùm imbecillæ ſint, concidant prorſus: nam ex dolore magno, magna quoque fit ſpirituum reſolutio, & ſic mors, vt perſpicuum vobis eſſe poterit, ſi ad memoriam reuocabitis Hiſpanum illum Chirurgum, qui anno præterito medebatur miſeris ægris in loco illo extra hanc vrbem, qui lazaretus dicitur: nam cum eodem dicto modo curaret bubones peſtilentes, ſcilicet ſecando forcipe candenti, omnes moriebantur: vnde factum poſtea fuit, vt Dei optimi voluntate fuerit laqueo ſuſpenſus ob ſcelera multa, quæ in eo loco perpetrarat. quare damno modum illum curandi: ſi enim poſſumus materiam illam malignam euacuare ſine dolore, ad quid ipſam cum tanto dolore educere? Curatio igitur recta hoc modo facienda eſt: cùm primum ap-

paret bubo peſtilens, videndum eſt primò, an tumor ille ſit inflammatio, an carbunculus,& ſi inflammatio, vtrum ſapiat naturam œdematis, an eryſipelatis, an alterius conſimilis tumoris: hæc enim diſtinctio plurimi refert; & ideo videndum principio, an tumor ſit inflammatio, an carbunculus: neque enim omnis carbunculus eſt peſtilens, licet omnis ſit malignus. Sed quomodo differt carbunculus peſtilens à non peſtilenti? Dico, quòd carbunculus non peſtilens eſt malignus, ſed ipſius malignitas diffunditur tantum per corpus illius, in quo obortus eſt: carbunculus autem peſtilens eſt contagioſus, ita, vt diffundatur etiam per alia corpora.

Bubonis curatio.

Sed eſto, quòd bubo ſit inflammatio, non autem carbunculus, quomodo curabitur? primò tentandum eſt, vt adiuuetur natura ad expulſionem, vt illud, quod eſt in vijs, & natura non poteſt trudere ad cutim, & ad locum tumeſcentem, trahatur extrà, & hoc fieri debet, quantum ſit poſſibile, abſque dolore: Maximè enim obſeruare debemus, ne excitetur dolor: Poſſumus autem naturam ipſam adiuuare, ac trahere materiā ad locum intumeſcentem triplici inſtrumento, primò quidem cum cucurbitulis; ſecundò cum gallo, ideſt gallinaceo animali; tertiò cum emplaſtris. Si igitur videritis, quòd magnus adſit dolor, & natura valde expellat materiam, tutius eſt vt vtamini emplaſtris: nam emplaſtra non ita valdè agunt, ſicuti gallus, & cucurbitulæ, & ita minimum excitant dolorem, quare conficiatis emplaſtrum hoc modo: Accipiatis duas, vel tres cępas liliorum alborum, & coquatis ſub cineribus; deinde mundentur, & terantur, & addatur parum ceræ puriſſimæ, & parum etiam mellis; & cum oleo chamomelino ac roſaceo fit emplaſtrum præſtantiſſimum, quod ratione cęparum, & mellis validè attrahit materiam, & ratione olei chamomelini mitigat dolorem, & reſiſtit putredini, attemperat feruorem aliquantulum: hoc igitur emplaſtrum buboni applicetur. Et ſi non habeas cępas liliorum, veliſq; maiorem attractionem, capias cępas communes, quas comedimus, & ex ijs eodem modo ſub prunis coctis, & tritis parabis emplaſtrum. Si videas, ꝙ locus egeat maiori attractione, monent Recentiores, vt capiamus gallum gallinaceum, qui nondū exercuerit Venerem, & ipſum deplumemus in parte poſteriori ad podicem, & partem illam pennis detectam applicemus tumori, inibiq; cōtineamus, quouſque moriatur animal, quòd fiet ſpatio dimidiæ horæ: nam ſtatim attrahitur venenum, & diſſeminatur per totum corpus ipſius galli: mortuus cum fuerit gallus, accipiatur alter, atque alter, quouſque opus fuerit, & eodem modo applicetur; & certè magna fit attractio ratione caliditatis magnę, quæ eſt in huiuſmodi animalibus, & præterea ſedatur dolor. Et ſi caſu non haberetis gallos gallinaceos, vtamini pullis columbinis maribus. Sin autem nec hoc, nec illud poſſetis habere, & opus eſſet cita attractione, deueniatis ad cucurbitulas ſiccas. Sed antequam applicentur, fouendus eſt locus tumidus cum oleo chamomelino, ne tantus à cucurbitula excitetur dolor: quo facto applicetur cucurbitula, & contineatur ibi, quantum poteſt, quod certè parum poteſt, ob dolorem magnum, qui excitatur; & ideo ſępe ſæpius auferenda cucurbitula eſt, & inungendus tumidus locus oleo dicto, ſcilicet chamomelino; & his modis tutò attrahitur materia ad locum tumeſcentem.

Emplaſtrū.

Alia attrahentia.

Quòd ſi, poſtquam attracta fuerit materia, videritis, quòd tumor erigatur in magnam molem, vt ſæpe ſolet, quoniam natura validiſſimè tranſmittit, & humores omnes eò confluunt, periculum eſt, ne humores illi copioſi inibi relicti putreſcant; & ita communicetur putredo partibus intrinſecis: & propterea curādum eſt, vt materia ibi non coaceruetur, vt putreſcat, & hac de cauſa poteritis applicare linimentum iſtud.

Linimentum in creſcente bubone.

℞. Succi { Apij, ideſt, Eleoſelini, Scabioſæ, Conſolidæ minoris, Acetoſellæ, Vincetoxici, i. Aſclepiadis Rutæ, Granatorum, } añ. ℥. j.
Vitellos ouorum coctos quot ſufficiunt.
Miſce, & fac linimentum.

Ad eandem intentionem Recentiores, cum vident, quòd bubo poſt attractionem creſcit in magnam molem, ſecant bubonem ipſum in crucem: quod nō laudo ob dolorem magnum, qui excitatur: ſed potius cum phlebotomo ſcarificarem leniter ſemel, bis, aut ter cum minori illo dolore, qui fieri poteſt, & ſi viderem, quod ſanguis non egrediatur ea quantitate, qua velim, applicarem loco ſcarificato hirudines, vel cucurbitulas. Sed ſi nulla ratione poſſem euitare, quin excitaretur gangręna, tūc deuenirem ad valida medicamenta, & ad vſtionem: nunc enim, cùm pars inceperit corrumpi, non adeſt exquiſitiſ-

Sectio in crucem improbatur.

Scarificatio leuis preferatur.

ſimus

Vſtio adhibenda bubone vireſcente, aut liueſcente, aut nigreſcente.

ſimus ſenſus: & ideo tutiùs valde, ac magis, quàm in initio vtimur igne. Sed quomodo cognoſcam ego (dices tu) bubonem incipientem degenerare in gangrænam? Ex colore: nam cum bubo incipit nigreſcere, vel viridis, vel liuidus fieri, habeas pro certo, quòd pars incipit corrumpi: & tunc potes vti medicamentis validioribus; vt Aegyptiaco puro, vel Aegyptiaco Ioannis de Vigo, vel oleo ſulphuris, vel oleo chalcanthi, vel ferro ignito. Aliqui ſunt, qui exurunt oleo feruenti: accipiunt enim cinerem, & poſitum in linteo faciunt faſciculum, deinde madefaciunt in oleo feruentiſſimo, & applicant faſciculum illum madefactum, imbibitumque oleo buboni, bis, terve, quouſque fuerit exuſtus: ſed quomodocunque vratur, nihil refert, dummodo exuratur. Habemus & clematim alteram, flammulam Iouis alio nomine vocatam, quæ maximo fuit in vſu apud Hetruſcos, quando peſtis apud ipſos graſſabatur in exurendis bubonibus: contundebant enim herbam hãc inter lapides, & facto emplaſtro applicabant buboni: Eodem quoque modo poteritis vti radice batrachij craſſioris, & piloſioris. Sed ſi bubo non tendat in gangrænam, maturandus eſt eo modo, quo maturatur abſceſſus, faciendo emplaſtrum ex cepis liliorum alborum cum paſſulis, vel cum farina, cum caricis, & huiuſmodi; de quibus ſuperius abundè diximus. Suppuratus cum fuerit bubo, ſecetur, & abſtergatur: nam tunc curandus eſt, ſicuti curatur inflammatio, vno excepto, & illo quidem maximi momenti, quod bubo, poſtquam deterſus fuerit, non eſt carne replendus, & claudendus, ſicuti fit de inflammatione, & ſimilibus tumoribus: ſed quadraginta ſaltem dies apertus eſt relinquendus, immò adhibenda ſunt ea medicamenta, quæ ſuccreſcentem carnem erodant, ſicut eſt vnguentum Iſidis, apoſtolorum, & ſimilia, vt bubo maneat apertus: nam hoc modo euacuatur, ſi quid remanſit materiæ malignæ in corpore, & euitatur recidiua, quæ aliquando ſolet fieri, & interficit.

Alioquin ſuppurō pro curanda, & poſt deterſionē vlcus apertum ſeruandum.

Carbunculi curatio.

Si verò bubo ſit carbunculus, quid agendum? ſi ſit carbunculus attrahatur materia ad locum ipſum, vel cum emplaſtris, vel cum gallo, vel cum cucurbitula, & exuratur, & cruſta maturetur, vt decidat, & cruſta ſeparata curetur, vt curatur carbunculus, de quo ſuprà à nobis dictum eſt. Et ſic abſoluta eſt, iam Dei Opt. Max. ope, tractatio eorum tumorum, qui fiunt ex materia ſanguinea, vel pura, vel commixta: ſequitur modò vt agamus de tumoribus, qui fiunt à bile, vel ſyncera, vel mixta, & primò de eryſipelate, nam eſt tumor, qui ſæpiſſimè accidit.

De eryſipelate. Cap. XII.

Ordinis ratio.

GALENVS in lib. de Tumoribus præter naturam, cum enumeraſſet tumores præter naturam, qui fiunt à materia ſanguinea; ſtatim, ob ſimilitudinem, aggreditur enumerationem illorum, qui fiunt à bile flaua, vel pallida: quod etiam fecit in 14. methodi, cap. 1. vbi dicit, quòd poſt tractationem de tumoribus, morbiſque ſanguineis, ideſt, qui fiunt à ſanguine; agendum eſt de morbis, qui fiunt à bile, ratione ſimilitudinis, quæ cadit inter vtrũque genus morbi: in ſecundo etiam ad Glauconem ſub nomine generali phlegmonis de eryſipelate etiam tractat, reſpiciens ſimilitudinem, quæ cadit inter hos tumores. Similitudo autem tumorum, qui fiunt à ſanguine, & à bile flaua, conſiſtit in tribus; in colore, in motu, & in ſymptomatibus: in colore quidem, quoniam multi tumores bilioſi habent colorem ſimilem tumoribus ijs, qui fiunt à ſanguine: in motu verò, quia & morbi, qui fiunt à ſanguine, & qui à bile acuti ſunt: in ſymptomatibus quoque plurimis ſunt ſimiles: ſimilitudo itaque fuit in cauſa, cur Galenus confecta de morbis ſanguineis pertractatione, egerit ſtatim de morbis, qui fiunt à bile; non autem de ijs, qui fiunt à pituita, etiam ſi phlegma ſit humor benignior, & longè plures morbi fiant ab ipſo, quàm à bile, & vltra hoc, poſt ſanguinem, maximè in corpore abundet, ſitque copioſior bile, atque atro humore, & magis nutriat poſt ſanguinem; tamen potuit magis ſimilitudo, quàm hæc omnia ſimul. Quare & nos imitantes Galenum, impoſito fine ſermoni de tumorib. ſanguineis, agemus de bilioſis. Sed primò videndum eſt, quid per vocem hanc (bilis) intelligamus, ſicuti & de ſanguine fecimus. Galenus itaque in libello de Tumoribus præter naturam, cap. 9. explicans, quid vox iſta, bilis, χολὴ Græcè, ſignificet, dicit, bilem eſſe humorem quendam flauum, vel pallidum colore, & amarum ſapore, ſeu guſtu. quotieſcunque igitur videritis humorem aliquem, qui habeat amaritudinem, & colorem flauum, vel pallidum, dicatis ipſum eſſe veram bilem, χολὴν à Græcis vocatam, & à Recentioribus choleram: eſt igitur bilis, vel

Similitudo tumorũ ſanguin. & bilioſ.

Bilis quid.

cholera

cholera humor calidus, & ſiccus ſecundum Galenum, colore pallidus, vel flauus, guſtu autem amarus. Et hinc colligatis mentiri prorſus illos, qui dicunt bilem eſſe acrem: nam eſt merum mendacium, quia bilis vera, dum in propria natura conſiſtit, nunquam eſt acris; & dum contrahit acredinem, fit præternaturalis. quare de eſſentia veræ bilis non eſt acredo, ſed amaritudo, & color vel flauus, vel pallidus.

Bilis materia, & locus generationis

Bilis autem iſta eſt duplex in humano corpore, dicunt Recentiores, ſicuti & materia, ex qua generatur duplex proponitur: altera quidem eſt, quæ ex chyli parte tenuiori, acriori, & amariori fit in hepate, dum ſcilicet hepar concoquit chylum, & vertit ipſum in ſanguinem; altera verò bilis fit ex ſanguine tenuiori plus iuſto incaleſcente, vt accidit, cum ſanguis vel ex febre, vel ex obſtructione, vel ex motu violento aliquo, vel ex alia occaſione ſupercaleſit: nam attenuatur magis, & ſic vertitur in bilem. Et ita hęc bilis gignitur in venis ex ſanguine ſupercalefacto; illa verò in hepate ex chylo, dum hepatis calor vertit ipſum chylum in ſanguinem: & ab hepate ad inteſtina, atque bilis veſicam defertur: & iſta bilis, quæ fit ex chylo, generatur etiam aliquando in ventriculo ex cibis appropriatis: & vtraque hæc bilis eſt vera bilis, amara & flaua, vel pallida.

Bilis naturalis non eſt acris, aut erodens.

Quam bilem vtramque diuidunt Recentiores in naturalem, & in præter naturalem. Dicunt enim: Bilis quædam eſt naturalis; quædam non naturalis. Naturalem dicunt, quod ſit humor calidus, & ſiccus in potentia, ſubſtantia tenui, colore flauo, aut rubro declinante ad citrinum, aut flauum, ſapore exactè amaro, non acuto, neque acri, vt malè aliqui exiſtimarunt, neque exulcerante. Quòd autem bilis non erodat, nec exulceret, hinc patet, quòd quæ gignitur in hepate tranſmittitur ad veſiculam, tamen nunquam veſicula eſt eroſa. Sed dices non eroditur veſicula ratione ſimilitudinis cuiuſdam, quæ eſt inter bilem, & veſiculam: Hoc certè non poteſt dici: quia, cùm veſicula ſit neruea, neceſſariò eſt frigida; bilis autem eſt calida; & ideo nulla datur ſimilitudo. Præterea, bilis labitur per inteſtina, vt ſua amaritudine abſtergat ipſa, & adiuuet egeſtionem; nunquam tamen viſum eſt, quod bilis naturaliter ſe habẽs excederit inteſtina; dico (naturaliter ſe habens) nam ſi bilis ſupercalefieret, poſſet vtique erodere: ſed tunc non eſſet bilis naturalis. Tertiò, ſi bilis eroderet, malè ageretur cum iis, quibus obſtructio eſt in ore veſiculæ, aut in meatu tendente ad inteſtinum: nam cùm diſſeminetur per venas, & transfundatur ad faciem, ad oculos, & ad vniuerſum corpus, ita, vt cutis tota inficiatur, ac videatur aurea, ſicuti videre potuiſtis in iis, qui laborant arquato: ſi bilis eroderet, ſemper perſentirent mordicationem, totumque corium ſcaterer vlceribus: hoc tamen non fit: ergo falſum eſt, quòd bilis erodat. Itaque bilis naturalis dicitur illa, quæ amara eſt, & non acris; habetque colorem vel pallidum, vel flauum, atque alias notas ſupra dictas.

Bilis non naturalis duplex.

Non naturalis verò bilis, quæ alio nomine vocatur fel ab iſtis, dicitur eſſe illa, quæ excedit terminos naturales; non tamen ita, vt egrediatur è natura bilis: nam & bilis, vereque bilis eſt, etiam ſi patiatur aliquid præter naturam. Sed in eo confinio eſt poſita, vt, ſi aliquid aliud præter naturã pateretur, non amplius eſſet bilis, ſed degeneraret in aliud genus humoris. Hæc igitur vocatur à Recentioribus bilis non naturalis: quæ bifariam adhuc diuiditur: nam quædam vocatur bilis non naturalis per ſe; quædam non naturalis per admixtionem: Non naturalis per ſe vocatur ea, quæ per ſuam naturam patitur aliquam mutationem; ſed nullum alium humorem habet admixtum: Non naturalis autem per admixtionem vocatur illa, quæ habet aliquid alterius humoris admixtum. Illa, quæ per ſe non naturalis eſt, vna reperitur, quæ putreſcens aduritur, atque attenuatur, acredinemque acquirit, atque exulcerat, & vocatur ab iſtis aduſta per putrefactionem. Alia deinde eſt bilis non naturalis per ſe, quando vitellina dicta bilis non naturalis coquitur igneo calore in hepate, aut venis, aut ventriculo, fitque porracea, vt iſti dicunt, aut æruginoſa. Sed exemplo rem hanc aperiamus: ſi bilis naturalis flueret in aliquem locum, & inibi inciperet facere tumorem ex obſtructione facta, bis illa incipiet ferueſcere, & ita exuſta magis fit acris: & tunc talis bilis vocaretur bilis non naturalis per ſe, quoniam non habet alium humorẽ admixtum; ſed fit non naturalis per putrefactionem exuſtionemve. Similiter, ſi bilis vitellina vocata coquitur in ventriculo, vel in hepate, vel in venis à feruentiſſimo calore, gignitur bilis, quæ etiam non naturalis per ſe vocatur. Igitur bilis non naturalis per ſe fit bifariam: vno modo, quando bilis naturalis exuritur, & putreſcit; altero modo, quando exuritur tantum ſine putredine; ſed non ita exuritur, vt degeneret in melancholiam: & ex tali bile non naturali per ſe, per aduſtionem tantum fit (vt aiunt) bilis porracea; & altera æruginoſa vocata: Vtraque tamen bilis non naturalis eſt genita ex bile vitellina per exuſtionem; ſed differunt, quoniam porracea bilis habet æruginoſum colorem, ideſt viridem minus intenſum, quàm æruginoſa vocata.

Bilis non naturalis per ſe duo genera.

Non

Bilis non naturalis per admiſtionem tres quoque ſpecies.

Non naturalis autem per admixtionem vocatur ab iſtis, cum portio alterius humoris admiſcetur cum bile: ita dicunt Recentiores. Galenus tamen in 2. de facultatibus naturalibus vult, vt ſola bilis vitellina, quæ colore, ac craſſitie eſt vitellis ouorum ſimilis, ſit non naturalis extra vaſa reperta, atque extra maſſam ſanguineam; porracea verò, & æruginoſa ex ſententia eiuſdem ſunt potius ex prauis ſuccis atque corruptis humoribus propter olerum, aut ſimilium eſculentorum cruditates, aut ratione ægritudinis cuiuſdam venarum, cui valde aſſentio. Bilis autem non naturalis per admixtionem eſt, vt dixi, quando vera, & ſyncera bilis miſcetur cum portione aliorum humorum: & ſi pauca pituita tenuis, & aquoſa miſceatur, appellatur bilis citrina, vel crocea; ſi cum pauco phlegmate viſcido, & craſſo, fit bilis vitellina, quæ vt plurimum generatur in ventriculo; & dicitur vitellina quia habeat ſubſtantiam, & colorem ſimilem vitello ouiſ; ſi verò miſceatur cum pauco ſucco melancholico, vocatur bilis aduſta per admixtionem.

Sex in vniuerſum Bilis ſpecies.

Vnde ſex ſecundum Galenum ſunt ſpecies bilis: Vna eſt bilis vera naturalis, amara, flaua, vel pallida. Altera eſt non naturalis, amara, acris, ac exulcerans, & hæc duplex eſt: quædam, quæ fit per putrefactionem, atque exuſtionem; quædam per exuſtionem tantum. Tertia eſt bilis porracea facta ex crudo aliquo ſucco putreſcente, vel ex vitellina; ſi Recentiores ſequamur: quarta eſt æruginoſa facta de ſententia Galeni ex eodem malo ſucco, vel humore, quo porracea; ſed iſtæ duæ ſpecies poſſunt redigi in vnam: nam differunt ſolum ſecundum magis, & minus intenſum colorem æruginoſum, igitur conſtituantur pro tertia ſpecie. Quarta eſt bilis citrina, vel crocea vocata, facta ex mixtione plurimæ bilis cum pauca pituita aquoſa, quæ & ipſa amara eſt, ſed diluta. Quinta ſpecies eſt vitellina genita ex admixtione bilis cum pauca pituita craſſa. Sexta, & vltima eſt bilis aduſta per admixtionem dicta, quę fit ex miſcella multæ bilis cum pauco humore melancholico. Ex omnibus his bilis ſpeciebus accidit fieri tumores præternaturam, & primò eryſipelas.

Eryſipelatis etymologia Latina.

Igitur de eryſipelate primo loco eſt nobis agendum; ſed principio videndum, quid ſibi velit nomen iſtud eryſipela, vel eryſipelas. Recentiores, vt Guido, & qui eum ſequuntur, loquentes de eryſipelate dicunt, nomen iſtud ſignificare tumorem præternaturam hærentem pilis, vel cuti, vel pelli, quod idem eſt; & ideo dicunt eryſipelam fuiſſe vocatum, quaſi tumorem hærentem pilis; & ita ſecundum ipſos omne genus tumoris, quod hæreat cuti, vocari poterit eryſipela, vel eryſipelas. Galenus autem lib. 2. Meth. cap. 2. dicit, quoſdam eſſe morbos, qui denominantur a loco, vel parte, quam afficiunt; quoſdam ab efficiente cauſa, ex qua fiunt; quoſdam verò, qui nec à parte affecta, nec à cauſa efficiente accipiunt denominationem, & inter hos, qui neque locum affectum, neque cauſam efficientem propria appellatione ſignificant, enumerat eryſipelas. Igitur ab alia occaſione, quam à pelle, vel cute, vt dicunt iſti, eryſipelas eſt denominatū, nimirum, vt conijcio, à voce Græca, ἐρυσίβη, & πέλας: nam ἐρυσίβη Græce ſignificat rubiginem, ideſt, marcorem illum, quem ferrum, ſpicæ, plantæque contrahunt; πέλας verò nobis ſonat propè: & ita eryſipelas dicitur eò, quod ſit propè rubiginem: eſt enim tumor iſte propinquiſſimus corruptelæ, ac ſphacelo, niſi rectè curetur. Quare eryſipelas dicitur quaſi ἐρυσίβης πέλας, propinqua ſcilicet, ac vicina, & quaſi inſtans rubigo, vel corruptio particulæ, quia huic morbo ſubſequi ſolet vt plurimum, ob Medicorum inſcitiam, ſphacelus.

Græca.

Dicitur autem hic tumor non ſolum eryſipelas, vel eryſipela, ſed etiam ignis ſacer, ideſt, quaſi execrandus à noſtris Latinis antiquioribus, præterquam à Celſo: nam ipſe per ignem ſacrum intelligit de herpete, vt videre eſt apud ipſum in lib. quinto cap. 26. vbi morbum hunc vocat eryſipelam, & eryſipelas more Græcorum, & eodem lib. cap. 28, loquitur de igne ſacro, cuius duo genera poſuit, atque talia proponit, vt penitus ignis ſacer ibi deſcriptus ab eryſipelate differat. Vos legatis Celſum ac ſigna ab ipſo propoſita, & cognoſcetis ad herpetem potius, quam ad eryſipelas iungendum eſſe caput illud de igni ſacro. Morbus iſte, ideſt, eryſipelas, à Quinto ſereno cap. 4. vocatur etiam ſimpliciter Ignis, cum dicit ſic.

Varia nomina.

Eſt etiam morbi ſpecies, qui dicitur Ignis,
Languida quo multo torrentur membra calore.

Vulgò etiam vocatur Ignis Syluaticus, & ignis Sancti Antonij; igitur eryſipelas apud græcos, & eryſipelas, vel eryſipela apud Celſum (nam vtroque modo ab ipſo vocatur) & eryſipela apud alios Latinos, & ignis ſacer & ignis ſyluaticus, & ignis Sancti Antonij, & ignis apud Serenum, vnum & idem genus morbi ſignificant, de quo nunc agere inſtituimus.

Eryſipelatis definitio.

Viſo, quid nomen iſtud eryſipela ſignificet, videndum modò eſt, quid ſit tumor iſte. Igitur eryſipelas nihil aliud eſt, quàm tumor quidam præternaturam, & bilioſus, non

admodum prominens, qui vt plurimum naſcitur circa extremam cutim omnium particularum, ſiue cutis ſit externa, ſiue interna, nonnunquam etiam aliquid ſubiectæ carnis inficit: & hæc definitio colligitur ex Galeno partim in 14. methodi, cap. 2. partim in ſecundo ad Glauconem, cap. 2. & in 7. de facultat. ſimplic. cap. de Coriandro, & ex libro de Tumoribus præter naturam, cap. 9. Igitur eryſipelas eſt affectus cutaneus, & eius ſubiectum eſt vt plurimum cutis cuiuſcunque partis, & tam partium internarum, quàm externarum: nam ſi, verbi gratia, oboriatur in brachio, occupabit tantum cutim, & ſuperficiem extremam, non autem ſubiectam carnem, vel os, vel aliam partem; & ſi aliquam aliam ſubiectarum partium occupabit, vix eam attinget; vt plurimum tamen accidit, vt ſolam extremam ſuperficiem occupet, ſiue ſuperficies ſit interna, ſiue externa: dico hoc, quia eryſipela oritur in ſuperficie ventriculi interna, & in externa: idem dico de veſica, de hepate, de vtero, & conſimilibus partibus; quæ cum habeant duas ſuperficies, internam vnam, externam reliquam, in vtraque poteſt oboriri eryſipelas. Vnde Galenus mentionem fecit eryſipelæ pulmonum lib. 4. de locis affectis, cap. 8. & eryſipelatis ventriculi lib. de marcore, cap. 7. & eryſipelæ hepatis, lib. 5. de locis affectis, cap. 7. Eryſipelæ autem vteri meminit Hippocrates lib. 5. aphor. 43. dicens: Si mulieri grauidæ in vtero ſit eryſipelas, lethale: Veſicæ eryſipelas proponitur à Galeno 3. aphor. comm. 16. Quare non ſolum cutis exterior; ſed etiam quælibet partium internarum ſuperficies eryſipelam patitur, quod teſtatur Galenus 14. methodi, cap. 2. Cùm itaque dicitur eryſipelam eſſe tumorem, vel affectionem cutaneam, intelligendum eſt, quòd poſſit occupare non tantum cutim, quæ eſt in ambitu totius corporis; ſed etiam cutim, & ſuperficiem vtramque internarum partium: Verum tamen eſt, quòd, vbicunque oriatur eryſipelas, non afficitur alia pars, quàm cutanea, & ſuperficialis, ad differentiam inflammationis: nam quando pars aliqua corripitur inflammatione, non ſolum pars cutanea; ſed etiam interna, & profunda ſubſtantia partis afficitur. Igitur eryſipelas eſt tumor, qui fit à fluxione bilis occupans extremam ſuperficiem omnium partium, vel parum infra cutim deſcendens.

Subiectũ eryſipelatis eſt cutis extrema, ſiue interna in corpore, ſiue foris.

Explicata eryſipelę eſſentia, conſequens eſt, vt de eius cauſis, ſignis, modoque curandi agamus. Sed prius eſt aliquid dicendum de diſſidio quodam, quod eſt inter Galeniſtas quoſdam, & Auicenniſtas: ſunt enim quidam, qui Galeni ſectam profitentur, qui damnant Auicennam in curatione eryſipelæ, & dicunt Auicennam confundere eryſipelam 1
cum carbunculo, igne Perſico, & herpete, quod eſt magnus error apud antiquos, & re vera erraſſet Auicẽna, ſi hoc feciſſet, & qui hoc aſcribit Auicennæ, eſt doctiſſimus Fuchſius in ſecundo paradox. cap. 10. vbi conſultò inuehitur in Auicennam, & dicit ipſum omnia confudiſſe; & propterea non eſſe ſuum curandi modum ſuſcipiendum. Ac quòd confundat eryſipelam, carbunculum, ignem perſicum, & herpetem vtrunque, ſeu formicam miliarem, & corroſiuam, quod idem eſt, probat multis rationibus, & primo ſic: Auicenna cap. de eryſipelate tradẽs ſigna eryſipelatis dat etiam ſigna formicę miliaris, ideſt herpetis miliaris, quæ enim ipſe putat eſſe ſigna eryſipelatis, ſunt herpetis: nam inquit:
& peruenitur quandoque ex caliditate eryſipelæ ad hoc, vt comburat cutim, & eius vi- »
rulentia veſicat: ergo ſignum eſt, quòd confundit has duas ſpecies tumoris: quod autem ſigna illa, quæ Auicenna proponit pro ſignis eryſipelatis, vt eſt veſicatio, ſint ſigna herpetis, probat Fuchſius auctoritate Galeni in ſecundo ad Glauconem, cap. 2. & alibi paſ-
ſim: ſimiliter ex Paulo. Secundo probat vir iſte, quòd Auicenna confundat eryſipelam 2
cum igne perſo, vel perſico, ideſt carbunculo: nam Auicenna vult, ait Fuchſius, quòd eryſipelas oriatur ex ſanguine craſſo, & malo, in quo ſanguine ſit magnus feruor: ſed hęc eſt materia carbunculi, vel ignis perſi; ergo Auicenna confundit has duas ſpecies morbi:
Auicenna enim cap. 1. fen. 3. lib. 4. ait: At verò à ſanguine craſſo malo fiunt ſpecies exi- »
turarum malarum, nam ſi eius malitia ſit vehemens, & ipſius aduſtio, proueniet eryſi- »
pela, &c. Tertia ratio ſumitur à curatione: nam Auicenna in curatione eryſipelatis vti- 3
tur medicamento quodam, quod fit ex ſcoria plumbi, ex vino aſtringente, & beta, quod medicamentum proponitur à Paulo pro curando herpete: ergo Auicenna habet pro
vno, atque eodem morbo eryſipelam, & herpetem. Quarta ratio eſt: quia vult, vt cure- 4
mus eryſipelam cum ſiccantibus, & refrigerantibus, quo etiam modo curatur & herpes:
ergo ſignum, quod confundit hos tumores: nam Auicenna ait: & curetur cum eo, in quo »
eſt reſolutio, & exſiccatio fortis cum infrigidatione: At Fuchſius ait, curatio iſta eſt her-
petis, vt habemus à Galeno in ſecundo ad Glauconem. Quinta ratio: Auicenna in cu- 5
ratione eryſipelæ vtitur medicamento quodam ex lana combuſta, quo etiã vtuntur Antiqui, & Paulus pro curando herpete: ergo eryſipelas, & herpes apud Auicennam non
differunt. Sexta & vltima ratio, qua Fuchſius probat Auicennam omnia confundere, eſt, 6
quoniam loquens de curatione herpetis, inquit, quòd in curando herpete non debemus

Digreſſio cõtra Fuchſiũ.

Argumẽta Fuchſii contra Auicennam.

proce-

Digitized by Google

procedere eo modo, quo procedimus in curatione eryſipelatis: dicit enim, quòd in herpete non debemus vti iis, quibus vtimur in eryſipelate, nam in eryſipelate vtimur refrigerantibus, & humectantibus: ſubiungens poſtea docet, quibus debeamus vti in eryſipelate, & inter cætera connumerat lactucam, nympheam, volubilem, portulacam, & ſempertiuum: hæc autem procul dubio refrigerant, & humectant: quare apud Auicennam eryſipelas aliquando eſt ignis perſus, vel carbunculus, aliquando herpes: & ita confundit hos tumores: hæc Fuchſius.

Iudicium de Fuchſio, & eius paradoxis.

Ego autem, licet habeam Fuchſium pro viro doctiſſimo, & receſeam ipſum inter primos Medicos, qui hac tempeſtate viuunt; tamen dico ipſum, & non Auicennã fuiſſe deceptum: nec mirum vobis eſſe debet, quoniam, quando vir iſte ſcripſit ſua illa paradoxa, erat iuuenis, & animo adhuc titubante: & ideo facilè fuit, vt erraret, vt certè errauit accuſendo Auicennam, & maior etiã fuit eius error, quod Auicennę impoſuit, quę non erant imponenda: nam affert quędam, quę ego non reperio neque in codice Bellunenſi, neque in codice Gentilis, nec alibi: Præterea, ſi exactè Auicennam perpendiſſet, non ita procul dubio audax fuiſſet in lacerando ipſum. Dico igitur, quòd eryſipelas apud Auicennã eſt idem prorſus tumor cum eryſipelate Gręcorum; & quòd curatio ab Auic. tradita eſt bona, & eadem cum ea, quæ tradita nobis eſt à Græcis: Debetis namque ſcire, quòd duplex eſt eryſipelæ genus, vt colligitur ex Gal. in 14. methodi, c. 2. vbi loquitur de eryſipelate: Vnum quidem genus eſt verè eryſipelas ſupra definitum: Alterum verò genus eſt tumor bilioſus, & cutaneus, ſed habet vlcus, & vocatur eryſipela vlcerata: ſed non intelligatis eryſipelam, quæ vlceri ſuccedit, de qua agit Gal. in 2. ad Glauconem, c. 2. & Celſus lib. 5. cap. 26. ſed intelligatis illam eryſipelam, cuius humor erodit cuticulam: nam prius fit tumor, deinde humor, qui tumorem facit, erodit cuticulam: & ſic duæ ſunt ſpecies eryſipelatis. Addatis & his tertiam eryſipelatis ſpeciẽ, vel genus, & nihil aliud eſt, quàm quoddam conſequens eryſipelam veram, vt ſi contingat, vt pars aliqua corripiatur vero eryſipelate, & eryſipelas refrigeretur valde, aut ob inſcitiam medici applicantis nimis refrigerantia, vel aliam ob cauſam; & ita refrigeretur, vt pars liueſcat, & nigra ſit reddita: tumorem igitur hoc modo refrigeratum vulgus appellat eryſipelam, ſed impropriè admodum eryſipela dicitur, ſicut fuit ſententia Galeni in 7. de facul. ſimplicium, cap. de coriandro, quod confirmat Aetius lib. 14. cap. 59. Igitur tres ſunt eryſipelæ ſpecies: vera, quæ & pura dicitur; vlcerata; & refrigerata, quando ſcilicet tumor refrigeratur, durior fit, niger, & liuidus: quas ſpecies elicies etiam ex Aetio in lib. 14. cap. modo citato. Cùm igitur tres ſint eryſipelæ ſpecies, & illæ quidem diuerſæ; neceſſariò & curationes indicantur diuerſæ: Nam curatio veri ac purioris eryſipelatis ſecundũ Galenum perficitur cum refrigerantibus, & humectantibus. Curatio autem eryſipelæ vlceratæ ob magnum feruorem diuerſa eſt à curatione purioris, & non vlceratæ: nam vlcus ſemper requirit ſiccantia, & ita curatio vlceratæ eryſipelæ erit refrigeratio, & ſiccatio. Eryſipelas autem æquiuocè, & impropriè dictum, cum pars ſit refrigerata, duraque facta, curatur cum reſoluentibus, & refrigerantibus, igitur curatio primæ ſpecici eſt refrigeratio, & humectatio: ſecundæ ſiccatio, & refrigeratio: tertiæ calefactio, & digeſtio. Itaque eryſipelas non vlceratum requirit frigida & humida; iam adſit vlcus, tunc ex ſententia Hippoc. & Galeni indicantur frigida, & ſicca medicamenta; iam ſit refrigeratum eryſipelas, tunc indicantur digerentia, quia mutatus eſt morbus; cum tamen prius frigida, & humida conuenirent. hoc igitur primò ſupponatur. Secundò formica, vel herpes fit à bile, & eſt genus vlceris bilioſi: eryſipelas etiam vlceratum fit à bile: igitur iſtæ duæ affectiones conueniunt, nam vtraq; fit à bile: cùm autem ſic conueniant, eadẽ curatio vtriq; ſatisfaciet, nec inconuenit, vt vna atque eadẽ curatio conueniat in morbis diuerſis, cùm idem indicetur ab vtroque, licet diuerſi ſint: nam habemus apud Paulum in curatione eryſipelæ emplaſtrum ex folijs altheæ, quod facit ad curationem eryſipelatis, & herpetis: Gal. etiam in 5. de comp. medi. ſecundũ genera, c. 12. inſcribit caput de paſtillo Bythinio ad herpetes & eryſipelata: quare diuerſa affectio poteſt eiſdem medicamentis curari; non ob id tamen valet conſequentia: morbi iſti curantur eiſdem medicamentis, ergo ſunt vnus & idem morbus. Cùm itaque variæ ſint eryſipelæ ſpecies, & varij morbi diuerſis aliquando, & aliquando eiſdem medicamentis curentur; nec, quia eiſdem medicamentis curentur, ſit propterea dicendum, quòd morbi illi ſint vnus atque idem; malè & falsò doctiſſimus Leonardus Fuchſius reprehendit Auicennam, quaſi confundat ſpecies illas tumoris cum eryſipelate: neque enim confundit, ſed eryſipela Auicennæ, eiusque curatio eadem prorſus eſt cum eryſipela, & curatione Græcorum, & Latinorum.

Defenſio Auicennę, quod affectus non confuderit.

Tres ſpecies eryſipelatis, & qualia ſingulis remedia conueniant.

Eadem curatio diuerſis morbis cõuenire poteſt.

Reſponſio ad arg. Fuchſii.

Reſpondeamus modo ad argumenta, quorum primũ erat tale: Auicenna explicans ſigna eryſipelatis tradit ſigna herpetis, ergo confundit herpetẽ cum eryſipelate: negatur

hoc,

hoc, quia Fuchſius citat quædam verba, quæ non ſunt in contextu Auicennæ, & ſunt
hæc: & eius virulentia exiccat, & veſicat: non enim veſicarum meminit, ſed tantum
eryſipelas vlceratum proponit, vt Galenus & Aetius. Alterum argumentum erat: Aui- *Ad ſecundũ*
cenna confundit eryſipelam cum carbunculo, vel igne Perſo: nam inquit, quod ex ſan-
guine craſſo, malo, malitioſo, ac valde aduſto ſit eryſipelas: Dico, quòd Auicenna
ibi loquitur, non de eryſipelate, ſed de tumoribus calidis, qui fiunt variè, ac variè af-
fecto ſanguine, & dicit dari tres ſpecies talium tumorum: vna eſt phlegmone ſimplici-
ter; altera eſt phlegmone feruentiſſima; tertia eſt eryſipela: ſed per eryſipelam intelligit
carbunculum: cum enim vellet explicare ſpeciem phlegmonis, quæ corrumpat par-
tem, vſus eſt vocabulo illo, eryſipela: quare per eryſipelam non intelligit eryſipelam,
ſed carbunculum, vel ignem perſum, quod idem eſt: abuſus eſt enim vocabulo, quem-
admodũ aduotauit ibi Gentilis: nam per eryſipelas intelligit impropriè feruentiſſimam
inflammationis ſpeciem, quod declarat per verba ſequentia: nam cum dixiſſet (pro-
ueniet eryſipela) addit: eueniet combuſtio & cruſta, & deterior ea ignis perſicus. Ec-
ce, quòd non confundit ignem Perſicum cum eryſipelate; ſed diſtinguit, licet impropriè,
vt facere ſolet Auicenna, cum ibi vocarit eryſipelam tumorem exurentem, pro ſuo mo-
re eſt. Tertium argumentũ erat: Auicenna in curatione eryſipelatis vtitur medicamen- *Ad tertiũ.*
to ex ſcoria plumbi, quo vtitur Paulus in curando herpete; ergo confundit eryſipelam
cum herpete: Negatur conſequentia, quoniam varij ſunt morbi, qui tamen ſanantur
eodem medicamento: dico etiam, quòd rectè vtitur illo medicamento, quia tunc erat
eryſipelas vlceratum: nam inquit: & ſi fuerit eryſipela incedens ſuper cutem, curetur
ex ſcoria plumbi, &c. Ad quartum: in curatione eryſipelæ vtitur refrigerantibus, & ſic- *Ad quartũ.*
cantibus, quibus vtimur etiam in curando herpete, ergo, &c. Dico, quod Auicenna præ-
cipit refrigerantia, & exiccantia in eryſipelate vlcerata, non autem in pura, & ſimplici,
nec in refrigerata: quis autem diceret in eryſipelate vlcerato non conuenire ſiccantia?
imò habemus apud Celſum, quòd ipſe aliquando in eryſipelate exulcerato, & ſerpente
vtebatur non humectantib. & refrigerantibus; at calefacientib. ſiccantibusq́; & aliquan-
do exedentibus, & igne etiam, ratione ſcilicet vlceris: quare vana eſt ratio Fuchſij. Ad *Ad quintũ.*
quintũ: Auicenna vtitur medicamento ex lana combuſta in eryſipelate, quo Paulus in
herpete; ergo Auicenna confundit: Negatur cõſequentia, & idem dico, quod dixi de me-
dicamento ex ſcoria plumbi. Vltimũ erat: Auicenna dicit, quòd in ratione herpetis con- *Ad ſextũ.*
ueniunt refrigerantia, & ſiccantia; poſtea proponit nobis ea quib. debeamus vti in curan-
do herpete, & talia ſunt refrigerantia, & humectantia: nam enumerat ſemperuiuũ, lenti-
culam, lactucam, &c. ergo Auicenna eſt prorſus inconſtans, & confundit omnia. Equidẽ
credo, quòd Fuchſius tunc temporis, quando legit contextum Auicennæ, non habuerit
ocularia; vel, ſi habuit, ea habuit, quæ oſtendunt vnum pro alio: nam totum oppoſi-
tum illius, quod ipſe dicit, legimus nos apud Auicennam: loquens enim de curatione
herpetis dicit ſic: Via autem, ſecundum quam curatur formica, eſt, vt quæ ex ipſa eſt ,,
corrodens alienetur ab humectatione, quam iam adminiſtraſti in eryſipelate: humecta- ,,
tio enim non eſt conueniens in vlceribus: & adminiſtra in principio eius non ſicut la- ,,
ctucam, & nenuphar, & ſemperuiuum, & muſcum aquæ, & portulacam, immò, cum ,,
ſit neceſſarium, adminiſtra tunc, quod ſit ſicut ſolatrum, & propriè ſiccum tritum: in ,,
ipſo enim ſiccatio eſt, & ſicut arnogloſſum, & rubus: hæc ſunt Auicennæ verba, quibus ,,
poteſtis facilè cognoſcere, quam ipſe affectet exſiccationem in curatione herpetis: nam
vult, vt vtamur ſolatro non virenti, ſed ſiccato, & in puluerem redacto, vt magis ſiccet,
& præcipit etiam, vt vtamur arnogloſſo, & rubo; & quod fugiamus, quæ refrigerant, &
humectant: & ipſa connumerat, ne erremus, & dicit ea eſſe ſemperuiuum, lenticulã, &c.
quare falſum eſt, quòd Auic. confundat eryſipelam cum carbunculo, herpete, & formi-
ca; immò dico, quòd eryſipelas apud ipſum eſt tumor diſtinctus ab herpete, & carbun-
culo, & quòd illum bene curat, neque ita ſeuere erat accuſandus.

Sequuntur modò eryſipelatis cauſæ, quæ in duplici ſunt differentia, aliæ enim ſunt in- *Cauſæ effi-*
ternæ, aliæ externæ: Inter internas connumeratur fluxio, & reuera eſt cauſa potiſſima; *cientes inter*
per congeſtionem autem materiæ in aliqua parte nunquam vidi ego eryſipelã factum, *næ & exter*
ſed ſemper à fluxione humoris in aliquam partem, ſiue humor ille eò fluat, quia expel- *næ.*
latur, ſiue quia attrahatur, ſiue quia à ſe ipſo moueatur accenſus vel ab ira, vel à vigilijs,
vel ab huiuſmodi alia occaſione. Inter extrinſecas autem eryſipelatis cauſas connume-
rantur primò vulnera, & illa quidem doloroſa, quando videlicet vulnera nimis incale-
ſcunt, aut ex magna mole ſtupę ſuperimpoſitę, aut ex applicatione alicuius medicamẽti
calidi, aut aliam ob cauſam: & ab hac cauſa vidi ego ſæpe excitata eryſipelata, præſertim
in capite: Cum enim Chirurgi timeant, ne caput refrigeretur, ſuperimponunt vulneri,

& ſtupæ, & linteorum aceruum magnum: quo fit, vt vulnera calidiora reddita eryſipelate corripiantur: vna igitur cauſa eryſipelatis ſunt vulnera prætermodum fota, & calefacta. Altera cauſa externa ſolet eſſe frictio: nam ratione frictionis fluit humor, & præſertim ſi frictio ſit copioſa, violenta, durior, ac diuturna. Tertia ſubſolatio, & quidem frequentiſſima eſt: vidi enim ego infinitas oborta eryſipelata in facie, in capite, & in reliquis partibus ratione Solis, & præcipuè in ijs, qui patiuntur dolores capitis: ſtatim enim cùm iſti ambulant ſub Sole patiuntur eryſipelata. Quarta cauſa extrinſeca ſolet eſſe appoſitio medicamentorum calidorum, vt ſynapiſmatum, & aliorum ſimilium, quæ humores tenuiores ad cutim trahunt: ſoleo ego in confirmandis pilis in Gallica affectione vti medicamentis quibuſdam, quibus ſi aliquis vtatur immoderatè, & crebrò, ſtatim excitatur eryſipelas.

Cauſa materialis.

Materialis autem cauſa eſt humor bilioſus, & ille quidem non naturalis, dico non naturalis, quoniam nunquam vidi excitatam fuiſſe eryſipelam à bilioſo humore naturali. Sed dices: bilis naturalis nonne fluit in partem aliquam, & retinetur? Vtique fluit, ac retinetur; tamen nunquam vidi ex bile naturali excitaram eryſipelam, ſed ſolum infectam fuiſſe cutim colore vel pallido, vel flauo. quare dico, quòd materialis cauſa eryſipelæ eſt bilis non naturalis, dum in partem aliquam fluit, inibique firmatur.

Aliæ quinque ſpecies à materia deſumptæ.

Quare dico, quòd bilis non naturalis ſemper eſt materia eryſipelatis vel mixta cum ſanguine; vel alio humore; vel ob putredinem magna acrimonia acquiſita, vel non. Quia igitur accidit, vt talis humor bilioſus variè, ac variè miſceatur; idcirco plures tribus dictis habemus eryſipelatis differentias, ſeu ſpecies, ratione materiæ, formæ, & ſymptomatum diuerſorum. Et prima eryſipelatis ſpecies, vt Galenus in libello de tumoribus præter naturam, cap. 9. dicit, eſt, quæ fit à bile non naturali admixta cum portiuncula humoris ichoroſi, ſanio ſiue, hoc eſt, cum pauco ſanguine, & illo quidem tenuiſſimo, vel ex ſanguine ipſo bilioſiſſimo, ac tenuiſſimo oritur: & tale eryſipelas vocatur eryſipelas purum, ſimplex, & exquiſitum à Galeno in 2. ad Glauconem, cap. 1. & in lib. de tumorib. & ab Auicenna, ac recentioribus Spina.

Tumor medius inter phlegmon. et eryſipelas.

Altera ſpecies eryſipelatis fit, quando bilis non naturalis miſcetur cum ſanguine ex æquo, ideſt, quod tantum eſt de bile, quantum de ſanguine, & talis ſpecies vocatur eryſipelas factum ſecundum mediam quandam ideam à Galeno: eius enim ſigna media ſunt inter ſigna bilis, & ſanguinis, ita, vt huiuſmodi tumor non poſſet diſtingui, an ſit eryſipelas, vel inflammatio, ſed vtrunque eſſe videtur. Tertia ſpecies fit, quando multa bilis commiſcetur cum pauca ſanguinis quantitate, & vocatur eryſipelas inflammatum, à Græcis autem ἐρυσίπελας φλεγμονῶδες, hoc eſt, eryſipelas ſapiens naturam inflammationis:

Eryſipelas phlegmonodes.

ſi verò caſu fieret, vt maior eſſet copia ſanguinis, quàm bilis, vocatur φλεγμονὴ ἐρυσιπελατῶδης, ideſt, inflammatio, quæ ſapit naturam eryſipelatis.

Oedematodes.

Quarta ſpecies eſt, quãdo multa bilis commiſcetur cum portiuncula phlegmatis aquoſi, ac tenuis, & dicitur à Græcis ἐρυσίπελας οἰδηματῶδες, ideſt, eryſipelas oedematoſum, vel quaſi eryſipelas habens adiunctum oedema: vocatur quidem eryſipelas, quia adſunt ſymptomata, & notæ bilis; dicitur poſtea oedematoſum, quia adeſt etiam aliquod ſignum oedematis: quod ſi contra fiat, vt maior ſit copia pituitæ tenuis, & minor bilis, tumor ille appellatur oedema eryſipelatoſum. Si verò fluens bilis ſit commixta cum pauco humore craſſo, vel ſaltem cum minori copia, quàm ſit ipſa bilis, ſiue humor ille ſit pituitoſus, ſiue melancholicus, conſtituitur quinta ſpecies eryſipelatis, quæ vocatur ἐρυσίπελας σκιῤῥῶδες, ideſt, ſcirrhoſum:

Scirrhodes.

ſi verò eſſet pauca bilis, & multa materia craſſa, vocaretur ſcirrhus eryſipelatoſus. Igitur prima ſpecies eryſipelatis fit à pura bile non naturali, mixta tamen cum portiuncula ſanguinis bilioſi, vel fit à ſanguine bilioſiſſimo, ac tenuiſſimo, & ſimpliciter vocatur eryſipelas, & ſpina ab Auicenna, & Recentioribus: altera ſpecies fit à bile mixta cum pauco ſanguine: tertia à bile, & ſanguine æquis portionibus mixtis: quarta à multa bile mixta cum pauca pituita tenui, & vocatur eryſipelas oedematoſum: quinta à multa bile mixta cum pauco humore craſſo, & appellatur eryſipelas ſcirrhoſum, ac durum: Quibus ſpeciebus ſi addideritis alias tres ſupra dictas, quòd alia eſt pura & ſimplex, ſecunda vlcerata, tertia refrigerata, erunt in vniuerſum quindecim ſpecies eryſipelatis.

Signa.

Signa quibus cognoſcitur exquiſitum eryſipelas, hæc ſunt: primò cognoſcitur per
1 contradiſtinctionem ab ipſa inflammatione: nam tam inflammatio, quàm eryſipelas eſt tumor calidiſſimus; verùm non æqualis in vtroque caliditas eſt: quotieſcunque igitur videritis aliquem tumorem calidum, & non aderunt ſigna inflammationis, dicatis ſtatim humor iſte eſt eryſipelas, & non alius tumor: carbunculus enim non erit, quoniam adeſſent propria carbunculi ſigna: igitur primum ſignum eryſipelatis ſumitur à collatione, ſeu contradiſtinctione ipſius cum inflammatione: nam eryſipelas exquiſitum

eſt

eſt veluti inflammationis ſpecies,& quaſi contradiuiditur phlegmoni veræ: & ideo non
eſt mirum,ſi cognoſcatur ex collatione ad inflammationem,quod colligitur ex Galeno
in 14.methodi,cap. 1.& 2.& in ſecundo ad Glauconem,cap. 1. Alterum ſignum ſumitur 2
à colore ipſius eryſipelatis : nam eius color , vt fuit ſententia Galeni locis citatis , eſt va-
rians à colore inflammationis , quia eſt vel ex rubicundo inclinante in ſubflauum, vel in
ſubpallidum,vel ex flauo inclinante ad rubrum:& ratio talis coloris eſt,quoniam quam-
uis eryſipelas fiat à bile ; tamen non fit à bile pura , ſed à bile non naturali , quæ ſemper
habet aliquid ichoris ſanguinis admixtum ; & propterea non fit ſyncerus color bilis,
ſed mixtus quodammodo ; ſemper tamen inter illos colores dominatur, vel flauus, vel
pallidus , nunquam autem rubeus : Aliud quoque ſignum à colore accipitur, vt ait Ga-
lenus in ſecundo ad Glauconem , & eſt , quòd ſi digito contangas , fricesque tumorem ,
ſtatim videbis,quòd color ille cedet, & in loco illo, per quem tranſiuit digitus, relinqui-
tur ſignum albiſſimum , & illicò recurrit , reditque color priſtinus : nam ex tactu facilè
ſanguis ſubterfugit, turſusque illabitur exquiſitè tenuis , & aſpectu fuluus , ſeu rubicun-
dus. Tertium ſignum à tumore ipſo accipitur, in quo tumore primò obſeruanda eſt 3
magnitudo, quæ vel eſt magna, ideſt, occupat magnum ſpatium, ſed non prominet, vel
eſt elata , & prominens : ſi igitur videas, quòd magnitudo tumoris ſit depreſſa , hoc eſt,
quòd tumor non promineat , ſciatis illum eſſe eryſipelas : nam tumor , qui inflamma-
tio vocatur , valde prominet : Secundò circa tumorem ipſum eſt obſeruandum , vt con-
tangatis tumorem , & ſi perſenſeritis digito , quòd ſola pars cutanea eſt affecta , dicatis
eſſe eryſipelas ; contrà verò , ſi percipias inundationem , & affectam eſſe ſubſtantiam
infra cutim ; dicas , quòd non eſt eryſipelas. Aliud ſignum ſumitur à calore , & erit 4
quartus locus à quo ſumuntur ſigna : à calore igitur ſignum ſumitur , quoniam in ery-
ſipelate calor eſt non ſolum in affecta parte , verùm etiam in toto corpore , ita vt adſit
febris , vt fuit ſententia Galeni in quarto de morbis acutis , vbi ait : Et morbus inflam- »
mans eſt eryſipelas , & hac ratione inter inflammationes connumeratur ab ipſo in ſe-
cundo ad Glauconem: Cùm enim in eryſipelate peccet humor bilioſus,& ille putreſcat,
communicatur putredo cordi,& ita communicatur inflammatio vniuerſo corpori,fitq;
febris, quæ conſequi ſolet naturam febrium earum , quæ oriuntur à bile , ideſt tertiana-
rum,quemadmodum febris,quæ ſolet adeſſe in inflammatione,conſequitur naturam fe
brium ſanguinearum ; at febris , quam excitat eryſipelas, eſt magna , qua totum corpus
ardet:nam ait Galenus in lib.de cauſis morborum,cap.2. quòd,cùm in eryſipelate putre-
ſcat bilis,calorem immodicum in parte excitat, & tandem à parte poſt partem cor accē-
ditur,febrisq; excitatur valde ardens, quæ eò ardentior etiam in vero eryſipelate, quam
in inflammatione,eſſe debet, quò humor bilioſus calidior,acriorq; eſt ſanguine. Quin- 5
tum ſignum ſumitur à pulſatione ipſius tumoris:nam,vt inquit Galenus in 2.de locis af-
fectis,cap.3. pulſatio eſt parua cum minimo dolore pulſantibus arterijs. Sed hic oritur *Dubitatio*
dubitatio,quoniam Galenus in 14.methodi,cap.1. loquens de inflammatione ponit pul- *de pulſatio-*
ſationem pro proprio,& adæquato ſigno inflammationis : ergo non eryſipelatis; vel iſti *ne.*
duo tumores reponentur ſub eadem tumoris ſpecie. Solutio ſumitur ex ipſomet Ga- *Solutio.*
leno in ſecundo ad Glauconem, capite primo, vbi ait,nec dolorem, nec tenſionem, nec
pulſum , neque oppreſſionem ineſſe ſimilem , & præcipuè , quando eryſipelas compre-
henderit tantum ſummam cutim. Igitur verum eſt , quod magna pulſatio cum magno
dolore eſt proprium ſignum inflammationis ; parua verò cum paruo dolore eryſipela-
tis: & propterea cum videritis tumorem , qui habeat leuem pulſationem , & vix dolen-
tem, dicatis eſſe eryſipelas ; ſi verò pulſatio , & dolor ſit vehemens , dicatis eſſe inflam-
mationem. Sed contrà diceret aliquis,pulſationem nihil aliud eſſe diximus, quàm ſen-
ſum pulſatiuum arteriarum , quando arteriæ tendunt partes circumpoſitas agitatæ à ca-
lore: ergo vbi maior erit calor agitans arterias,ibi quoque maior pulſatio fuerit : ſed ſic
eſt,quòd bilis eſt calidior ſanguine, & præſertim longè calidior eſt, quādo putreſcit,quo
tempore ſpiritus etiam ipſi ſunt calidiores;ergo maior pulſatio erit in eryſipelate,quàm
in inflammatione:nam cum maior ſit caliditas,quàm in inflammatione,magis extenden
tur arteriæ,quæ magis extenſæ fortiùs,& validiùs percutient partes circumpoſitas, & ita
maior pulſatio fiet. Dicendum, quòd quāuis materia faciens eryſipelas ſit aptior ad ex- *Cur minor*
tendendas,agitandasq; arterias,quàm ſit ſanguis;tamen maior eſt pulſatio in inflamma- *in eryſipela-*
tione , quàm in eryſipelate , primò quidem, quoniam eryſipelas eſt tumor cutaneus ; & *te , q̃ phleg-*
ideo arteriæ,quę in ſuperficie ſunt minores exiſtunt, quàm quę in profundiori ſunt par- *mone ſit pul*
te : cùm itaq; minores ſint,& anguſtiores,minor fit pulſatio : Secundò,quia cum tumor *ſatio.*
ſit in ſuperficie, materia illa bilioſa faciliùs exhalat , quàm ſi eſſet ſanguinea, tùm ob ſui
tenuitatem,tùm etiam ob raritatem cutis ; & præcipuè, quia in eryſipelate non eſt tanta

materiei congeſtio, quanta eſt in inflammatione: minor quoque obſtructio eſt in eryſipelate, quàm in inflammatione. quare etiam ſi bilis ſit calidior ſanguine, tamen cum multæ partes bilis exhalent continuò, pauciores remanent ſpiritus, qui cum pauci ſint, licet ſint feruentiſſimi, non poſſunt ita validè exagitare, extendereque arterias. Præterea, cum materia ſit pauca, non coanguſtatur ita locus, circa quem arteriæ mouentur, & ita minor fit pulſatio. In inflammatione autem maior fit pulſatio, tum quia ſpiritus feruidi ſunt copioſiores (nequeunt enim tam facilè exhalare) tùm quia ob copiam materiæ coanguſtatur locus, circa quem arteriæ ipſæ mouentur; & ſic validius percutiunt ad parietes, & maior percipitur pulſatio. Sextum, & vltimum ſignum ſumitur à ſpecie doloris: nam dolor in eryſipela eſt pungens ſine tenſione, & mordicans ita, vt uideatur locus à ſpinis pungi, & propterea tumor iſte ab Auicenna, & alijs quibuſdam vocatus eſt ſpina. Signa igitur quibus cognoſcatur eryſipelas ſunt iſta: primò eſt tumor inflammatus compreſſus, non autem prominens; deinde cutim, ſuperficiemque occupat; color ipſius eſt ſubflauus, vel ſubpallidus rendens ad ruborem, qui color ad contactum tumoris ſtatim aufugit, ſtatimque reuertitur; calor ſummus eſt in parte, & in toto corpore, pulſatio parua, & parum doloroſa; dolor pungens, ac mordicans, perinde atque acus, vel ſpinæ perforarent partem illam: Quibus ſignis ſi acceſſerint aliquæ notæ inflammationis, habebitis tumorem eſſe eryſipelas phlegmonoſum: ſi adſint aliqua ſigna œdematis, colligetis eſſe eryſipelas œdematoſum: ſi ſcirrhi, ſcirrhoſum.

Signa miſti & nothi eryſipelatis.

Si igitur ad patientem eryſipelas aduocaretur Phyſicus (dico Phyſicus: quoniam Phyſici & non Chirurgi aduocantur pro curando eryſipelate) quidnam primò debet agere? Cognoſcere naturam affectus, & ea omnia, quæ affectui ſolent ſuccedere. Cùm enim eryſipelas cõnumeretur inter tumores acutos, & periculoſos, debet medicus, antequam curationem ſuſcipiat, prænunciare periculum; & quæ ſolent ſuccedere. Igitur de prognoſtico dicamus: & primò, ſi eryſipelas inuaſerit faciem, vel caput, prænunciate magnum periculum: nam periculum eſt, ne cum ſit foris, intus retrocedat, & ita corripiat membranas cerebri, & mortem inducat: caro enim in facie mollis eſt, & rara; & ideo humor facillimè petit interna, & cerebrum. quare prænũciate periculum mortis: quemadmodum etiam, ſi eryſipelas eſſet in collo, & ceruice, vt ait Celſus lib. 5. cap. 26. & rationem affert Paulus lib. 4. cap. 21. quia eryſipelas in ceruice, & capite exiſtens, ſi retrocedat, ſolet (inquit) ſuffocare. Secundò ſi ſit vulnus, vel vlcus in parte aliqua, & præcipuè in capite, & propter vulnus denudatum ſit os, & ſuccedat eryſipelas, ſciatis adeſſe maximum periculum: quemadmodum etiam, ſi ex confractione os aliquod excat à parte aliqua, & detectum remaneat, & pars deinde illa corripiatur eryſipelate, prænunciate periculum vitæ: plurimi quidem ſanantur; ſed plurimi etiam moriuntur, vt fuit ſententia Hippocratis in 7. Aphor. aphoriſ. 19. dum ait: in oſſis exutione eryſipelas malum. Idem iudicium tradetis de eryſipelate in fractura cum exutione oſſis, quod tamen rarò accidit, vt dicit Guido. Tertiò, ſi cum eryſipelate ſit coniunctus abſceſſus (quod cognoſces ex tactu: nam ſenties inundationem) prænuncia maximum periculum, vt fuit ſententia Hippocratis in 7. aphoriſ. 20. vbi ait: Ab eryſipelate putredo, aut ſuppuratio malum: nam inquit Galenus, hæc non ſuperueniunt eryſipelatis, niſi malignis. Malignitas autem eryſipelatis inclinat in ſphacelum, & gangrænam. Quartò, ſi eryſipelas moueatur à partibus internis ad exteriores, dic eſſe bonum ſignum; contrà verò, ſi ab exterioribus ad interiora moueretur, vt teſtatur Hippocrates in ſexto aphoriſmor. 25. dicens: Eryſipelas ab exterioribus verti ad interiora non eſt bonum; ab interioribus autem ad exteriora bonum. Quintò, ſi eryſipelas inuadat pulmones, veſicam, & vterum, prænuncia periculum magnum vitæ; ſi enim mulieri grauidæ in vtero fiat eryſipelas, mortale eſt, inquit Hippocrates 5. aphoriſmorum 43. Sextò, ſi eryſipelas ſit refrigeratum, & durum factum, aut ob inſcitiam Chirurgi, vel aliam ob cauſam, prænuncia periculum ſphaceli, & gangrenæ, vitæque ſimul, quia in ſcirrhum vertitur, aut pars corrumpitur. Septimò & vltimò, ſi eryſipelas ſit in loco aliquo non periculoſo, neque dicta adſint, vt æger, & aſtantes velint perito Medico parere, prænunciandum eſt, quod citò ſanabitur, & quidem per reſolutionem: hic enim ſolet eſſe eryſipelæ ſucceſſus, vt citò, & per reſolutionem finiat.

Prognoſtica.

Eryſipelata periculoſa quibus in partibus.

Salutaria, quæ, & quomodo fiant.

Habito, quid ſit eryſipelas, quæ, & quot ſint eius cauſæ, ac ſigna, & quid prænunciandum, iam ſuccedit de modo curandi. Itaque primò quantum ſpectat ad ſex res non naturales, eo modo ferè ſunt inſtituenda, quo in curanda inflãmatione inſtituimus. Ambiens enim debet eſſe valde refrigerans. Pariter cibus & potus refrigerans, & humectans: Sed caueat à multo cibo, à pinguib. omnibus, ab acribus, à dulcibus, & à vino. Motus fugiendus, & precipuè partis affectæ. Somnus ſit moderatus, vigilia obeſt. Animi perturbationes, &

Victus ratio.

Digitized by Google

nes, & Venerei affectus, cogitationesq; fugiendæ ſunt. Aluus ſeruetur ſemper lubrica. Et, vt vnico verbo dicam, ea omnia circa ſex res non naturales ſunt obſeruanda, quæ obſeruantur in inflammatione.

Succedit modo purgatio: & primò quæ fit per ſectionem venæ, quæ, videndum eſt, vtrum conueniat, necne. Cùm in eryſipelate materia fluat à loco ad locum, & ſubitò quidem fluat, idcirco Celſus in quinto lib. cap. 26. probat ſectionem venę, viribus conſentientibus: quod & Paulus confirmat, nam in quarto lib. cap. 21. inquit, quòd ſi eryſipelas occupauerit caput, & faciem, ſecanda eſt ſtatim vena, quia ſolet ſuffocare: ſimiliter in quacunque parte fuerit, dummodo eryſipelas ſit magni momenti. Contrariam tamen his ſententiam habet omnino Gal. in 2. ad Glauc. c. 2. & in 14. metho. c. 3. vbi monet nos, vt in eryſipelate nullo, qualiſcunq; fuerit momenti, ſecemus venam; immò venæ ſectionem non eſſe neceſſariam dicit: & propterea magna hic videtur adeſſe difficultas. Nam Celſi & Pauli authoritas magna eſt, & eò magis, cùm videatur niti rationibus: quoniam eryſipelas connumeratur inter morbos acutos, & celeres, necnon inter magnos, cum habeat violēta ſymptomata coniuncta: in morbo autem acuto celeri, & magno, magna, citaq; indicatur curatio, & remedium; ergo conuenit ſectio venæ: Nam magnitudo morbi indicat ſectionem venę, dummodo morbus pendeat à materia: ſic enim eſt audienda illa propoſitio: cùm igitur eryſipelas ſit morbus, qui fit à materia, ſitq; magnus, neceſſariò videtur ſecandā eſſe venam. Præterea, eryſipelas fit à bile, quæ ſi caſu occupet partem aliquam nobilem, citò ſuperat calorē innatum; ergo, ſi eryſipelas oboriatur in capite, vel in facie, vel in thorace, vel in huiuſmodi alia parte, ſecanda eſt vena, vt citò ſuccurramus magno periculo imminēti. Inſuper in eryſipelate adeſt maximus feruor, qui indiget refrigeratione magna & ſubita: ſed magna & cita refrigeratio fit per ſectionem venę: nam per ipſam euacuatur materia faciens feruorem, quæ eſt ſpiritus, & pars tenuior ſanguinis; ergo conuenit venæ ſectio: Eò etiam magis, quia venæ ſectio firmat fluxionem, quæ fluxio eſt in eryſipelate. Itaque videtur, quòd Celſus, & Paulus benè faciant, cùm velint, quòd in eryſipelate quolibet magni momenti conueniat ſectio venæ. Potius enim venæ ſectio videtur conuenire, quàm pharmacum, quoniam ſectio venæ euacuat, & refrigerat: pharmacum autem euacuat, & calefacit euacuando.

Diſſidium de venæ ſectione.

Authoritates & rationes pro ſectione venæ.

Quidam volentes conciliare ſententiam Celſi & Pauli cum ſententia Galeni dicunt, quòd Paulus cum conditione loquitur: nam in principio capitis videtur innuere, quòd in eryſipelate, in quo ipſe præcipit ſectionem venæ; peccet bilis, & ſanguis ſimul; maior tamen portio bilis: & ita ſecundum iſtos Paulus vult ſecandam eſſe venam, non in quocunque eryſipelate; ſed in eryſipelate phlegmonoſo, & ita dicunt eum non diſſentire à Galeno, quia Galenus prohibet ſectionem venæ in ſimplici eryſipelate; non autem in eryſipelate cum inflammatione, in quo & ſi non conueniat ſectio venæ, ratione bilis; conuenit ſaltem ratione portionis ſanguinis, qui cum bile mixtus efficit eryſipelas. Sed hoc ſubterfugium mihi non placet, quia ſequeretur, quòd Paulus nullibi docuiſſet curationem ſimplicis eryſipelatis, ſi in eo capite 21. loqueretur, vt iſti dicunt, de eryſipelate mixto, quod eſt falſum, quia Paulus conſueuit ſemper tradere curationem ſimplicis affectus; poſtea tradere aliqua, quæ faciunt ad affectus compoſitos: Sed dices: loquitur ibi de curatione eryſipelatis compoſiti, non autem ſimplicis; non tamen propterea ſequitur, quod nullibi tradiderit curationem ſimplicis; quoniam curatio ſimplicis elicitur ex curatione compoſiti. Dico hoc non poſſe dici, quoniam omnia, quæ Paulus ibi docet, faciunt ad curationem eryſipelatis ſimplicis, & ita nullo modo Paulus conſentit cum Galeno. Præterea, ratio poſtea curationis inferior Pauli eſt eryſipelatis puri, ac ſimplicis, qualis eſt Galeni, & tamen Galenus in ſecundo ad Glauconem, cap. 2. ait, quòd eryſipelas mixtum cum inflammatione requirit curationem mixtam, & non ſimplicem.

Conciliatio Galeni cum Paulo iuxta quoſdam.

Confutatio.

Alij dicunt ſe obſeruaſſe maiorem partem eryſipelatum, quæ in capite oboriuntur, eſſe cum inflammatione; & ideo dicunt Paulum loqui de eryſipelatis orientibus in capite. Sed ego oppoſitum obſeruaui: nam pauciſſima eryſipelata vidi phlegmonoſa; plurima verò œdematoſa. quare non video, vndenam iſti hoc obſeruarint, cum obſeruatio eorum ſit falſa, & contra illud, quod omnes alij Medici obſeruarunt, obſeruantque quotidie.

Aliorū conciliandi modus reijcitur

Ergo errat Paulus & Celſus? Errant mea ſententia, & Galenus bene dicit. Dico igitur, quòd in eryſipelate, præſertim ſimplici, debemus procedere per ſuas indicationes: videamus modò, quænam ſint indicationes iſtæ: In eryſipelate habemus materiam fluentem, quæ bilis eſt, quacum ſemper eſt commixta portio aliqua ſanguinis tenuioris: nunquam enim reperi ego, nec poſſibile eſt reperiri, eryſipelas, quod

Authoris ſententia, quæ eſt Gal. explicatur.

fieret ex ſola bile; ſed ſemper bilis illa haber commixtum aliquid tenuioris ſanguinis; ſed ſanguis ille non facit quidquam in curatione. Cum itaque eryſipelas fiat à bile ſimplici, indicatur, vt bilis illa cohibeatur, ne fluat; aut aliò conuertenda; ſed præcipuè indicatur euacuatio ſolius bilis, & cita quidem euacuatio, quia bilis citò mouetur, citoque efficit morbum: & quia morbus citò fit; idcirco indicatur euacuatio, quæ eſt citum remedium: ſed quænam euacuatio conueniat, communis, an particularis, non ſatis conſtat: Vt autem intelligatis, quædam ſunt euacuationes, quæ vocantur communes, quædam particulares propriæue: Communis euacuatio vocatur, per quam educitur non peculiaris aliquis humor, ſed indiſcriminatim omnes humores: Particularis verò, in qua educitur peculiaris humor, vt, verbi cauſa, ſi euacuetur bilis per rhabarbarum, vel per ſcammonium, vel atrabilis per veratrum, vel per aliud medicamentum, quod habeat vim educendi peculiarem humorem, talis euacuatio vocabitur particularis; ſi verò exhibeatur aliquid, quod euacuet per ſudorem non euacuatur peculiaris aliquis humor, ſed indifferenter omnes: hac eadem ratione euacuatio, quæ fit à diureticis per vrinam, & euacuatio per ſectionem venæ, dicitur communis, quia ſicuti per ſudorem, & per lotium educitur ſeroſa humiditas omnium humorum, ita etiam per ſectionem venæ euacuatur maſſa ſanguinea: quænam igitur euacuatio, communis, an propria, conuenit in eryſipelate? Dico, quòd ſemper eſt eligenda euacuatio particularis: nam bilis, vt bilis eſt humor per ſe, & ideo bilis, vt bilis, propriam, ac peculiarem indicat euacuationem, qua, ſi fieri poſſit, debemus vti. Cum itaque poſſimus vti euacuatione particulari, & cum ipſa aſſequi, quod intendimus, debemus omittere ſectionem venæ. quare cum bilis ſit humor tenuis, & facile fluat, facileque educatur medicamento, maximè conuenit euacuatio, quæ fit per pharmacum opportunum: & facile ſuccedit non ſolum euacuatio, verum & refrigeratio, præcipuè, ſi euacuare poſſumus cum medicamento frigidiori. Cum itaque in eryſipelate poſſimus bilem peccantem citò, ac facile euacuare, pariterque refrigerare cum medicamento bilem peculiariter educente, omittenda eſt omnino ſectio venæ. quare rectè Galenus ipſam omittit in eryſipelate ſimplici, ſiue in facie ſiue in alia corporis parte eryſipelas fuerit. Sed ſi eryſipelas eſſet phlegmonoſum, & ſanguis abundaret, vtique ſecanda eſſet vena: nam geminatus tunc eſt ſcopus, quia indicatur euacuatio non ſolum bilis, ſed etiam ſanguinis: & propterea in eryſipelate phlegmonoſo ſecanda eſt vena; in ſimpliciori autem per ſe, non indicatur ſectio venæ, ſed ſolum euacuatio particularis, quæ fit cum peculiari medicamento, quo aſſequimur euacuationem, citamque refrigerationem. Itaque in eryſipelate ſimpliciori, non conuenit euacuatio communis, ſed propria; in compoſito autem mixtoq; inflammationi, & magni momenti, vtique conuenit communis, quæ fit per ſectionem venæ. Cæterùm ſi eryſipelas magnum eſſet in capite, aut facie, & retrocederet, tunc, etiamſi ſimplex eſſet, ſecanda eſſet vena; quoniam tunc indicatur celerrima euacuatio, quæ fit per ſectionem venæ, ne materia illa repat ad cerebrum, & hominem enecet; in reliquis autem caſibus in ſimpliciori eryſipelate non eſt ſecanda vena, quoniam poſſumus ſatiſfacere cum particulari euacuatione. Igitur in eryſipelate magni momenti, ſi materia retrocedat, & validus ſit motus ad internas partes, ſecanda eſt vena. hoc caſu excepto, in nullo alio eryſipelate ſecanda eſt vena, ſed conuenit ea euacuatio, quæ fit per pharmacum cholagogon, quæ eò neceſſaria eſt, vt ait Paulus in 4. cap. 21. quod Galenus prius mandarat lib. 2. ad Glauc. cap. 2. & Rationem affert, cur præcipue ſit cholagogo euacuandum corpus, quia egemus non ſolum bilis euacuatione; verum etiam magna refrigeratione: Si enim in initio vteremur repellentibus, & omitteremus euacuationem, poſſet materia repelli ad partem aliquam principem, cum præſertim bilis facilè refugiat: ne igitur hoc fiat in initio ſtatim tale medicamentum eſt exhibendum, quod non ſolum euacuet, ſed etiam refrigeret. Non ob id tamen putare debetis exhibitionem pharmaci in quocumque eryſipelate conuenire; ſed, vt ait Galenus in 2. ad Glauc. cap. ſecundo, obſeruandum eſt, an eryſipelas ſit magni, vel parui momenti: ſi parui, non opus eſt ſtatim deuenire ad euacuationem factam cum pharmaco, ſed ſat eſt euacuare cum clyſtere acriori: nam ex eiuſmodi clyſtere prorritatur natura, & ſic inſurgens expellit. Verùm ſi eryſipelas ſit magni momenti, multaque peccet materia, ſtatim exhibendum eſt pharmacum. Pharmaca autem hæc, quæ bilem euacuant ſunt duum generum: quædam euacuantia, & calefacientia; quædam euacuantia, & refrigerantia, ſeu temperata: & ideo cum dico exhibendum eſſe ilicò pharmacum non intelligatis de euacuantibus, & calefacientibus, qualia ſunt ſcammonea, & euphorbium, turbith, coccus cnidius, & ſimilia (nam hæc licet proſint euacuando, nocent plus calefaciendo) ſed intelligatis de ijs, quæ euacuando etiam refrigerant, cuiuſmodi eſt caſſia, thamarindi, ſebeſten, electuarium

Euacuationes communes, & particulares q.

In exquiſito Eryſipelate non eſt opus venæ ſectione, niſi fuerit magni momenti.

Cholagogon non eſt ſemper neceſſarium.

Cholagoga qualia eſſe debeant.

lenitiuum,

Digitized by Google

lenitiuum, diacatholicon, diaprunum ſolutiuum, diaſebeſten, ſyrupus violaceus ſolutiuus, & conſimilia. Poſſetis etiam vti clyſteriis acrioribus, quæ tamen non calefaciant, ſicuti ſolent, quæ recipiunt colocynthidem, & ſcammoneam; ſed ſat erit pro ſtimulatione ponere in clyſtere ſal, decoctum mercurialis, & his ſimilia. Componatis igitur medicamentum hoc modo.

Exemplum purgantis bilem.

℞. Rhabarbari electi ℈.iiij.
Florum, { Violarum, Boraginis } an. ʒ.i.
Decoctionis thamarindorum & paſſularum q.ſ.

Miſce & fiat infuſio. s.a. poſtea, facta vnica ebullitione, coletur, & fiat expreſſio, in qua diſſoluantur hæc.

Diacatoliconis ℥.ſ.
Syrupi roſ. ſolut. ℥.ij.

Miſce & fiat potus. Si verò medicamentum deſcriptum nolit æger, exhibeatis hoc.

Aliud.

℞. Floris caſſiæ.
Diaprunis non ſolutiui } an. ℥.ſ.
Confectionis Hamech ʒ.i.
Rheabarbari electi ℈.ij.

Miſce & fiant boli. Si autem clyſteri acriori vti volueritis, faciatis ſic.

Clyſter.

℞. Mercurialis,
Betæ,
Caulium an. q.ſ.
Seminum cartami,
Centaurij minoris,
Florum violarum an. ℥.i.

Miſce & fiat decoctio.

℞. Huius decoctionis lib.i.ſ.
Diaphenici, vel caſſiæ tractæ ℥.i.
Mellis roſ. colati ℥.iiij.
Salis cochlear. i.
Olei violacei ℥.iij.

Miſce pro clyſteri.

Facta euacuatione per pharmacum euacuans & refrigerans (quæ euacuatio ſubitò, apparente eryſipelate, debet fieri: neque enim expectanda eſt concoctio, quoniam materia ſui tenuitate apta eſt ad euacuationem) facta, inquam, euacuatione, tentanda eſt alteratio peccantis humoris cum ſyrupo de ſucco aceroſæ, roſaceo, & cum reliquis, de quibus dictum eſt in curatione inflammationis: nam eadem ferme curatio conuenit in eryſipelate, quæ in inflammatione: vterque enim tumor calidus eſt. *Alterantia.*

Ita in principio conueniennt repellentia; in incremento repellentia, & moderate digerentia; in ſtatu validè digerentia. Verùm animaduertendum, quòd, quemadmodum in eryſipelate eſt maior caliditas, quàm in inflammatione, ita quoque medicamenta in eryſipelate debenr habere maiorem vim refrigerandi, quàm in inflammatione: & ita ſtatim in initio eryſipelatis applicanda ſunt, quæ validiſſimè refrigerant, tutius tamen fuerit ſtatim à principio euacuare, quàm vti repellentibus, licet quæ ſolum refrigerant non dicantur verè repellenria, cum adſtringendi vim non poſſideant. Sed notandum, quòd, quemadmodum aliquando non tantum refrigeramus, quantum ſit opus, (& illa ratione non curatur tumor) ita contrarium ſæpe accidit, vt plus, quam par ſit, refrigeremus, & fiat tumor peior priore, quod ſolet præſertim accidere in eryſipelatibus non puris, & propterea Galenus tradit nobis in 14. meth. cap. 3. modum, & rationem cognoſcendi terminum, quouſque eryſipelas ſit refrigerandum: Cognoſcitur autèm terminus iſte ex duobus: primò ex calore percepto ab ægro, & à medico tangente: ſecundò ex colore ipſius tumoris: Igitur, antequam applicetis medicamentum interrogate ægrum, qualem nam calorem percipiat: exurentem proculdubio, & maximum dicet: deinde apponatis vos manũ tumori, & obſeruate, qualis ſit calor; poſtea imponatis medicamentum: Et, cum cognoueritis, tùm ex contactu manus, tum ex relatu, extinctum eſſe feruorem, auferetis, & non vlterius inſiſtetis in refrigeratione: & hoc modo cognoſcitur terminus quouſque ſit refrigerandum ex calore percepto tùm à medico, tùm ab ægro. Secundò ex calore cognoſcitur hoc modo: madefacimus linteum in ſucco aliquo refrigerante, & ſuperimponimus tumori, & obſeruamus quanto tempore exiccetur; exiccatum cum fuerit, iterum madefactum imponimus, & ſic inſiſtimus per tres, verbi gratia,

Localia.

Neq; nimis, neque minus refrigerãdũ.

Duo modi cognoſcendi terminum refrigerationis in quocunq; eryſipelate.

tia, aut quatuor dies; & ſi videmus, quòd prima die linteum ſtatim exiccetur, altera tardè, tertia tardius, quarta tardiſſimè, indicium habemus certiſſimum, feruorem illum eſſe extinctum: A calore igitur cognoſcitur terminus, quouſque ſit refrigerandum, vel à calore percepto ab ægro, vel à medico, vel ex impoſitione medicamenti. A calore autem cognoſcitur, qui color in eryſipelate eſt flauus admixtus cum aliquo rubore, vt ſupra dictum eſt: cum ergo videris, quòd ex impoſitione medicamenti redeat color qualis prius erat, dum pars erat ſana, non amplius eſt inſiſtendum in refrigeratione: nam color ille priſtinus recuperatus indicat extinctum eſſe feruorem illum: Cæterùm ſi eryſipelas non eſſet purum, ſed phlegmonoſum, materia erit craſſior; & ideo non tam citò reſtituetur priſtinus color: quo modo ergo in tali eryſipelate cognoſcemus quouſque ſit refrigerandum? Dico ex mutatione coloris tumoris in colorem malum, vt ſi eſſet eryſipelas phlegmonoſum, & videritis, quòd ex applicatione medicamenti refrigerantis, tumor mutet colorem, & contrahat colorem, verbi gratia, liuidum (ſicuti enim eryſipelas refrigeratum ſubitò amittit proprium colorem, ita eryſipelas mixtum cum inflammatione, vel non purum ad liuorem, vel ad nigredinem tendit) cum ergo hunc colorem videritis, ſtatim deſiſtatis ab vſu refrigerantium: nam ex mutatione coloris indicatur extinctum eſſe feruorem; ideo, ſi vlterius progrederemini refrigerando, periculum eſſet de peiori morbo. Si verò eryſipelas eſſet cum portione atræ bilis, hoc eſt, ſi fieret à bile, qua cum eſſet mixta portio atræ bilis, & ex applicatione frigidorum tumor mutaret colorem priorem in colorem nigrum, cum hoc vides, non vtare vlterius refrigerantibus; alioqui fieret gangræna: Ergo terminus refrigerationis in eryſipelatibus mixtis eſt mutatio coloris in colorem malum, ſiue color ille ſit niger, ſiue liuidus, ſiue alius ſit: nam pro diuerſitate materiæ varius ſolet fieri color. Hic igitur eſt terminus, quouſque debemus vti refrigerantibus.

Humectandum cum refrigeratione.

Sed cùm refrigerantium medicamentorum alia refrigerent, & ſiccent; alia refrigerent, & humectent, qualia conueniunt in eryſipelate, refrigerantia ne, & humectantia; an refrigerantia & ſiccantia? Paulus lib. 4. cap. 21. dicit, quòd refrigerantia, & humectantia, quod accipit à Galeno varijs in locis, ſed præcipuè in 2. ad Glauc. cap. 2. & in primo de compoſit. medic. per genera capit. 4. nam bilis eſt humor calidus & ſicciſſimus, & maximè in eryſipelate, quia putruit; & ideo, vt attemperemus caliditatem, ſiccitatem, & acredinem, vtimur refrigerantibus, & humectantibus potius, quam refrigerantibus, & ſiccantibus. Sed caueatis, ait Paulus, à refrigerantibus, & aſtringentibus: nam conſtiparent cutim, & ita, prohibita efflatione humoris biliosi, putreſceret magis, & fieret acris, ita, vt eroderet, & ita pro eryſipelate non vlcerato haberemus vlceratum, & ſic duos morbos. Sed contrà diceret aliquis: In eryſipelate vlcerato vtimur aſtringentibus, ergo & in non vlcerato vti poterimus. Dico, conſequentiam non valere, quoniam in vlcerato non tanta fit conſtipatio, quanta fieret in non vlcerato: nam in vlcerato deeſt corium, & ita materia poteſt facilè exhalare, etiam ſi applicitum fuerit medicamentum aſtringens; at in non vlcerato facilè conſtipantur pori corij. Quare in eryſipelate non vlcerato non ſunt applicanda medicamenta aſtringentia, ſed ſolum refrigerantia, & humectantia, qualia ſunt hæc ex Galeno & Paulo & Celſo: Ceruſa abluta, & diſſoluta cum ſucco ſolani: Cimolia creta diſſoluta cum aqua pluuiali: accipiatis cretam illam, qua figuli faciunt teſtas, & diſſolutam cum pluuiali aqua, vel cum alia aqua, & inungatis locum affectum: farina pura ex tritico pariter diſſoluta in aqua vel pluuiali, vel alia: farina etiam amyli, vel ex hordeo diſſoluta eodem modo opportuna eſt: lenticulæ paluſtris ſuccus, vel decoctum etiam bonum eſt, madefaciendo ſcilicet linamenta, & imponendo: ſuccus ſemperuiui, ſed ſit primus ſuccus, qui aquoſus eſt, non autem ſecundus, in quo ſunt partes terreſtres, quæ poſſent conſtipare: ſuccus portulacæ, pſyllij virentis, endiuiæ, ſonchi, ſuccus cucurbitarum, ſolani, lactucæ, polygoni, trifolij paluſtris, hyoſcyami, auriculæ muris, mandragoræ: poteris etiam vti aquis deſtillatis, maximè cum elambich plumbeo: Et mihi certè magis placent aquæ elambichatæ, quam ſucci, quoniam in aquis nihil remanſit terreſtri, quod poſſit obſtruere, ſicuti eſt in ſuccis. Cerata quoque habemus opportuna, vt ceratum factum ex oleo puro abluto, & pauca cera candidiſſima, quæ diu bulliant in aqua: vel cape oleum roſaceum maturum ablutum cum pauca cera alba, oleum dico ablutum primò poſca 2. aqua pura. 3. aqua roſacea, & mixtum cum cera fac linimentum, vel ceratum, & optimum eſt medicamentum, maximè vbi timor eſt, ne humor exulceret. his ceratis poteritis etiam addere parum opij, aut ſucci papaueris, aut cicutæ, aut mandragoræ: Ego ſoleo frequentiſſimè vti oleo amygdalarum dulcium: capio oleum, & pono in phialam ſimul cum aqua, & concutio, agitoue frequenter phialam, iterum accipio nouam aquam, & pariter agito,

Non aſtringendum niſi in vlcerato.

Simplicia refrig. & humectantia.

Aquæ deſtillatæ præferendæ ſuccis.

Compoſita.

& hoc oleo poſtea inungo tumorem, & nihil profectò eſt præſtantius: Solent & iſti vti vnguento roſ. Meſue, quòd & mihi placet, dummodo ſit recens: nam ſpatio vnius menſis ſolet fieri rancidum, & ita acquirit acredinem: debet igitur eſſe recens, & optimè paratum, ſcilicet, cum axungia recenti, nec ſalita, & ſæpe abluta, deinde mixta cum roſis, &c. Duo igitur hæc vltima medicamenta maximè conueniunt, & præcipue in eryſipelate faciei: Galenus vtitur aliquando diapalma cerato diſſoluto cum oleo roſ. crudo, nec ſalito, cui ſuccus ſolani crudus in mortario admiſceatur, aut ſuccus pſyllij; & ſi æſtas adeſt, ſuccus vuæ acerbæ: & quoniam aſtringit, neque eſt opportunus ſolus, admiſceatur ſemperuiuum, vel portulaca, vel vmbilicus veneris, ac ſimul miſceantur. Quamuis autem poſſimus vti his aliquot medicamentis, quæ oleum admixtum habent ex ſententia Galeni; tamen ego ſemper magis probarem, vt vteremur ſuccis herbarum dictarum.

Patet igitur, qualia medicamenta conueniant, nimirum refrigerantia, & humectantia, ſine vlla aſtrictione: patet pariter, quouſque ſit refrigerandum; nunc opus eſt, vt dicamus, quo modo talia medicamenta ſint applicanda: Galenus itaque in primo de cōpoſi. medic. per genera cap. quarto, dicit medicamenta imponenda eſſe non ſolum frigida potentia, ſed actu etiam; immò debere eſſe actu frigidiſſima, & ſi talia per ſe non ſint, paranda eſſe: & ideo dicit refrigeranda eſſe ſupra marmor, vel ſupra niuem: nam propter æſtum, qui eſt in eryſipelate, egemus celeri refrigeratione; & ideo nunquam imponatis medicamenta vel calida, vel tepida. De ſuccis autem monet Paulus, vt ipſis vtamur cum ſpongijs optimè ablutis, & purgatis, vt remoueatur ſalſugo, quam ſpongiæ habent ratione aquæ ſalſæ, in qua oriuntur, & aluntur: ſal autem, vt ſcitis, calefacit: vult ergo, vt abluamus optimè ſpongiam, & imbutam ſucco ſuperimponamus loco affectos vel loco ſpongiæ vtamini linteis mollioribus: ſed ſemper ſucci ſint frigidi actu, & potentia.

Modus vtendi medicamentis actu frigidis.

In his autem medicamentis inſiſtetis, quouſque remiſſus fuerit ardor. Remiſſo ardore, deuenietis ad medicamentum aliquod, quod frigefaciat, & diſcutiat, quale eſt medicamentum vocatum Græcè ὠμὴ λύσις, ideſt, cruda diſſolutio, quod medicamentum fit ex farina hordeacea, diſſoluta aqua pura, nullo adhibito igne, ita, vt nihil aliud ſit, quàm gluten factum, ſine igne: fiebat autem antiquitus hoc medicamentum ſeu polenta ex farina hordei toſti, & aqua pura. hoc igitur poſſetis imponere (refrigerat enim, & diſcutit moderatè) & relinquetis, quouſque extincta fuerit illa caliditas, verbi gratia, per integram diem: Calore illo extincto, imponetis hoc aliud medicamentum:

Omeliſis, q̃ diſcutit.

℞. Olei { Roſacei, Chamomelini } añ. ℥.ij.
Lithargyrij ℥.ij.
Succi { Menthæ, Rutæ } añ. ℥.s.

Magis diſcutiens.

Miſce, & coque, donec acquirat ſubſtantiam ita craſſam, vt non inquinet; poſtea adde.
Sulphuris viui ℈.ij.

Miſce, & fiat veluti ceratum, & oblinitum ſupra linteum applicetur loco affecto: medicamentum eſt opportunum, & magis diſcutit, quam illud ὠμὴ λύσις dictum. Poſſetis etiam vti diapalmate ſolo cerato: & ſi vis calidius, diſſoluas ipſum oleo chamomelino; ſi minus calidum, cum oleo roſaceo; ſi adhuc minus, vtere ſimplici.

Verum eryſipelas aliquando fit liuidum maxime, quando habet coniunctam aliquam inflammationem, & tunc, ne fiat gangræna, declinandum eſt ſtatim ab vſu dictorum medicamentorum: ſtatim, dico, apparente liuore, atque in tali caſu monent auctores, vt ſtatim nouacula ſcarificemus ſummam cuticulam; deinde abluamus locum ſcarificatum vel multa aqua marina, vel aqua pura, vel muria, ſi aqua marina non adſit; & aqua, vel muria, cum abluis locum, ſit calida, & diligenter abluas: hoc autem debet fieri, quoniam liuiditas, vel nigredo illa indicat ſubtus refrigeratum, & craſſefactum eſſe ſanguinem: & quia non poteſt diſcuti, neceſſe eſt ſcarificare locum, & abluere aqua ſalſa, vt humor ille attenuatus diſcutiatur. Facta ablutione, imponendum eſt loco ſcarificato hoc medicamentum: Capiatis farinam hordei toſti, & farinam fabaceam, & diſſoluatis muria faciendo emplaſtrum, & imponatis: Si vultis medicamentum validius, capiatis farinam vel cicerum, vel lolij, vel orobi, addendo etiam portionem aceti, & ſucci rutæ. Verum non niſi coacti deuenietis ad hæc validiora. Et notate, quòd Antiqui ſuperimponebant emplaſtrum cum folio betæ, quoniam ex tali folio effluit vis quædam nitroſa, quæ poteſt attenuare materiam illam craſſefactam; igitur & vos ita faciatis: & deficiente folio betæ, vtamini folio braſſicæ, extendendo ſcilicet emplaſtrum ſupra

Eryſipelas liueſcens ſcarificandum, abſtergendū diſcutiendū.

Digitized by Google

ſupra folium, & applicando loco ſcarificato; vel vtamini loco foliorum; & emplaſtri cerato ſupradicto. Ablato liuore conſolidentur ſcarificationes, impoſito diapalmate puro.

Eryſipelatis vlcerati curatio.

Sed ſi eryſipelas declinarit in vlcus, ideſt ſit factum vlceratum, curatio tota eſt herpetis non maligni cum refrigerantibus, & ſiccantibus, & aliqua ex parte aſtringentibus, & ita bonum erit linimentum ſimplex: magiſtrale vocatum in officinis: magiſtrale de thutia, quod in aliquibus officinis paratur: vel componatis vos aliquod medicamentum cum ſucco plantaginis, cum plumbo vſto, diſſolutis cum oleo chamomelino in mortario plumbeo: vel vtamini diapalmate diſſoluto oleo myrtino, vel roſac. omphacino.

De eryſipelate phlegmonoſo, vel oedematoſo, vel ſcyrrhoſo nil dico: quoniam eorum curationes patent ex curatione ſimplicium tumorum.

De Oedemate. Cap. XIII.

Nomen.

INTER tumores pituitoſos primus, qui nobis ſe ſe offert, eſt, qui vndimia, & apoſtema phlegmaticum molle vocatur à Barbaris, à Græcis vero οἴδημα, ideſt, oedema; in qua voce eſt obſeruandum, quod, vt ait Galenus in 3. de officina medici 9. Text. 30. & in 4. aphor. 34. antiquiores medici; vt Hipp. & alij per vocem hanc, οἴδημα, inrelligebant omnem tumorem præternaturam; & ita Hipp. loquendo de inflammatione, de ſcirrho, &c. dicit ſuperuenire oedema, intelligens per oedema quemlibet tumorem præternaturam, quare οἴδημα, & ὄγκος, ſeu oedema, & tumor apud Antiquiores illos (ait Galenus) ſignificant omnem tumorem; ſed poſteriores medici, vt Galenus, & reliqui, contraxerunt vocem hanc οἴδημα ad vnam tantum tumoris ſpeciem, de qua loquimur nos in præſentia, & eſt, ait Galenus in 3. de ſympt. cauſis, morbus organicus in magnitudine: ſed hoc non ſatisfacit pro explicanda natura huius morbi; at opus eſt addere id, quod dicit idem Galenus in 2. ad Glauc. cap. 3. & in 14. meth. cap. 4. vbi ait, quòd oedema eſt tumor mollis, laxus, ſine dolore: addatis ad hue aliam conditionem ex Auicenna in 3. 4. tractatu 2. & eſt, quòd nulla adeſt caliditas; &

Definitio.

ita Oedema erit tumor præternaturam mollis laxus ſine dolore, & ſine caliditate.

Cauſæ efficiētes fluxionem.

Oedematis huius efficiens cauſa eſt vt plurimum fluxio humoris pituitoſi, aquoſi, vt fuit ſententia Galeni in 2. prognoſticorum commentario 46. Raro autem fit oedema ex materiæ congeſtione. Fluxionis verò cauſæ ſunt partes expellentes, quæ aggrauatæ à quantitate materiæ inſurgunt, & propellunt ipſum, & decumbens in aliquam partem efficit oedema: aliquando etiam materia iſta ſtimulat ſua qualitate; ſed hoc raro accidit, quoniam materia hæc, à qua fit oedema, non eſt acris, vt poſſit ſtimulare. Altera cauſa efficiens fluxionis eſt laxitas ſubſtantiæ partis illius, in qua fit oedema: ſæpe enim partes non expellunt materiam; & tamen materia defluit propter laxitatem partium, in quibus fit tumor, quæ laxitas proritat fluxionem. Hæc fuit ſententia Galeni in 4. de præſagijs ex pulſibus cap. 4. vbi reddens cauſam, cur partes circa thoracem, ac membranæ non patiantnr oedemata, ait, hoc fieri, quia partes illæ non ſunt laxæ, ſed ſolidæ, & exiccatæ. Addatis aliam cauſam ex Galeno in 4. de præſagijs ex pulſibus cap. 4. & eſt intemperies frigida partis: nam Galenus ibi quærens cauſam, cur hepar non patiatur oedemata, etiam ſi ſit viſcus laxum, dicit, quoniam fluxio pituitæ aquoſæ non fit ad ipſum, & ſi pituita decumbat in hepar, vel diſcutitur, vel fit alius tumor ab oedemate, vt ſcyrrhus, dum pituitam illam ſuo inſigni calore incraſſat, & viſcidam reddit: ergo & frigiditas partis eſt aliquando cauſa oedematis. Dimitto & morbos quoſdam internos magnos, qui inrerdum ſolent eſſe cauſa oedematum, vt hydrope, & malus habitus. Dimitto etiam, quòd ob calorem, ac dolorem partis, atque ob extrinſecam cauſam aliquam, ictum ſcilicet veſparum, contuſionem, ac ſimilem cauſam, ſolent oedemata oboriri. Similiter & longa quies ſolet eſſe in cauſa huius tumoris, vt ſi quis diu fuerit in carcere, & in compedibus; aut diu cubarit, poſtea, cum ſurrexerit, incipiet pati oedemata. Situs etiam concurrit ad generationem huius tumoris; & ideo frequenter oriuntur in pedibus, in cruribus, in ſcroto, & ſimilibus partibus: talis igitur eſt efficiens cauſa oedematis.

Cauſa materialis eſt pituita naturalis ſecundum Recentiores.

Iam ſuccedit cauſa materialis, quam Recentiores conſtituunt eſſe pituitam naturalem, intelligentes per pituitam naturalem, humorem frigidum & humidum, ſubſtantia crudum, non valde craſſum, nec valde tenuem, præditum ſapore dulci, & colore tendente ad albedinem. Vocant hunc humorem naturalem ad differentiam non naturalis:

nam

Digitized by Google

nam diſtinguunt quemlibet humorem in naturalem,& non naturalem, vt ſcitis: vocant naturalem, qui ſe ipſo non eſt factus tenuior, vel craſſior: non naturalem vero, qui ſe ipſo factus eſt craſſior, vel tenuior: Et non naturalem ad huc dupliciter diuidunt: nam dicunt:alius humor eſt non naturalis per ſe; alius non per ſe; ſed per admixtionem alterius humoris. Dicunt itaque ſimplicis, ac legitimi oedematis materiam eſſe pituitam naturalem, ideſt, conſiſtentem in ſua natura. Sed Galenus videtur à Recentioribus diſſentire: nam vult, quòd oedema non ſolum fiat à pituita legitima, naturaliue; ſed etiam à pituita aquoſa, flatuoſaque: In qua re non ſolum à Recentioribus; verùm etiam à ſe ipſo videtur diſſentire, quoniam in 14. meth. cap. 7. loquens de tumoribus, qui fiunt à flatuoſa materia, quos ſua lingua vocat ἐμφυσήματα, ideſt, inflationes, diſtinguit, & ſeparat ipſos à puris oedematibus, tum quia in tumoribus his flatulentis non remanet fouea à digito comprimente, ſicut in oedemate à legitima pituita: tum quia dicit diuerſa ratione curari: & ita videtur velle, quod tumores a materia vaporoſa, ideſt, à pituita flatulenta non ſint oedemata; In 2. autèm ad Glauc. cap. 3. inquit, quòd oedema fit aliquando à pituita vaporoſa flatuoſaue, vt accidit in cadaueribus. Igitur non eſt mirum, ſi Recentioribus contradicat, cum & ſibi ipſi aduerſetur. Ad hanc contradictionem, quæ certè eſt magni momenti, dicerem ego Galenum in 14. methodi loqui de tumoribus, qui fiunt non à pituita flatuoſa, ſed à vero flatu: & ideo, remoto comprimente digito, ſtatim remouetur fouea; quia flatus ille illicò extendit, & hi diuerſam exigunt curationem ab oedemate; In 2. autèm ad Glauc. loquitur de oedemate, quod fit à pituita flatuoſa, ideſt, à pituita, quæ habet flatus aliquos admixtos: Quòd non intelligat ibi, per pituitam vaporoſam, ſimpliciter flatus, indicant ſua verba, quæ ſunt hæc: oedema autèm vocamus tumorem mollem, doloris expertem, quem ex pituitoſa ſubſtantia, aut ſpiritu vaporoſo fieri conſtat: quaſi per ſpiritum vaporoſum intelligat ſpiritū aquoſum, hoc eſt, pituitam, quæ tranſeat in vaporem: igitur per ſpiritum vaporoſum non intelligit flatum ſimpliciter, vt in 14. methodi, ſed pituitam flatulentam. Vnde Galenum inſequens Aetius lib. 15. cap. 1. dicit, quòd oedema aliquando fit à flatu halituoſo. Sed diceret aliquis: animaduertas, quòd Galenus in 2. ad Glauc. non loquitur de vero, & legitimo oedemate, ſed de illegitimo: hoc non poteſt dici, quoniam ex inſtituto ibi loquitur de oedemate; ergo ſignum eſt, quòd loquatur de vero oedemate, non autem de oedemate illegitimo.

Secundum Gal. etiam aquoſa, & flatuoſa.

Contradictionis ſolutio.

Oedema à pituita vaporoſa duplex.

Ac ut intelligatis, quid per oedema illegitimum intelligam, debetis ſcire, quod duplex datur genus oedematis à pituita vaporoſa: Vnum quidem, quod per ſe non conſiſtit; ſed alteri morbo accidit, & ſuccedit; & ideo vocatur oedema ſymptoma, vel oedema accidens à Græcis, quod ſolet accidere in vulneribus, & vt plurimum fit à pituita halituoſa, non autèm à pituita ſimplici, vel à flatu ſimplici: & huiuſmodi oedema potuiſtis videre, cum quis pungitur à veſpis, vel à ſimilibus animalibus: nam ſtatim fit oedema hoc ſymptoma vocatum, quia ſuccedit punctioni, & fit, vt dixi, à pituita vaporoſa: & de hoc oedemate non locutus eſt Galenus in 2. ad Glauconem. Alterum verò genus oedematis à pituita vaporoſa eſt, quod per ſe conſiſtit, & non vocatur tumor illegitimus, vel oedema accidens, vt prius dictum, ſed vocatur oedema legitimum, quoniam non ſuccedit alteri morbo, ſed per ſe conſiſtit, eſtque morbus, & habet diuerſam curationem ab illegitimo: & de hoc legitimo locutus eſt Galenus in 2. ad Glauc. cuius oedematis materia eſt pituita naturalis, ac pura, & vaporoſa, non admodum craſſa, nec valde tenuis.

Pituita naturalis quomodo dicatur tenuis.

Sed dices: Galenus in lib. de Tumoribus præternaturam, cap. 9. loquens de vero oedemate inquit, quòd fit ex pituita tenui: tu autem dicis, quod fit ex pituita naturali. Dico, quòd Galenus ibi vocat pituitam naturalem tenuem reſpectu pituitæ craſſæ: nam ipſe in 2. de differentijs febrium cap. 6. diſtinguit pituitam in ſalſam, vitream, dulcem, & acidam, quarum reſpectu pituita naturalis dicitur tenuis. Colligo igitur legitimum, & verum oedema fieri ex pituita naturali dulci, vel inſipida, non valde craſſa, nec valde tenui, & colore alba: Illegitimi autem oedematis materia eſt pituita admixta cum portione alterius humoris (excipio oedema illud illegitimum vocatum oedema ſymptoma) vel bilioſi, vel melancholici, vel ſanguinei, ita, vt aliud oedema dicatur phlegmonoſum, aliud ſcirrhoſum; aliud eryſipelatoſum, quare illegitimi oedematis duo dantur genera: alterum quidem fit ex pituita vaporoſa; reliquum ex pituita mixta cum portione alterius humoris.

Signa.

Signa puri oedematis ſunt, primò, cum vides partem fieri tumidam, & tamen non mutare ſuum colorem; indicatur tumorem illum eſſe oedema. Alterum ſignum eſt, quòd nullus, vel paruus admodum adeſt dolor. Tertium calor nullus, ſed potius frigiditas.

Digitized by Google

ditas. Quartum, & certiſſimum eſt fouea relicta poſt compreſſionem. Quintum nullus adeſt ſenſus pulſationis: & hoc eſt ſignum manifeſtiſſimum, ſiue tumor ſit magnus, ſiue paruus, & exiſtentibus etiam arterijs in parte affecta: Et hinc colligatis pulſationis duplicem eſſe cauſam: vna quidem eſt calor in ſubſtantia arteriæ prætermodum eam dilatans; altera eſt coanguſtatio ſpatij: quæ duo ſi concurrant, magna ſit pulſatio, vt accidit in inflammatione; altera verò deficiente, non ſit pulſatio, vt patet de oedemate: nam licet adſit coanguſtatio ſpatij; tamen non ſit pulſatio, quia deeſt calor prætermodum extendens arteriam. Sextum, & vltimum ſignum eſt, ſi ad tactum nullus percipitur ſtrepitus, vel ſonus, indicatur oedema non eſſe flatuoſum, ſed purum; ſi verò percipiatur ſonitus aliquis, quod non eſt verum oedema.

Præſagia. De iudicio autem, ſeu prognoſtico huius tumoris dico, quòd tumor iſte eſt benignus, quia ſit à benigna fluxione: benigna autem fluxio, teſte Galeno in 2. prognoſticorum commentario 46. vocatur fluxio benigni humoris, vt pituitæ, & ſanguinis; malignæ autem fluxiones dicuntur aliorum duorum humorum. Cum igitur oedema fiat, vt ait Galenus eodem loco, à benigna fluxione, non eſt præſagiendum aliquid mali, ſed ſanitas.

Indicationes Curatur morbus iſte per ſuas indicationes: & ideo opus eſt videre, quid indicet: Morbus ſit à materia fluente vel à toto, vel à partibus; vel à partibus pluribus, vel ab vna tantum; materia eſt plurima, & humida & frigida: & non adeſt ſæuum ſymptoma, nec virium imbecillitas: quare illud, quod in victu indicabitur, non impedietur: Attenuandus

Victus ratio. igitur eſt humor, ſiccandus, atque ſi fieri poteſt, abſumendus: Hoc facit ratio victus tenuis quidem, verum ſiccantior, atque iuſto calidior. Itaque eligatur panis optimè coctus. Vinum non nimis impotens, nec potentiſſimum. Carnes ſolidiores, ſed paucisſimæ, ex auibus multum volantibus, ac montanis; & vetuſtiores magis probantur, quam tenerrimæ, dummodo concoqui poſſint; ſintque potius aſſæ, quam elixæ, ac aceto, ac pipere, aut cinnamomo conditæ, aut alia ratione, qua paucum alimentum, idque ſiccius, atque calidius aſſumatur. Ambiens ſit ſiccus nulla ratione humidus, neque etiam valde calidus, ne cerebrum, ac cor offendat. Aperta ſit ſemper aluus, & ſi per ſe talis non ſit, reddatur clyſteribus, vel exhibeas alternis diebus pilulam vnam aloes dimidia hora antè cænam, vel prandium: Recentiores dant quatuor, vel quinque caricas, & in

Nota aluum ciens. vna quaque ponunt quatuor, vel quinque grana cartami illius, quod vulgo dicitur pabulum pſittacorum, mundata, & purgata à putamine, & exhibent caricas illas cum ſeminibus ante prandium; & certe medicamentum eſt præſtantiſſimum: ſuaue enim eſt, & leniter aluum aperit: quare non diſcedatis ab hoc medicamento; vel vtamini aloe, quod magis probatur, quoniam lenit ventrem, & ſiccat. Motus quanto crebrior, tanto melior in hoc morbo eſt, dummodo fieri poſſit ſine agitatione affectæ partis, quia & ipſe diſſoluit, ac digerit. Somnus ſit paucus, ac breuis. Venus eſt peſſima. Et (vt ſummatim dicam) in ſex rebus non naturalibus nihil aliud eſt tentandum, niſi vt exiccent, & diſcutiant.

Indicationes Secundum caput reſpicit ſtatum, totius corporis, atque venarum, in quo videndum eſt, cùm materia iſta fluat, à qua parte fluat, an à capite, vel à ventriculo, an à toto ambitu. Secundò, iam à parte, vnde fluit, gignatur, nec ne, vel potius per reflexionem ſiat fluxio ex ea: Nam, ſi ab aliqua parte tantum fluit, & ibi gignitur, datur indicatio, vt nos hanc fluxionem inhibeamus, aut euacuata parte ſola, aut ſimul toto corpore, aut ſi fieri non poſſit, alio deriuata materia. Tertiò, parte peccante, aut toto corpore,

De vena ſectione. eſt alterandum, vt illud genus excrementi amplius non gignatur, hæc indicantur. Quare euacuandum eſt corpus, ſi conſtent vires, non quidem ſectione venæ, niſi adeſſet magna repletio, quæ rarò accidit cum abundantia phlegmatis: in cacochymia verò frigida, & humida non eſt tutum imminuere ſanguinem, niſi maxima vrgeat neceſſitas, quod in oedemate non ſit. At excipiamus, niſi oedema ſit coniunctum cum inflammatione: tunc enim gemini, ac compoſiti ſunt ſcopi, & geminæ indicationes, quibus ſatisfaciendum eſt, quare ſectio venæ indicata in inflammatione conueniret.

De Pharmacia. De euacuatione autem per pharmacum nemini dubium eſt, quod conuenit: in qua re miror equidem de Galeno, quòd varijs in locis de oedemate ſit diligenter locutus, & nullibi de totius euacuatione fecerit mentionem, neque Paulus, neque Aetius: & non ſolum non fecerunt mentionem de purgatione: ſed nec etiam de præparatione viarum, tanquam hæc non eſſent neceſſaria. Auicenna tamen, & Recentiores monent faciendam eſſe; immò eſt neceſſaria, non ſolum in oedemate; ſed etiam in omni tumore ex fluxione, ſiue fluxio ſit à toto, ſiue à parte aliqua: igitur vacuandum eſt totum corpus cum pharmaco; prius tamen præparanda eſt materia cum oxymelite, vel melle roſaceo,

cum

cum decoctis quibuſdam, quæ attenuent, & aperiant vias: poſtea vacuetur cum agarico ſimul cum caſſia, vel cum diaphenicone ſolo, aut addatis trochiſcos alandal: poſſetis etiam cum pilulis cochijs; ſed eſt melius agaricum.

De localibus in oedemate ſymptomatico.

Et interim, dum hæc fiunt, diſtinguatis, vt facit Galenus in ſecundo ad Glauconem, cap. tertio, & decimoquarto meth. capitulo quarto, an oedema ſit per ſe, an conſecutum ſit ad vulnus: Si ſucceſſerit vulneri, indicatur, quòd materia eſt tenuis, ſecundo quod fluit, tertio quod adeſt aliquis dolor; & ideo indicatur, ſiſtendam eſſe fluxionem; digerendam materiam illam aquoſam; & mitigandum eſſe dolorem. Verum non eſt ſperanda curatio, niſi prius ſanetur vulnus; tamen interim imponendum eſt aliquid, quod diſcuriat moderatè materiam, & mitiget dolorem illum: in qua re conuenit fricatio partis affectæ cum oxyrhodino: nam acetum, & frictio digerunt; oleum verò roſ. ſiſtit fluxionem, & mitigat dolorem.

Igitur manu madida oxyrhodino fricetur tumor: bonum etiam erit miſcere ſal cum oxyrhodino.

Topica oedematis morbi.

Si verò oedema ſit per ſe; in principio conueniunt repellentia moderatè, & diſcutientia, ac ſiccantia; in incremento repellentia, & diſcutientia; in ſtatu diſcutientia; in declinatione diſcutientia validiſſimè.

Primò igitur fricetur panno, vt dicit Auicenna, pars affecta, vt incaleſcat, & ita rareſiet cutis, & diſcutietur portio materiæ: poſt frictionem capias, vt docet Galenus, ſpongiam nouam, nondum ablutam aqua dulci, & imbuas poſca potabili, & expreſſam applica tumori: & ſi corpus ſit robuſtum, non vtare poſca potabili, ſed impotabili, ita, vt acetum ſit paucæ aquæ conmixtum: Et ſi caſu non habeas ſpongiam nouam, efficies nouam, abluendo ipſam bis, vel ter in aqua ſalſa: nam ſolam ſalſedinem requirimus à noua ſpongia: igitur madefaciatis, & exiccetis ſpongiam veterem, & habebit eandem vim, quam noua: Si nec nouam nec veterem habeatis, capias, inquit Galenus decimoquarto methodi elychnia Tarſenſia. Sed nos hæc non habemus ſemper ad manus, ideo capiatis ſtupam, & madefaciatis bis, vel ter aqua ſalita, & exiccetur; poſtea madefaciatis aqua, & expreſſam ſuperimponatis. Auicenna ſpongiæ loco ponebat pannum duplicatum, ac madidum in lixiuio: ita & vos poteritis facere.

Validiora in augmēto ſiccantia.

Et ſi hæc non proſint, ponatis in aquam portionem aluminis, & plus aceti, & erit medicamentum validius. Impoſita ſpongia, vel ſtupa, vult Galenus, vt obducamus locum affectum faſcia, & ligatura incipiat fieri à parte inferiori, & tendat vſque ad ſuperiorem, quando videlicet tumor eſt in aliquo artu: nam ratione huiuſmodi vinculi materia truditur ſurſum verſus, & ita portio aliqua ipſius exprimitur, diſcutiturque. Si hæc non profuerint, monet Galenus, vt vtamur glaucio; & Auicenna vtitur medicamento quodam, quod recipit glicum, & giaucium. Sed quoniam hæc non habentur, ideo vterer ego hoc decocto:

℞. Florum { Camomillæ, Roſarum } añ. M. s.
Abſynthij
Stæchadis
Balauſtiorum, Nucum cupræſſi } añ. M. j.
Saluiæ, Roris marini, Squinanti } añ. P. j.
Aluminis rochæ, Salis communis } añ. ℥. j. s.

Miſce, & cum ſufficienti quantitate poſcæ fiat decoctio (poſcæ dico factæ cum lixiuio acri, loco aquę) & in hoc decocto madefiat ſpongia, & imponatur oedemati, quando eſt in augmento.

In ſtatu.

In ſtatu autem vtendum eſt diſcutientibus. Galenus inungebat tumorem cum oleo veteri; poſtea capiebat lixiuium acerrimum, quale eſt illud, quod fit cum calce, & habetur in purgatorijs pannorum; & ſtuppam hoc lixiuio madidam ſuperimponebat tumori: inungebat autem prius tumorem, ne lixiuium ſua magna acredine eroderet cutim: impoſita ſtuppa adigebat faſciam, & partem valde ſtringebat, plurimoſque hoc modo ſanabat.

In Declinatione. Idem quoque agendum eſt indeclinatione; immò conueniunt magis diſcutientia: & ideo augenda eſt acredo lixiuij. Paulus vtebatur omnibus ſpeciebus terræ, & præcipuè ægyptiacis, & inter has ea, & cum ipſo Aetius, quæ ſimul cum lentibus deferebatur; ſcitis enim inter omnia legumina ſemper aliquid terræ reperiri. Capiebat igitur terram illam, & diſſoluebat aceto, vel alio liquore; & illinebat ſupra tumorem, quando eſt in vigore, & in declinatione, & valde diſcutit. Huiuſmodi terra nunquam ego ſum vſus; ſed argilla noſtra, ex qua fiunt reſtæ, & vidi ſanata magna oedemata: capiatis ergo argillam, & diſſoluatis aqua fabrili, vel aceto non valde acri, & obliniatis tumorem, exponatiſque membrum ſoli. In hoc agro Patauino reperitur lutum in hoc affectu præſtantiſſimum, & eſt lutum illud in balneo Montis Orthoni: diluatis igitur lutum illud aqua, & obliniatis locum, exponatiſque ſoli.

In oedemate contumaci. Si oedema ſit rebelle, & non cedat alicui dictorum mandate, vt æger ingrediatur foueas illas, quæ ſunt ad Thermas Diuæ Helenæ, vel alibi, & facilè diſcutietur materia illa: optima quoque eſt iſatis ſatiua, & ſyluestris, & hæc de oedemate: ſequitur de ſcirrho.

De Scirrho. Cap. XIV.

Vnde ſcirrhus nomen habeat. OEDEMATI ſuccedit tractatio alterius tumoris, qui à Barbaris vocatur durities, & ab Anicenna in 3. 4. Tractatu 2. capit. 11. vocatur ſephiros, quaſi ſit corrupta vox à voce Græca, quæ eſt, σκίῤῥος: nam idem eſt apud Græcos σκίῤῥος, quod apud Barbaros ſephiros, & durities. Dicitur autem tumor iſte, de quo nunc agimus, σκίῤῥος Græcè ratione ſymptomatis conſequentis: ſunt enim quidam morbi, qui à ſymptomatibus nomen accipiant, qualis eſt inflammatio, & ſcirrhus etiam: nam ſcirrhus dicitur σκίῤῥος Græcè ratione duritiei magnæ, quæ illi ſuccedit.

Auicennæ definitio non eſt integra. Eſt autem ſcirrhus, ſeu durities, vt ait Auicenna in 2. 1. doctrina prima apoſtema quietum, ſedatum deſtruens ſenſum, & permanens in membro in eodem ſtatu, cum quo non eſt dolor. Quæ definitio Auicennæ non multum placet, quoniam non eſt vniuerſalis: nam explicat nobis ſolum vnum genus ſcirrhi, cum tamen duo habeantur: Vnum genus eſt, in quo corruptus eſt ſenſus, & huic competit Auicennæ definitio: Alterum verò, in quo non eſt corruptus ſenſus, & hoc non explicatur ab ea definitione. *Galeni vera definitio.* Quare melius dicendum eſt cum Galeno in lib. de tumoribus præternaturam capit. de ſcirrho, & in 5. de facultat. ſimplic. capit. 9. quod ſcirrhus eſt tumor præternaturam duriſſimus, ſine dolore. Quotieſcunque igitur inuenietis tumorem aliquem, qui ſit valde durus, & expers doloris, dicatis ſemper, illum eſſe ſcirrhum, ſiue adſit ſenſus, ſiue non adſit in tali tumore: nam ſub hac natura ſcirrhi tradita à Galeno continetur vtrumque genus ſcirrhi.

Cauſæ efficientes ſcirrhi. Cauſa ſcirrhi efficiens ſolet eſſe fluxio materiæ melancholicæ, ſiue fluxio fiat à toto, ſiue à parte aliqua determinata: igitur vt plurimum efficiens cauſa eſt fluxio humoris melancholici: hæc ſolet eſſe proxima cauſa: Remotæ autem ſolent eſſe plures: aliquando eſt mala, & inordinata victus ratio, vt vſus ſalitorum, cochlearum, & ſimilium eduliorum: lienis etiam obſtructio, vel hepatis intemperies calida, & ſicca adurens humores, ſuppreſſio alicuius ſolitæ euacuationis, vt hæmorrhoidarum, vel menſium: aliquando cauſa eſt inſcitia, & error medici, qui, dum curat aliquem alium tumorem, & vtitur medicamentis nimis frigefacientibus, vel ſiccantibus in eryſipelate, vel in inflammatione eſt in cauſa, vt prior tumor degeneret in ſcirrhum. qui ſcirrhus appellatur per tranſmutationem, à quibuſdam epigenematicus, & ſymptomaticus. Narcoticis enim, & nimium refrigerantibus veluti concreſcit, & congelatur humor; nimium autem reſoluentia diſcutiunt humores tenues, relictis craſſioribus. Tot ſolent eſſe efficientes cauſæ.

Cauſæ materiales ſecundum Recentiores. Materia autem, ex qua conſtat ſcirrhus, eſt duplex ſecundum Recentiores: vna eſt melancholicus humor naturalis: altera eſt humor melancholicus non naturalis; ita, vt ſecundum ipſos omnes ſcirrhi fiant vel ex ſucco melancholico naturali; vel ex non naturali: Naturalem vocant fecem ſanguinis declinantem ex hepate in lienem, vbi concoquitur, & in ipſius alimentum abit, cuius humoris ſapor eſt inter dulcedinem, & ponticitatem, ait Auicenna: & ab hoc humore factus tumor ſcirrhoſus dicitur ſcirrhus verus, ac legitimus à Recentioribus non ſine errore, quoniam poteſt etiam ab iſto humore

fieri

fieri illegitimus, ac non verus. Non naturalem verò appellant melancholiam, quæ inepta eſt nutrire aliquam partem corporis, imò nulli vſui eſt in corpore, & eſt atrabilis vocata, genitaque per exuſtionem ex fece ſanguinis: Dicunt poſtea fieri alios ſcirrhos ex mixtione ſucci melācholici cum portione alterius humoris, ita, vt alius ſit ſcirrhus oedematoſus, alter phlegmonoſus, alius bilioſus: & ita quinque hucuſque ſpecies ſcirrhi: habemus. Addunt deinde ſextam, quæ fit ex ſucco melancholico non naturali per refrigerationem, quando Medicus applicat medicamenta non opportuna, & eſt in cauſa vt alius tumor abeat in ſcirrhum. Galenus autem in ſecundo ad Glauc. in libro de Tumoribus, in quinto de ſimplicium medicam. facult. cap. nono, & 14. methodi, inquit ſcirrhum fieri non ſolum ex humore melancholico; verùm etiam ex pituitoſo frigido craſſo, & viſcido, qui partibus, quæ indurantur, tenaciter infigitur; Cui ſententiæ ſenſus ipſe, & experientia reſpondet, & fauet: quoniam videmus multos ſcirrhos, qui non fiunt ab humore melancholico; ſed à pituitoſo craſſo, & lento, vt patet ex ſcirrhis illis, qui oboriuntur in morbo gallico, & vocantur gummæ vulgò: qui tumores ſi exulcerentur, non exulcerantur in cancrum; ſicuti fieret, ſi generarentur ex ſucco melancholico.

Galeno quæ ſcirrhi materia.

Vnde variæ ſcirrhi ſpecies.

Cum igitur multos ſcirrhos habeamus ex materia pituitoſa craſſa, non mirum eſt, ſi Galenus dixerit ſcirrhum fieri ex materia craſſa, viſcida, & lenta, ſiue melancholica, ſiue pituitoſa ſit: dummodo enim ſit craſſa, nihil refert, ſiue melancholica, ſiue pituitoſa ſit; & ita ſecundum Galenum habemus vnum genus ſcirrhi ex materia pituitoſa, craſſa, frigida, & tenaci, quæ facit ſcirrhum, vel quia fluit ex aliquo viſcere in partem aliquam, vel quia paulatim congeritur.

Alterum genus, vel ſpecies eſt illius ſcirrhi, qui fit à ſucco melancholico craſſo. Tertia ſpecies fit ab humore melancholico, & pituitoſo ſimul mixtis, ex qua materia mixta frequentiſſimi oboriuntur ſcirrhi.

Addatis poſtea alios ſcirrhos, qui fiunt ex altero dictorum humorum craſſorum, & tenacium, quo cum mixta ſit portio alterius humoris, vt puta vel bilis, vel ſanguinis; & ſic tot habebitis ſcirrhi differentias à materia acceptas.

Proponit deinde Galenus & Auicenna duas alias ſpecies ſcirrhi: nam vnus eſt, qui nullam prorſus habet ſenſationem ſiue tangatur, ſiue percutiatur: Alter verò, qui ſenſu aliquo, eſt præditus; licet nec in hoc, nec in illo ſit dolor. Cauſa autem, cur alter, etiam ſi contundatur, non ſentiat, eſt ratione materiæ craſſæ, & valdè compactæ: nam materia eſt ita compacta & craſſa, vt obſtruat neruos, & ideo non adeſt ſenſus: In altero verò eſt ſenſus, quia materia non eſt ita compacta, & craſſa, vt obſtruat neruos. Igitur hac de cauſa in altero eſt ſenſus, in reliquo non: conueniunt autem quatenus neuter dolet. & iſtæ duæ differentiæ ſcirrhi ſumuntur, vt videtis, non à materia, vt ſuperiores, ſed a ſymptomate, ideſt, à ſenſatione, vel non ſenſatione. Quarum differentiarum aliam vocant legitimum ſcirrhum; alteram illegitimum: Legitimum appellant illum, in quo non eſt ſenſus, & iſte non ſanatur. Sed dices: non ne ſanantur ſcirrhi Gallici? Dico, quod non, quoniam per ſanari intelligo materiam digeri, & ſcirrhum emolliri; Gallici autem non ita ſanantur, ſed auferuntur vel ferro ignito, vel alia ratione: igitur legitimus ſcirrhus non ſanatur, ideſt, non digeritur illa materia, nec emollitur: Illegitimus autem vocatur, qui habet aliquem ſenſum & ſanabilis eſt. Tot ſunt ſecundum Galenum ſcirrhi differentiæ.

Alius ſcirrhus eſt cum dolore, legitimus; alius ſine, illegitimus.

Cognoſcuntur autem ſcirrhi facillimè: nam quiſque, appoſita manu, perſentit duritiem, veluti oſſeum quid ſubiectum, & æger percipit, an adſit ſenſus, vel dolor. Verùm hic animaduertatis, quòd Guido tradit ſigna ſcirrhi canceroſi pro ſignis communis ſcirrhi, vt ſunt color liuens, plumbeuſue, venæ repletæ atro ſanguine; ſed errat, quia nulla alia habemus ſigna efficaciora, quàm proprias paſſiones ſcirrhi, & ſunt durities lapidea, doloris omnis priuatio, & aliquando etiam ſenſus. Sed diceret aliquis: quomodo dicis tu in ſcirrho non eſſe dolorem, cum in ſcirrhis, qui oriuntur in mamillis mulierum, ſit dolor magnus cum ipſæ dicant ſe perſentire veluti acus, & punctiones percurrentes per tumorem? Dico, quòd, licet in tumoribus illis ſit durities, tamen non ſunt ſcirrhi, ſed cancri occulti facti ex ſcirrho, qui fortaſſe præceſſit.

Signa.

Sed notate, quòd cancer occultus eſt duplex: alter dicitur occultus, non quia non ſit ſenſibus expoſitus; ſed quia non eſt vlceratus, alter verò, quia oritur, & fit in aliquo loco occulto, vt in vtero, in mammis, &c.

Dico igitur, quòd tumor ille durus, qui oritur in mammis, & habet dolorem, non eſt ſcirrhus, ſed Cancer occultus; & adeſt dolor, quia ſuccus ille melancholicus putreſcit, & exuritur: a tali enim materia fit Cancer: Scirrhus autem melancholicus tametſi fiat

à ſucco melancholico; tamen ſuccus ille nondum putreſcit; & ideo in ſcirrho non eſt dolor: ad hoc enim, vt humor aliquis efficiat dolorem, requiritur, vt putreſcat. Igitur differentia inter ſcirrhum melancholicum, & cancrum ſcirrhoſum eſt, quòd licet vterque tumor fiat à ſucco melancholico; tamen ſcirrhus fit à ſucco melancholico nondum putreſcente: cancer verò à putreſcente, & exuſto; & ideo in cancro adeſt dolor.

Prædictio. De prognoſtico Recentiores dicunt, quod cum ſcirrhus fiat à ſucco melancholico, vel naturali, vel non naturali, ſemper præſagiendum eſt malum, vt re vera eſſet præſagiendum, ſi omnes ſcirrhi fierent ab humore melancholico, tum quia non poſſent digeri, & emolliri, tum quia adeſt periculum, ne degenerarent in cancrum: Sed cum eorum ſuppoſitum, & fundamentum ſit falſum, ſcilicet, quòd omnes ſcirrhi fiant à ſucco melancholico, non eſt mirum, ſi ſequantur inconuenientia multa, & quod ſemper ſit prænunciandum malum. Quare melius cum Galeno dicendum, & prænunciandum ſemper difficilem, & tardam fore curationem, quia morbus eſt frigidus, & ex materia craſſa, & viſcida; non tamen impoſſibilem, maximè, quando ſcirrhus fit à materia pituitoſa viſcida, & ſcirrhus non eſt exquiſitus, ſeu legitimus: nam tales ſcirrhi, videlicet non exquiſiti, ſolent ſanari per reſolutionem; aliquando etiam per ſuppurationem: Sed ſi ſcirrhus ſit legitimus, ſeu exquiſitus, & fiat ex ſucco melancholico, cum ſapiat naturam cancri occulti; prænunciandum eſt periculum; nec valde eſt proritandus, quia Hipp. dicit cancros non eſſe proritandos.

Habito, quid ſit ſcirrhus tum exquiſitus, tum non exquiſitus, quot ſint ſpecies ratione materiæ, quas habeant cauſas, quomodo inter ſeſe diſtinguantur, & quo modo à cancro occulto, quidque ſit præſagiendum, ſuccedit iam, vt de curatione dicamus, &

Victus attenuans & humectans. primò de ſex rebus non naturalibus. Itaque, cùm cacochymum ſit corpus, & humor frigidus, & craſſus, vel exuſtus; omnes res non naturales debent eſſe tales vt attenuent, & humectent, non autem exſiccent, & calefaciant: Et ita conueniunt cibi boni ſucci, qui moderatè attenuent, & humectent, & ſi humor ſit melancholicus non conueniunt calefacientia, & ſiccantia, ſed, quæ moderatiſſimè attenuent: Vnde carnes optimæ ſunt eligendæ: Vinum ſit pauciferum; aqua eſt fugienda: Cibi ſumantur pauca in quantitate: cibaria, quæ generant vel pituitam vel melancholicum humorem, fugiantur prorſus: Quies diuturna eſt mala; Somnus, Vigilia & quies ſint moderata: Aluus ſtet ſemper aperta vel cum agarico, vel cum caricis cum medulla cartami, vt in oedematis curatione dictum eſt, vel alia ratione: Aer ſit temperatus: Animi affectus, & præcipue Venerei mali ſunt.

Procuratio totius corp. Alterum caput pertinet ad habitum corporis, ideſt, ad euacuationem, & repletionem: Si corpus redundet humore melancholico crudo, & puro, vel mixto cum pituitoſo, ſitque in ambitu venarum, ſemper in omni ſcirrho, lenita prius aluo, ſecanda eſt vena: qua ſecata, deueniendum eſt ad euacuationem, quæ fit per pharmacum; Antea tamen præparandus eſt humor, quia eſt frigidus, craſſus, & viſcidus; & ideo eget præparatione tali, vt attenuetur, & viæ aperiantur: Caueatis tamen ab iis, quæ validiſſimè attenuant, & vtamini, quæ moderatè, qualis eſt ſyrupus fumiterræ, betonicæ, ſyrupus regis Sabor vocatus, decoctio boraginis, cichorij, meliſſæ, cetrach, fumiterræ: mel quoque roſaceum conuenit; Præparata cum fuerit materia, euacuetur cum elleboro nigro, vel cum ſena, vel cum polypodio, vel cum lapide Armeno, ac lazuli, vel cum mirobalanis citrinis, aut nigris, vel cum confectione Hamech, vel cum electuario Indo, vel cum diaſena, vel cum diacatholicone, vel cum caſſia, vel cum aliquo medicamento ex his compoſito.

Inuentio remediorum localium, per method. reſolut. Purgato corpore ſemel, bis, & pluries, ſi opus fuerit, cum tumor ſit durus, & materia dura, & materia ſit extra propria vaſa, in aliquo loco præternaturam, indicatur euacuatio ipſius. Cum autem humor ſit craſſus, & viſcidus, non poteſt euacuari per repulſionem, & ita repellentia non ſunt opportuna, nec poteſt euacuari per ſectionem tumoris, quoniam humor eſt ita compactus, vt, etiam ſi ſecaretur tumor, ne tantillum quidem ipſius egrederetur, ſed ſolum aliquis humor, qui in parte cutanea continetur; ergo opus eſt euacuatione, quæ fit per digeſtionem, ideſt, per inſenſibilem euaporationem. Verùm materia craſſa non poteſt in vapores digeri; neque enim ex terra, cum ſit ſicca & frigida, fiet vnquam vapor; nam, vt in Meteorologicis à Philoſopho habetur, vaporis materia eſt humidum. Cum itaque materia, ex qua fit ſcirrhus, ſit compacta craſſa & frigida, ſi in halitum debeat verti, neceſſe eſt, vt prius emolliatur, & fiat liquida: nam interim, dum emollietur, diſcutietur etiam aliqua pars in halitus. Igitur prima indicatio eſt, vt emolliamus. Emollitio autem fit cum humectantibus, & calefacientibus aliquantulum.

Igitur conueniunt humectantia,& quæ habeant aliquam vim calefaciendi; dico, quæ habeant vim aliquam calefaciendi, quoniam, quæ validiſſimè calefaciunt, nullo modo conueniunt: Medicamenta ergo accommodata ſunt, primò medullæ quædam, quoniam humectant, calefaciunt moderatè, & habent aliquam vim diſcutiendi, quæ etiam requiritur, vt infrà declarabo: non omnes tamen medullæ æquè diſcutiunt; ſed aliæ magis, aliæ minus: quæ minus, & ferè nihil diſcutiunt, conueniunt in principio; quæ verò magis, ſucceſſiuè, & in progreſſu, prout materia magis redditur apta ad diſcuſſionem per emollitionem. Medullæ autem ſunt vitulina, ceruina, quæ conueniunt in principio, quoniam emolliunt, & moderatè calefaciunt, ſed non diſcutiunt: Secundò ſunt adipes, qui magis diſcutiunt, quàm medullæ, vt adeps vrſinus, leoninus, pardalinus: ſed iſti non conueniunt in principio,quia magis diſcutiunt,quàm emolliant. Adipes magis familiares ſunt anſerinus, anatinus, gallinaceus, taurinus, & conſimiles; & hi habent moderatam vim tùm emolliendi, tùm diſcutiendi: his magis diſcutiunt adeps caprinus, & hircinus. Ad eandem intentionem habemus mucilagines: &,vt intelligatis,mucilagines ſunt muci quidam ſeminum, vel radicum plantarum eliciti per madefactionem: macerantur enim per noctem ſemina, vel radices in aqua: vnde fit, vt per macerationem relinquatur in aqua veluti mucus, qui humectat poſtea, & calefacit moderatè: his ergo mucis poteritis etiam vti, ſicut eſt mucilagò altheæ. ſeminum lini, fænu græci, quæ omnes valde emolliunt. Pro eadem intentione habemus emplaſtra, quale eſt emplaſtrum ex mucilaginibus, emplaſtrum diachylon vocatum, & eſt illud, quod diachylon vulgò dicitur. Habemus etiam gummi huic ſcopo accommodata, vt eſt maſtiche, præcipuè fæmina, nam magis attenuat, quàm maſcula: præſtans quoque eſt ammoniacum album:ſimiliter galbanum,vel galbana dicta:ſi poſſetis habere ſtyracem albam (dico albam,& non vermicularem illam mixtam cum ligno)eſt optima.

Emollientiū varij gradus, & formæ.

Mucilagines quomodo fiant.

Cæterùm eſt notandum, quòd non ſolùm indicantur medicamenta emollientia verum etiam, quæ emolliant, & habeant aliquam vim attenuandi, incidendique: nam cum materia ſit craſſa & viſcida, vis medicamentorum emollientium non perueniet vſque ad profundum materiæ, niſi ſit aliquod vehiculum; & ideo ſemper cum emollientibus eſt commiſcendum aliquid, quòd attenuet, & incidat, ſecetue: ſciatis tamen, quòd quando vtimur pinguedine vel anſerina, vel anatina, vel gallinacea, vt plurimum non eſt opus admiſcere aliquid, quod incidat, quia per ſe habent talem facultatem, & quando adeps erit calidior, vt leoninus, tanto maiorem habebit vim attenuandi. Igitur quando vtimini medicamentis, quæ per ſe talem habent vim; quales vt plurimum ſunt pinguedines, non oportet aliquid commiſcere; ſed hoc maximè requiritur in mucilaginibus, quoniam mucilagines & ipſæ viſcidæ ſunt: vnde Galenus quandoque admiſcebat acetum. Sed notate, quòd non admiſcebat acetum, quando volebat ſolam emollitionem; ſed quando volebat puram; reſolutionem: quando enim volumus ſolum emollire, non conuenit acetum, quia exſiccat. Igitur, quando vultis diſcutere ſeu reſoluere admiſceatis acetum, ſed ſit paucum,& non acerrimum: Vnde mihi ſummè placet oxymel: non enim ita exſiccat, ſicut acetum purum, & attenuat. Igitur po- teritis cum mucilaginibus admiſcere aliquid oximelitis. Ego tamen magis fido melli: nam habet ſubſtantiam quandam ſimilem humano corpori, & calefacit, attenua- que moderatè: habet enim partes quoſdam acres attenuantes: quare admiſcerem portionem mellis mucilaginibus. Galenus conficiebat medicamentum pretioſum: capiebat oleum maturiſſimum, purum, & ſuauiſſimum, quo edulia condiuntur, & illi admiſcebat radices altheæ tritas, adiungebatque portiunculam radicis cucumeris aſinini, vt medicamentum haberet vim attenuandi, & ſimul in ſartagine coquebat, & ta oleo vtebatur: Vos pariter poſſetis capere oleum decoctum, & admiſcere radices altheæ, & portiunculam cucumeris aſinini, vel loco cucumeris aſinini parum radicis bryoniæ albæ, vel parum radicis cyclaminis (panis porcinus vulgò dicti) & admiſcere ſimul cum gummi,vel mucilaginibus: nam vt dixi,medicamenta debent ſemper vim aliquam incidendi habere.

Emollientia cū penetrantibus miſcenda niſi tenuium ſint partium.

Aceti vſus quis eſſe debeat.

Oxymel.

Mel.

Galeni emolliens, ac attenuans.

Aliud auctoris.

Sed quo modo debeo, dices,vti medicamentis his? Statim,cum eſt emollitus tumor, applicanda ſunt diſcutientia, & cum videris,quòd ſit diſcuſſa portio materiæ (quod cognoſces, quia tumor reddetur aliquanto minor, & minus durus) iterum applices emollientia; & cum fuerit iterum emollitus, applices diſcutientia; poſtea iterum emollias, iterum diſcutias; & tandiu perſiſtes in emolliendo, & diſcutiendo, quo vſque fuerit ſanatus tumor.

Modus vtendi.

Sint autem diſcutientia valde diſcutientia, & præcipuè, ſi tumor fuerit in partibus neruoſis, quemadmodum vt plurimum accidit. Sed quæ nam erunt iſta diſcutientia?

Diſcutiētia.

Galenus diſcutiebat fomento & emplaſtro ; fomento quidem hoc modo : quando materia erat emollita , capiebat lapidem pyritem , ipſum calefaciebat , deinde ſuperfundebat acetum, & curabat, vt fumus ille peteret locum affectum; & deficiente lapide pyrite, capiebat eius loco fruſtum lapidis molaris, illius ſcilicet cerulei, quo exacuuntur gladij: medicamentum adhuc eſt in vſu , & optimè diſcutit : ſed animaduertatis ne vapor ſit nimis propinquus loco affecto,& lapis non ſit valde calidus,quia exureret partem : Et antequam vtamini hoc fomento , inungatis locum aliquo oleo emolliente vocato : Facto fomento , Galenus imponebat emplaſtrum, quod diſcuteret : Capiebat ammoniacum , & diſſoluebat aceto, ita , vt acquireret conſiſtentiam mellis , & imponebat : cumque in loco tres , vel quatuor horas fuiſſet , auferebat , & inungebat locum oleo aliquo emolliente, vt auferret aſperitatem relictam à medicamento , & ſæpe ſæpius itidem faciebat: Poſſetis inungere pinguedine leonina , vel gallinacea , vel anſerina vetuſta : Imponebat etiam emplaſtrum diapyriten vocatum, ideſt, ex pyritide lapide . Igitur & vos poteritis prius inungere tumorem oleo reſolutiuo Galeni : Vel capiatis oleum antiquum,& radices cucumeris aſinini,bryoniæ albæ,& ariſtolochiæ longæ,& teratis;& ſimul mixta cum oleo bulliant in ſartagine ; deinde totum ponatur in vaſe vitreo , & per ſex horas bulliat in duplici vaſe ; & hoc inungatis : nam diſcutiet valide : Vel imponatis emplaſtrum vocatum diachylon cum gummis ; nam diſcutit, & attenuat; ſed melius eſt oleum dictum; & hoc modo procedetis modò emolliendo , modo reſoluendo, quouſque tumor redactus fuerit ad nihilum, & ſanatus, vt profectò ſanabitur,dummodo rectè curetur .

De Nodis , hoc eſt , de Meliceride , Atheromate , & Steatomate. Cap. XV.

Apoſtema varia ſignificat.

SI rectè memoria tenetis , loquens ſuperius de inflammatione dixi tumores præternaturam declinare aliquando ex vna ſpecie in alteram , vt , verbi gratia , inflammatio aliquando abit in ſcirrhum , aliquando in abſceſſum : In qua voce , abſceſſus , vel apoſtema, adnotabam vobis apoſtema Arabum differre ab apoſtemate Græcorum : nam dixi apoſtema apud Græcos ſignificare tumorem vocatum abſceſſum , quando ſcilicet materia peccans colligitur in aliquo ſinu , vel cauitate determinata , & in hoc differt ab alijs tumoribus , quia in alijs tumoribus materia continetur in meatibus tenuiſſimis muſculorum , neruorum , & aliarum partium, vt, verbi gratia, defluit humor in manum , & colligitur in omnibus poris , & facit tumorem , tumor iſte non vocatur apoſtema : ſed alio nomine , vt ſi materia , quæ fluxit , fuerit ſanguis , vocabitur inflammatio : ſed ſi inflammatio ſuppuretur , & ſenſim ex ſpatijs illis tenuiſſimis , materia ſuppurata , exeat , & colligatur in cauitatem aliquam determinatam, faciatque tumorem, tunc tumor ille vocatur apoſtema, & ita apoſtema Græcorum differt ab alijs tumoribus, quoniam in alijs tumoribus materia colligitur in ſpatijs tenuiſſimis ; in apoſtemate autem colligitur , & continetur in membri parte determinata , & caua ; quæ cauitas facta ſit , vel quia abſumpta ſit ſubſtantia aliqua ſolida , vel quia dilatata ſit particula à multitudine materiæ . Hic igitur eſt ille tumor , qui à Græcis vocatur ἀπόστημα à noſtris abſceſſus , quique ſuccedit ad inflammationem, & de ipſo abundè ſum locutus ſuperius , & docui , qua ratione eſſet curandus . Sed quia non vnicum hoc genus apoſtematis datur ; ſed & aliud , idcirco de alijs apoſtematibus, nunc ordo poſtulat, vt dicamus . Quòd autem plura dentur apoſtemata , teſtis eſt Galenus in 14. meth. 12. vbi ſic ipſa diſtinguebat : Apoſtematum alia ſunt, quæ habent præcedentem inflammationem, vel alium tumorem , ideſt, quæ fiunt ex alijs tumoribus, hoc eſt, ſuccedunt illis, quando ſuppurantur , & concoquuntur , & materia ſenſim colligitur in cauitate aliqua particulæ : & de huiuſmodi apoſtematibus verba iam fecimus nos : Alia ſunt apoſtemata , quæ non fiunt per conſecutionem ad alios tumores;ſed per ſe incipiunt, quando ſcilicet materia alicubi ſenſim colligitur , & facit tumorem .

Nomina Arabum.

Apoſtematum aliud eſt per tranſmutationẽ,aliud per ſe ortũ.

Rurſus alio modo apoſtemata diſtinguimus ex ſententia Galeni,ac reliquorum,quia alia ſunt, quæ collectam habent ſaniem inter partes naturales, in quibus conſiſtunt ; alia ſunt,quæ membranam quandam habent , vel veſicam, vel folliculum , vel cyſtim, in qua materia tota faciens apoſtema continetur, vt, verbi gratia , circa radicem linguæ incipit ſenſim colligi materia , & veſiculam iam excitatam replens efficit abſceſſum illum , vel apoſtema , quod Ranunculus vocatur . Hanc eandem diuiſionem apoſtematum tradit

Galenus

Digitized by Google

Galenus ibi dicens, quòd apoſtematum alia ſunt, quæ habent collectam materiam in ſpatio medio partis; alia ſub certis membranis, vel veſiculis, vel folliculis, quod idem eſt, & non contangit partes intimas: & hæc apoſtemata, in quibus materia contineatur ſub certis, ac determinatis folliculis, omnia reducuntur ad genus illud apoſtematis per ſe incipientis, & quæ nulla inflammatione præcedente fiunt: atque in hoc conſiſtit natura ipſorum, vt in folliculo contineatur materia; illorum autem colligatur ibi ſtatim à principio: Et ita duplex tantum eſt apoſtematum genus: Vnum quidem eorum, quæ conſequuntur ad inflammationem, vel ad alios tumores: Alterum eorũ, quæ per ſe incipiunt, augentur, & deſinunt: & hæc apoſtemata ſecundi generis non ſunt ſortita nomen aliquod commune à Græcis; ſed Arabes ſub vna, & eadem voce comprehenderunt omnia iſta apoſtemata, quæ per ſe incipiunt. nam Auicenna in ſecunda primi doctrina prima, vocauit omnia iſta apoſtemata Alſelha, quã vocem interpretati ſunt iſti Nodos, & Glandularum etiam nomine donarunt; quinimmò & ipſe in tertia quarti vocat nodos: & ita per nodos intelligit omnes ſpecies apoſtematum, quæ per ſe incipiunt; tametſi ſpecies plures ſint, & diuerſæ, vt videre eſt apud Celſum in 7. lib. cap. 6. vbi dicebat, quòd huiuſmodi apoſtemata incipientia per ſe erant in duplici differentia: quædam dura cum folliculo, vel veſica, quæ renituntur; quædam mollia, quæ cedunt.

Apoſtematum ſeu Nodorum tria genera ex triplici materia apud Græcos.

Sed longè melius diuidunt hæc apoſtemata Græci authores: Pro cuius diuiſionis intelligentia ſcire vos oportet, quòd materia, quæ in cauitatibus partium, ac folliculis colligitur, varia, ac diuerſa eſt. nam aliquando eſt aquea, videturque habere & colorem, & conſiſtentiam mellis: quandoque eſt veluti pulticula, vel polenta: quandoque eſt craſſa, & imitatur laridum, vel ſeuum: & quandoque huius, quandoque alterius naturam, ac colorem ſapit; vt plurimum tamen materia, quæ huiuſmodi apoſtemata per ſe incipientia facit, eſt ſimilis vel melli, vel polentæ, vel larido. Cùm itaque triplex hæc materia in his apoſtematibus reperiatur; idcirco Græci diſtinxerunt huiuſmodi apoſtemata in tria genera, iuxta triplicem materiam: & ita primum genus, in quibus reperitur materia melli ſimilis, vocarunt μελικηρίδα, quaſi mellis fauum: nam huiuſmodi apoſtemata diſrumpuntur in plurima foramina, quæ aſſimilantur foraminibus faui mellis, & præterea, ſi exprimantur, exit materia ſimilis melli, ſicuti ex fauo expreſſo ſolet erumpere: Alterum genus à materia ipſa contenta ſimili polentæ vocauerunt ἀθέρωμα: nam pulticulam ἀθάραν vocant Græci. Tertium verò genus appellarunt στεάτωμα, nomine accepto à materia contenta, quæ larido aſſimilatur, nam στέαρ Græcè, laridum nobis ſonat. & ita tria ſunt apoſtematum illorum, quæ per ſe incipiunt genera. Ex quo loco colligatis hæc tria tumorum genera de Galeni ſententia in ſecundo metho. cap. 3. eſſe de numero illorum morborum, qui nomen acceperunt à materia contenta ſimili alicui rei extrinſecæ: dicebat enim ipſe, quòd ſunt aliqui morbi, qui à ſimilitudine alicuius, quod extra corpus ſit, nomen accipiunt; de quorum numero ſunt, vt dixi, apoſtemata hęc, de quibus agimus.

Alia materia, ſed rarè.

Sciatis tamen, quòd non ſolum triplex dicta materia continetur, & reperitur in huiuſmodi apoſtematibus, ſed longè multiplex, vt fuit ſententia etiam Galeni in 14. meth. cap. 12. & Celſi: nam aliquando reperimus pilos multos, aliquando oſſa, aliquando vngues, aliquando carbones, aliquando teſtas, aliquando capillos, aliquando porri fragmenta, aliquando hanc, aliquando illam diuerſam materiam: ſed rarò hoc accidit, vt plurimum verò, & frequenter reperitur materia ſimilis vel melli, vel pulticulæ, vel larido: & ideo ab hac tantum triplici materia Græci impoſuerunt nomina triplicia his apoſtematibus; de quibus locuturus ego in præſentia, hunc ſeruabo ordinem. Primò agam de eorum cauſis: ſecundò de ſignis diſtinguentibus ipſa ab alijs tumoribus: tertiò de ſignis diſtinguentibus apoſtemata ipſa inter ſe: quartò & vltimò de curandi ratione.

Cauſa nodorum.
1. Fluxio ſecundũ Gal.
2. Congeſtio.

Quo ad primum igitur attinet, Galenus in libello de cauſis morborum, cap. 5. inter cauſas horum tumorum enumerat fluxionem humoris: nam humor expulſus vel à toto, vel à parte aliqua, decumbens in cauitatem particulæ, ſolet facere hos tumores. Ego autem, cùm obſeruarim huiuſmodi apoſtemata tardiſſimè creſcere, tardiſſimeque deſinere (nam quandoque incipient, verbi gratia, hodie, & hinc ad duos menſes augebuntur, ac deſinent, inde ad alios duos; quandoque perdurant duos, tres, & plures annos; quinimmò duodecimus iam agitur annus, quòd Excellentiſſimus Friſimelica geſtat in capite vnum ex his apoſtematibus) cum, inquam, obſeruarim, quòd tardiſſimè augentur, & diu durant, non poſſum ego credere, quod ſola fluxio ſit horum apoſtematum efficiens cauſa: nam qui a fluxione fiunt tumores, vt plurimum citò fiunt, citoque augentur: ſed potiùs tumores iſti, ideſt, apoſtemata videntur ſapere naturam eorum tumorum, qui fiunt ex paulatina congeſtione humorum: & ita cauſa efficiens apoſtematum erit non ſolum fluxio; ſed etiam aggeſtio humorum, quando etenim fit mala con-

coctio,

coctio, generantur plurimæ cruditates, quæ ſenſim collectæ in aliquam cauitatem faciunt apoſtema: & huiuſmodi excrementorum, vel cruditatũ collectio à Galeno in lib. de cauſis morborum, cap. 8. vocatur depoſitio, quia natura videtur deponere cruditates illas in cauitatem particulę. Igitur prima cauſa eſt fluxio; ſecunda verò collectio excrementoſi humoris. Attamen videtur parum veriſimile, quòd fiant à fluxione, cum tardè incipiant, & augeantur, & multum durent, niſi fluxionem velimus nominare illam tranſmiſſionem excrementorum, quæ fit in eadem particula, quam Galenus vocat, vt dixi, depoſitionem.

3. Facultas, quæ aberrãs ab expulſione generat folliculũ, & varias materię formas imprimit.

Sed notate ex Galeno in 14. methodi, cap. 17. & 18. quòd apoſtemata iſta ſunt connumeranda inter illos morbos, in quibus eſt generatio alicuius ſubſtantiæ ſolidæ, quę ſubſtantia prius non aderat in particula, quæ morbo corripitur, vt (verbi gratia) in inflammatione non reperies aliquid noui genitum, quia in parte inflammata ſunt omnes illæ partes, quæ etiam erant, ante quàm fieret inflammatio; ſed fluit ſanguis, corrumpitur, & nihil noui gignitur: at in his apoſtematibus oppoſitum accidit, quia ſimul, & ſemel cum tumore generatur ſubſtantia quædam, quæ in parte ipſa prius non erat: ſubſtantia autem hæc eſt quædam membrana neruea. Cùm itaque in apoſtematibus hic generetur noua aliqua ſubſtantia ſolida, neceſſe eſt, vt detur aliqua alia cauſa huiuſmodi ſubſtantiæ, quia non poteſt generari à fluxione, nec à collectione excrementoſi humoris: Ergo datur tertia cauſa horum tumorum, præter fluxionem, & congeſtionem humorum, quænam igitur hæc erit? Quamuis Galenus 14. methodi, cap. 12. videatur velle, quòd fluxio ſit cauſa potiſſima, & quòd à materia omnia fiant, cum dicit, quòd humor varius ſpecie, & acris excorians circumpoſita corpora, ſpatium ſibi molitur ſub certis membranis; tamen re vera aliquid gignitur, atque ſimul firmatur. Quo enim ad ſpatium, humor eſt qui occupat: Quod verò ad folliculum, aliud eſt, quod gignit, ac format, vt idem Galenus in libro de cauſis morborum, cap. 8. videtur explicaſſe: nam ibi loquens de cauſis morborum in numero ait, quòd numerus partium mutatur à natura: nam ipſa eſt, quæ aufert digitum ex manu, qui non deberet auferri: ſimiliter ipſa eſt, quæ efficit ſextum digitum, quando ſcilicet adeſt materia bona: nam quandoque auget numerum, quia adeſt materia multa bona; quandoque auget numerum, quia adeſt materia mala, vt quando in oculi palpebra oritur meliceris, dicitur factum eſſe morbum in numero, quia additum eſt id, quod non debuiſſet addi: & ita patet cauſam efficientem ſubſtantiæ illius additæ eſſe facultatem generatricem, formatricem ve aberrantem à ſuo ſcopo: nam cum deberet materiam illam malam expellere, generat ex ea nouam ſubſtantiam, & illam quidem præter naturam. Itaque efficiens horum apoſtematum eſt triplex fluxio, collectio humoris excrementoſi, & generatrix facultas. quare requiritur etiam formatrix facultas, quæ folliculum gignit.

Materia remota nodorũ eſt potiſſimũ phlegma in affecto loco variè alteratum.

Materialis autem quænam eſt? Galenus in 14. methodi, cap. 12. ait, quòd eſt humor ſpecie varius, quę verba dupliciter poſſunt intelligi, aut quòd humor, qui fluit in partem, ſit ſpecie varius; aut quòd interim, dum fluit, non ſit varius; ſed dum iam fluxit, & eſt in cyſti, & cauitate, mutetur & fiat ſpecie varius; & hoc modo intelligere ego: Nam fluens humor non eſt ſpecie diuerſus; ſed vtique humor collectus: nam alius humor ſapit naturam mellis, alius laridi, alius huius, alius alterius rei. Sed dices: humor iſte collectus, qui mutatur in varias ſpecies, antequàm mutetur, qualis nam eſt, ſanguineus ne, vel pituitoſus, vel bilioſus, vel melancholicus? Auicenna in ſecunda primi doctrina prima, loquens de tumoribus melancholicis enumerat inter ipſos tumores alſelha, idest, nodos vocatos, qui ſunt apoſtemata hæc, de quibus loquimur, vt etiam ſupra dictum eſt; & ſic videtur velle, quòd materia horum tumorum ſit ſuccus melancholicus, quod & Aetius videtur confirmare lib. 6. cap. 68. nam in meliceride exiſtente in capite exhibet pro purgando corpore medicamentum ex ſero caprino, aqua mulſa, & epithymo, quod medicamentum proculdubio purgat, & euacuat ſuccum melancholicum. Oppoſitum tamen videtur ſentire Auicenna ibidem, & in tertia quarti, vbi ex inſtituto agit de nodis: ait enim, quòd, licet nodi obueniant melancholiæ, idest, recipiant aliquid ſucci melancholici; tamen loquar de ipſis inter tumores phlegmaticos, quia vt plurimum materia eorum eſt pituita ſicca: quod & Aetius loco citato videtur confirmare: nam in huiuſmodi tumoribus exhibet colocynthidem infuſam, quod medicamentum euacuat pituitam: Quid ergo dicendum? quòd iſti ſibi contradicant? Minimè; ſed quòd vt plurimum baſis iſtorum tumorum eſt phlegma, modò craſſius, modò dilutius; at quandoque accidit, vt cum phlegmate miſceatur portio aliqua ſucci melancholici, ſed non cum alijs humoribus: Ex hac ergo materia per variam coctionem, aut corruptionem fiunt alij humores ſpecie varij; vnde naſcuntur apoſtemata iſta.

Cognita

Cognita officienti, & materiali cauſa horum trium abſceſſuum,ſuccedit iam de ſignis tum diſtinguentibus hæc tria apoſtemata ab alijs tumoribus, tum inter ſeſe: Dicamus primò de ſignis, quibus atheroma, meliceris,& ſteatoma diſtinguantur ab alijs tumoribus: & primum ſignum eſt, quòd in his tribus abſceſſibus eſt folliculus, ideſt veſicula, ſub qua continetur materia: Sed dices, ſi folliculus eſt ſub cute, quomodo ex ipſo folliculo diſtinguam tumorem eſſe de genere horum trium abſceſſuum, vel alterius, cùm folliculus non pateat ad ſenſum? Dico, quòd re vera prius cognoſcendus eſt folliculus: modus autem cognoſcēdi eſt,vt tentes an cutis poſſit eleuari; quod ſi,vnguibus,vel alio inſtrumēto arrepta & eleuata, perſentias materiam labantem ſub digito, & videas,quòd cutis arrepta facile diducitur ab ipſo tumore,nihilq́; tumor patiatur,neque eleuetur,neque deprimatur,ſignum eſt, quòd ſub cute eleuata latitat membrana veſiculave, ſub qua materia illa,vel mellea,vel laridacea,vel polentacea continet: & ita ex cognito folliculo infertur tumorem eſſe de genere horum trium apoſtematum. Alterum ſignum à Celſo traditum eſt,quòd tria iſta apoſtemata incipiunt, & deſinūt ſine dolore, ſiue ipſa tangas, ſiue comprimas,quod in alijs apoſtematibus non eſt: nam ſi nimis comprimantur, cùm collecta eſt ſanies,dolent valde partes ipſæ. Tertium ſignum,quòd etiam traditur à Celſo lib.7.cap.6. accipitur ex partibus peculiaribus,quas tres iſti abſceſſus ſolent occupare: dicit enim Celſus ibi,quòd habent certas ſedes;non autem vbique naſcuntur: partes autem,iuxta ſententiam Aetij in 6.lib.cap.68.&,vt etiam dicit Celſus loco dicto,& Auctor introductorij cap.15.& 16.ſunt primò caput,ſecundò facies,tertiò palpebræ,quartò ceruix,quintò alæ, ſextò pars cubiti circa articulum: poſſunt etiam aliquando iſti abſceſſus in alijs locis oboriri;frequentius tamen oriuntur in his enumeratis.Quartum,& vltimū ſignum addatis, & eſt,quòd iſta apoſtemata labuntur ſub cute; alia autem non labuntur: & hæc ſunt ſigna, quibus melicerides, atheromata, & ſteatomata dignoſcuntur ab alijs tumoribus. *Signa diſtinctiua vniuerſalia.*

Succedunt modò ſigna,quibus diſtinguuntur iſti tres tumores inter ſe; & primò dicamus de ſignis meliceridis, quorum primum, & commune eſt, quod ſi tumor aperiatur, & inueniatur materia ſimilis melli, certum eſt, quòd eſt meliceris. Sed & ruſticus hoc modo tumorem dignoſceret; verùm opus eſt habere ſigna, quibus diſtinguatur ab aliis integro exiſtente abſceſſu: ſignum igitur meliceridis primum eſt, quòd tumor eſt valde mollis, & cum digito eſt compreſſus, materia mouetur circumquaque ſub digito, vt ait Celſus.Secundò,vt dicit Paulus,tumor ſubſidet,ac ſi eſſet ſubſtantia,vel corpus laxū,non enim valde prominet. Tertiò,ſi apponas digitum,materia non citò funditur,quia veſicula eſt plena;ſed ablato digito,citò materia refluit,quia eſt tenuis. Quartò addatis ſignum ab omnib. prætermiſſum, certiſſimum tamen, & indubitatum, ꝙ ſi erit purus meliceris, appoſita candela ex vna parte,videbitis materiā tranſlucere. hæc ſunt ſigna meliceridis. *Particularia meliceridis.*

Signa autem atheromatis ſunt primò, ꝙ ſi tumor aperiatur,materia erit ſimilis pulti. Secundum ſignum eſt, quòd tumor eſt mollis; ſed non ita laxus & mollis, vt meliceris. Tertium,ſi apponas digitum,materia tardè cedit, tardeq; refluit,reditve; quod non erat in meliceride:citò enim redibat,quia materia eſt mollior,tenuiorq́;, q̃ ſit in atheromate. Vltimū,in atheromate nullus,appoſito lumine, apparet ſplēdor, & tumor eſt oblongus. *Atheromatis.*

Steatomatis autem ſigna ſunt primò durities ad tactum; ſed non tanta eſt durities, quin etiam perſentiatur mollities quędam. Secundum, tumor habet ſolidiorem baſim,quàm habeat meliceris,& atheroma. Tertium, nullus adeſt ſplendor, appoſita candela. Vltimum cutis facilè, & longè quidem facilius, quàm in atheromate, & meliceride, ſeparatur, vt ait Celſus: & hæc de ſignis. *Steatomatis*

Dicamus nunc quatuor verba de præſagio: ſi tres iſti abſceſſus fuerint cum rubore,& calore exquiſito,prænuncia quod tentent ſuppurationem,& quòd morbus non erit longus. Si in capite ſint,& hæreant ita, vt loco moueri non poſſint, timenda eſt oſſis corruptio, maximè in atheromatibus Gallicis, quæ in capite ſolent frequenter oboriri, & aliquando adhęrent oſſi,ipſum corrumpunt,& tandē etiam membranas, niſi citò Medicus occurrat. Igitur cùm videritis, quòd iſta apoſtemata oriuntur in capite,& adhærent, nec mouentur de loco ad locum,vt de natura eorū eſt,prænuncietis periculum magnum. Si etiam aliquis iſtorum trium abſceſſuum oriatur circa guttur, pręnunciate difficillimam curationem: quæ certè ita difficilis eſt, vt nullus velit curationem ſuſcipere; & ſi ferramentis curare quis aggrediatur, ſubit æger periculum mortis. Si verò iſti nodi oriantur in alijs partibus, & moueantur de loco ad locum, prænuncianda eſt curatio facilis. *Prognoſtica.*

Succedit modo curatio,& primò curatio meliceridis.Si igitur ſit meliceris magni momenti,& magnus,& citò factus ſit,adhucq; fluant humores,monet Aetius,vt primò ſecemus venam;deinde exhibeamus pharmacū,quod phlegma euacuet,vel quod habeat ali- *Curatio meliceridis ex Aetio.*

quam

quam etiã vim educendi melancholiam,ſi portio aliqua ſucci melancholici fuerit cũ pituita mixta. Cùm his victus ratio inſtituatur optimi ſucci, ac facilis concoctioins:& reliquę res nõ naturales optimè adminiſtrentur. Sed ſciatis, ꝙ multæ melicerides ſanantur abſq; ſectione venæ,& exhibitione pharmaci,& ego ſanaui fere infinitas; Gal. itaque in 14.meth.c.12. dicit ꝙ meliceris poteſt curari triplici ratione: prima quidem per reſolutionem materiæ in halitus, quod fit cum digerentibus:ſecunda ratio eſt per putrefactionem folliculi, & materiæ:tertia per inciſionem,quæ fit cum ferramentis. Dicamus de prima curandi ratione,quæ fit cum medicamentis digerentibus. Si igitur ortus ſit meliceris in capite, vel in ſcroto, vel in alia parte, & ſit paruus, mollis, aquoſus, ac lucens, ita, vt materia valde aquoſa, ac humida videatur, tunc procul dubio reſoluentium vſus erit optimus, teſte Galeno in 2. ad Glauc.cap.10. & ideo,inſtituta recta victus ratione, capies diachylon commune,& cum eo admiſcebis puluerem ireos ſexta vel ſeptima parte,prout magis, vel minus volueris diſcutere, & ſuper impones: vel, ſi vis medicamentum validius, capias diachylon magnum Meſuæ: vel diachylon cum gummis, admiſcendo puluerem ireos, & ariſtolochiæ rotundæ; vel vtare medicamento Raſis ex ſtercore caprino ſiccato, & oxymelite: capimus ſtercus caprinum, ſiccamus, & conterimus, & hunc puluerem cum oxymelite diſſoluimus ita, vt fiat veluti emplaſtrum, & ſuper imponimus, & eſt medicamentum optimum, valideque diſcutit. Vſus ſum ego aliquando & vtor medicamento illo, quod Galenus in 6. de compoſit. medic. ſecundum genera,cap. de medicamentis reſoluentibus refert in Alexandrum,cuius medicamenti componendi rationem referam: nam eſt præſtantiſſimum, & ego ſoleo vti feliciter admodum: compoſitio igitur eſt talis.

Ex Galeno triplex.

Primo per digerentia.

Emplaſtrum Alexandri.

℞. Salis Hiſpani, vel loco eius ſalis gemmæ, vel illius, quod defertur ex Polonia
Lithargyrij } an.℥.i.
Ceruſſæ
Ceræ ℈.ij.
Terebentinæ ℈.ij.
Galbani } an.℈.iiij.
Opopanacis
Seminum ſinapis ℥.s.
Olei veteris ℥.iij.
Aceti acerrimi lib.i.

Miſcentur, & coquuntur, donec fiat medicamentum non inquinabile, ideſt, quod non ſit ita liquidum, vt inquinet manum, ſed paulo duriorem habeat conſiſtentiam: vel, ſi hoc non placeret, vtami ni illo, quod Galenus ibidem refert ex Democrate, & eſt præſtantiſſimum: fit autem ſic, & dicitur medicamentum ex ſalibus.

Medicamentum ex ſalibus.

℞. Salis ℥.i.
Ceruſæ ℥. ij.
Galbani
Populeos } an.℈.iiij.
Ariſtolochiæ rot.
Olei veteris ℥.iij.

Coquitur oleum ſimul cum ceruſa, & ſale, quouſque acquiſiuerit quandam craſſam conſiſtentiam, deinde auſertur ab igne, & adduntur reliqua in puluerem redacta, & ſit medicamentum præſtantiſſimum. Adſunt infinita alia medicamenta, vt emplaſtrum ſacrum, ac ſimilia, quæ prætermitto, & hoc modo per diſcuſſionem curatur meliceris.

Secundo per putrefacientia, ſeu maturantia.

Sed ſciaris, quòd huiuſmodi curatio vnum patitur, & eſt recidiua: nam ſæpe ſæpius, diſcuſſa materia, & relicto folliculo; inde ad paucos dies, vel menſes repletur iterum folliculus; & propterea mihi magis placet curatio altera, quæ ſit per putrefactionem folliculi, & materiæ, quæ putrefactio fieri poteſt vel cum medicamentis generantibus pus, vel cum medicamentis cauſticis, & erodentibus, Galenus autem non de putrefactione facta cum cauſticis; ſed de ea, quæ fit cum ſuppurantibus intelligit. Sed animaduertas, quòd non omnia medicamenta pus gignentia ſunt opportuna: nam quædam gignunt pus humectando, quædam aſtringendo poros, quibus obſtructis, accidit, vt materia vertatur in pus: & hæc non conueniunt in tali curatione; ſed ea, quæ generant pus, quatenus augent calorem; quo aucto, & validiori facto, agit in materiam, & illam concoquit. igitur poteritis ſuperimponere medicamentum, de quo Galenus in 2. ad Glauc. cap.7. quod fit ſic; capiatis caricas, & coquatis tandiu, donec caricæ fuerint fere eliquatæ, & aqua facta veluti mellis; deinde accipiatis panem coctum, & bene ſalitum, ac fermenta-

men'tatum, & faciatis emplaſtrum, quod valde concoquit, & ideo conuenit, præcipue in ijs tumoribus, qui difficilè concoquuntur: poteritis etiam vti diachylone cum gummis diſſoluto cum adipe gallinaceo, & eſt præſtans medicamentum: & cum his augebitur calor in tumore, quo aucto, aget validiſſimè in humorem, ipſumque acrem reddet: & ſic factus acris exulcerabit folliculum: Optimum quoque eſt medicamentum Raſis, quod hoc modo paratur:

℞. Seminum { Fœnu Greci ℥. ſ. | Lini ʒ. ij. | Caulium ʒ. j. }

Teruntur ſimul optimè, & ſuperinfundatur tantum mucilaginis altheæ, vt fiat emplaſtrum. Aliqui Recentiorum capiunt carnem crudam cochlearum, & tundunt, miſcentq; cum caricis benè coctis, & facto emplaſtro, applicant, & certè eſt medicamentum præſtantiſſimum: nam & citò, & optime agit. Concocta materia, & putrefacto folliculo, quod cognoſces duplici ſigno: primum eſt, quando cutis, quæ prius eleuabatur, ſeparabaturque à folliculo, nequit amplius arrepta eleuari, ac ſeparari à veſicula, nec amplius ſupra ipſam labat: Alterum eſt, quando cutis folliculo ſuperimpoſita, quæ ſolebat eleuari, eſt reddita tenuior, quàm antea eſſet, quando tu imponebas medicamenta concoquentia, & pus generantia, & ſi tumorem comprimas, videtur, quòd ſanies non amplius cõtineatur ſub folliculo, ſed ſub cute: cognito, inquam, ex his ſignis folliculum eſſe iam corruptum, deueniunt ad ſectionem tumoris, & aliqui aperiunt vnica ſectione, aut per longum, aut per tranſuerſum; aliqui duplici ſectione in crucem. Ego autem dico, quòd ſi tumor ſit paruus, vel in parte aliqua conſpicua, ſufficit vna ſectio: nam ſi eſſet, verbi gratia, in facie, facta duplici ſectione, deturparetur nimis facies: Facta ſectione, educatur pus, & folliculus totus ſi poteſt: dico, ſi poteſt, quia aliquando partes aliquæ remanent incorruptæ; & ideo ſolent iſti ſtatim explere vomicam aliquo medicamento cauſtico, vt vel chalcantho, vel ſale, vel Aegyptiaco, vel alio ſimili, vt partes folliculi, quæ remanſere, corrumpantur: Quod mihi non placet, quoniam ſolet ſuccedere maximus dolor, & ſic magna materiæ attractio. Præterea, ſolet poſtea ſuccedere magna cicatrix, quod eſt valde turpe in parte conſpicua: & ideo cum remanent partes folliculi incorruptæ, & nequeunt educi, vterer potius cum Celſo concoquentibus, vt ſenſim corrumperentur, quale eſt terebinthina vel ſola, vel cum oleo maſticino, vel cum luteo oui; & hoc medicamentum inijcerem in ſectionem exterius; poſtea applicarem aliquod illorum medicamentorum concoquentium, ſupputantiumve, quæ ſupra enarrauimus, & deſcripſimus: nam ſic mitigabitur omnis dolor, & corrumpentur partes reliquæ folliculi: poſtea cum videris, quòd incipit apparere concoctio, & corruptio partium membranæ, vel folliculi, quod pro eodem accipimus, vtare abſterſiuo de melle, vel vnguento Iſidis diluto cum aqua roſacea; vel vtere cerato roſaceo cum mica præcipitati, & hoc modo ſeparabuntur partes relictæ folliculi: quibus ſeparatis, explebis vulnus carne, & obduces cicatrice. Quòd ſi velles putrefacere altera ratione, ſcilicet cum medicamento cauſtico, non recurras ad aliud, quàm ad capitellum; nam inter cauſtica ipſum in hoc caſu obtinet principatum: ipſo igitur vtamini, nam corrumpet facilè cutim, & folliculum; quo corrupto, maturabitis eſcharam; & poſt caſum ipſius explebitis vulnus, vel vlcus carne, & obducetis cicatrice.

Veſiculæ putrefactæ ſigna.

Modus ſecandi tumoris poſt putrefactionẽ.

Folliculi pars relicta non cauſtico abſumenda, ſed maturanda.

Capitellum tamen concedi poſſe.

Tertia ratio curandi, quę fit cum ferramentis, probatur à Galeno, ab Auicenna, à Paulo, ab Albucaſi, à Celſo, & ab omnibus Recentioribus. Faciatis igitur, vt æger decumbat, deinde accipiat Chirurgus cutim meliceridis, & eleuet, amputetque ad folium myrti ſectione facta: ſecta cuti, apparebit folliculus prominens, ac ſplendeſcens. Et quia ex ſectione cutis profluet ſanguis, ideo oportet habere paratam ſpongiam madidam aqua frigida, & aceto, & ſanguinem ſiſtere, ne copia ſanguinis exeat, & obſit; & prætereа, ne ſanguinis fluxio impediat actionem. Firmato ſanguine, vngue, vel alio inſtrumento ſepara cutim, quæ non eſt abſceſſa à toto folliculo; poſtea ſenſim circuncirca ſcarificabis folliculum, & auferes cùm gladiolo. Sed nota, quòd ſi folliculus etiam in parte aliqua, vbi eſſet vena, vel arteria, quarum ſectionem non poſſes euitare inter auferendum folliculum, fac, vt miniſter præſens adſit, qui ſtatim ſecta vaſa vel filo, vel hamo arripiat, & inhibeat fluxionem, & hoc modo euitabis periculũ, quod immineret ex ſanguinis profluuio, & non impedietur tua actio. Sed animaduertas, quòd aliquando accidit, vt folliculus hæreat vel capiti muſculorum, vel neruo alicui; & tunc non debes totum folliculum abſcindere (nam poſſes ſecare neruum, vel muſculum) ſed ſcindas partem tantũ ſuperiorem, & partem illam, quæ remanet, putrefacito cum medicamentis concoquentib. ſupra enarratis. Sed ſi nullum adſit periculum, ſemper melius eſt totum folliculũ auferre

3. per ſectionẽ tumoris.

Cautiones de ſanguinis fluxu.

Itẽ de neruis & capitibus muſculorũ.

vnica

vnica actione : nam poſtea octo, vel decem diebus ſanatur optimè locus ; quod non fit, ſi pars ipſius remaneat.

De Talpa, ſeu Teſtudine.

His, quæ de meliceride ſunt hucuſq; dicta, addatis vnum, tanquam corollarium, & eſt, quod licet meliceris varias poſſit occupare partes; tamẽ ſemper à Græcis appellatur meliceris in quacunque oriatur parte, & ab Auic. nodus: ſed à recentioribus Barbaris varias eſt ſortitus appellationes, iuxta partiũ, quas occupat, diuerſitatem: nam ſi in capite, & pręcipuè puerorum oriatur, vt ſæpe ſolet, ex mixta materia pituitoſa cum ſanguine, aut bile, quæ materia putreſcat, faciatq; citò abſceſſum, citoq; deſinat (neque enim ſicut in alijs partibus tãdiu protrahitur, ſed citò putreſcunt humores illi, & ad ſaniem declinant) talis, inquam, abſceſſus in puerorum capitibus exortus vocatur à Recentioribus iſtis, non meliceris, ſed teſtudo, eò, quòd teſtudinem videatur pręſeferre: nam quemadmodum teſtudo animal continetur ſub priori illa, atq; incuruata teſta; ita folliculus animalis inſtar cõtinetur ſub capitis cute. Præterea, quia abſceſſus iſte ſub cute ſerpit, facitq; cuniculos, quemadmodũ talpa ſub terra, idcirco ab eiſdem vocatur talpa, toparia, & topinaria. Curatur autem affectus iſte, ſcilicet meliceris in capite obortus, non quidem per reſolutionem, diſcuſſionemve inſenſibilem, nec per exuſtionem, aut per putrefactionem ; ſed per maturantia : maturamus enim abſceſſum, poſtea ſecamus cutim duplici ſectione, cruciata ſcilicet, vel vnica ſectione, & auferimus folliculum: Vnica quidem ſectione, & illa quidem recta vtimur, quando abſceſſus fuerit in occipitij parte extrema propè illas chordas : nam ſi per tranſuerſum cutim ſecaremus, periculum eſſet, ne ſecaremus chordam aliquam ! Si verò alibi fuerit tumor, vtimur ſectione cruciata.

De Meliceride, ſeu Lupia palpebrarum.

Naſcitur & meliceris circa palpebras, & tunc à Theodorico vocatur nodus palpebrarũ, & lupia palpebrarum. Curatio ipſius eſt non per maturantia, nec per corruptionem cũ cauſticis; ſed per reſoluentia, diſcutientiave: quæ curatio per reſoluentia ſi non ſuccedat, vtimur altera per ſectionẽ: nam diſſecamus cutim non quidẽ in ſuperiori parte palpebrę (& hoc animaduertatis, nã fieret corrugatio) ſed eleuamus, & inuertimus palpebrã, & in ĩterna parte ſecamus, & extrahimus folliculũ; poſtea obducimus carne, & cicatrice.

De Batracho ſeu Ranula.

Oritur etiã meliceris ſub lingua, & quidẽ frequentiſſimè, pręcipuè ijs, qui iter fecerint ſub pluuia, & dicitur Gręcè batrachos, Latinè ranula. Curatur cum diſcutientibus, & illis quidẽ medicamentis diſcutientibus, quæ conueniunt in curãdo botio, quę medicamenta infra recenſebo, cũ de botio pertractabo. Curatur etiam cũ medicamento maturãtibus, vt cum decocto caricarum, althęæ, paſſularum, & huiuſmodi, detento diu in ore: bonum quoque eſt lac detentũ in ore : Maturatus cum fuerit, cõueniunt abſtergentia, & carnem gignentia. Poſſetis etiã exurere tangendo cum oleo chalcanthi, vel ſulphuris; ſed non eſt in vſu talis curatio, nec ego eam multum probo. Curatio etiam per ſectionem non eſt tuta, nam cum inibi ſint venæ magnæ, poſſent incidi, & ſic fieri magna ſanguinis fluxio.

Hernia aquoſa duas habet species.

Quandoque oritur meliceris circa teſtes, & dicitur à Recentiorib. his Chirurgis hernia, vel ramex aquoſus. Sed notate, ꝙ talis hernia aquoſa eſt duplex: Vna, quãdo materia illa mellea, vel aquea colligitur in ſecunda membrana ſcroti, & tunc teſtis innatat in tali materia. Altera verò fit, quando materia colligitur, & continetur non in ſecunda tunica; ſed in membrana propria, ita, vt teſtis non innatet in tali materia ; & de hac loquimur nunc, cuius curatio eſt per reſoluentia, per maturantia, per exurentia, necnon per ſectionem : his enim omnibus modis poteſt curari. & hæc de meliceride.

Atheromatis natura et materia.

Alter abſceſſus erat atheroma à Græcis vocatus, & ab Auic. ſecundus nodus, cuius natura peior longè eſt, quàm ſit melicerid is, & ſteatomatis: nam vt plurimũ corrupto folliculo hæret partibus, vel oſſeis, vel nerueis, & eas corrũpit, putrefacitq; , & pręcipuè oſſa; & ideo atheroma peior eſt alijs duob. abſceſſibus: hac etiã ratione, quoniam conſtat duplici materia; vna quidem craſſa, pituitoſa, ſalſa, & aduſta; altera ſeroſa, alba, tenui, & acri, qua diluitur ſubſtãtia illa craſſa, ideſt, materia craſſa; & ex ijs ſimul mixtis fit vna materia polentæ ſimilis, quæ collecta in folliculo facit atheroma: & quia pars illa materiæ ſeroſa ſubſidet in fundo, ideſt, inferiori parte folliculi, idcirco folliculum ipſum in ea parte erodit, necnon partem oſſeam, vel nerueam, quæ illi parti ſubiacet. In hoc abſceſſu reperiuntur plura, vt pili, oſſa, lapilli, ac ſimilia. Oritur atheroma vt plurimum in capite, præcipuè ijs, qui laborant morbo Gallico: et magis in atheromate, quàm in meliceride, & ſteatomate reperiuntur materiæ diuerſæ, vt pili, vngues, & alia dicta; vt plurimum tamen reperitur materia veluti polenta: Et ſicuti meliceris oboriens in capite vocatur à recentioribus Barbaris talpa, vel topinaria, vel topinata, vel teſtudo, vt diximus ; ita & atheroma, cùm in capite oboritur, vocatur ab eiſdem teſtudo talparia, talpa, & topinaria.

Ratio curandi duplex.

Curatio autem huius atheromatis in capite oborti habetur à Galeno in 14. meth. c. 12. & à Paulo in 4. lib. & eſt duum generum : vna quidẽ curatio eſt per putrefacientia; altera

per

per exſciſonem : Reſoluentia autem non conueniunt, quia materia eſt plurima, & craſſa, ita, vt potius fieret craſſior, & durior, quàm diſcuteretur ex talibus medicamentis. Igitur maturandus eſt abſceſſus cum ijs,quę diximus conuenire in meliceride,vel applicanda ſunt putrefacientia; aut arrepta cute, ſecetur ſepareturq́ue folliculus integer cum materia,quæ in folliculo continetur : de qua actione legatis Aetium,lib.15.c.7. ex Leonide:poſtea firmandus eſt ſanguis,& replendum eſt vulnus carne, & cicatrice obducendum : & ſi pars folliculi remaneret, maturetur corrumpaturuè, deinde auferatur : Vel imponatur cauſticum medicamentũ,vt capitellum,& omnia agãtur, quæ in meliceride.

Si folliculus atheromatis oſſi hæreat.

Sed ſciatis, quòd atheromatis ſolliculus frequentiſſimè adhæret oſſi, & panniculo, oſſis, ita, vt nequeat loco dimoueri, & hoc præcipuè accidit in atheromate in capite oborto : cum itaque videtitis, quòd ita hæreat, non veniatis ad ſectionem, quoniam cruciatur æger,& tamen membrana integra deduci non poteſt; vel non excidatis eum integrum, ſed relinquatis partem folliculi interiorem, quæ hæret, ipſamq́ue maturate, vel corrumpite,mox ſeparabitis; aliter non poſſetis etiam volentibus ſeparare.

Si os detectum, & corruptum ſit.

Sed notate,quòd ferè ſemper aperto atheromate in capite,vel cum maturantibus,vel cum cauſtico,vel cum ferro,reperietis os,vel putrefactum, vel ſaltem alteratum, vt denigratum, aut exaſperatum : In qua re quid ſit agendum, Antiqui nihil dixere : ſed recentiores,vt Guido,Lanfrancus,Rogerius, & Argillata, & Ioannes de Vigo fusè admodum hanc rem pertractarunt, & variè etiam : nam ſunt bipartiti, quandoquidem ex vna parte ſit Guido, Lanfrancus, Rogerius, Petrus ab Argilata ; ex altera Ioannes de Vigo, qui dicit ſecum facere etiam Argillatam ; ſed decipitur : nam Argillata eſt cum Guidone, & reliquis. Prima ergo ſecta dicit,quòd aperto atheromate, ſi videas,quòd os ſit denigratum, & corruptum tantum in ſuperficie, eſt abradendum ſcalpello, pars ſcilicet duntaxat corrupta,donec, quod corruptum eſt,auferatur ; deinde cum puluere ſiccante locus eſt carne replendus, & cicatrice obducendus : Si verò os ſit corruptum totum vſque ad membranam,dicunt vtendum eſſe cura palcatiua,hoc eſt,blandientibus eſt vtendum,& relinquenda curatio : nam omnes, qui curantur, aiunt,moriuntur,quia, cum os ſit corpus durum,ſi volumus exurere,exuſtio nõ penetrabit vſque ad imum, niſi ferrum fuerit maximè candens, & tunc periculum eſt,ne exuratur ſubiecta membrana ; Si verò velimus os corruptum auferre, periculum eſt de refrigeratione membranæ, & tandem, ne corrumpatur vita. Ioannes,autem de Vigo,qui audacior reliquis eſt, adducto mendacio ex auctoritate Argillatæ, monet de ſententia Argillatæ (ſed decipitur, quod Argillata idem ſentiat) monet,inquam,vt detectũ os abradamus diligenter vſque ad membranam, exuramuſq́ue ignito ferro, ſi opus fuerit : & ſi in membrana ſub oſſe eſſet concreta caro,admonet, vt ipſam exuramus cum ſuo illo puluere præcipitati. Sed nec prior nec poſterior ſententia placet : prior quidem, quia nimis mitis eſt ea curatio; poſterior verò, quia eſt curatio nimis aſpera,& periculoſa. Ego igitur, ſi, cum aperio atheromata capitis,reperio os corruptum, vt ſemper reperi,vel ſaltem denigratum (& extraxi ſæpiſſimè magna fruſta oſſium, vt duorum, vel trium digitorum latitudine) procedo alia ratione : nam ablato folliculo, ſi reperio os alteratum, vt vel denigratum, vel exaſperatum, abrado ipſum, & ſuperinſpergo puluerem aliquem exſiccantem, vt puluerem ex ſquamma æris, vel ex radice bryoniæ, vel peucedani, vel iridis, vel orobi, vel aliquos ex his,conſimilibusq́ue mixtos, inſpergo, dico,quotidie bis,mane, & veſperi,& expleo vlcus vnguento iſidis (dico vnguento, & non cerato, ſeu emplaſtro iſidis) & hoc facio, quia vnguentum ſiccat, & impedit ſuccreſcentem carnem, ne ſcilicet ſuccreſcat, & bis, vel ter etiã tango os nigrum cum oleo vel chalcanthi, vel ſulphuris, nam hoc modo exſiccatur os,& facilè abſcedit, ſepatatur q́ue; & expleto vlcere puluere, & vnguento, pono circumquaque diapalma,vel linimentum ſimplex : ablato oſſe, ſi video, quòd membrana ſit aliquid paſſa vel à ſanguine,vel à pure, abſtergo ipſam hoc modo : capio ſyrupum roſaceum, vel mel roſaceum recens, & decoctum betonicæ, vel ſcabioſæ, & ſimul mixtis cum clyſtere,ideſt,ſyphone abluo membranam : abluta cum fuerit,accipio vnam partem vnguenti iſidis, & quatuor cerati roſacei,& ſimul mixta ſuperimpono.& ſi quid carnis ſuccreuerit in membrana, accipio medicamẽtum aliquod ſarcoticum, quod non ita exſiccet, vt terebinthinam, vel mel roſaceum, vel ſyrupum roſaceum, cui admiſceo myrrham,thus,& aloem,& ſuperimpono membranæ,vel loco huius medicamenti vtor vnguento de matriſylua, vel vnguento illo in officinis vocato de gummi elemi.

Guidonis opinio, & diſtinctio. — *Ioannis de Vigo.* — *Propria opinio, & curatio.*

Sed quandoque accidit, vt ſtatim ablato folliculo appareat os corruptum, & labans, ita,vt facilè extrahatur : cum hoc video, aufero leniter cum volſella,& niſi os ſequatur, non tento vi extrahere;ablato oſſe, ſi membrana ſit pure obducta, eadem ratione detergo, ſcilicet cum melle, vel ſyrupo roſaceo mixto cum decocto betonicæ infundendo

medicamentum in vlcus: quo facto, ſuperimpono medicamentum ſupra dictum, ſcilicet vnguentum Iſidis temperatum cum quatuor partibus vnguenti roſacei; vel medicamentum compoſitum ex dimidia parte Iſidias, & dimidia diaponpholygis, & cum hoc carne, & cicatrice tego.

Accidit etiam quandoque vt fruſtulum tantum oſſis abſcedat, & remaneant partes circumcirca corruptæ, & tunc ſuperinſpergatis pulueres exſiccantes dictos ſupra partes oſſis corruptas tantum, ita, vt puluis non cadat in membranam, & cauitatem, vnde abſcedit os: expleo deinde vlcus vnguento iſidis, & exterius applico linteolum oblinitum diapalmate. Quandoque etiam accidit, vt magna oſſis portio abſcedat, ac ſeparetur, & tunc quidam ſolent imponere ſupra membranam refrigerantia; ſed non placet (quemadmodum etiam non placet, vt ſuperimponantur valde calida) quia debent eſſe moderatè calida, & habere magnam vim ſiccandi: vnde ſoleo ego capere vnguentum iſidis, & diapompholygos æquali pondere, & ſimul mixtis illinio linteum tenuiſſimum, quod ſuperimpono; deinde capio linteum latum, quod amplexetur totum locum, & oblinio diapalmate, & ſuperpono: & quia ſub cauernis cutis ſolet latitare ſanies, ideo eam exprimo, abluoq; non cum goſſipio, & ſpecillo; ſed cum decocto betonicæ, vel ſcabioſæ ſimul cum ſyrupo, vel melle roſaceo recentibus, & cum fiſtula injicio, & abluo pus illud; poſtea vtor, quæ carnem gignunt, & ita ſuperinducitur cutis calloſa, quæ oſſis munere fungitur.

De Steatomate. Steatoma nullam in ſe difficultatem habet, eſtque abſceſſus benignus, & eius ſebacea materia cùm ſiccatur fit duta valde, & veluti toſacea, quando ſcilicet extra corpus eſt. Vocatur autem ſteatoma à Græcis, à Guidone autem Nacta, à Theodorico Napta, quaſi quod aliquid adnatum ſit, & vulgò Natta dicitur, eò, quod ſit natium carni ſimilis: nam ſcitis nates eſſe carnem non valde duram, hinc dicunt iſti nomen abſceſſum hunc accepiſſe: Ego autem credo potius, quod ſit dictus napta, quaſi caro adnata, nam adnaſcitur parti. Habet autem abſceſſus iſte folliculum, in quo continetur materia ſeuo ſimilis; quæ cum extra folliculum, & à corpore remota fuerit, & ſiccatur, fit toſacea: Creſcit abſceſſus iſte aliquando ad magnitudinem peponum, & cucurbitæ, & maiorem etiam, ſicuti ego aliquando vidi cuidam ſub axilla, qui erat ita magnus, vt ille videretur ſemper ſub brachio geſtare cucurbitam vini, & cum ſecuiſſem, reperi in medio materiæ ſebaceæ liquorem quendam cryſtallo, & adamante lucidiorem: Abſceſſus ergo iſte dicitur à Græcis ſteatoma, ab Auicenna verò nodus ſebaceus, & nacta, vel napta à Recentioribus, vel natta, vt dixi, & oritur varijs in locis; ſed præcipuè in ceruice, in articulo humeri, vel cubiti, ſub axillis, & in articulo cruris, & in poplite; & vbicunque oriatur, ſemper eodem nomine vocatur, præterquam ſi circa guttur oriatur; nam tunc Βρογχοκήλη Græcè, & à noſtris Bocium, & Hernia gutturis appellatur, & vulgò il Goſſo, vel il gozzo, vel la gozza. Sed non putetis, omne bocium eſſe ſteatoma; ſed dico, quòd aliquando botium eſt ſteatoma, plures dantur bonj, vel goſſi ſpecies, quarum

Curatio. aliquæ ſunt ſtearoma, aliquæ non, vt infra ſuo loco patebit. Igitur ſtearoma variat nomen ſolum, quando oritur circa guttur: & tunc, quando ſcilicet oritur circa guttur, curatur eodem modo, quo botium vel gotium, de quo infradicam. Si verò ſteatoma oriatur in alijs partibus, vnica ſatiſfacit curatio, quæ fit per exciſionem, non autem per reſolutionem, quia materia illa ſebacea fieret durior; nec per maturationem, quia cum in tali materia nulla ſit humiditas, non poteſt maturari; nec per putrefactionem, quia cum materia ſit craſſa, & multa, vis medicamenti non penetraret vſque ad imum, & ita curatio non ſuccederet. Si igitur ſteatoma ſit paruum, excidendum eſt eodem modo, quo meliceris, primò amputanda cutis, ſeparandaque, & auferendus folliculus; poſtea, ſupreſſo ſanguine, conſuendum eſt vulnus. Et ſciatis, quòd rariſſimè ſteatoma hæret vel oſſi, vel alteri parti: ratio eſt, quia, cùm ſit tumor ponderoſus, ſemper ſuo pondere ſeparatur: & propterea talis tumor integer aufertur, & ſeparatur à parte: & ita, ſi eſſet ſteatoma magnum, amputetis totum, & facilè eſt, quia parua portio, & breuis adhęret parti, ita vt baſis ſit longe minor, quàm aliæ partes: & ſi vos velletis auferre folliculum, & relinquere magnam illam quantitatem cutis, eſſet ſupercuacaneum, quia cutis illa nullo viui eſſet, nec vnquam coaleſceret, retraheretque ſeſe; ſed ſemper veluti corium appenſum pendula maneret: quare totum ſteatoma eſt auferendum hoc modo, vt ego ſoleo, ſine ſectione: ſupra cutim tumoris circumcirca in ea parte, qua hæret membro, pono cauſticum medicamentum, & ita facilè ſeparatur; poſtea obduco vlcus carne, & cicatrice.

De Aneuriſmate. Cap. XVI.

INTER tumores præter naturam connumeratur etiam ille, qui à Græcis dicitur Aneuriſma, & ab Auicenna, & à Barbaris alijs recentioribus, corrupta voce Græca, vocatur Emboriſma, *Nomina.* necnon mater ſanguinis: Mater quidem appellatur, eò, quod tumor iſte videatur veluti ſanguinis coaceruatio: qui ſanguis colligitur in ſinu, ac quadam cauitate, & facit abſceſſum: nam de genere abſceſſus eſt tumor iſte, de quo nunc loquimur, eſtq; tumor mollis, & concolor cuti, ita vt nec tantillum quidem tumoris color variet à colore cutis circumpoſitæ: Vnde cum Pau- *Definitio.* lo & Aetio dicemus, quòd Aneuriſma eſt tumor blandus tactu, digitis cedens, concolor cuti, ex ſanguine, ac ſpiritu contractus.

Aneuriſmatis autem efficiens cauſa eſt duplex: aliquando eſt arteriæ vulnus, ruptu- *Efficientes.* ra vocatum à Celſo; aliquando eſt dilatatio arteriæ, ἀναστόμωσις dicitur: Vulnus quidem *1. Vulnus,* arteriæ eſt cauſa aneuriſmatis hoc modo: aliquando nebulones iſti tonſores ſecant *ſeu punctio* venam, verbi gratia, cubiti, & non aduertunt ſubiectam arteriam, vnde fit, vt non *arteriæ.* ſolùm venam, ſed etiam arteriam pungant, & vulnerent, vel loco venæ pungunt arteriam; tunc ſequitur, vt vulnus cutis exterioris conſolidetur, & remaneat vulnus arteriæ malè ſanatum, & ita continuò, & continuò ſanguis effluit ex arteria, & intra cutim, & corpus arteriæ collectus facit ſibi ſinum, & cauitatem, & ita dilatata cute à ſanguine collecto excitatur tumor: & hæc eſt prima cauſa aneuriſmatis, vulneratio ſcilicet arteriæ: Altera verò eſt arteriæ dilatatio: quandoque enim accidit, vt cor- *2. Dilatatio,* pus arteriæ in aliqua parte dilatetur ex magna violentia, vel impetu ſanguinis illuc *ſeu anaſtomoſis.* fluentis; vnde arteria dilatata, augetur cauitas, quæ repleta ſanguine extendit partem, & cutim non ſolùm ſubiectam; verum etiam ſupra poſitam, & ſic fit tumor aneureſma vocatus. Ita igitur aneuriſma aliquando fit per vulnerationem arteriæ; aliquando per dilatationem arteriæ: Cuius poſtea dilatationis cauſa aliquando, vt ait *Huius cauſę.* Celſus, eſt violentia, vel impetus ſanguinis; aliquando nixus, & retentio ſpiritus, vt *violentia, &* accidit in mulieribus parientibus; nam ſæpe, vt edant fœtum, retinent ſpiritum, *ſpiritus detentio.* qui agitans arterias ipſas dilatat: hoc etiam accidit aliquando in nixu egerentium, quando ſcilicet aliquis nequit feces excernere. Igitur omnis nixus, & omnis impetus ſanguinis poteſt dilatando arteriam facere aneuriſma.

Apparet ergo, quæ ſit cauſa efficiens, & eſt duplex: vulnus arteriæ malè conſolidatum, & arteriæ anaſtomoſis: cuius anaſtomoſis cauſa eſt duplex: violentia, & ſpiritus detentio: ad quas cauſas reducitur etiam contuſio arteriæ, clamores magni, & ſimilia.

Materialis autem eſt ſanguis tam in eo, quod fit per vulnerationem, quàm in reli- *Materia.* quo, quod fit per dilatationem arteriæ; ſed hoc intereſt, quòd in illo aneuriſmate, quod fit per vulnerationem, ſanguis in ſinu contentus non eſt vndequaque ſyncerus, ſed quodammodo grumoſus: nam maior ineſt copia ſanguinis, quàm ſpirituum; in eo autem, quod fit per dilatationem, ſanguis eſt purus, & minor adeſt copia ſanguinis, quàm ſpirituum, & ita ſanguis eſt tenuior, quàm ſit in altero aneuriſmate facto ex vulnere, vel ex diſruptione.

Quot autem ſint aneuriſmatis ſpecies, apparet; duæ enim ſunt: vnum, quod fit ex *Species.* vulneratione; aliud ex dilatatione arteriæ.

Succedit iam vt de ſignis agamus; & primò de ſignis aneuriſmatis in communi, deinde de ſignis cuilibet ſpeciei peculiaribus, ac proprijs, quibus poſſitis vnam ſpeciem ab altera diſtinguere. Prius tamen vtile fuerit, vt cognoſcatis loca præcipua, quæ aneuriſma ſolet occupare: nam ratione locorum diuerſorum variat aneuriſmatis curatio. Igitur loca, in quibus ſolet fieri aneuriſma vt plurimum ſunt caput, ceruix, maximè in *Loci affecti.* parte anteriori circa guttur, axillæ, inquinamentum, cubitus, & denique omnes aliæ partes, vbi ſunt arteriæ, quæ poſſint perforari, ac vulnerari, & dilatari. Signa aneuriſ- *Signa communia.* matis in communi ſunt: primò tumor eſt magnus eiuſdem coloris cum cute, vel parum mutatus, & quando mutatur, rarior redditur, non tamen tumor eſt magnus, vt oedema. Secundum ſignum eſt, ſi comprimas tumorem digito, vel manu, videbis tumorem

ſermè deliteſcere: nam materia regurgitat in arteriam, & ſtatim ablata manu recurrit in ſinum; ſi tamen magnum ſit aneuriſma, non ita facile euaneſcit tumor, & vt plurimum ad compreſſionem æger non percipit dolorem: Sunt tamen quædam aneuriſmata, quæ ſi comprimantur, magnos faciunt dolores, vt quando aneuriſmata ſunt valde repleta ſanguine, ſunt magna, & tenſa. Tertium ſignum eſt pulſatio, nam ſi ſit aneuriſma, percipies in tumore pulſationem talem, qualis in arteria, & hoc ſignum cum alijs iunctum eſt certiſſimum. Quartum ſignum addit Galenus in libello de tumoribus præter naturam, capite vndecimo, & eſt, quòd ſi tumor ſit aneuriſma, & caſu vulneretur, diſrumpaturve, fit maxima ſanguinis fluxio, & cum difficultate ſupprimitur. & hæc ſunt ſigna aneuriſmatis in vniuerſum.

Diſtinctiua ſpecierum. Signa autem, quibus dignoſcitur aneuriſma factum per vulnerationem ab aneuriſmate facto per dilatationem arteriæ, ſunt: Aneuriſma per dilatationem eſt minus prominens: nam eſt in profundiori parte; quod verò fit per vulnerationem eſt elatius, nam eſt in parte magis extima; & ideo cutis in hoc percipitur mollior, quàm in eo, quod fit per dilatationem. Secundò, aneuriſma, quod fit per dilatationem, eſt mollius, quàm alterum, quoniam ſanguis eſt tenuior, & magis ſpirituoſus. Tertiò, aneuriſma per dilatationem eſt veluti ſpongioſa laxitas: nam aſſimilatur ſpongiæ ſanguine repletæ; alterum verò non eſt ita. Quartò, aneuriſma per dilatationem factum eſt oblongum, quia, cùm arteria longa ſit, nequit circulariter extendi; aneuriſma autem per vulnerationem vt plurimum eſt figuræ rotundæ, quia ſanguis æqualiter extendit cutim. Quintò, aneuriſma per dilatationem arteriæ factum, ſi comprimatur, reſilit ſanguis, & deliteſcit, & percipitur murmur quoddam, veluti regurgitantis ſpiritus, qui ſtrepitus fit ex illiſione illorum ſpirituum; alterum verò aneuriſma ſi comprimatur, nullus ſentitur ſtrepitus, quoniam ſanguis eſt craſſior, & paucis ſpiritibus refertus.

Prognoſtica. De præſagio autem, ſciatis, quòd aneuriſmata ſunt periculoſa, & rarò ſanantur, præcipuè ea, quæ fiunt per dilatationem; quæ verò per vulnerationem ſanantur aliquando, ſed cum difficultate.

Quę aneuriſmata per Chirurgiam curanda. Curandi autem ratio eſt duplex: vna, quæ fit per chirurgiam; altera per medicamenta repellentia, & conſtringentia: Sed ſciatis, quòd non omnia aneuriſmata poſſunt curari per chirurgiam, & ſi quis aggrediatur ea curare, ſequitur maximum ſanguinis profluuium; & tandem mors; & ideo opus eſt, vt ſciatis, quæ aneuriſmata admittant curationem per chirurgiam, & quæ non. Dico igitur primò, quòd aneuriſmata magna non ſunt per chirurgiam curanda: Secundò, nec ea, quæ circa guttur oriuntur; nec quæ ſub axillis, nec quæ in inguinibus: nam in his omnibus locis ſunt venæ, & arteriæ magnæ: & ita, ſi velles incidere partes illas, maximum fieret ſanguinis profluuium, ita vt vel non conſolidaretur locus, vel ſequeretur mors. Aetius præterea dicit in decimoquinto libro, capite decimo, quòd aneuriſma obortum in parte capitis ſuperiore non debet per chirurgiam curari; *Conciliatio Pauli cum Aetio.* Paulus verò in ſexto libro, capite trigeſimooctauo, ponit aneuriſmata capitis inter curabilia per chirurgiam: ergo vel Paulus, vel Aetius errat. Dico, quòd vterque rectè dicit: ſed pro huius rei intelligentia debetis ſcire, non poſſe fieri aneuriſma, niſi in loco, vbi eſt arteria, vel propè ipſam arteriam. Præterea, debetis ſcire, quòd in capite reperiuntur arteriæ duum generum: *Arterię extrinſecæ.* Quædam enim habent ortum à ramo illo arteriæ, qui eſt poſt aures, & aſcendentes diſſeminantur exterius per caput, & deueniunt ad occipitium: Aliæ etiam oriuntur ab arterijs muſculorum temporalium, & aſcendentes pariter diſſeminantur per caput perreptantes ſub cute, & hoc genus arteriarum dicitur extrinſecum: *Arteriæ intrinſecæ.* Aliud quoque genus arteriarum intrinſecum diſſeminantur per caput: nam in dura membrana cerebri eſt ſinus, canaliſve quidam latitudine vnius digiti, à quo plures cuniculi vaſorum oriuntur, & inter reliquos duæ magnæ arteriæ, quæ egrediuntur per duo illa foramina caluarię prope commiſſuram ſagittalem, & diſſeminantur per totum caput. In vtroque verò arteriarum genere, ſcilicet tam intrinſeco, quàm extrinſeco poteſt fieri aneuriſma; ſed hoc intereſt, quòd ſi aneuriſma fiat in arterijs generis extrinſeci, poteſt curari per chirurgiam, ideſt, per diſſectionem: nam arteriæ generis extrinſeci paruæ ſunt, & de hoc aneuriſmate intellexit Paulus: Si verò aneuriſma oboriatur in arterijs generis intrinſeci, non debet curari per chirurgiam; quoniam arteriæ illæ ſunt magnæ, & plurimo repleto ſanguine; & ideo immineret periculum de maximo profluuio, cum præſertim non facile poſſint arripi, quia ad os terminant, & de harum arteriarum aneuriſmate intellexit Aetius.

Sed

Modus cognoſcendi aneuriſma ex internis, aut externis arterijs.

Sed dices: quomodo cognoſcam ego in quonam genere arteriarum ſit aneuriſma? Dico, quòd cognoſces ex compreſſione arteriæ, quæ eſt poſt aures, vel in temporibus: nam ſi comprimas has artetias, & videas, quòd ceſſet pulſatio aneuriſmatis indicatur aneuriſma eſſe in arterijs exterioris generis: Si verò non ceſſet pulſatio, indicatur, quod eſt in arterijs intrinſeci generis. Igitur nec magna aneuriſmata, nec orta circa ceruicem, nec ſub alis, nec in inguinibus, nec in capite in arterijs magnis, quę oriuntur à dura matre, ſunt per chirurgiam curanda; alia verò omnia, vbicunque fuerint, curationem per chirutgiam admittunt.

Curatio aneuriſ. parui ex dilatatione.

Eſto igitur, quòd aneuriſma non magnum ſit in interiori parte cubiti factum per dilatationem arteriæ, quid agendum? Primò opus eſt, vt cutim per longum ſeces tam profunda ſectione, vt deuenias ad arteriam dilatatam; mox ſenſim ſepares arteriam à cute tùm ſubiecta, tùm ſuprapoſita: ſepares, dico, arteriam non ſolùm in parte dilatata; ſed etiam paulò infra, & paulò ſupra: poſtea ſubijcias filum vnum in parte ſuperiori; alterum inferiori, & vincias ita, vt pars arteriæ dilatata intercipiatur ab vtraque anſula; poſtea perforanda eſt arteria in parte dilatata, & extrahendus ſanguis, quo facto, imponenda ſunt medicamenta, quæ conſolident, vt thus, maſtiche, terebinthina, & huiuſmodi: & ſic ſanabitur, nec fiet recidiua. hoc modo per chirurgiam curatur aneuriſma factum per dilatationem arteriæ.

Si ex vulnere fiat, quid manu agendum præcipiantur veteres.

Cæterùm, ſi aneuriſma fiat per vulnerationem, quomodo per chirurgiam curandum? de hac re Antiqui monent, non vt excoriemus; ſed vt totum aneuriſma, quatenus fieri poſſit, cum cute digitis apprehendamus; deinde acu duplex filum trahente traijciamus id, quod apprehenſum eſt, in inferiori parte; & facta anſula filum incidamus, & ſic duobus filis, hic & illic, tumorem ligemus: & ſi timeamus ne fila circumuoluantur, monent, præcipuè Paulus libro ſexto, capite trigeſimooctauo, & Albucaſis, mouent, inquam, vt alteram acum per totum tumorem traijciamus, quæ priorem premat, duo ſimiliter fila ducens; & facta anſula ex quatuor filis, vt fila amputemus; poſtea, vt tumorem per medium aperiamus, auferamusque ſanguinem, & poſtea conſolidemus: hæc eſt curatio, quam docent Antiqui: Sed ſciatis, quòd nemo eſt, qui audeat curationem ſuſcipere, nec ego, vt ingenuè fatear, volui aneuriſma aperire.

Præcautio magni aneuriſmatis.

Magna autem aneuriſmata, vt dixi, non admittunt curationem per chirurgiam, nec ſanantur per medicamenta; ſed ſolùm prohibemus, ne maiora fiant; & hoc facimus cum medicamentis repellentibus, & aſtringentibus, quibuſcum tentamus, vt ſanguis retrocedat; deinde partem cum faſcijs ligamus, ne ſanguis recurrat: Medicamenta autem plura habemus opportuna; ſed vnum proponitur ab Aetio in decimoquinto libro, capite decimonono, ex Nechepſone, quod pro præſtantiſſimo habetur, & ego ſum aliquando vſus cum magno ſucceſſu; aliquando etiam non proficit. medicamentum fit hoc modo: Accipias ſolia cupreſſi viridia, atque in vigore exiſtentia, ideſt, quod non ſint nimis tenera, nec nimis dura, & optimè tunduntur in mortario; & interim, dum tunduntur, ſuperinfunditur vinum nigrum, craſſum, acreque, & quanto acrius, ideſt auſterius, tanto melius eſt; poſtea fit expreſſio, & ex eo, quod expreſſum eſt, fit emplaſtrum, quod habeat ſtrigmenti ſpeciem, ideſt, craſſitiem ſordis: quod emplaſtrum eſt aneuriſmati imponendum; illinitum tamen ſupra linteolum: ſed prius, quàm imponatur, opus eſt reprimere ſanguinem in arteriam; poſtea ſuperimponēdum eſt hoc emplaſtrum, & vincienda pars optimè cum faſcia: nec remouendum eſt emplaſtrum, nec faſcia, niſi de tertio die in tertium.

Emplaſtrũ ex Aetio aſtringens.

Aliud valentius.

Si velletis medicamentum validius, faciatis hoc modo: Aſſumatis bolum Orientalem, terram ſigillatam, gallas, hypocyſtidem, quæ omnia excipiantur cum ſucco ſoliorum cupreſſi, & plantaginis, & facto emplaſtro imponatur eodem modo.
Sed ſciatis, quòd ſi aneuriſma fuerit antiquatum,
eſt inſanabile; & hæc nihil faciunt;
ſi verò fuerit in principio,
proſunt aliquan-
tulum.

De Hernia gutturis, ſeu de Botio. Cap. XVII.

Nomẽ duos tumores ſignificare.

EX curatione aneuriſmatis potuit etiam vobis fieri manifeſta curatio illius tumoris, qui à Græcis dicitur βρογχοκήλην, à noſtris verò Barbaris hernia gutturis, & Botium. Sed ſciatis, quod tumor iſte eſt duum generum: Vnum quidẽ, quod fit per dilatationem arteriç, & eſt idem cum aneuriſmate, quòd fit per dilatationem arteriæ; & non curatur, nec per chirurgiam, nec per medicamenta, niſi fuerit in principio; & de huiuſmodi botio non meminere Recentiores, ſed Antiqui medici Græci tantum, & de hoc dixi patere ex dictis curationem: nam, cùm idem ſit cum aneuriſmate per dilatationem arteriæ, curatur per medicamenta eodem modo, quo aneuriſma, quando ſcilicet fuerit in principio; non autèm confirmatum. Aliud botium, vel βρογχοκήλην, eſt, quod fit ex aliquo humore, de quo meminere Recentiores, & de hoc nunc tradenda eſt à nobis curatio: & huiuſmodi botium notiſſimum eſt, ita, vt non egeat pluribus verbis in ipſius notis explicandis.

Cauſa botij. Botium igitur iſtud oritur circa guttur, & crebrum eſt in ijs, qui montana loca incolunt, propter frigidiſſimum aerem, quem inſpirant, & aquam frigidiſſimam, ac veluti marmoream, & crudam, quam potant: nam refrigerantur valde fauces & aſpera arteria, & ſic malè partes iſtæ nutriuntur, & congerunt excrementa plurima pituitoſa, ex quibus fit poſtea botium. Hæreditas etiam paterna ſolet eſſe in cauſa botij: nam multi nec ex aere, nec ex aquis crudis, & frigidis contrahunt talem tumorem; ſed ex proprijs parentibus in generatione accipiunt, tanquam hæreditatem quandam; vt plurimum tamen aer frigidus, & aqua cruda ſunt efficiens cauſa.

Genera botij. Antequam autèm deueniatis ad curationem botij, opus eſt vt diſtinguatis, an ſit ſteatoma, an meliceris, an atheroma: nam licet Græci videantur velle, quod bronchocele, ideſt botium contineat tantum materiam larido ſimilem; tamen Celſus, & alij animaduertere, quòd aliquando contineat materiam vel melli, vel polentæ ſimilem, & ita botium aliquando eſt ſteatoma, aliquando atheroma, aliquando meliceris.

Si igitur ſit ſteatoma, & non adhæreat neruo, vel ſimili parti, ſecate cutim, & extrahite folliculum, nec timeatis hoc modo curare.

Eodem modo curabitis ſi ſit atheroma, vel meliceris, dummodo non adhæreant.

Botij ſteatomatis curatio chirurgica. Sed ſi ſteatoma eſſet, & adhæreret, quid eſſet agendum? Monet Rogerius, vt tumor arripiatur, & traijciatur duobus ſetonibus: vnus, qui traijciat botium per longum; alterum per tranſuerſum: & ita ſetones relinquantur, & quotidie moueantur: nam hoc modo ſenſim vacuabitur materia illa intus contenta. Porro, vt intelligatis rem hanc, ſciatis, quod chirurgi habent tenaculam, in cuius dente vtroque (dentes voco partes, quibus aliquid apprehenditur) eſt foramen alterum reſpiciens alterum ex diametro: tenacula igitur hac arripiunt botium, & acum ignitam inijciunt in alterum foramen ex directo, ita vt & alterum foramen tenaculæ reperiat, & in huiuſmodi foramen inijciunt poſtea ſetonem. Curatio iſta Rogerij eſt ſatis opportuna; tamen eſt nimis moleſta. Quare melius eſt vti maturantibus ſupra dictis in capite de meliceride, ſiue botium fuerit ſteatoma, ſiue atheroma, ſiue meliceris; à cauſticis autem caueatis in curando bronchocele, ideſt botio.

Botij cuiuſq; curatio per digerentia. Sed ſi botium eſſet vel atheroma, vel ſteatoma, vel meliceris incipiens, monent Recentiores, vt ſuperimponantur medicamenta diſcutientia, & medicamenta ipſa nobis proponunt: quæ bona licet ſint, tamen meliora dubio procul exiſtunt, quæ ſupra in curatione meliceridis expoſui: ſimiliter & ea, quæ traduntur ab Aetio in quinto libro, illis igitur vtamini. Monent poſtea, vt per os exhibeamus medicamenta euacuantia pituitam, quale eſſet turbith; deinde exhibent decoctionem quandam quotidie matutina hora: ſed decoctio duplex fit: vna cum incantatione; quæ tamen ſecundum vim naturæ agit, & non incantationis: altera ſine incantatione: Quæ eſt cum incantatione, proponitur à Rogerio hoc modo: Monet, vt eamus in locum aliquem, vbi ſit nucis iuglandis planta non valde grandis, & alta, nec craſſa, & ipſam ſenſim euellamus, & inter euellendum canamus paternoſtros; qua euulſa, vult, vt capiamus totam radicem, & minutim diſſecemus; poſtea accipiamus ducenta grana piperis, & mixta cum radice coquamus in vino ad conſumptionem medietatis vini, & illius vini exhibeamus ægro in potu ſingulo mane in crepuſculis, donec ſanetur æger: Medicamentum certè eſt optimum;

Duæ potiones.

ſed

ſed potens valde, & exſiccat probè humiditates faucium, & euacuat per vrinam. Altera autem decoctio, vel potio fit ſic: Accipiunt radicem cyclaminis, verbaſci maioris, polypodij, ſolia betonicæ, radices branchæ vrſinæ: horum omnium accipiunt paucam quantitatem, & ſecant in paruula fruſtula, & decoquunt pariter in vino; & exhibent vinum in potu: & hoc etiam medicamentum eſt diureticum, & præſtantiſſimum. Faciunt etiam Recentiores electuarium præſtantiſſimum, quo ego ſanaui aliquando bocia magna ſpatio duodecim dierum, quo etiam vſus ſum in ſcroſulis fæliciſſimo cum ſucceſſu, electuarium autem fit hoc modo:

Electuariũ.

℞. Radicum {
Bryoniæ nigræ
Albæ
Cyclaminis
Polypodij
Bruſci, vel ruſci dicti
Aſparagi
Ariſtolochiæ rotundæ
Cucumeris aſinini
Ari, ideſt, ſerpentariæ minoris
Verbaſci }
Spongiæ marinæ
Paleæ marinæ } añ.q.ſ.

Radices omnes exſiccatæ accipiuntur, & æquali pondere aſſumuntur cum palea, & ſpongia, ita, vt ex vna parte tantum pendeant radices, quantum ex altera palea, & ſpongia: palea & ſpongia exuruntur; & radices conteruntur, fitque puluis, & cum melle fit electuarium, cuius veſperi, quando it dormitum, exhibemus quantum eſt granum ſabæ, & mandamus, vt detineat ſub lingua, quam diu per ſe fuerit eliquatum: Sputum educit, ſiccat, & validum eſt: quod etiam faciunt omnia gargariſmata ſputum educentia hoc modo:

℞. Pulu. {
Pyrethr.
Piper.
Carioph.
Staphiſag. } añ. ℥. j.

Cum ſale & aceto fiat linimentum, quo illiniantur partes palati inferiores, quando æger dormitum vadit: quia mira facit; vel accipiat radicem pyrethri, & mandat, quia maximè facit. Sanaui etiam ego aliquando botium cum ſola aqua marina, cuius exhibebam ſingulo mane quatuor, vel ſex cochlearia. Multa alia medicamenta proponuntur à Recentioribus, nec non ab Aetio, lib. 15. cap. 6. & à Galeno. Sed hæc tantum à me ſunt probata per experientiam.

De Strumis. Cap. XVIII.

INTER tumores, qui membrana, vel folliculo continentur, connumerantur Strumæ, ac Scrofæ aliàs dictæ, vel Scrofulæ, quæ proprias, ac certas tantum partes occupant, nimirum adenas Græcè dictas, & à noſtris glandulas: quæ glandulæ ſolent recipere humores defluentes, & ita intumeſcunt, & pro diuerſitate materiæ defluentis, ac receptæ in ipſis, varij fiunt tumores: nam aliquando defluit ſanguis, & fit tumor calidus; aliquando materia humida, & fit tumor laxus; aliquando materia craſſa, & viſcida, & fit tumor ſcirrhoſus, ideſt durus, qui Struma, vel Scrofula vocatur, & à Græcis χοιράς: igitur χοιράς, vel ſtruma nihil aliud eſt, quàm ipſamet glandula dura facta. Et talis tumor vocatur ſcrofa, metaphora ſumpta à ſcrofis animalibus: nam in ceruice horum animalium ſunt plures glandulæ nigræ, & ſcirrhoſæ: Vel dictæ ſunt ſcrofæ à multiplici copia partus: quia, ſicut ſcrofa animal plures porcellos parit; ita ſcrofa morbus videtur facere. Eſt poſtea tumor iſte à Græcis dictus χοιράς à ſcopulo, vel ſaxo illo inæquali, qui ſub aquis marinis ſolet oboriri, & conſpici, & vocatur χοιράς. Eſt autem ſtruma, vt dixi, ſcirrhoſus, ac durus tumor glandularum. Solet ſtruma, vt ait Celſus, lib. 5. cap. 28. non ſolum ægrotos; verùm & medicos defatigare: ita pertinax, & rebellis tumor eſt.

Adenum affectus.

Ratio cur dicatur ſcrofa, & choiras.

Strumæ definitio.

Cuius tumoris efficiens cauſa eſt fluxio variæ materiæ decumbentis in glandulas,

Cauſæ efficientes.

inbique

inibique materia illa ob frigiditatem glandularum refrigerata, & veluti congelata reddit glandulas ipſas duras. igitur efficiens cauſa eſt Fluxio. Fluxionis autem cauſa eſt cacochymia exiſtens in toto corpore: cacochymiæ verò cauſa eſt praua victus ratio, tum in qualitate, tùm in quantitate: & hinc patet ratio, cur pueri magis, quam alij in alijs ætatibus conſtituti patiantur ſtrumas, vt Hipp. & Galenus dicunt in 3. aphor.26.& cauſa malæ victus rationi aſcribitur: nam pueri omnia indifferenter ingurgitant, & multum, ſæpiuſque comedunt.

Cauſæ efficientes.

Strumar. materia eſt humor pituitoſ. tum ſolus, tum mixtus cum melancholico.

Materialis cauſa ſtrumarum non eſt, vt ait Galenus loco dicto, nec ſanguis, nec bilis, nec iſti duo humores ſimul mixti; ſed humor pituitoſus, frigidus, viſcidus, & craſſus. Auicenna autem in 2. 1. diſtinguens tumores per genera,& loquens de tumoribus illis, qui fiunt à melancholico ſucco exuſto, connumerat inter ipſos ſcrofas: ergo non ſolum à pituitoſo, & viſcido humore; verum etiam à melancholico fient ſtrumæ: vel errauit alter iſtorum. Dico, quod vterque benè dixit, nec Auicenna contradicit Galeno: nam in 3.4. vbi loquitur de curatione ſtrumarum, vtitur ijs, quæ phlegma euacuant, ſicut Celſus vtitur albo veratro; ergo & ipſe Auicenna voluit, quòd ſtrumæ fiant à phlegmate; nec propterea contradicit ſibi ipſi, quoniam re vera ſtrumæ fiunt aliquando non à puro phlegmate, ſed mixto cum portione melancholici ſucci, quòd & Græci confirmant: nam nemini dubium eſt, quod Galenus ſupponit, ſtrumas eſſe ſcirrhos, ergo fiunt ab eadem materia, qua ſcirrhi; ſed ſcirrhi fiunt aliquando ex pituita mixta cum portione ſucci melancholici, ergo & ſtrumæ.

Præterea Aetius, & Paulus loquentes de ſtrumis malignis appellant ipſas canceroſas, quod non alia ratione faciunt, quam quod cancro aſſimilantur: at ſtrumæ canceroſæ non poſſunt fieri niſi ab humore melancholico, ergo ſtrumæ non fiunt à ſolo phlegmate, ſed aliquando à phlegmate commixto cum melancholico humore. Et ita duplex erit ſtrumarum materia: aliquando, immò vt plurimum à ſola pituita; aliquando pituita mixta cum portione melancholiæ.

Modus generationis.

Modus autem, quo ſtrumæ fiunt, eſt: Defluit humor in glandulas, inibique colligitur, & refrigeratur, vel per digeſtionem ſenſim ſiccatur, tunicaque continetur: nam ſtrumæ ſunt, vt dixi, ex illis tumoribus, qui membranam, vel folliculum habent, intra quem materia continetur.

Partes affectæ.

Loca, in quibus ſolent præcipue oboriri ſtrumæ,ſunt ceruix, ideſt, collum, alæ, & inguina, & tandem omnia loca, in quibus ſunt glandulæ; ſed creberrimæ oriuntur in ceruice. Diſſecui ego aliquando cadauera, quæ patiebantur ſtrumas in meſenterio, & reperi aliàs partem illam meſenterij, quæ dicitur lactes, totam ſtrumis refertam.

Differentiæ quadruplices

Signa ſtrumarum non referam; quoniam quiſque ſtrumas nouit: nam quoties perſenſeritis glandulam eſſe obduratam, dicatis, quòd eſt ſtruma. Differentiæ tamen ſtrumarum ſunt cognoſcendæ, & ſpecies, quia variant curationem. Strumarum igitur aliquæ ſunt maximæ, aliquæ minimæ magnitudinis, aliquæ mediocres. Secundò differunt ratione numeri: nam aliquando vna, vel duæ oriuntur; aliquando quatuor, & ſex; aliquando viginti, & triginta ſimul, vt ego aliquando vidi, ita, vt racemus videatur, quemadmodum dicit Auicenna: vnde non defuere, qui crediderint ſtrumas ſe ipſas gignere. Tertiò differunt natura: nam quædam ſunt benignæ, ſine dolore, ſine calore, & non ſunt intenſe duræ; & hæ benignæ vocantur, quæ & citius, & facilius curantur; aliæ è contrà ſunt doloroſæ, calidæ, duriſſimæ, & hæ canceratæ, vel canceroſæ, vel malignæ appellantur, & faciunt puncturas, & alia multa, quæ cancer facit; & non in alio differunt à cancro non vlcerato, niſi quod cancer hæret partibus ſolidis, ſtrumæ autem malignæ non occupant alias partes, quam ipſas glandulas, vel glandoſa corpora: Quartò differunt ſtrumæ inter ſe: nam aliquot ſunt eleuatæ, quæ ſunt ſtatim ſub cute, & poſſunt de loco ad locum moueri, & iſtæ à Guidone vocantur proprio nomine glandulæ; aliquot dicuntur inſertæ, vel immerſæ, vel impreſſæ, eò, quod non glandulas, ſed glanduloſa corpora occupent, quæ in penitiori loco exiſtunt. Scire namque debetis glandulas differre à corporibus glanduloſis, vt ait Galenus in 14. meth. cap. 11. Nam glandulæ propriè dicuntur, quæ in medio vaſorum apponuntur in ea parte, qua vaſa inter ſe diuiduntur & ſeparantur, & inibi apponuntur glandulæ, vt impleant ſpatium illud, & ſint pro fulcimento, firmamentoue vaſorum, & ita non magnum vſum animalibus præſtant, ſed potius natura eas fabricauit, vt maiorem ſui prouidentiam oſtenderet. Corpora verò glanduloſa vocantur, quæ facta ſunt à natura pro generanda, vel ſaliua, vt quæ ſunt in gutture; vel lac, vt quæ in mammis; vel oleaginoſam materiam, ac ſemen, vt quæ in teſtibus, vel pituitoſum quendam humorem, vt quæ ſunt in meſenterio; & ita ratione vſus differunt. Secundò differunt ſubſtantia, quia glandulæ ſunt ſolidiori quodammodo ſubſtan-

Diſtinctio glãdium, & glandoſorum corporũ per vſum & ſubſtantiam.

ſubſtantia, quàm ſint corpora glanduloſa: nam corpora glanduloſa ſunt rariore & magis ſpongioſa ſubſtantia. præterea ad corpora glanduloſa perueniunt tum arteriæ, tùm venæ ſenſibiles; glandulæ autem ſunt liberæ à neruis, arterijs, & venis: neque enim aliquod iſtorum in ipſis complicatur: Igitur aliæ ſtrumæ ſunt eleuatæ, vt quę glandulas occupant; aliæ immerſæ, vt quæ glanduloſa corpora corripiunt; vnde Meges chirurgus etiam ſtrumas in mammis reperit, auctore Celſo, aliæ ſunt liberæ à neruis, venis, & arteriis; aliæ complicantur cum neruis, venis, & arterijs; quæ differentiæ omnes ſunt diligenter obſeruandæ, quoniam variant prorſus curationem.

Prognoſticum autem de omnibus ſtrumarum differentijs eſt, quòd ſtrumarum omnium curatio longa, & difficilis eſt, licet aliarum magis, aliarum minus; ſemper tamen pronuntianda eſt longa curatio, & nunquam promittenda eſt ſanitas, vt empirici quidam faciunt, quoniam ſæpe accidit, vt benignæ ſi ſint ſtrumæ, inter curandum fiant malignæ, vel oriantur aliæ malignæ. *Præſagium.*

Pro curatione autem primo opus eſt ſcire ex Arnaldo à Villa noua, quòd ſtrumę, quę ſunt extrinſecus, vel in glandulis, vel in corporibus glanduloſis, dependent à ſtrumis, quæ ſunt intrinſecus; & ideo medicamenta exterius applicata aut nihil, aut minimum iuuant, niſi prius remoueantur ſtrumæ interiores: quibus remotis, vidi ego ſæpe remotas exteriores ſtrumas abſque vllo in ipſis adhibito medicamento. Quare, ſi multæ eſſent ſtrumæ in varijs partibus, vel paucæ etiam, ſed magni momenti, inſtituatur primò recta victus ratio. *Admonitio in cura.*

Victus autem ſit attenuans: aer non ſit craſſus, nec humidus, ſed tenuis, & ſiccus: motus ſint moderati: ſomnus non valde longus: aluus ſtet aperta: cibi ſint attenuantes. *Victus.*

Ratione victus inſtituta, euacuetur corpus non violenter; ſed leniter, at ſæpe ſæpius: nam ſi ſemel, bis, vel ter valido etiam medicamento euacuares, nihil ageres: at melius eſt cum leniori aliquo, & frequenter euacuarę: In qua re probarem pilulas maſticinas, & ſimilia; tamen non diſcederem à medicamento Auicennæ, quo certè nihil eſt præſtantius in hoc caſu: Medicamentum autem fit ex turbith, gingibere, & ſaccharo partibus æqualibus: cuius quantitas exhibenda eſt duarum drachmarum in adultis vel vnius cum dimidia: in pueris verò vnius. Sed quoniam pueri reſpuunt aliquando hoc; ideo paro ego aliud ſuauiſſimum, & præſtantiſſimum, quod & pueri & omnes libentiſſimè accipiunt: Capio drachmam vnam cum dimidia, vel duas gingiberis conditi ſaccharo, quòd copioſum habetur Venetijs, & accipio drachmam mediam pulueris turbith, ſi puero quatuor, vel quinque annorum velim medicamentum exhibere; ſi verò eſſet adultus, caperem puluerem in maiori quantitate; & puluerem admiſceo cum gingibere, & exhibeo frequenter, vt ſingula 15. die, vel vigeſima; & ſi videam, quòd cum materia pituitoſa peccet etiam in corpore portio melancholici humoris, addo medicamento dicto ſcrupulum medium pulueris epithymi, vel polypodij. *Euacuatio lenis & repetita.* *Purgans Auicennæ.* *Auctoris pro pueris.*

De ſectione autem venæ nihil dico, quia vt plurimum ſtrumæ oriuntur in ætate puerili, in qua non licet ſecare venam: ſi tamen ætas, & alia conſentirent, vtique ſecarem.

Et ſciatis, quòd inter omnes tumores ſcrofulæ requirunt magis curationem internam, quam extrinſecam; & ideo non ſuffieit corpus euacuare; ſed euacuandum eſt quoque caput, vt ait Aetius ex leonida, in 15. libro; & in hoc opus eſt eſſe diligentes: nam ſanaui ego ſæpe ſtrumas in puerulis ex ſola euacuatione per cutim factam, excitata puſtula, aut vlcere in capite: Si igitur, qui laborat ſtrumis, eſſet puerulus trium vel quatuor, vel quinque annorum, ſciſcitamini, an fuerint ipſi vel à matre, vel alia ratione ſuppreſſa vlcera manantia, lactumina dicta: ſunt enim quædam ineptæ mulieres, quæ, vt venuſtiores appareant earum pueruli, inungunt illas cruſtas, & ſic illas reſtringunt; vnde fit, vt materia, quæ per illas vias expurgabatur, deſcendat ad fauces, recipiatur in glandulis, & fiant ſtrumæ, vel fiat alius morbus, vt capitis imbecillitas: nam quotquot ferè ego vidi, qui eſſent capitis imbecilli, omnibus ſciui reſtricta fuiſſe lactumina: & ideo admoneatis mulieres iſtas; vt velint potius filios eſſe pulchros, quando iuuenes ſunt, quam quando infantes: quod facient, ſi permittent capita infantium eſſe cruſtoſa. Si igitur inueneritis puerulo reſtricta eſſe lactumina, curate, vt reuocentur vlcera illa manantia, nam hoc ſolo modo ſanantur aliquando ſtrumæ: Iubet itaque Aetius, imponenda eſſe cataplaſmata, quæ excitent puſtulas, & fiant vlcera, & monet, vt capiamus radices capparum, & cõteramus, admiſceamuſque polentæ, & obliniamus caput: Aliud quoque medicamentum, pro reuocandis vlceribus manantibus, docet, & eſt puluis calcis, & ſaponis: quem puluerem vult vt inſpergamus capiti: Quæ medicamenta optima ſunt; tamen mihi videntur nimis robuſta: ideo vtor ego mitiori, & optimè ſatisfacit: Mando, vt capiat butyrum rancidum, & benè inungat caput; deinde accipiat folia *Curatio in pueris per reuocationem achorum.*

hederæ,

hederæ, vel caulium, & ſimul conſuta ſuperimponat; poſtea tegatur caput cuffia dicta; & ſic excitantur facilè vlcera manantia. Et ſi velleris medicamentum validius, admiſceatis butyro rancido portiunculam ſaponis nigri, & inungatur caput eodem modo.

In adultis per alia loca euacuandum, & digerendum.

Sed ſi non puerulus, ſed adultus æger eſſet, ſciatis, quod non poſſumus reuocare vlcera manantia, quia cutis iam dura nimis eſt facta, & oſſa pariter duriora, ac ſolida reddita, nec amplius commiſſuræ dehiſcunt; & ideo in adultis opus eſt vti apophlegmatiſmis plurimis: & inter cætera vtor ego electuario ſupra deſcripto in curatione botij, quod non ſolum ſub lingua noctu in hoc caſu debet teneri, verum etiam in ore inter vigilandum: & hoc electuatio vtor præcipue, ſi glandoſa ſint corpora, quæ ſtrumas patiantur: Præter hæc, Recentiores, cum vident ſtrumas alicuius momenti, & timent, ne ſint etiam in partibus intrinſecis, exhibent potionem aliquam, quæ exſiccet, attenuet, & euacuet per lotium: cuiuſmodi ſunt potiones illæ duæ ſupra deſcriptæ, quibus & ego ſum aliquando vſus in ſtrumis cum ſucceſſu. Sanaui etiam aliquando ſtrumas cum decocto guaiaci.

De Theriacæ, & Viperarum efficacia in ſtrumis.

At aliud longe præſtantius reperi, & eſt Theriaca antiqua exhibita pauca in quantitate altero quoque die, & poſt aſſumptionem theriacæ exhibeo aliquod decoctum, quod digerat, quale eſt decoctum betonicæ: Mithridatum quoque eſt bonum, ſed multo libentius exhibeo theriacam, quoniam theriacam ingrediuntur viperæ, quæ maximè laudantur in ſtrumis ſanandis: nam Celſus in quinto lib. ait quòd exemplo quorundam ruſticorum compertum eſt, quòd viperarum caro per os aſſumpta ſanat ſtrumas: Aetius quoque viperinas carnes laudat: Vnde in Apulia adhuc conſuetudo viget, vt laborantibus ſtrumis exhibeant ius ceruonis anguis, ideſt, illius viperæ magnæ non venenatæ, quæ alio nomine vocatur caprimulga, eò, quòd emungat mammas capratum, & vaccarum etiam; huiuſmodi viperam ſeruant multos dies in aliquo loco clauſam, vbi ſint furfures, quas ſæpe mutant, exhibentque ad potum lac, & hoc modo dicunt, quòd purgatur vipera: purgata cum fuerit, faciunt ex ea, & quibuſdam aliis rebus ius, quod exhibent; & ſpatio quindecim dierum, dicunt, quòd ſanant ſtrumas. Quia igitur in theriaca recipitur caro viperarum, idcirco eligerem ſemper potius theriacam quàm mithridatum: & credatis, quòd nihil præſtantius theriaca in hoc affectu inueniri poteſt. Dicunt etiam quòd Rex Gallorum ſola benedictione ſanat ſtrumas, quòd audiui etiam ab hominibus fide dignis, ſed numquid hoc verum ſit, nec ne, nolo diſquirere.

Curatio.

Hæc per interius ſunt agenda: deueniamus modo ad locum ipſum. Galenus itaque in 14. methodi cap. 11. dicit, quòd duobus modis curatur ſtruma, ideſt, tumor ille durus, qui extrinſecus apparet: vno quidem modo curatur, quatenus eſt tumor durus; alter modus eſt per ablationem affectus, & loci affecti, ideſt, per extractionem glandulæ. Sed ſciatis, quòd non quælibet ſtruma poteſt curari his duobus modis curationis. Nam quæ in glanduloſis corporibus exiſtunt, non poſſunt curari per ablationem affectus, & loci affecti ſimul: ſed curandę ſunt ſicuti ſcirrhi curantur, ſcilicet cum emollientibus, & reſoluentibus.

Struma in glanduloſis corpor. curāda vt ſcirrhus per emollientia, & digerentia vicißim adhibita.

Primò enim eſt emollienda ſtruma; deinde reſoluenda materia, igitur exiſtente ſtruma non in glandula, ſed in corpore glanduloſo, euacuato primum corpus totum, & caput, & exhibeto lambitiua dicta; poſtea emollito tumorem cum oleo amygdalarum dulcium, vel oleo communi dulci, vel pinguedine anſerina, vel anatina, vel gallinacea recenti, vel cum pinguedine humana, vel cum aliquo aliorum, quę enumerauimus in curatione ſcirrhi. Sed animaduertatis, quòd medicamenta iſta, ſi debeant relaxare, & emollire, opus eſt, vt penetrent: quod cum per ſe non poſſint facere, neceſſe eſt admiſcere aliquid, quod det eis penetrationem vſque in profundum; & ideo admiſcendum eſt ſemper, vel aliquid olei reſoluentis; vel cum medicamento emollien te incoquendę ſunt radices cucumeris aſinini, vel cyclaminis: Emollito tumore, vtendum eſt reſoluentibus: quę autem ſint medicamenta reſoluentia, & quot, aliàs vos docui; vnum tamen omiſi, & eſt oleum ex viperis, quo ego vtor feliciſſimo cum ſucceſſu, vt frequentiſſimè, & nil inuenio, quod ſit pręſtantius: Facio autem oleum hoc modo, vt alias etiam vos docui: Capio viperas, & ſeco integras in fruſta, & fruſta, ſanguinem, inteſtina, & omnia inijcio in phialam, quam expleo oleo communi, & tota ęſtate expoſitum ſoli relinquo. Emollito igitur tumore, vtamini hoc oleo, vel aliquo alio medicamento diſcutiente; deinde reuertendum ad emollientia: nam iterum tumor fit durus; & emollitus cum ſecundò fuerit, iterum applicabitis reſoluentia: & ſic procedetis, modo emolliendo, modò reſoluendo, quouſque tumor fuerit ex toto abolitus.

Sectionem in illis noxiam eſſe.

Hęc eſt curatio ſtrumarum, quæ ſunt in loco profundo, nec eſt vlla alia adhibenda, nec quæ per ſectionem fit: nam impoſſibile eſt effugere vulnerationem alicuius vaſis, vel alterius partis magni momenti: vnde Galenus reprehendit eos, qui auſi ſunt ſtrumas has profundas per ſectionem curare, & dicit, quòd ex ſectione aliqui facti ſunt muti ob inciſionem

muſculi

muſculi laringis. Quare vnus tantum modus curandi datur in ſtrumis profundis, ideſt, occupantibus corpora glandulosa.

Strumæ in glãdulis quoque emolliendæ, & reſoluendæ, aut maturandæ, aut ſecandæ.

Strumæ autem extrinſecæ, hoc eſt, glandularum duplici ratione curari poſſunt: primò quidem per emollientia, & diſcutientia, quæ curatio in extrinſecis etiam ſtrumis ſemper eſt tentanda, antequam deueniamus ad alteram, quæ fit per chirurgiam: nam per curationem factam emollientibus, & reſoluentibus, non deturpatur collum ex cicatricibus: hanc igitur primò tentetis. Si non ſuccedat, tentate etiam, an poſſitis ſcopum attingere cum medicamentis maturantibus, & ſuppurantibus: quæ autem maturantia ſint, dixi ſuperius, vt ex caricis, paſſulis, & huiuſmodi. Maturato tumore, & facta vomica, facilè poſtea eſt glandulam extrahere. Si nec hæc, nec illa curatio ſuccedat, deueniendum ad aliam, quæ, vt Galenus inquit, poteſt fieri, vel cum ferro, vel cum cauſtico medicamento; nam vtroque modo poſſumus glandulam extrahere. Verum non omnes ſtrumæ ſunt aptæ curari ferro: ideo opus eſt, vt ſciatis, quæ ferro poſſint curari, & quæ non. Dico igitur primo, quod ſtrumæ paruæ effugiunt curationem per ferrum: ſecundò glandulæ illæ, circa quas vaſa ſunt complicata, non ſunt ferro extrahendæ: nam nequit glandula à vaſis ſeparari ſine vulneratione alicuius vaſis. Ferrum autem admittunt glandulæ magnæ, & in quibus vaſa non ſunt complicata, & ſtrumæ canceroſæ. Si igitur poſſit ferro extrahi, faciatis eodem modo, quo in meliceride: ſecetis cutim ſectione recta, vel ad folium myrti; extrahatis glandulam; obducatis vulnus carne, & tandem cicatrice.

Strumæ ferrum reſpuentes quæ.

Modus ſecandi.

Modus vtendi ignis potẽtialis, & eius materia.

Si vero non admittat ferrum, vtamini cauſtico: capiatis capitellum, vel calcis puluerem cum ſapone nigro, & ſuperimponatis glandulæ, vel cum cerato, vel alia ratione; & relinquatis tres vel quatuor horas. Exuſtus cum fuerit locus, curate, vt cruſta decidat; vel antequam decidat, accipiatis ſpecillum, & circumcirca cruſtam ſcatificate, quouſque detexeritis glandulam, quæ, cum apparuerit, perforetur cum ſpecillo, & in foramen illud glandulæ iniiciatis aliquod cauſticum: Guido proponit ſublimatum, quo certè nihil eſt præſtantius hac in re, quare eo vtamini, & fugiatis ægyptiacum, & alia validiora; & ſublimatum ſit præparatum, ſed quantum ſublimati eſt in foramen imponendum pro glandulæ mortificatione? Dico, quòd ſi glandula eſſet tanta, quanta eſt ouum, ſat erit tantum ſublimati, quanta eſt medietas acini tritici. Sublimatum autem præparabitis hoc modo. Capiatis eam ſublimati quantitatem, quam vultis, & ponatis ſupra marmor, vel lapidem pictorium, ideſt, ſuper quo pictores emolliunt colores; & altero lapide currente, vel ductili vocato emolliatis ſublimatum, interim ſuperinfundendo aquam vel roſaceam, vel ſolani, vel plantaginis, in qua decoctum ſit opium: emollitum cum fuerit ſublimatum, ſiccetur ad ſolem, & iterum cum eadem aqua emolliatur ſupra lapidem, & iterum ſiccetur, iterumque emolliatur, ſicceturque tertia vice: hoc modo paratur ſublimatum: Poſtea, quando vultis vti in ſtrumis, accipiatis portiunculam ſublimati iam præparati, & ſiccati, & emolliatis cum pauco oleo amygdalarum dulcium, ita, vt poſſitis facere pilulam; deinde accipiatis parum cotonis, ideſt, goſſipij, & in medio ipſius collocetis pilulam illam, & optimè inuoluatur, & facta pilula oblonga, inferatur in foramen glandulæ, inibique relinquatis duodecim horas, & aliquando integram diem, & ita mortificabitur optimè glandula, nec magnus excitabitur dolor, ſicuti ſi alio modo vteremini ſublimato, quam inuoluto in pauco cotone: Mortificata glandula extrahitur facilè. Hunc modum vtendi ſublimatum non reperi apud aliquem, ſed eſt mihi familiaris, & cum eo feci mihi, vt iſti dicunt, magnum honorem, pro mortificandà glandula: Vtor etiam aliquando trochiſco de minio Ioannis de Vigo; quomodo autem paretur medicamentum hoc, docui vos in tabella illa cauſticorum: cuius trochiſci capio portiunculam minorem paulo, quam ſit granum triticeum, & iniicio in foramen. Et ſi plures vna erunt glandulæ, id ipſum eſt agendum ſcilicet mortificandæ, & extrahendæ. Aliquando etiam, ſi glandulæ non ſint valde ſolidæ, nec magnæ, mortifico cum ſolo præcipitato. Hæc eſt ſtrumatum omnium curatio.

Curatio ſuperſtitioſa.

Sed ſciatis, quòd pro curandis ſtrumis ſolent fieri mille incantamenta, & præcipuè, nocte feſti Diui Ioannis Baptiſtæ, Inter quas incantationes vna hæc eſt, nocte dicta accedunt ad arborem perſicum vocatam; & auferunt tria, vel quatuor poma, & cum ipſis tangunt ſcrofas, deinde reponunt poma perſica in aliquo foramine, vel fouea, inibique relinquunt, & dicunt, quòd quemadmodum ſiccantur poma, ita ſiccantur, euaneſcuntque ſtrumæ, & referunt aliquos hoc modo fuiſſe ſanatos; an vera dicant, ipſi norunt. Et hæc de ſtrumis dixiſſe ſufficiat, ſequitur cancer.

Digitized by Google

De Cancro non exulcerato. Cap. XIX.

Nomina, eorumque ratio triplex.

CANCER tumor licet pluribus in locis oboriatur; tamen videtur eſſe propria quædam mammillarum affectio: nam ferè ſemper in ipſis naſcitur: Vocatur autem à Grçcis tumor iſte καρκῖνος, & καρκίνωμα eademmet ratione, qua à Latinis cancer, à ſimilitudine ſcilicet, vt ait Galenus in ſecundo ad Glauconem, cap. 10. & ſecundo methodi, cap. ſecundo, quam habet cum cancro animali marino, aut fluuiatili: nam circa tumorē hunc plures ſunt venæ, quæ cancri animalis pedes videntur præſeferre. Præterea vocatus eſt cancer à ſimilitudine eiuſdem animalis, vt ait Auicenna in 3.4. & aſſumpſit ab Aetio & Paulo; quia, vt cancer animal, cum quid ſuis forcipibus apprehenderit, arctè illud retinet, vixque ab eo poteſt auelli; ita morbus iſte difficile admodum partem cum inuaſerit aliquam, ipſam deſerit. Tertiò vocatus eſt cancer ab eodem animali metaphora accepta; quoniam, vt ait Aetius in lib. 16. cap. 43. tumor iſte habet ſuperficiem inæqualem, aſperam, & duram, qualis & cancri animalis teſta exiſtit.

Cancri dicuntur occulti 2 modis.

Eſt autem cancer iſte tumor duum generum, vt ait Galenus in 6. aphor. 38. & Aetius in lib. 16. cap. 43. nam alij ſunt manifeſti, alij occulti. Vocat autem occultos cancros Galenus illos, qui in penitiori aliquo loco oriuntur, & latitant, vt qui oriuntur in palato, vel in ſinu muliebri: ſimiliter, qui oriuntur in profundiori parte mamillarum, qui in hepate, liene, inteſtinis: & denique in omnibus abditis partibus oborti cancri vocantur à Galeno occulti, vti etiam faciebat Philoxenus, referente Aetio lib. 16. c. 43. altero modo occulti cancri dicuntur ab Hipp. & Galeno, qui ſunt ſine vlcere, etiam ſi ſint in ſuperficie partis, & perſpicua: igitur duobus modis cancri dicuntur occulti: vno quidem, quando oriuntur in parte aliqua abdita; altero verò quando ſunt ſine vlcere.

Sic & manifeſti.

Manifeſtos verò cancros appellat, tùm qui ſunt in ſuperficie, & ad ſenſum apparent, tùm etiã, qui vlcerati ſunt. Nos autem non de vlcerato cancro proponimus nunc agere, quoniam de ipſo egimus in tractatu de vlceribus; ſed ſolum de cancro non vlcerato, qui dicitur tumor vocatus cancer, ſiue ſit in ſuperficie, & patenti loco, ſiue in profundo occultoque.

Cuius cancri non vlcerati duo ſunt genera: vnum quidem eſt malignum; alterum benignius; & de vtroque agemus nunc, incipientes à ſignis vtriuſque, & primò benignioris:

Signa cancri benigni.

quæ ſigna proponuntur à Galeno. Primum igitur ſignum eſt color rubicundus tendens ad nigrum; eſt enim nigrior, quàm in omni inflammatione. Secundum eſt durities: eſt enim tumor durus. Tertium eſt caliditas, non valde intenſa: cùm enim fiat à frigida materia, non poteſt adeſſe calor inſignis. Quartum, tumor circundatur à venis turgentibus, & nigris, æmulantibusque pedes cancri animalis. Quintum, eſt ſine dolore, & ſi comprimatur, interim dum comprimitur, non dolet, ſed poſt compreſſionem ſtatim ſolet dolere, & percurrunt per tumorem punctiones quædam leues; & hæc duo vltima ſigna debetis diligenter animaduertere: quoniã diſtinguunt cancrum benignum à ſcirrho melancholico: nam in ſcirrho non adeſt punctio percurrens, nec venarum illarum circum volutio. hæc ſunt ſigna cancri minus mali.

Signa maligni.

Signa verò ſæuioris, ideſt, qui minatur vlcus, accepta ſunt à Leonida, & ab Archigene, vt refert Aetius lib. 16. cap. 43. Primum eſt color cutis ipſius tumoris liuidus. Secundum, tumor aſpectu apparet mollis; ſed ſi apponas manum, perſenties duritiem veluti lapideam, & tumor eſt aliquando ingens. Tertium, ſi contangas, apparet prorſus inæqualis, & longè magis, quàm benignior cancer, ita vt videatur totus verrucoſus. Quartum, venæ ad ſunt circunſtantes, turgentes, & nigræ, ita, vt tumor videatur quaſi varicibus vallatus. Quintum, tumor hæret prætermodum muſculoſis partibus, ita, vt vel nihil, vel parum poſſit de loco ad locum moueri; benignior autem non ita hæret. Sextum, calor aliquando eſt intenſiſſimus. Septimum dolor pungitiuus, & magnus, qui ſe extendit etiam ad vicinas partes, vt ad axillas, brachia, & clauiculam, ſi fuerit tumor in mammis, vt ſolet vt plurimum, & præſertim in mulieribus, & dolor percipitur, etiam ſi tumor non tangatur, & videtur, quòd acus percurrant per ipſum, vel gladij. Vltimò color eſt cinericius ad ruborem vergens, & aliquando eſt ſubliuidus; & hæc de ſignis.

Cauſæ efficientes.

Cauſæ cancri ſunt fluxiones humorum melancholicorum; fluxionum autem cauſa

eſt

eſt cacochymia: cacochimiæ mala victus ratio, vt eſus lentium, cochlearum, & omnium eorum, quæ poſſunt melancholicos gignere ſuccos, vt aer nimis ſiccus, & calidus, vt in Alexandria eſt, ait Galenus in 2. ad Glauc. cap. 10. ſuppreſſio etiam alicuius conſuetæ euacuationis eſt cauſa aliquando cancri, vt ſanatio varicum in cruribus, ſuppreſſio hęmorrhoidarum, menſtruorumque.

Materialis autem cauſa eſt melancholicus humor nondum putridus factus, ideſt, bilis atra ſine feruore, & modeſtior, vel vix incipiens putreſcere: nam, vt inquit Galenus in ſecundo ad Glauconem, capite decimo, ex melancholico ſucco putrefacto fit cancer vlceratus: ex ſucco verò melancholico, qui nondum quidquam feruoris contraxerit, ideſt, qui nondum inceperit putreſcere, fit cancer non vlceratus benignior: ex ſucco verò melancholico, qui vix inceperit putreſcere, fit cancer non vlceratus malignior: & hinc patet, cur cancri tam diu durent, quia materia hæc frigida, & ſicca non facilè putreſcit, & quàm diu ſine putredine eſt, tam diu tumor durat. *Materiales.*

Præſagium in hoc morbo eſt: Si cancer non vlceratus incipiat, & ſit in ſuperficie difficilè ſanatur; ſanabitur tamen aliquot cum medicamentis; ſed difficilimè, & magno cum periculo: quare ſumma cum diligentia eſt tractandus. Secundò, ſi ſit in penitioribus partibus, vt in palato, in inteſtinis, & ſimilibus partibus, difficiliùs ſanatur, & rariùs; ſanatur tamen aliquando. Tertiò cancri ſæuientes, & incipientes exulcerari, difficilimè ſanantur; aliquot tamen ſanantur; non quidem per medicamenta, ſed per chirurgiam. *Prognoſtica.*

Pro curatione igitur, primò inſtituenda eſt recta victus ratio. Vtatur cibis facilis concoctionis boni ſucci, & qui humectent, & refrigerent aliquantulum: aer ſit frigidus: quies ſit multa: ſomnus longus, nam refrigerat: aluus ſit lubrica: ita, & Venus peſſima.

In omni cancro, vel benigno, vel ſæuo, ſecanda eſt vena, ſi vires, ætas, & tempus permittant; & præcipuè ſecanda eſt in principio & in augmento tumoris, & tantum ſanguinis eſt extrahendum, quantum videtur conuenire, ratione habita ad vires, ad habitum corporis, & reliqua. Si ſuppreſſæ ſint hæmorrhoides, tenta, vt aperiantur, & redeant, applicatis cucurbitulis illis partibus: ſimiliter ſi menſtrua ſint ſuppreſſa, tenta ſaltem per remedia extrinſeca, vt reuocetur eorum fluxus. *Sanguinis miſsio.*

Secta vena, deueniendum eſt ad purgationem per pharmacum, quæ euacuatio neceſſaria eſt in hoc affectu. Sed animaduertas, quòd medicamenta, tam purgantia, quàm præparantia, debent eſſe attenuantia, & non valde ſiccantia: & ita pro præparatione conueniet mel roſaceũ, decoctum boraginis, ſyrupus de liquiritia, oxymel, ſed in pauca quantitate, & ſemper miſceatis medicamenta, ita, vt incidant, ſed non exſiccent, vt, verbi gratia, cum decocto betonicæ, boraginis miſcebitis ſyrupum de liquiritia: conueniet etiam ſyrupus de pomis cum aceto, & ſine aceto. *Præparãtia.* Præparata materia euacuetur in principio cum epithymo, & ſero caprino, exhibendo cum ſero mediam vnciam epithymi: poſtea deuenies ad hieram Galeni, in qua recipitur elleborus, quæ deſcripta eſt ab Aetio, exhibendo ipſius drachmam vnam, vel duas; vel vtere confectione Hamech; vel pilulis cochijs præparatis cum veratro, & ſæpe ſæpius eſt purgandum, & poſt quamcunque purgationem exhibendum eſt aliquod antidotum, quod impediat generationem ſucci melancholici, vel genitum diſcutiat, qualis eſt Theriaca, Mithridatica confectio, & antidotus de ſanguinibus; ſed debent exhiberi cum aliquo, quod impediat exſiccationem, vt cum ſaccharo boraginato, accipiendo mediam vnciam ſacchari cum tanta Theriaca, quantum eſt acinum fabæ minoris; vel exhibeas aliud, quod ſolet eſſe familiare in hoc morbo, & eſt ius cancrorum fluuiatilium, vel noſtrorum gammarorum, ſi illos non habeas: accipias igitur cancros, & coquas in aqua ſimul cum lacte aſinino, & exhibeas per decem, vel quindecim dies ius iſtud quantitate quatuor vel quinque cyathorum pro ſingula vice: Aliqui verò cancros comburunt, & puluerem eorum cum melle miſcent Electuarium facientes. *Purgantia.* *Purgantia, Præparãda, Antidota alternatim exhibenda, & repetenda, autumno, & vere præcipuè.*

Ego autem experimento adinueni aquam ſtillatitiam ex virga aurea mane exhibitam, atque ſumptam ad quantitatem ad ℥.iiij. omnia ſuperare, quia dolores mitigat, & adeo diſcutit, vt nihil magis: ſed herbam iſtam accipio, dum flores habet, & deinde deſtillo: Virga autem aurea eſt planta chymica, & duplex: alia, quæ folia habet lata, & ſubrubra; alia vero, quæ Sarmentoſa eſt, ac Virgultoſa habens flores ſpicatos prorumpentes Iulio menſe, & Auguſto, qua ego vtor, quoniam hanc veram virgam auream eſſe cenſeo, & eſt optima. Hoc facto, præparato iterum materiam, euacuato, & exhibeto antidota; deinde iterum præpara; deinde expurga, & exhibe antidota: & ſic

faciens circulum, ſæpe ſæpius præparando, euacuando, & exhibendo antidota, dummodo tempus ferat: Nam ſi æſtus eſſet, abſtinendum eſſet à medicamentis: ſed tempora maximè opportuna ad hoc agendum ſunt ver, & autumnus; ſed præcipuè ver. Et hac ratione, ſcilicet per ſola medicamenta interius aſſumpta, dicit Galenus, in ſecundo, ad Glauc. capite decimo; & in lib. quos, & quando purgare oporteat, ſe ſanaſſe incipientes cancros.

Repellentia mediocria. Sed ſi his non cederet tumor, monet Galenus libro decimoquarto methodi, capite nono, vt deueniamus ad localia, & ait in principio eſſe vtendum repellentibus, quæ impediant augmentum cancri: ſed repellentia iſta, ait, non debent eſſe nimis leuia, quia nihil agerent, nec nimis valida, quia nimis conſtiparent: igitur debent eſſe mediocria, quia repellent, & non conſtipabunt nimis: & ita patet non conuenire gallas, & ſimilia, ſed ſuccum roſarum, polygoni, plantaginis, ſeridis, ſolani, lactucæ, foliorum, & capitum papaueris: conuenit etiam mucilago pſyllij, mucilago ſeminis cidoniorum, radix ſymphyti maioris. Igitur incipiente cancro, vel exiſtente in primo principio augmenti, vtamini his dictis quæ mediocriter repellunt. Modus autem vtendi eſt varius: poteritis madefacere lintea in ſuccis & ſuperimponere: Secundò excipere ſuccos cum medulla panis, & addito oleo roſaceo completo, vel oleo cidoniorum, facere emplaſtrum, vel capere carnem cidoniorum coctorum, vel aliorum pomorum coctorum pariter in ſapa, vel poſca, & cum ſuccis pariter, & oleo facere emplaſtrum; vel cape carnem dactylorum, & macerato in ſuccis dictis: & poſtea adde oleum vel roſaceum, vel violaceum, & luteos oui crudos, & fac emplaſtrum.

Quot modis in principio parentur, & applicentur.

Tertiò potes capere ſuccos, & oleum vel roſaceum completum, vel cidoniorum, vel violatum, & pone in mortario plumbeo, & cum piſtillo plumbeo tandiu agitato ſuccos, & oleum, vt acquiſiuerint aliquam craſſitiem, & cum eo poſtea inungito tumorem cum penicillo, vel penna: & iſte modus vtendi medicamentis in hoc affectu eſt melior reliquis, quia medicamentum optimè ſatisfacit, & non aggrauat tumorem; ſed olea ſint optimè lota, antequam medicamentum componatur, hæc ſunt facienda incipiente cancro.

In augmento repellētia, & digerentia mediocria calore, & acredine deſtituta. Sed ſi iam inceperit, & augeatur, auctuſue ſit, duplex nobis offertur indicatio, vt ſcilicet repellamus, & digeramus, & ita cum repellentibus dictis miſcenda ſunt digerentia non validiſſima, quia ſunt nimis calida, & acria, & ita proritarent magis morbum, nec imbecilla, quia cum materia ſit craſſa, & dura ipſis non cederet; ſed debent eſſe mediocria, nec tamen omnia mediocria ſunt opportuna; ſed ea tantum, à quibus poſſumus aliqua ratione ſeparare caliditatem, quam habent, cuiuſmodi ſunt metallica omnia, ex quibus poſſumus ſeparare caliditatem tum per exuſtionem, tùm per ablutionem. Opportuna igitur erit cadmia bis, vel ter vſta, & pluries abluta, ſpodium pariter, pompholyx abluta, calx nouies, vel quindecies abluta optima eſt, ſcoria plumbi, lithargyrium, diphryges exuſta, & abluta, ſquamma æris ter exuſta, & abluta, & reliqua metallica, quę per exuſtionem & ablutionem amittunt acredinem, & caliditatem illam ſummam: hæc igitur, vel aliquod horum admiſcebitis cum ſupra dictis repellentibus, & addita cera facientis linimentum; vel accipiatis aliquem dictorum ſuccorum, nec non oleum aliquod; & admixtis cum aliquo metallico ducatis in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo eò vſque, quouſque acquiſiuerit craſſitiem ſordis, & inungeris, oblinietiſue cancrum.

In ſtatu. Cæterum ſi indicaretur ſola digeſtio, vtare ſolis ijs, quæ fiunt ex metallicis dictis, cuiuſmodi eſſet emplaſtrum ex aliquo dictorum metallorum, oleo, & cera, & certe nihil melius eſt, dummodo metalla ſpoliata ſint ſua illa caliditate, atque acredine.

Quieſcente cancro Medico quieſcendum. Atqui accidit aliquando, vt cancer nullo dictorum ſanetur, non augeatur, non decreſcat, non doleat, ſed quieſcat prorſus: quid tunc eſſet agendum? Dico, quòd & tu debes quieſcere, & nihil moliri, & hoc mandetis memoriæ, quæſo: nam multi cum cancro in tali ſtatu ſuperuixere viginti aliquando, & plures annos, & cum cancro etiam mortui ſunt; quod ſi aliqua ratione fuiſſet proritatus, citius interfeciſſet: igitur quieſcatis protſus, & ſolum bis, vel ſemel in anno talia corpora expurgetis vere ſcilicet, vel etiam autumno.

Ferueſcens mitigandus, & refrigerandus. Cæterùm ſi cancer non quieſceret, ſed inciperet excitare feruorem, & dolorem, tunc expectato, vt fiat manifeſtus, mox vtare mediocriter repellentibus ſupra dictis, quæ refrigerant, & mitigant dolorem, cuiuſmodi eſt ſuccus, vel aqua ſolani, vel lactucæ, vel foliorum, & capitum papaueris, & pone in mortario plumbeo, addendo oleum roſatum, vel cidoniorum, & cum piſtillo plumbeo ducito, quouſque acquiſiuerit

aliquam

aliquam craſſitiem, & illinitio cancrum; vel madefacito lintea in ſucco aliquo dictorum, & ſuperimpone, & ſupra linteum pone folium, vel lactucæ, vel conſimilis plantæ, ne tam citò ſiccetur linteum.

Cum verò eſt iam factum vlcus, non opus eſt tentare curationem cum medicamentis; ſed deueniendum ad chirurgicam actionem. Sed animaduertatis, quòd nec etiam omnes cancri exulcerati ſunt curandi per eradicationem diſſectionemue: nam ſi eſſet in mammillis in parte profunda, ita, vt hæreret muſculis thoracis, quod manu appoſita cognoſces, nunquam deueniendum eſt ad chirurgiam: nam inibi ſunt vaſa magna, quę ſi ſecarentur, periret homo; ſi verò velis ipſa ligare excitabitur dolor maximus, & tandem mors; ſi ignito ferro velis tumorem eradicare, imminet periculum de partibus vicinis. Præterea in omnibus cancris latentibus fugienda eſt curatio per chirurgiam, vt ſi eſſet in palato, vel in principio recti inteſtini, vel in pudendo muliebri, & ſimilibus partibus. Inſuper in cancro occulto nunquam deueniendum eſt ad violentam aliquam actionem, ſiue fuerit vlceratus, ſiue imineat vlceratio. In reliquis verò ſiue vlcerati iam ſint, ſiue ſint propè vlcerationem, deueniendum eſt ad eradicationem, etiam ſi eſſet in mammillis: nam & in mammillis exiſtens cancer eradicatur, dummodo non hæreat muſculis thoracis; ſed ſit in ſuperficie. *Qui cancer Chirurgiam admittat, qui non.*

Modus autem eradicandi eſt duplex: Vnus, qui fit cum ferro; alter cum cauſtico medicamento: Cum cauſtico quidem ſic: ſi cancer eſſet in ſuperficie mammillæ, ponimus cauſticum medicamentum circumcirca pellem, vel cutim illam, qua cancer hæret muſculis thoracis, non autem ſupra alias partes, quia maxima excitaretur exuſtio, & febris etiam: & ita cuti illa exuſta, cancer per ſe concidet cum ſuis venis. Altera verò eradicatio, quæ fit per exciſionem, mihi placet plus, quàm quæ fit cum cauſtico: nam exprimitur totus ille ſanguis melancholicus, quod maxime requiritur in ſanandis cancris: nam Galenus in 14. meth. cap. 9. ait, quòd ſi debemus venire ad exciſionem cancri, opus eſt euacuare totum ſanguinem melancholicum; & poſt exciſionem exprimere partes illas: & ſi excitetur profluuium ſanguinis, ſupprimendum eſt cum medicamentis frigidis, & aliquando etiam cogimur exurere principia vaſorum; & ſi fieri poteſt, fugiatis omnino exuſtionem. His factis, obducendum eſt vlcus carne, & cicatrice, & poſt ſanationem cancri ſaltem per duos annos expurgetur æger vere, & autumno, vel vere tantum; & vtatur victu refrigerante, & antidotis, quæ impediant generationem ſucci melancholici, vel genitum digerant: nam cancri aliquando ſolent reuiuiſcere. *Eradicatio per cauſtica medicamēta.* *Per vſtionē melior.*

De Ganglio. Cap. XX.

INTER tumores, qui duriuſculi ſunt, habet etiam locum tumor ille, qui ganglium à Græcis eſt dictus, neruoſaſque occupat partes, & ab Auicenna in 3.4. appellatur glandula, & à Guidone lupia, & nodus: igitur ganglium apud Græcos, glandula apud Auicennam & lupia, noduſque Guidoni, vnum & idem genus morbi ſignificant, hoc eſt tumorem hunc, de quo nunc loquimur, qui nihil aliud eſt, quàm nodoſa quædam concretio συστροφὴ Græcè dicta in neruo, vel in parte neruoſa: nam in neruo, vel in chorda fit aliquando nodus quidam, ita, vt videatur neruus intorqueri, & talis nodus ex huiuſmodi intorſione factus dicitur ganglium, vel glandula, vel lupia, vel nodus. *Nomina.*

Cuius efficientes cauſæ variæ ſunt: aliquando eſt frigus ambientis, aeris: nam ex frigore aliquando intorquentur nerui, & quaſi contrahuntur, & ita fit nodus: nam frigus habet vim contorquendi, ac copulandi, vt ait Galenus in ſexto epidemiorum, comment. tertio tex. 14. aliquando, vt Galenus ait in eodem loco, ſcilicet in ſexto epidemiorum, cauſa eſt fluxio materiæ. Fit autem fluxio ratione vel ictus, vel laboris immoderati, vel percuſſionis alicuius: ſæpe enim accidit, vt aliquis immoderatè exercens manus ſit in cauſa attractionis materiæ, ex qua nerui, vel ligamenta contrahant hunc tumorem, quia intorqueantur. Quandoque cauſa huius tumoris eſt fluxio pituitæ in partem neruoſam, vt ſunt ſententia Galeni in libro de cauſis morborum, capite ſexto, & octauo. His addatis aggeſtionem materiæ: aliquando enim accidit, vt nerui male nutriantur; ex mala nutritione generantur excrementa, quæ ſenſim collecta in parte ipſa neruoſa, atque retenta, eò, quòd nequeant excerni, faciunt ganglium. *Efficientes cauſa.*

Digitized by Google

Materia ex qua.

Materialis autem cauſa eſt materia pituitoſa, quæ neruo ipſo eſt ſimillima, & illi ob-
ducitur, ait Galenus in 16. de uſu partium, capite quinto, ubi ait, quòd ſubſtantia gan-
glij eſt prorſus ſimilis ſubſtantiæ nerui: nam humor pituitoſus coaceruatus circa neruũ
coquitur inibi; & ita fit ſubſtantiæ neruoſæ ſimilis.

Signa Ganglij.

Signa, quibus poſſitis cognoſcere ganglium, ſunt iſta: tumor occupat partes neruoſas,
eſt paruus ſemper, eſt & cuti concolor, durus, ac renitens; nec tumor fluitat, labatue
ſurſum, aut deorſum, ſed ad latera; eſt ſine dolore, etiam ſi comprimatur: Aliquot ta-
men nodi ſunt; ſed rari, qui, ſi comprimantur, valde dolent, & dolor eſt ſtupefaciens,
ita, vt pars videatur reddi ſtupida: cauſa autem, cur aliqui doleant, aliqui non, eſt ſub-
iecti maior, vel minor ſenſatio: nam aliquot nerui ſunt, qui obtuſi ſunt ſenſus, aliqui
qui exquiſitiſſimum habent ſenſum; & ideo ſi nodus ſit in neruo acute ſentiente, vel
in neruo voluntario, eſt cum magno dolore ſtupefaciente, ſi vero ſit in neruo obtuſi
ſenſus, eſt ſine dolore. Igitur ganglium vt plurimum eſt ſine dolore. Prætetea, mo-
uetur de loco ad locum; at non in quamcunque poſitionem: neque enim ſurſum, &
deorſum; ſed ſolum per tranſuerſum: nam cum ſint tumores iſti in neruis, & nerui
cum tenſi ſint, non poſſint moueri ſurſum, & deorſum; ſed duntaxat per tranſuerſum;
hinc fit, vt & ganglia non moueantur, niſi per tranſuerſum: meliceris autem, & ſimi-
les tumores mouentur, non ſolum ad latera; ſed & ſurſum, & deorſum, quia non ſunt
affixi neruo, quemadmodum ſunt ganglia. Aliud ſignum eſt, quod ganglium ferè ſem-
per eſt ſub cute, non autèm in profundo.

Partes, quæ afficiuntur.

Loca autem in quibus ſoleat oboriri ganglium ſunt penis, idest, pudendum virile,
& maior ferè pars, vel ſaltem medietas gangliorum oritur in pene: alter locus eſt bra-
chiale & poſt brachiale, ideſt, prima & ſecunda pars manus, hoc eſt, carpum, & me-
tacarpum; talus præterea; & partes omnes, quæ ſunt circa podem: quandoque etiam
oriuntur ganglia in capite; & circa cubitum, ſed raro.

Prædictio.

Præſagium de ganglijs tradendum eſt, quòd facile ſanantur, niſi ſint nimis doloroſa,
quod raro accidit.

Curatio.

Modus autem, quo ſanatur, eſt duplex: alter manu fit; ideſt, per chirurgiam; re-
liquus per medicamenta. Si per chirurgiam debeat curari ganglium, antequam deue-
niamus ad ſectionem, opus eſt, vt præcedat diligens purgatio totius; & inſtitutio opti-
ma victus, curatio verò per medicamenta non requirit tam magnam purgationem; ſed
ſufficit recta inſtitutio victus. Sed antequam deueniatis ad aliquam iſtarum curationum

Conſiderandum, quæ chirurgia, quæ non curētur.

opus eſt, vt ſciatis, quòd non omnia ganglia poſſunt vtraque ratione curari: nam quæ-
dam admittunt tantum curationem per medicamenta; quædam verò vtramque. Scia-
tis igitur quòd quæ in capite oboriuntur poſſunt & per chirurgiam & per medicamenta
curari, quia inibi non imminet periculum, vt ſecetur neruus aliquis, qui impediat mo-
tum partis. Quæ verò in manu, vel in pede naſcuntur, non debent curari per ſectio-
nem, quia poſſet ex ſectione impediri motus partis, ſed tantum ſunt curanda per me-
dicamenta: ſimiliter quæ oriuntur in pene, vel circa penem, & eſt, vt dixi, maior pars,
& maxime in ſenibus: & cum in pene oriuntur, fit, vt penis cum extenditur, non ex-
tendatur rectus, ſed obliquus, vt ad latera: Dico igitur, quòd nec ganglia orta circa pe-
nem debent curari per ſectionem; ſed tantum per medicamenta. Si ergo accideret, vt
opus eſſet ſectione in ganglio oborto in capite, eodem modo facienda eſt ſectio, quo
dixi conuenire in meliceride.

Curatio pharmaceutica.

Curatio autem per medicamenta fit hoc modo: primò arripias partem, & cum polli-
ce contrecta optime, & comprime (ita tamen, vt non fiat dolor) ganglium ipſum, vt in-
caleſcat aliquãtulum ganglium, & tentes per huiuſmodi compreſſionem emollitionem
ipſius: Cum incaluerit, & aliquantulum fuerit emollitum; ſuper imponas medicamen-
tum aliquod emolliens, vt cape ammoniacum, & inter digitos emollias, & ſuperim-
pone ganglio, vel cape ſtyracem, & digitis eodem modo emollitam ſuperimponas, vel

Lamina plũbea nõ debet eſſe perforata.

loco horum cape bdellium eodem modo emollitum; mox accipito orbiculum plum-
beum ſatis craſſum, & ſuperimponas ganglio: ſed animaduertas, quòd plumbeus orbi-
culus debet comprimere ganglium; non autem hærere partibus vicinis: & ideo male
faciunt illi, qui perforant plumbeum, & ſuperimponunt: nam non comprimit gan-
glium vt requiritur, quandoquidem hæreat partibus adiacentibus: debet itaque plum-
bum comprimere tumorem: & non hærere partibus ſanis, poſtea arrepta faſciola, vin-

Compreſſio, quæ fit pollice.

ciatur orbiculus plumbeus, ita, vt immobilis maneat, inibique relinquatur tres, vel
quatuor dies, poſtea auferatur: & ſi vides quòd ganglium ſit emollitum, pollice com-
primito validiſſimè, quòd fiet ſine dolore, & materia eliquabitur, diſſipabiturque, ac ſi
eſſet cera; ſi verò, ablato plumbeo orbiculo, videris, quod non ſit eliquatum, renoua-

bis

Digitized by Google

bis ſtyracem eodem modo emollitam, vel aliud dictorum medicamentorum, & ſuperimpones otbiculum, ibique tam diu detinebis, quo ad ganglium fuerit emollitum; poſtea auferes, & modo dicto cum pollice diſſipabis materiam; qua diſſipata, iterum ſuperimpones plumbeum orbiculum, & inibi relinques tres, vel quatuor dies: nam emolliet, ſi quid remanſerit durum, & diſſipabitmateriam; deinde auferes, & ſuperimpones medicamentum aliquod digerens, & emolliens, vt tota prorſus materia emolliatur, & diſſipetur: medicamentum autem opportunum componetis hoc modo:

Digerens, & emollies.

℞. Mucilag. { Pſyllij, Altheæ } añ. ℥.j.
Picis, Maſticis } añ. ʒ.ij.
Stercoris columbini ℥.s.

Teruntur, & fit emplaſtrum, quod habeat conſiſtentiam ſordis, quod ſuperimponitur tumori, & tatione mucilaginum emollit; ratione verò reliquorum diſſipat materiã. Loco huius emplaſtri conueniret etiam emplaſtrum ſacrũ vocatum aliquo modo temperatum: ſimiliter ceratum, vel emplaſtrum illud cerine vocatum Teſiphontis, quod deſctibitur à Galeno in 6. de comp. medic. per genera cap. 16. vel vtamini oleo viperarum, & hoc modo curabitis ganglium, ſi ſit in manu, vel in pede.

Curatio Ganglij penis.

Sed ſi eſſet in pene, curatio eſt difficilior tùm quia non poſſumus ſuperimponere, & detinere commodè orbiculum plumbeum, & emollire, tùm etiam quia ganglium in pene oritur vt plurimum in ſenili ætate, quo tempore materia eſt dura, & ita non facilè emollitur, & diſſipatur: Sanaui tamen ego plurima hac ratione: Mando, vt quotidie tractet optimè ganglium, comprimatque pollice, ac tentet emollitionem; ſed prius inungat ganglium ipſum oleo vitellorum ouorum, vel cum pinguedine gallinacea recenti, vel cum anatina recenti, vel cum oleo terebinthinæ, vel cum oleo thuris, vel cum oleo emolliente, quod fit ex puto oleo, radice maluarum, altheæ, mucilagine pſyllij, & ſeminum lini, quæ omnia coquuntur in duplici vaſe: Cum hoc igitur oleo, vel altero inungat ganglium, & comprimat, ita, vt tentet emollitionem, modò non fiat dolor; poſtea ſuperimponendum eſt aliquod emolliens, quod inibi ſemper maneat, cuiuſmodi eſſe ammoniacum mixtum cum cera virgine; vel ſtytax cum cera alba: & emollito tumore, ſuperimpones emplaſtrum ſupra dictum de ſtercore columbino & mucilaginibus, vel ceratum ſacrum, vel cerine.

De Hernia, vel Ramice. Cap. XXI.

κήλη quid ſignificet.

HERNIA, vel ramex à noſtris dicitur tumor præternaturam, qui à Græcis appellatur κήλη. verum animaduertendum eſt, quòd vox iſta κήλη duas habet ſignificationes, vt ait Aetius in decimoquinto libro, cap. quinto. Vna quidem eſt, quòd denotat omne genus tumoris, & omnem cauitatem; Altera verò eſt, quòd ſignificat affectum quemlibet circa teſtes, & ſcrotum obortum, & in hac ſignificatione nos accipimus in præſentia vocem iſtam κήλη. igitur κήλη, Ramex, & Hernia ſignificant affectum, ideſt, tumorem circa teſtes, vel burſam: qui tumor aliquando fit ratione inteſtini deſcendentis in ſcrotum, & dicitur hernia inteſtinalis, vel ramex inteſtinalis, aliquando ratione materiæ, quæ in ſcroto colligitur, ſiue aqua, ſiue alterius generis ſit.

Dicamus primò de tumore, qui fit ob deſcenſum inteſtini, qui, vt diximus, appellatur hernia inteſtinalis, vel ramex inteſtinalis, & fit, quia inteſtina non poſſunt contineri intra inguina; ſed ex abdomine exeunt per duo illa foramina, quæ ſunt ad inguina: nam foraminibus illis apertis, inteſtina deſcendunt, & faciunt herniam inteſtinalem vocatam, vel ramicem inteſtinalem.

Hernia inteſtinalis duplex.

Bubonocele.

Verum ſcire opus eſt, quòd inteſtina dupliciter deſcendunt: aliquando deſcendunt ſolum vſque ad inguina, & inibi excitant tumorem; aliquando deſcendunt vſque in ſcrotum ipſum, & tumorem pariter faciunt: & licet vterque tumor præternaturam ſit, fiatque ex inteſtino delapſo; tamen differunt iſti tumores ratione loci: nam quando inteſtina deſcendunt ſolum vſque ad inguen, & excitant tumorem; tumor ille vocatur à Recentioribus Barbaris Relaxatio, eò, quòd inteſtina deſcendant ex relaxatione meatuum, qui ſunt ad inguina, & à Paulo vocatur βουβωνοκήλη Græce, ideſt her-

Digitized by Google

nia, vel ramex inguinis, quamuis Celſus libro ſeptimo, capitolo decimooctauo, vocet tomorem varicoſum inguinis βουβωνοκήλη: Quando verò inteſtina deſcendunt in ſcrotum vſque, vocatur hernia vel ramex inteſtinalis,& à Barbaris iſtis ruptura,& à Græcis ἐντεροκήλη.

Enterocele.

Herniȩ inteſtinalis per dilatationē, & per rupturā diſtinctio.

Sed quomodo, diceret aliquis, generatur talis tumor? Sciatis, quòd in inguinibus in chordis muſculorum obliquorum ſunt duo foramina,ad quæ deuenit pars peritonæi, & inibi facit canalem, qui egreditur per illa foramina, & per canalem tranſeūt vaſa illa deferentia ſemen: canalis iſte peritonæi aliquando diſrumpitur,ſrangiturve;aliquando dilatatur duntaxat: Quando canalis diſrumpitur,& deſcendunt inteſtina, fit hernia uocata per diſruptionem, vel per fracturam; quando verò dilatatur, fit hernia vocata per dilatationem. Dignoſces autem, an hernia fiat per dilatationem, an per diſruptionem canalis peritonęi ex his ſignis: Hernia facta ob dilatationem canalis eſt parua, & figuræ oblongæ; & teretis,qualis eſt figura ſarciminis;quȩ verò fit per diſruptionem eſt rotunda & magna, ita, vt æquet aliquando magnum peponem,& videatur alter venter: quando enim diſrumpitur canalis ille, dilatatur vſque adeo ſcrotum, vt omnia inteſtina poſſit in ſe recipere. Igitur diuidatis ſic: Hernia inteſtinalis fit, vel quia inteſtina deſcendunt ſolum ad inguen, vel ad ſcrotum:. Cùm ad inguen, parua fit hernia; Cùm verò ad ſcrotum deſcendunt,ob diſruptionem canalis,fit hernia magna,& rotunda; vel per dilatationem, & fit parua; figuræque oblongæ, & teretis,

Cauſæ per dilacerationem.

Cauſæ herniarum cum dilaceratione, vel diſruptione canalis ſunt caſus ex alto: vidi ego aliquot, qui ex alto conciderunt in pedes, & inciderunt in herniam magnam: motus pariter violentiſſimus, & præcipuè in equo: conatus laborioſus, vt eleuatio ponderis: clamor maximus, & hinc eſt, quòd Cantores iſti, qui grauem vocem faciunt, baſſum vulgò vocant; necnon cucullati iſti monachi, ſunt vt plurimum hernioſi:nam continuò clamitant; ad clamorem autem & magnam vocem concurrunt muſculi abdominis: coitus quoque præter modum eſt cauſa herniæ, & hinc eſt,quod ſalaces,cùm deuenerint ad ſenectam, fiunt hernioſi, quoniam ex aſſiduo coitu debilitantur partes illȩ circa meatus. hæ ſunt cauſæ herniæ per diſruptionem canalis.

Cauſæ per dilatationem.

Cauſæ verò herniæ per dilatationem eſt imbecillitas partium circa meatus, & canales; necnon nimia lubticitas, & humiditas canalis peritonæi: nam ratione nimiȩ humiditatis dilatatur.

Prognoſtica.

Præſagium autem tradendum in hernia eſt, quòd herniæ factæ per dilatationem, non antiquæ, in corpore molli, quale puerile, vel iuuenile eſt, facilè curantur per medicamenta. Factæ autem per diſruptionem, antiquæ, magnæ, & in ſene, vel in imbecilli habitu, fermè nunquam ſanantur; aut,ſi curantur,illud fit chirurgiâ, quæ periculoſa eſt. Tertiò herniæ, licet curabiles ſint, tamen requirunt longum tempus, & diligentiam, patientiamque ægri, & medici: nam ad minus curantur ſpatio quadraginta dierum; ad ſummum verò octuaginta.

Curatio herniæ leuis in puero.

Si igitur hernia ſit leuis, & in puero, ſat eſt pro curatione, vt inſtituas rectam victus rationem, qui victus non ſit flatulentus: nam flatus inteſtinorum impedit conſolidationem: Igitur caueat ab omnibus ijs, quæ flatum gignunt, cuiuſmodi ſunt legumina omnia, pariter & potus aquæ frigidæ, &c.

In adulto.

Si verò hernia ſit in adulto per dilatationem, & corpus ſit cacochymum, ſecanda eſt vena, euacuandumq; totum corpus, & inſtituenda recta victus ratio, quæ non debet eſſe flatulenta; at facilis concoctionis, & quæ faciat ad agglutinationem: vnde omnia viſcida, & facilia concoctu ſunt bona,cuiuſmodi ſunt neruoſæ carnes, vt pedes caſtratorum, vitulorum: ſimiliter conuenit vinum craſſum non dilutum, & auſterum: His peractis, deueniendum eſt ad curationem, quæ fit vel medicamentis, vel manu. Medicamentis quidem vel per os aſſumptis, vel extrinſecus applicatis; quæ ſiue per os aſſumantur, ſiue exterius applicentur, multiplicia ſunt; & omnia in hunc ſcopum ſunt dirigenda, vt conſolident locum dilatatum, & exſiccent humiditates, quȩ in partibus illis ſunt: & ita duplex nobis ſeſe offert indicatio: altera quidem, vt conſolidemus; reliqua, vt exſiccemus: addatis & tertiam, quȩ eſt, vt inteſtina contineantur in ſuo ſacco, vel ſede; Primam intentionem aſſequimur cum medicamentis, quæ per os exhibentur: nam ipſa ſunt, quæ agglutinant; alteri, quæ erat exſiccatio ſatisfacimus cum medicamentis extrinſecus applicatis; tertiæ verò cum ligatura, vel inſtrumento illo, quòd vocant bragherium, vel brachale, in cuius parte illa, quæ apponitur inguini, debent eſſe gemini orbiculi, & veluti ſemipilæ repletæ lana, vel cotone, ita vt non ſint valde duræ, quæ ſemipilæ debent inſeri in duobus illis ſoraminibus, quando inteſtina fuerint iam repoſita in proprium locum. Solet autem bragherium iſtud fieri ab aliquibus ex ferro, quod non placet: ab aliquibus ex corio,

Bragherium continet inteſtina.

Ex quo, & quomodo cōficiatur.

corio, quod pariter diſplicet: ſed fieri debet ex molli tela, ſemel, vel bis duplicata, debetque habere duas habenas aſcendentes ad humeros, & ſuſpenſum ſemper detinentes bragherium ipſum; alioqui ſemper deſcenderet. igitur repoſitis inteſtinis in locum proprium, debet æger cingere ſe bragherio iſto, quòd habeat faſciolas aſcendentes ad humeros (hoc repeto, quia ſine ipſis faſciolis ſolent parari ab his) debet, inquam, cingere ſibi bragherium, & aptare ſemipilas foraminibus, & ſupra bragherium poſtea faſciam cingere;& inibi bragherium immobile, die, nocteque, & ſemper relinquere, ſpatio ad minus 40. dierum; ad ſummum autem 80. &, ſi poteſt, decumbat æger omnibus diebus ſupinus, vel moueat ſe minus, quàm fieri poteſt.

Repoſitio inteſtinorum, & aſtrictio loci.

Sed quomodo remittenda ſunt inteſtina in locum proprium? Dico, quòd æger debet in ſtrato ſupinus decumbere; mox tu apponas manum ad ſcrotum, & ſenſim introducas inteſtina: nam facile recurrent in abdomen: Introducta cum fuerint, ablue optimè locum cum decocto aliquo validè aſtringente, vt, verbi gratia, accipias malicorium, gallas, parum aluminis, roſas, hypocyſtidem, & myrtillos, & coque omnia, in vino auſtero, & cum hoc decocto calido ablue diligenter locum, ideſt inguina ipſa, vbi adſunt foramina; deinde madefacito ſpongiam in eodem decocto, & calidam impone loco, & ſic per horam foueto locum: poſtea imponendum eſt aliquod emplaſtrum: Solent iſti capere ſemina canabis, furfures, & parum aluminis; terunt, & concoquunt in vino auſtero; & facto emplaſtro, ſuperimponunt calidum, inibique relinquunt per horam, vel duas: auferatur poſtea, abſtergatur locus, & abradantur pili, ſi aderunt; mox extendatur ceratum aliquod ſupra ſtuppam, vel corium, & imponatur; & ſupra ceratum collocetur bragherium, ita, vt ſemipilæ aptentur meatibus eadem ratione, qua ſupra eſt dictum, & ſtet in lecto ſaltem per menſem, vel moueat ſe minus quā fieri poſſit.

Fecum, ne fiat ileus, emollitio.

Cæterùm accidit aliquando, vt hernia ſit valde periculoſa, tunc ſcilicet, quando feces in inteſtinis obduruerunt, & ſiccatæ ſunt; vel ratione flatus inteſtina ſunt duriora, reddita, ita, vt in proprium locum nequeant ex ſcroto reduci: & ſi inteſtina ſtent tres, vel quatuor dies in ſcroto indurata ob exſiccatas feces, æger euomit primò feces, ſecundo feces bilioſas, tertiò æruginoſas, quarto nigras, & melancholicas, & tandem moritur; & propterea cum vides feces eſſe induratas in inteſtinis, & ob id non poſſe introduci, vel propter flatus in ipſis incluſos; opus eſt, vt diligenter, & citiſſimè opem feras: & ita cum inteſtina nequeunt introduci aut propter feces exſiccatas, aut propter flatus, ſtatim deuenias ad emollientia, & validiſſimè quidem emollientia, & tenta, mediocri tamen impulſu, introductionem inteſtinorum. Quidam, pro emolliendis fecibus, & inteſtinis, coquunt furfures, & ſemina lini in lixiuio, & ponunt ſupra inteſtina obdurata. Alij capiunt ſemina, vel folia vrticæ, & furfures, & ſemina lini, & incoquunt, factoque emplaſtro imponunt. Ego autèm ſoleo vti medicamento alio præſtantiſſimo: Capio faſciculum vnum, vel quinque, & ſex fili crudi, quem faſciculum maſſam vulgò, vel mataſſam vocant, & hos faſciculos pono in lebetem, vbi ſit lixiuium, & ſuperſpergo parum cineris, & coquo; deinde accipio nunc vnum, nunc alterum fili faſciculum, & ſuperimpono calidum, ita, vt perferre poſſit. Sed, antequam imponam, inungo locum oleo ſeminum lini, vel communi, vel pinguedine gallinacea; & ita, ſæpe ſæpius ſuperimponendo fili crudi faſciculos calidos, emollio feces & intrroduco inteſtina.

Concuſſio ægri.

Verum accidit quandoque, vt non poſſint etiam introduci, emollitis fecibus; & ideo tunc neceſſe eſt, vt miniſter arripiat ægri pedes, & ipſum in caput eleuet: nam hoc modo facilius ſuo pondere inteſtina introducuntur; quandoque etiam opus eſt, vt miniſter eleuet ægrum ſuſpenſum, ita, vt crura ægri amplectantur collum miniſtri: & interim ego tento introducere inteſtina; quòd ſi non poſſum, mando miniſtro, vt inſiliendo bis, vel ter concutiat ægrum: & hoc modo recurrunt aliquando inteſtina in propriam cauitatem; quandoque etiam non poſſunt introduci.

Balneum.

Et ſi accidat, vt medicamentis dictis inteſtina non emolliātur, deuenimus ad balneum & ita accipimus maluas, althæam, ſemina lini, caput caſtrati, & oleum commune, & facimus, vt bulliant in multa aqua; in qua poſtea non valde calida mandamus, vt æger detineat ſcrotum.

Ducētia per aluum exhiberi non debere.

Sunt, qui exhibeant per os oleum amygdalarum dulcium, vel conſimile medicamentum, & purgantia etiam: at peſſimè faciunt: nam omnes, quibus exhibentur medicamenta per os, moriuntur:nam medicamenta exagitant magis inteſtina, & ſic maior copia fecum euomitur. Aliquando vidi medicamentum quoddam ſanaſſe herniam cuiuſdam ruſtici, cui induratæ erant feces in inteſtinis. Eram enim Piſis cum alijs Medicis, & tentabamus introducere inteſtina, in quibus exſiccatę erant feces, in proprium locum, & omnia iam tentaueramus, nihilque profuerat noſtra curatio:interim acceſſit ruſticus quidam,

quidam,& dixit,volo ego hunc ſanare,& ſtatim cepit in potu exhibere aquam frigidam, & tantam exhibuit, quantam potuit æger bibere,& ita facta eſt magna inteſtinorum con cuſſio, & defluxus fecum per ſeceſſum, & per vomitum; & tandem ſanatus eſt æger: & ego profectò præſens fui; tamen nec vnquã vſus ſum hoc medicamento,nec auderẽ vti.

Medicamenta externa post repoſitionem inteſtinorum. Et quia dixi, medicamenta, quibus curatur hernia inteſtinalis per dilatationem, eſſe duum generum: quædam,quæ extrinſecus loco dilatato applicantur; quædam, quæ per os aſſumuntur; idcirco non ab re fuerit, ſi aliquot vtriuſque generis medicamenta vobis proponam. Et primò generis illius, quod ſub ſe continet medicamenta, quæ extrinſecus applicantur: quæ in triplici ſunt differentia: alia lenia, & pro pueris opportuna; alia mediocria, & pro adoleſcentibus accommodata; alia validiora pro durioribus: Et animaduertatis, quòd loquor de medicamentis illis, quæ applicanda ſunt remiſſis iam inteſtinis in proprium locum, applicatis emplaſtris dictis, & facto fomento, vt ſupra dictum eſt. Meminiſſe præterea vos velim, quòd loquor de hernia inteſtinali parua, & per dilatationem; non autem de magna nec per diſruptionem,nec de antiqua, quia magna antiqua, & per diſruptionem non eſt curabilis per medicamenta;nec etiam magna, & antiqua per dilatationem. Igitur medicamentis curatur hernia per dilatationem parua, & recens, & curationem iam vos docui; remanet ſolum, vt medicamenta, quæ faciunt ad conſolidationem,aſtrictionemve,tùm quæ per os aſſumuntur, tùm quæ extrinſecus applicantur, vobis proponam. Et primò, quæ extrinſecus loco dilatato applicantur,quæ dixi eſſe in triplici differentia; alia mitia,alia mediocria,alia magis valida. Mite igitur, & pro pueris accommodatum erit hoc:

Ceratū pro pueris.

℞. Olei abietini ℥. s.
Boli Orientalis }
Myrrhæ } añ. ℈. j.
Aloes }
Gallarum gr. x.
Ceræ parum.

Miſce, & fac medicamentum, quod habeat conſiſtentiam cerati, & extenſum ſupra corium applicetur loco dilatato, ideſt, meatui exiſtenti in inguine, reductis iam inteſtinis, & facta fomentatione, vt ſupra dictum: & applicatum cum fuerit ceratum iſtud, ſuperaptetur bragherium, & alia cingula, quæ ceratum ipſum inibi detinere valeant: & ceratum iſtud conuenit pro puerulis, vt dixi, nam lene eſt.

Pro adoleſcentibus. Pro adoleſcentibus autem,vt decem,vel duodecim,vel ſeptendecim annorum conuenit ceratum barbarum: nam conſolidat, & aſtringit mediocriter.

Pro magis verò robuſtis hoc erit opportunum.

Ceratū pro adultioribus

℞. Aloes }
Malicorij }
Thuris }
Succi hypocyſtidis } añ.q.ſ.
Glutinis fabrilis }
Picis }
Bituminis }

Excipiuntur omnia cum oleo & cera, & fit ceratum, vel cum vino auſtero, vel dulci, & fit emplaſtrum: & poſitum ſupra linamentum ex ſtuppa applicatur loco dilatato; deinde ſuperaptatur bracherium vocatum. Poteritis etiam loco iſtorum vti cerato illo, quod in officinis vocatur ceratum pro crepatis: Sed melius eſt ceratum alterum, quod pariter in officinis appellatur ceratum de pelle arietina. Sed animaduertatis, quòd huiuſmodi medicamenta debent mutari de nono in nonum diem, vel de ſexto in ſextum, prout eliquata magis, vel minus fuerint. Hæc ſunt medicamenta, quæ exterius applicata conueniunt pro conſtringendis partibus dilatatis.

Per os ſumenda pueris. Per interius etiam habemus aliquot, & illorum quædam accommodata pro pueris; quædam pro adultis. Pro pueris opportunum erit hoc: Capias folia, vel galbula, ideſt, nuces cupreſſi, & coque in vino; & quotidie matutina hora exhibeas aliquam vini iſtius quantitatem; vel fac puluerem ex nucibus cupreſſi, cuius pulueris accipias drachmam vnam, mox ſuperexhibeas vinum, vel mulſam, idque faciat triginta diebus.

Pro adultis autem parato potionem hoc modo:

℞. Con-

Digitized by Google

Potio adultiorum.

℞. Conſolidæ { Maioris, Minoris, Mediæ }
Plantaginis latifoliæ
Lanceolariæ
Radicum valerianæ
Pimpinellæ
Foliorum millefolij
Tanaceti
Galitrici
Succi nucum cupreſſi } añ.℥.s.
Maceris
Cinnamomi
Cumini præparati
Maſticis } añ.ʒ.j.
Rhabarbari toſti ʒ.iij.
Vini nigri auſteri q.ſ.

Miſce, & fiat decoctio ſecundum artem, & coletur, exhibeanturque quotidie matutina hora quatuor, vel quinque vnciæ. Loco harum potionum poſſes electuario hoc modo parato, ac confecto vti, exhibendo quotidie vacuo ſtomacho vnum cochleare: Facias ergo ſic:

Electuarium.

℞. Radicum conſolidæ maioris elixatarum ℥.iij.
Gummi { Arabici, Tragacanthi } añ.ʒ.ij.
Pulueris bonifaciæ, ideſt, hypogloſſi ℥.s.
Radicum ononidis
Boli armeni } añ.ʒ.iij.
Myrrhæ
Cinnamomi
Maceris } añ.ʒ.s.
Iuleb violati q.ſ.

De Limatura chalybis.

Miſcentur, & coquuntur, quouſque acquiſiuerint electuarij conſiſtentiam. Sed vnum inter cætera habemus præſtantiſſimum, ita, vt præſtantius non inueniatur, & pro ſecreto tenetur, atque illud eſt limatura chalybis præparata, ac pauca in quantitate exhibita. Facias igitur ſic. Accipias ſcrupulum vnum limaturæ præparatæ, & cum ſaccharo fac pilulam, & exhibe deglutiendam; mox ſuperbibat æger vinum, in quo decocta ſit herba lichene, aliàs hepatica vocata: & profecto medicamentum iſtud ſtringit, & conſolidat optimè dilatatas partes. Sed animaduertas, quòd medicamentum iſtud non conuenit in ijs, qui habent ventriculum imbecillum; ſed tantum, qui habent robuſtum. In imbecillis autẽ vtare alijs ſupra dictis, & deſcriptis, & caueas ab hoc ex limatura chalybis; & hoc modo curatur hernia inteſtinalis incipiens, & parua, factaque per dilatationem.

Manus intempeſtiuè adhibita quot dãna pariat.

Sed ſi magna ſit, & uetuſta, aut facta per diſruptionem, nullo modo poteſt per medicamenta ſanari, ſed neceſſaria eſt curatio per chirurgiam. Verùm, quia actio per chirurgiam violenta, & periculoſa eſt; ideo non ſtatim deueniendum eſt ad ipſam: nam aliquando ſuccedit magnus fluxus ſanguinis; aliquando læſio aliqua teſtium, ita, vt impediatur generatio. Non quidem ſemper impeditur generatio, quia auferatur vnus teſtis: nam & qui vnum tantum habent, generant; aliqui etiam non generant: aliqui cum duobus non generant; vno autem extracto, generant; alij è contra: Ex quo patet, vanam eſſe Galeni ſententiam (pareant mihi eius manes) quòd natura duos fecerit teſtes, ne, vno auulſo, impediretur generatio: nam ſecundum hanc rationem non magis oportuiſſet facere duos, quàm tres, quatuor, quinque & plures: Sed impediretur, inquam, generatio ob aliam cauſam: Quare non ilicò, nulla alia re conſiderata, deueniendam eſt ad curationem herniæ per ſectionem. Quæ curandi ratio non eſt ſuſcipienda, ſi æger ſit ſenex, vel mali habitus, vel qui facilè patiatur tuſſim: nam, ſi inter curandum accideret, vt æger tuſſiret, impediretur actio, & aperiretur cicatrix, ac dilaceraretur peritonæum: Præterea, non omne tempus eſt aptũ huic actioni: ſed ver tantum, & autumnus. Inſuper, ante eiuſmodi actionem requiritur magna totius corporis purgatio. His conſideratis, & peractis, poteritis deuenire ad curationem herniæ inteſtinalis per chirurgiam: Quæ curatio multipliciter fit: aliquando per ſectionem; aliquando per exuſtionem cum candenti ferro; aliquando per vſtionem cum cauſtico medicamento;

Senes, cachectici, tuſſiculoſi non ſunt incidẽdi, aut vrendi, neq; æſtate, aut hyeme, nec ante purgationem ea facienda.

mento; aliquando per ſectionem factam cum filo; aliquando per vſtionem cum filo aureo. *Sectio quæ ferro fit.* Per ſectionem quidem cum ferro fit hoc modo: Vincitur æger ſupinus ſupra menſam, poſtea reducitur inteſtinum ad inguen, & mandatur miniſtro, vt inibi inteſtinum detineat, & interim, retracto teſte ad inguen, ſignatur ipſum ſupra ipſum teſtem, ita, vt obſignatio comprehendat tantum ſpatium, quantus eſt longus teſtis; poſtea relinquitur inteſtinum, & aperitur locus ſignatus, & fit ſectio longa ab vno ſigno ad alterum, ita, vt teſtis poſſit educi; & ita ſenſim educitur ſimul cum vaſis, & cum filo ligantur vaſa omnia, atque inuolucra, & infra vinculum amputantur vaſa, & omnia adhærentia teſti, & portio etiam aliqua peritonæi, & ita concidit teſtis cum ſuis inuolucris, & vaſis: aliqui poſtea ſolent partes illas ligatas, in ſummitate ſcilicet, vbi ſunt exciſæ, aliquantulum ferro candente exurere, ne fluat ſanguis; ſed exuras, vel non exuras, nihil refert: conſuitur poſtea locus, & conſolidatur. hæc eſt communis curatio.

Quæ ferro candente. Alij curant cum ferro candente: Reducunt teſtem ad inguen, & ſignant inguen ſupra teſtem modo iam dicto; deinde reducunt teſtem in burſam, ſcrotumve, & ſupra ſignatum inguen apponunt ferrum candens, & exurunt vaſa, portionem peritonæi, & omnia ferè vſque in locum profundum: & hæc ratio curandi probatur ab omnibus Arabibus; illa verò per ſectionem ab omnibus Græcis: vtraque tamen tuta eſt.

Quæ filo. Alij curant cum filo hoc modo: Reducunt inteſtinum ad inguen, & inibi detinent, mox traijciunt acum ex vno latere, ita, vt exeat ex altero, & filum remaneat ſubiectum intus inteſtino, & vaſis omnibus; poſtea, arrepto vtroque capite fili, coniungunt ipſa capita, factoque nodo, aptant fruſtulum ligni, & intorquent, circunducuntve lignum illud, & ita ſenſim fit breuior filum, cuius pars illa, quæ intus eſt recondita in inguine attracta à circunductione ligni ſecat vaſa, inteſtinum, & omnia.

Cauſticum quomodo adminiſtretur. Alij curant per cauſticum: quæ curatio eſt maximo in vſu in Gallijs, & nos etiam vtimur, quando teſtis eſt corruptus, & volumus ipſum ſeparare: fit autem hoc modo: Reducimus inteſtinum in inguen, vbi eſt foramen, & inibi ponimus capitellum, & relinquimus per ſex, vel octo, verbi gratia, horas, quouſque ſcilicet exuſta ſit cutis, & benè areſacta; deinde abſtergimus locum, & ſpecillo laceramus, ſcarificamuſq; cruſtam, donec apparuerit peritonæum, & vaſa: quod cognoſces, quia vaſa ſunt rubicunda, peritonæum autem album: hæc cum apparuerint, accipimus cauſticum ex ſublimato, de quo ſuperius facta eſt mentio, quantitate vnius grani tritici, & inuolutum in pauco cotone ponimus inter vaſa detecta; vel loco huius cauſtici vtimur trochiſco de minio Ioannis de Vigó, & ita exuruntur vaſa, fitque cruſta; qua cadente, concidunt & ipſa: in inferioribus partibus applicamus aliquod medicamentum refrigerans: vaſa autem eſſe exuſta cognoſces, quando videris, quòd teſtis intumeſcit, & dolet.

Hi ſunt modi certiores, ac tutiores curandi herniam per manualem actionem; alij verò ſunt inepti, & omninò fugiendi, & hæc de hernia inteſtinali.

De Hernia ex omento. Altera hernia eſt, quæ à Græcis vocatur ἐπιπλοκήλην, ideſt, omenti hernia, & à Barbaris dicitur hernia Zirbalis, & ruptura Zirbalis: nam omentum vocatur ab ipſis Zirbus. Fit autem hernia hæc, quando omentum deſcendens per idem foramen exiſtens in inguine, & facta dilatatione, fit tumor vel in inguine, vel in ſcroto. Dignoſcitur autem hernia hæc ab inteſtinali: quoniam hæc minor eſt, & cum reducitur omentum in foramen, nulla perſentitur regurgitatio, ſtrepituſve; in inteſtinali autem reducitur inteſtinum cum regurgitatione, & boatu.

Curatur hernia hæc omentalis varijs modis, ait Paulus, & Celſus: Mihi autem videtur, quòd duplex tantum curandi ratio ſit opportuna in hac hernia curanda, ea ſcilicet, quæ fit per ſectionem; & altera, quæ fit per intromiſſionem acus, & fili: quomodo autem vtraque hæc curatio fiat, habuiſtis iam in curatione herniæ magnæ, antiquæ, ac per diſruptionem factæ.

De Hernia aquoſę theoria. Tertia eſt herniæ ſpecies, quæ à Græcis vocatur ὑδροκήλην, & à Latinis Aquoſa, eò, quòd in ſcroto colligatur materia quædam aquea, quæ refert vt plurimum mellis ſubſtantiam. Et hæc aquoſa hernia fit duobus modis: Aut collecta materia in helitroide ſcroti membrana, & tunc fit tumor, quale eſt ouum, & teſtis innatat in ipſa aquea materia; nec qualis teſtis ipſe ſit per contrectationem cognoſci poteſt: Aut fit hæc hernia aquoſa, quando materia colligitur in membrana ſcroti; altera, quæ a Paulo vocatur membrana connata, vel coniuncta, vel coniunctiua, & materia facit proprium folliculum, intra quem continetur, & hæc hernia reponitur à Paulo in genere meliceridis: nam nihil aliud eſt, quàm meliceris obortus in ſcroto. Dignoſcitur autem hæc ab illa herniæ aquoſę ſpeciе quia hæc, quæ habet proprium folliculum, eſt veluti alter teſtis adnatus; & teſtis ſubſtantia in hac, qualis ſit, cognoſcitur per contrectationem; præterea, ſi in hac apponas

ex vno latere lumen, videbis materiam tranſparentem, & digitis contrectata percipi-
tur quædam mollis tenſio.

Cauſa vtriuſque aquoſæ huius herniç eſt malus habitus hepatis, & humoris abundan-
tia defluentis ad ſcrotum.

Quatuor curandi modi redigũtur in tres.

Curatur aquoſa hernia per reſolutionem cum medicamentis ijs, quę in curatione me
liceridis recenſui: ſecundò curatur maturatione, ſuppurationeve: tertiò putrefactione:
quartò manu, ideſt, chirurgia: Per reſolutionem quidem curatio maximè conuenit in
puerulis: per maturationem cum ijs medicamentis, quę in curando meliceride dixi: per
putrefactionem verò non cum ſepticis, cauſticisve medicamentis, quia hæc in hoc caſu
non ſunt tuta, quia poſſent excitare gangrænam, ſed fit per corruptionem cum ipſiſmet
maturantibus, faciendo ſcilicet, vt putreſcat folliculus. Ita triplex tantum, & non qua-
druplex erit huius herniæ curandi ratio: vna quidem per reſolutionem: altera per ma-
turationem, putrefactionemve: & tertiò per ſectionem: Hæc tribus adminiſtratur mo-
dis: Vnus eſt, quem docet nos Galenus in lib. 14. meth. cap. 13. vbi monet, vt pungamus 1
tumorem, & in foramen inſeramus ſiphonem, ideſt, fiſtulam, inibiq; relinquamus, quan-
tum poteſt: nam continuò effluet materia illa aquea, vel mellea. Alter modus eſt per 2
ſeronem, ait Guido, quando per tenaculam perforatam traijcimus acum ignitam; dein-
de, auulſa ipſa, inijcimus in foramen filum ſericum, vel alterius materiæ non facile pu-
treſcibilis; & filum illud (ſetonem aliàs vocatum) quotidie huc illuc mouemus, do-
nec aqua exierit. Tertius modus eſt, vt excoriemus, ſcarificemuſq; ſcrotum, quouſque 3
deuentum ſit ad helitroidem membranam, & tunc auferamus aquam, & reſtem, & mem
branam, ſi hæc corrupta fuerint; poſtea conſuamus, & cicatrice locum obducamus.

Hernia ventoſa duplex.

Quarta herniæ ſpecies eſt Ventoſa appellata, quę duplex eſt: vna apud Grçcos, & prę-
cipuè apud Paulum, quæ vocatur κιρσοκήλη, & fit ex dilatatione venarum, & arteriarum,
& aneuriſmatis ſpeciem referr, immò eſt eadem cum aneuriſmate, & talis hernia inſa-
nabilis ferè eſt: & ſi ſanabilis, curatur eodem modo, quo aneuriſma; verùm eſt potius
inſanabilis, quia manualis actio non eſt tuta: Altera hernia ventoſa fit, quando plurimi
flatus colliguntur in inuolucris ſcroti, & huius curatio eſt per medicamenta diſcurien-
tia validiſſimè, qualis eſt ruta, calamentum, ciminum, oleum coſtinum, nardinum, &
huiuſmodi: poteritis ergo coquere in vino potenti non auſtero has herbas, & cum hoc
decocto fouere locum, vel inungere tumorem cum oleo aliquo validiſſimè diſcutiente,
quale oleum laurinum, de ſpica, & ſimilia. Sed caueas in hac hernia à curatione, quæ
fit per ſectionem.

De Hernia carnoſa.

Quinta ſpecies herniæ vocatur à Græcis σαρκοκήλη; à noſtris verò Carnoſa, eò, quòd
durioris carnis ſpeciem præſeferat tumor vt plurimum; aliquando eſt veluti ſcirrhus, &
aliquando veluti alter teſtis. Curatur primò cum emollientibus; deinde cum reſoluen-
tibus eo modo, quo diximus curari ſcirrhum. Si curatio per medicamenta non ſucce-
dat, vt raro admodum ſuccedit, monent, vt deueniamus ad ſectionem. Sed quæſo, Iuue-
nes optimi, nunquam ad talem ac tantam actionem deueniatis, niſi ſæpe ſæpius rogati,
ac coacti: nam periculoſa eſt admodum actio: ſuccedit enim ſæpe neruorum conuul-
ſio, vomituſque magnus, & vomitui mors, maximè, quando tumor eſt canceroſus, in
quo caſu tutius eſſet teſtem in inguine amputare. Si verò non eſſet canceroſus, nec ma-
lignus tumor, facienda eſt ſectio in inguine, auferendus teſtis, & abraſa caro educenda,
locuſque poſtea conſolidandus.

De Hernia varicoſa.

Species ſexta herniæ datur, quæ à Græcis appellatur κιρσοκήλη, à noſtris verò Varicoſa,
eò, quòd circa teſtes concreſcant varicoſa corpora, à Celſo dicitur Ramex: Et hęc her-
nia varicoſa duplex eſt: vna quidem, quæ fit, quando vaſa dilatantur in exteriori parte
burſæ, & talis hernia dicitur propriè varicoſa, ait Paulus: altera verò fit, quando vaſa
fiunt varicoſa, ideſt, dilatantur in interna parte ſcroti, & hæc propriè vocatur ramex, in-
quit Paulus: Vtranque autem cognoſces, quia appoſita manu nihil aliud videtur, quàm
collectio capreolorum, & filorum congeries, quæ nihil aliud ſunt, quàm vaſa dilatata.
Hernia hæc varicoſa ſi parua ſit, non eſt multi ſacienda, nec curanda: neque enim affli-
git ægtum, nec excitat feruorem partium illarum. Si verò magna ſit, ſolet valde affli-
gere, & maximum ſeruorẽ excitare; & ideo curanda eſt, & ſi non deuenerit ad maximam
magnitudinem, curatio fit per medicamenta, eo modo, quo diximus curari aneuriſma
per medicamenta: medicamenta autem ſint reprimentia, & conſtringentia. Sin creue-
rit ad magnam molem, & lædat valde, curatio non fit per medicamenta; ſed manu, &
facilis eſt curatio, licet cum aliquo periculo: Curatio autem eſt eadem, quæ aneuriſma-
tis: ſecamus cutim, detegimus vaſa dilatata, & in parte, qua non ſunt dilatata, ſuprà, atq;
intrà ligamus filo; & partem dilatatam, quæ eſt in medio, ſecamus, & auferimus; poſtea
matura-

Digitized by Google

maturamus, & curamus, vt fila concidant, & ſimul & ſemel varix ipſa, ſi non fuerit per ſectionem auulſa; poſtea, tecto atque repleto loco carne, obducimus cicatrice.

De Hernia toſacea.

Septimam ſpeciem herniæ addit Paulus, quam toſaceam vocat, & eſt quando in folliculo oborto circa teſtes reperitur toſus, quòd ego ſemel reperi. Curatio non eſt per medicamenta; ſed per ſectionem educendo folliculum ſimul cum toſacea materia.

Octo Hernię ſpecies.

Tot ſunt hernię ſpecies, omiſſa illa communi, quę eſt, quilibet tumor obortus in ſcroto, ex materia vel ſanguinea, vel bilioſa, vel pituitoſa, vel melancholica; qui tumor impropriè admodum vocatur hernia humoralis. Igitur ſpecies herniæ ſunt iſtæ: Inteſtinalis, Omenti, Aquoſa, Ventoſa, Carnoſa, Varicoſa, Toſacea, & Humoralis,

De Lepra. *Cap. XXII.*

Lepra duplex.

LEPRA, de qua loquuntur Græci, alia penitus eſt ab ea, de qua Arabes, & Scriptura ſacra verba faciunt: nam Græcorum lepra eſt cruſtoſa, atque corticoſa ſcabiei quædam ſpecies ſatis infenſa, de qua infinitis in locis loquitur Galenus; præcipuè autem in quinto de compoſit. medicam. local. vbi tractat de lichenibus. de hac etiam agit Aetius lib. 13. cap. 134. & Paulus lib. 4. cap. 2. Arabum verò Lepra, vel illorum, qui Arabum libros verterunt eſt affectus, qui à Græcis Medicis, & à Latinis vocatur ἐλέφας, ἐλεφαντίασις, & Elephantia, vt videre eſt apud Galenum, Paulum,

Nomina varia, et eorum cauſa.

Aetium, Celſum, Marcellum, & Octauium Horatianum. Vocatur verò ἐλεφαντίασις, vel ἐλέφας, auctore Galeno in ſecundo methodi, cap. 2. ob ſimilitudinem ad aliquid, quod extra corpus ſit, ſcilicet ab elephante animali, vt ait Aretęus Capadox. lib. 2. de cauſis, & ſignis morborum diuturnorum, cap. 13. quia morbus iſte magnus, fœdus, terribiliſq; ſit, vt beſtia illa: Tumores enim naſcuntur per cutim, rimæ, atque aſperæ rugæ, vt in illo animali, quæ corpus vniuerſum exaſperant, aures rubent nigredine admixta, & elephantinæ, quę iuſto maiores, videntur: vltimò vti elephas animal longæuum eſt, ita & hic morbus diu perdurat. Vocatur quoque morbus iſte alijs modis: nam Aretæus loco dicto vocat Leonem, & Aetius lib. 13. cap. 120. vocat λεοντίασιν, & Auicenna tertia quarti, tractatu 3. vocat leoninam affectionem. ratio, cur his modis vocetur, eſt ob ſimilitudinē; quia epiſcenium ita deorſum diſtrahatur, vt oculos ferme tegat, vti iraſcentibus leonibus accidit: vel quia humida, ac laxa ſit cutis frontis, qualis eſt in leonibus: Auicenna addit, quia plurimum accidit leonibus; vel quia rapacitate leonis corripit partes. Satyriaſis vocatur etiam ab Aretæo, & ab Aetio locis dictis: & à Galeno in libello de tumorib. pręter naturam, cap. 14. appellatur Satyriaſmus: & ratio eſt, quia malæ rubent, & muſculi maxillares veluti conuelluntur, & riſum faciunt Satyrorum pictorum ſimilitudine; vel quia Veneris appetitus nimius excitatur, & inexplebilis, quod de Satyris proditum eſt. Herculeus etiam dicitur ab Aretæo, quia eo nullus maior, neque valentior ſit. hæc de varijs morbi iſtius appellationibus.

Elephantiaſis definitio, & eius explicatio.

Quid autem ſit hic morbus, nunc dicendum. Si Auicennæ, atque Aetio credimus, lepra nihil aliud eſt, quàm corruptio omnium membrorum corporis, & formæ, atque complexionis: nam dicebat Galenus in 3. de locis affectis, cap. 7. In Elephante vniuerſas corporis partes eadem intemperie laborare: atque in lib. de inæquali intemperie, cap. 1. idem confirmat. Intemperies autem inæqualis eſt, quæ, vt ait Auicenna loco dicto, contraria eſt qualitati conuenienti vitæ, calidæ ſcilicet, & humidæ: ergo eſt intemperies frigida, atque ſicca omnium membrorum; præcipuè, dum lepra eſt in facto eſſe. Et ſi quis diceret, quòd tubercula, feruor, atque caliditas actualis, & rubor, & pruritus, qui percipiuntur in partibus, contrarium indicant. Reſpondendum, quòd hæc omnia fiunt ratione materiæ putreſcentis, atque feruentis, necnon obſtructionum cauſa. Dixi, omnium membrorum, quia non ſolùm externa hoc patiuntur, ſed etiam interna: dicit enim Aretęus, quòd viſcera eodem affectu laborant, atque grandinoſa fiunt. idem confirmat Auicenna, & ponit primam generationem in viſceribus. idem Aetius confirmat. Et quoniam eſt intemperies cum fluxione, vti ait Galenus; ideo facit tumores, & facit tandem vlcera ita ſęua, vt totum corporis habitum corrumpant. Tumores autem ſunt interni, atq; externi: interni ſunt grandinoſi, atque duri tumores viſcerum, atque glanduloſorum corporum, teſte Aretæo, & Aetio: externi verò ſunt tumores duri, & ſcirrhoſi vniuerſi corporis: vnde cancer cõmunis, ac vniuerſalis corporis vocatus eſt hic elephas à Medicis omnibus. Quare optimè dixit Auicenna eſſe complexionis, atq; formę corruptionem, quod confirmat

Digitized by Google

firmat etiam Galenus in lib. de ſubfiguratione empirica capit. 12. Verum cum per halitum, & commercium ſine corporis coniunctione, aut ſuctu, aut affrictione ſuboriatur hic morbus, vti ex Areteo, Galeno, Aetio, Auicenna, & omnibus habetur; profecto opinor ego aliquid ineſſe, quod ad totam ſubſtantiam referri poſſit, quod in omnibus fere contagioſis morbis accidit: & hinc fit, quòd, qui laborant hoc morbo, tanquam peſte laborantes fugiuntur à cognatis, affinibus, atque ab amicis, fuganturque extra Ciuitates, & in bene inſtitutis Ciuitatibus xenodochia ſunt inſtituta, à Diuo Lazaro appellata, ad excipiendos hos miſeros ægrotantes, ſolùm ob id, ne alios, Ciuitatemque totam inficiant: inquit enim Aetius, quòd inquinatur aer ab vlcerum fætore, atque vitiata ſpiritus exhalatione, qui aer poſtea inficit homines.

Elephant. habere aliquid ad totam ſubſtantiam pertinens.

Cauſæ efficientes.

Cauſæ efficientes externæ huius morbi ſunt, aer calidus, & ſiccus, qualis in Aegypto exiſtit; aer etiam frigidiſſimus, teſte Galeno, & Aetio, aer contagioſus infectus, contactus corporum, & conuerſatio, hereditas à parentibus, conceptio in tempore menſtruationis, motus & exercitium corporis nimius, & inordinatus, vt ait Aetius, ætas iuuenilis, & puerilis, mares magis, quàm fæminæ, vt teſtatur Aetius, & Auicenna, loco dicto, & Gal. in 2. ad Glauconem c. 10. Internæ aũt cauſæ ſunt hepatis nimia caliditas, & ſiccitas, quæ vrat humores, vel vniuerſi caliditas, ac ſiccitas, lienis obſtructio, & imbecillitas ad expellendum; imbecillitas omnium viſcerum ad expulſionem exuſtorũ excrementorũ, hæmorrhoidum, & menſtruorũ ſuppreſſæ expurgationes, varicum ſuppreſſio, & pororum vniuerſi corporis obſtructio. Hæ ſunt cauſæ efficientes tum externæ tum internæ.

Materiales remota.

Materiales autèm ſunt victus ratio apta ad generandum ſuccum craſſum, & feculentum, vt eſus farinæ elixæ, lentium, cochlearum, ſalitorum plurium, carnium aſinorum, & piſcium quorundã, vt ait Auicenna, quali victu vtuntur Alexandriæ; & ideo frequens ibi eſt hic morbus: Contrà autem Scythæ, cum ſint lactis potatores, raró corripiuntur hoc morbo, ſicuti etiam raró videtur morbus iſte in Germania, & Myſia, ob frigiditatem & victus rationem, vt teſtatur Galenus in 2. ad Glauc. Humor autèm, qui morbum hunc efficit, eſt melancholicus ſparſus, vt ait Auicenna, & Galenus ad vniuerſum corium qui non putreſcit, neque febrem facit, tandem tamen putreſcit in aliquot partibus, & exulcerat; variat tamen humor, quia aliquando eſt pura melancholia, & tunc fit lepra nigra; aliquando talis melancholia eſt mixta cum ſanguine, ait Galenus in libro de atra bile capite quarto, & fiunt elephantes ſubrubri, qui tandem nigri fiunt; aliquando pituita exuſta, & reſiccata admiſcetur plurima, & fit elephantia alba, cuius meminit Plinius lib. 25. capite quinto, Auicenna mentionem facit melancholiæ choleræ, melancholiæ ſanguineæ, & melancholiæ exuſtæ, à quibus dicit fieri lepras, nam à prima fit lepra exulcerata, & incurabilis; à ſecunda fit mitis, & ſalubrior; à tertia, qualis prima, & tardius etiam curari poteſt.

Materia proxima varia.

Signa morbi erupturi.

Signa erupturi morbi, & dum in viſceribus fit, hæc nobis proponit Aetius: ſegnities: ſpiratio tarda, ac difficilis: motus difficilis: alui ſuppreſſio aſſidua: lotia ſubiugalium: reſpiratio fætida: odor corporis fætidus, vt ait Auicenna: ructus continui, ac ęgro graues: appetitus quaſi ablatus: impetus in Venerem: raucedo quædã, vt dicit Auic. mores melancholiæ, teſte eodem Auicenna: omnia mala, & melãcholica, vt refert quoq; Auic. qui etiam addit, quod æger in ſomno percipit quaſi pondus magnũ in vniuerſo corpore.

Signa erumpentis.

Signa verò morbi erumpentis ſunt malæ craſſiores, rubræ, cũ nigrore, & mentum eodem modo diſpoſitum, vt dicit Aetius: oculorũ obfuſcatio ad rubedinẽ inclinans, referente Auic. ſternutatio plurima, teſte pariter Auic. nariũ conſtrictio interna, vt dicit idẽ Auctor; pilorũ attenuatio, raritas, & caſus; tandẽ faciei forma tęda, quę duo ſigna proponuntur ab eodẽ Auic. his addatis ex Aetio, & Aretęo, qđ ſub lingua apparent venę varicoſæ, & lingua ipſa grandinoſa; in toto ẽt corpore ſunt tumores, & eminentiæ inæquales, præcipue aũt in mento, & fronte; exulcerantur tandẽ artus, & reliquę partes; vox auſertur ex toto, pulſus fit debilis; ęgri rèdduntur melancholici, timidi, & myſanthropi, hęc de ſignis.

Prognoſtica.

Præſagium verò tradendum eſt tale: Aretęus Capadox in 1. de curatione morborum chronicorum ait, ita magnum morbum eſſe lepram, vt nullum remedium ſit maius, quod à Paulo confirmatur lib. 4. cap. 2. Verum intelligendum eſt de lepra confirmata: nam incipientem ſanauit Galenus, in lib. quos purgare, &c. & in lib. de purg. medic. cap. 5. & in lib. de ſubfigur. empir. cap. 12. & in vndecimo de facult. ſimpl. medic. cap. de carne. Areteus ſimiliter incipientem ſanari poſſe teſtatur, & cum ipſo Aetius, Paulus, & Auicenna, quare incipiens lepra difficilima eſt; ſed tamen ſanabilis: at confirmata eſt inſanabilis; ob id tamen non eſt dimittendus æger ſine curatione, quia mitigantur ſymptomata, & producitur vita vnà cum morbo, maximamque mihi ſpem affert ſententia Auicennæ, quæ eſt quòd quamuis lepra ſit cancer vniuerſalis, tamen non ir-

[illegible] à medicamentis, vti irritatur cancer, quia materia eſt ſparſa per vniuerſum corpus; & ideo in confirmata etiam lepra, quamuis non ſit ſanabilis, tamen tutò poſſumus vti medicamentis non ſine commodo.

Plac. Sed iam dicamus, quomodo curanda. Primum curationis caput reſpicit res non naturales; quatenus ergo pertinet ad aerem, mutatio aeris, ac peregrinationes conferunt ex Aretæo, Aetio, & Auicenna: eligatur aer bonus, aut ſaltem abſit à mari, & ab Vrbibus, & quæratur aer contrarius: Somnus diurnus eſt malus; nocturnus bonus; quies mala eſt: Motus & exercitatio bona, dummodo ſine labore, & anguſtia fiat: matutina hora exerceat ſe motu, curſu, concuſſione, iactu, thoracem exerceat vocis emiſſione, & ſimilibus: Excrementa quotidie excernantur, illudque fiat aſſumptis, aut in primo cibo oleribus, aut ſalſamento, aut iure quodam, vt oſtreorum ac ſimilium, aut caricis. *Alui lubricatio.* Auicenna addit, quòd conuenit etiam quotidie exhibere aliquid, quod ſoluat ventrem ſemel, aut bis, vt facit medicamentum ab ipſo propoſitum ex mirobalanis, & aliis quibuſdam. Verùm notandum, vt medicamentum ſit lene; deinde immutetur, quia familiare redditum non lenit: clyſteres etiam erunt optimi: Venus fugiatur penitus, quia coitus eſt inimiciſſimus, ait Aetius, vt ex eo patet, quòd non reperitur eunuchus laborans lepra, & rationem quandam reddit Aetius, quæ non placet: ob liberos procreandos licebit aliquando vti Venere, ſed cum obſeruatione: Animi paſſiones malæ ſunt: voluptates optimæ: De cibo & potu bis in die comedat, quia ſemel tantum nocet: *De prandio & cœna.* ventriculus enim à multo cibo grauatur, præterquam, quod corpus nimium ſiccatur à longo illo ieiunio: minus ſit prandium cum vna tertia parte panis; cœna verò maior, cum duabus tertijs: Cibi ſint boni ſucci, & qui facilè meent: lactis vſus plurimus cocti, crudi, ac variè parati conuenit: Caro hœdina bona, leporina etiam, vt dicit Aetius, & ſimiles aliæ: piſces boni ſunt ex Aetio mollis carnis; ex Aretæo verò ſaxatiles: aues, perdices, palumbes, columbi, & id genus boni ſunt: fructus pariter horei omnes ex Aretæo, necnon vua, ficus, cotonea, & ſimilia conueniunt, & dulciaria aliquot, & aliqua bellaria. Vinum ſit album, & tenue, non vetuſtiſſimum: vinum dulce melius eſt, Aretæo & Auicenna teſtibus. hæc de primo capite.

Sanguinis miſſio. Secundum caput continet euacuationem. dicamus ergo primò de ſanguinis miſſione. Omnes aſſerunt mittendum eſſe ſanguinem ante purgationem per pharmacum, vt aſſerit Galenus in ſexto aphoriſmorum 47. & in ſecundo ad Glauconem, capite decimo, & multis alijs in locis. Aretæus vult, vt ſæpe ſæpius mittatur ſanguis, quatuor ex locis, videlicet ex vtroque cubito, & ex malleolis: magnas venas eligit Auicenna; ſed præmeditatio adhibenda eſt, ait Aetius, quia, ſi non abundat ſanguis, paruæ venæ ſunt eligendæ, & ſecandæ, vel cucurbitulæ, vel hirudines apponendæ. Vnde Auicenna eligit venas frontis, & naſi: hæc de vacuatione per ſectam venam.

Lenientia. De euacuatione etiam per pharmacum: primò leniatur aluus diacatholicone, caſſia, electuario lenitiuo, ſero caprino cocto, addito ſyrupo roſato ſolutiuo, vel ſimilibus: præparentur deinde humores, quamuis de præparatione nulla fiat mentio ab an- *Præparantia.* tiquis, præparentur, inquam, detergentibus, & concoquentibus; in qua re opportuna ſunt hæc, cichorium, fumaria, betonica, mel roſaceum, ſyrupus de pomis ſimplex, *Purgantia.* & compoſitus, oximel etiam; ſed moderata ſit eius quantitas: Facta præparatione, exhibeatur pharmacum, quod melancholiam, & pituitam craſſam educat: Solebant antiqui pultem quandam ex pulpa colocynthidis parare, quæ in vſu non eſt: laudat Aretæus, & Aetius hieram, & præcipuè magnam Galeni, de qua Aetius libro tertio, capite 113. qua vtitur Galenus 14. methodi, capite 9. in cancro: Vel vtemur confectione Hamech cum diacatholicone, vel electuario Indo, vel pilulis cochijs præparatis cum veratro. Verùm ſciatis, quòd elleborus niger colocynthis, & lapis Lazuli primas tenent ſecundum Auicennam; & re vera lapis hic, vel Armenus, vel Cyaneus præſtantiſſima ſunt: habemus & ſyrupos quoſdam, qui ſyrupi Montani vocantur, quos in *Serum.* Gallico morbo exhibemus, & in hoc etiam morbo opportuni ſunt. Serum poſtea per aliquot dies eſt dandum ad pondus duarum librarum vſque ad quinque, vel à duabus heminis vſque ad quinque, ait Aetius: ſerum ſit ex lacte aſinino, ſi fieri poteſt; ſin minus, ex caprino, ſed prius dandum eſt aliquid veratri: Aetius ex Galeno admiſcet obolos tres ellebori, & duos obolos ſcammonij cum pauco ſero, & exhibet; poſtea dat *Vomitus.* ſenſim, ac ſenſim totum ſerum: Quo facto, ciendus eſt vomitus primò poſt cibum; ſecundò cum radicula, & oxymelite; tertiò cum radicula macerata cum elleboro albo; quartò cum elleboro ipſo, de qua re legatis Aetium, atque Aretæum, qui plurima dicunt. Poſt hanc euacuationem, monet Auicenna, vt euacuemus caput caputpurgijs per os.

Tertium

Digitized by Google

Tertium caput reſpicit locum affectum. Igitur pro digerenda materia,ac roborandis viſceribus ſunt. Primò aſelli illi aquarij, quorum,ex præcepto Aetij,accipietis quinque, vel ſex numero, & redigatis in puluerem, quem puluerem exhibeatis cum hydromelite: Secundò accipietis drachmam vnam trifolij bituminoſi, & facto puluere, exhibebitis cum vino, aceto, & melle pari pendere: Tertiò accipiatis ramentorum ebori, & ramentorum cornu ceruini cochlear vnum, & in potum exhibearis: Quartò optimi ſunt paſtilli ſcillitici: Quintò addatis ex Paulo ſuccum calamenthi pluribus diebus exhibitum. Multa alia ſunt tradita ab Aretæo,Paulo,& Aetio,quæ non habemus; ideo dimitto. Serpentum etiam carnes optimæ ſunt,& primò ex genere Draconum eſt ſerpēs Agelas vocatus, quadraginta diebus altus, & præparatus: ſecundo coctus cum cichoraceis,agrimonia,& ſimilibus,& decoctum poſtea exhibebitis, & opportunum eſt medicamentum: ſecundò eſt Anza,vel Cerucra appellata,quæ Epidaurius draco,vel anguis vocatur:tertiò omne genus draconum: quartò ſunt viperæ per ſe elixæ,atque eo modo exhibitæ,quo docet Aretæus,Galenus,ac reliqui; vel exhibetur vinum, in quo ſint ſuffocatæ, vt habemus ex Galeno in lib.de ſubfigurat.empirica, & 11. de facult.ſimplic. Vel exhibeatis paſtillos,vel ſales,vel alia medicamenta,in quibus viperæ recipiantur.Auicenna facit mentionem ſerpentis nigri, qui credo ſit ex genere draconum, & huius etiam carnes probantur. Auicenna notat aliud, quòd ex vſu iſtarum carnium viperæ ſolet ſupernenire tumor corporis, ac delirium, & hunc finem exhibendarum carnium conſtituit, adeo,vt,quando videritis, quòd corpus intumeſcit, & æger fit delirus, debeatis deſiſtere ab vſu carnium viperæ. Sed hoc à nullo alio eſt proditum, & fortaſſe iſtud fit in calidiſſimis tantum regionibus. Theriaca deinde principem locum tenet. hæc per interna conueniunt.

Interna corroborātia & alterantia.

De Serpentum, & Viperarum vario exhibendi modo.

Exterius autem vtendum eſt iis, quæ detergunt, & attenuant: inter quæ primum ſunt farinæ: ſecundo loco rumicis varia genera: tertiò nitrum: quartò ſapones: quintò ſulphur: ſextò chelidonium, fumus terræ, beta, dracunculi radix, polygonati radix. his ergo & ſimilibus vti poterit æger in balneo, & poſt balneum.

Externa attenuātia, & digerentia.

De tumoribus narium. Cap. XXIII.

ESSET aliquid dicendum de tumoribus oculorum,ſed quoniam eorum inflammationes ab excellentiſſimis practicis curantur, & ſtaphylomata oculis occurrentia in tractatu de vlceribus traduntur, ideo de his non eſt hoc in loco agendum. Relinquitur ergo vt ad nares deſcendamus, in quibus varij tumores naſcuntur; inter quos primum ſunt inflammationes, quæ declinant in abſceſſus, & dicuntur à Barbaris apoſtemata: ſecundo oriuntur tumores duri,poſt quos quandoque fiunt vlcera,quibus deinde ſuccedit generatio carnis,ita ut tubercuii fiant,qui ſupercreſcentes carnes vocantur: tertio ſolent oriri tubercula canceroſa: quarto tumores quidam, qui Polypi dicuntur: quinto hæmorrhoides,quæ fiunt tumeſcentibus membranis veſtientibus intimas nares. & hi omnes tumores à Medicis curantur ſub nomine polypi,cum tamen plurimum differant inter ſe.

Narium tumores quot ſint.

Cùm autem cancer aut curandus non ſit, aut palliandus, non eſt ut multum circa ipſum laborem, ſed tantum ſat erit tradere ipſius ſigna. Guido autem credidit cancrum narium eſſe polypum Galeni,quod tamen falſum eſt, ex lib.9.de compoſit. medicamentorum per loc.cap.3.vbi componuntur medicamenta ad polypum,quæ non conueniunt in cancro, quia ſunt medicamenta proritantia, quæ ex Paulo & Aetio inimica ſunt cancro. Caruncula etiam narium differt à Polypo; ita hæmorrhoides narium à polypo, & reliquis; quamuis curatio eadem ſit omnium præter quàm cancri,cuius ſigna omnia inferius tradentur.

An cancer nariū ſit polypus Galeni.

Polypus autem eſt tumor præter naturam in naribus exiſtens iuxta ſubſtantiæ ſimilitudinem carni polyporum ſimilis ex Galeno. Polypus enim vocatur à ſimilitudine ſubſtantiæ, quam habet cum Polypo piſce marino habente carnem albam pituitoſam, & viteam: vnde Theodoricus decipitur dicēs ita appellari,quia ſicut inuolutus eſt Polypus, ita etiam hic morbus. Locus proprius ſunt nares,& genus eſt tumor. Cauſę efficientes proximæ ſunt deſtillationes humorum; remotiores verò intemperies,& excrementoſa natura capitis & cerebri. Materiales cauſæ ſunt humores craſſi & viſcoſi,qui cum copioſiſſimè imbibantur,in membranis narium faciunt carnem ſimilem Polypo. Signa autem

Polypus quid ſit.

Cauſæ effic. materiales.

Signa.

ſunt, ut quando ali quis non poteſt attrahere ſpiritum per nares, uel ipſum attractum per eaſdem emittere, vel violenter id facit ac cum ſtrepitu. Sed cum hæc poſſint eſſe etiam in alio tumore exiſtente in naribus, ideo diſtinguendum eſt per ſigna cuiuſcunque. Vt ergo cognoſcatis, an ſit Polypus, committatis, vt æger apertis naribus validiſſimè ſpiritum emittat. ſi enim erit Polypus, manente ægro apertis naribus, apparebit ſubſtantia quædam in medio narium pendens veluti papilla tremula & ſpiritui cedens, lucida, alba ac pituitoſa.

Signa hæmorrhois narium. *Caruncula.* *Cancri.*

Præterea, ſi appoſito ſpecillo circumquaque tumor circumſcibatur ita, vt hæreat pediculo. Præterea, ſi aderit ſtupor ſine dolore, mollities & laxitas ſubſtantiæ præter albedinem. Si verò loco albedinis cum his erit rubedo, tumor ille erit hęmorrhois narium, qui ſolo colore à polypo differt. Si verò ſit caruncula, cognoſcitur ex carnis ſubſtantia, & ſi tangatur facile, facile fluet ſanguis, & adeſt ſenſus doloroſus, ſi volſella arripiatur. Cancer verò cognoſcitur, quia durus eſt tumor, ſecundo magis hæret, tertio eſt niger, quarto habet dolorem pungitiuum perpetuum; quinto fętorem coniunctum, ſi ſit viceratus; ſexto vt plurimum nares intorquet & corrumpit.

Prognoſtica.

His cognitis præſagiendum eſt de cancro, quòd non poſſit ſanari, ideo non eſſe irritandum, niſi pallietur cum his, quæ ad cancrum occultum faciunt. In polypo verò ſemper ſanitas pronuncietur; ita de hæmorrhoide & carne ſupercreſcente.

Curatio. *Victus ratio*

Quo autem ad curationem, tria ſunt capita tractanda, quorum primum eſt de victus ratione, ſecundum de totius euacuatione, tertium verò de loci affecti tractatione, vnde quo ad primum, inſtituatur bona victus ratio, & cùm vt plurimum fiant iſti à materia pituitoſa & frigida, ideo ſit attenuans, & aliquantiſper calefaciens & exſiccans. Cùm autem aliquæ ſunt regiones, in quibus abundant iſti humores ob catharros, ideo mutetur regio, donec ſanati ſint; moueantur, non multum dormiant, ſed vigilent, fęces quotidie excernant, & abſtineant à Venere.

Euacuatio.

Quo ad ſecundum caput, euacuetur corpus & caput, & ſi adſit caruncula, vel hæmorrhois, ſecetur vena vel baſilica, vel humeralis.

Præparatio humorum. *Conſeruæ capitales.*

Si autem paruus ſit polypus, à ſectione venæ eſt abſtinendum, ſed pharmaco vtendum præparatis prius humoribus craſſis ac viſcidis per attenuantia, & ſiccantia, præcipuè caput reſpicientia, vt per oxymel, mel roſ. ſtęch. ſaluiam, & ſimilia: poſtea corpus expurgetur ab humoribus craſſis per medicamenta ex colocynthide, vt ſunt hiera, diacolocynt. pilulę cochię, confectio hamech. Facta euacuatione, ſiccetur ac roboretur caput ex lib. 3. de compoſ. med. ſec. loc. per maſticatoria, vt pyrethrum, & ſimilia. Secundo per continuatas frictiones ad ſcapulas & brachia, quæ duræ ſint, apponantur cucurbitulæ crebro, & etiam ſcarificatæ. Pręterea quandoque per intus aſſumpta ſiccandum eſt caput, vt per conſeruas poſt cęnam, vt ſtœchadis condit. ex florib. roriſmar. ſaluiæ, Theriacæ etiã viſus poſt cœnam ad quantitatem fabæ. Galenus verò imponebat etiam ad commiſſuram coronalem validiſſima, vt emplaſtrum ex thapſia, ex ſtercore columbino, ex euphorbio, & alia tradita in curatione hemicraniæ in lib. 2. de compoſ. med. ſec. loc. Aetius etiam imponit emplaſtrum ex radicibus anemones, quod validiſſimè ſiccat. Quandoque verò deradendum eſt caput, & imponendum ceratum ex pice nigra, reſina colophonia, & terebinthina. Si autem hæc non adſint, veniendum eſt ad emplaſtrum cetine Theſiphontis vel purum, vel cum oxycroceo. Aetius maximè laudat emplaſtrũ ex cochleis, quo etiam quandoque ego vſus ſum fęliciter, ſi hoc modo paretur;

Emplaſtrũ ex cochleis.

℞. Myrrhæ, Thuris — añ. ℥. j.
Cochleas integras er. v.

Miſce, tunde in mortario ſimul addendo albumina ouorum duorum, & fiat veluti ſtrigmentum, quod ſatis craſſum imponatur, & permaneat per nouem dies. Quandoque deuenire poſſumus ad ſtillicidium ſuper coronalem commiſſuram. Si autem caput ſit validum, vti poſſumus ſtillicidio artificiali exſiccante ſine calefactione. Si verò caput ſit humidum & frigidum, vtendum eſt ſtillicidio naturali, vt ex aqua Apponenſi, vel alijs ſulphureis & aluminoſis, vel puluerib. inſpergatur caput deraſum, & aceto madidum. Pulueres autem ſint ex myrrha, thure, ſandalis, roſis, ligno aloe. Si verò caput frigidum ſit, addatur cinnamomum, piper, pyrethrum. Si verò calidum ſit, vtimur roſis, & alijs frigidis. Roborato autem capite ad locum affectum deueniendum eſt.

Forma medicamentorum.

Circa locum autem affectum cùm auferenda ſit hęc caruncula vel hęmorrhois ſit, vel polypus: huic ablationi tripliciter ſatis fieri poteſt; aut ſcilicet per exſiccationem, aut per ſectionem, aut per corroſionem. Per exſiccationem quidẽ applicando medicamenta exſiccantia, & non ſolum poteſtate talia, ſed etiam actu: quoniam ualida requiritur

exſic-

Digitized by Google

exſiccatio, vnde erunt vel ſub forma trochiſcorũ vel pulueris, vt poſſint inſpergi: inſperguntur autem vel cochleari, vel ſpecillo auriculam habente, vel per fiſtulam inſpirantur. & inſufflantur per nares. quod melius eſt.

Medicamenta autem ſiccantia cum alia ſint robuſta, alia leuia, in corporib. teneris mi- *Siccãtia pro* tioribus vtendum, vt pulu. roſ. ſiccarum, vt in mulierculis, pueris, eunuchis, & ſimilibus: *teneris corpo* hoc enim ſolo ſe vſum fuiſſe dicit Galenus: inter metallica verò eſt pompholyx lota, *ribus.* thutia Alexandrina lota, cadmia foſſilis lota. Si verò robuſtum ſit corpus in ætate iuuenili vel conſiſtenti, ad robuſta veniendum eſt, vt eſt puluis ex ſaluia, quo locum vino granatorum madefactum inſpergimus. Præterea folia & nuces cupreſſi ſiccatæ, gallæ etiam immaturæ: præterea medicamentum Galeni ex tribus granatis, de quo agit lib. 3. de com- poſit. medic. per loc. cap. 3. quo etiam ego ſæpe vſus ſum. Sed notandum eſt, quòd cum *Medicamen-* non adſint vbique omnia tria genera granatorum, quoniam in illo medicamento opor- *tũ ex tribus* tet accipere vnum granatum dulce, aliud acidum, reliquum verò auſterum, ideo niſi ad- *granatis.* ſint omnia, accipiantur duo tantum, contundantur, extrahatur ſuccus vel vinum, quod optimè coctum & inſpiſſatum ſeruetur in vaſe ſtanneo. Ex corticibus verò & nucleis *Notandum.* exſiccatis contuſis fiant paſtilli ad vſum. Quando verò ſubſtantia polypi eſt durior vel *Siccantia va-* hemorrhoidis vel caruſculæ, accipiatur maior copia mali acidi, quia maior vis attenuans *ria.* requiritur. Quando autem eſt mollior polypus, maior copia acerbi, quia maiori exſiccatione opus eſt. Deficientibus verò acidis & auſteris, accipiantur mala immatura: ſed *Punicorum* ego, deficiente acido, admiſceo ſuccum vuæ immaturæ, vel acetum, vel ſumach, & facio *acidorum lo-* medicamentum opportunum. *co quid acci-*

Quandoq; autem ad metallica deuenio, vt ad ſquamam æris, & chalybis lotas, ad dia- *piendum.* pompholygem lotam, æs vſtum, & æruginem æris toſtam & lotam: hæc enim extremè exſiccant ſine exulceratione & mordicatione, his ſiccis vtendo.

Quoniam verò quandoque impoſitionem ſicci medicamenti per multos dies nõ fert æger, ideo ſolet fieri ex his medicamentum liquidum in modum linimenti, accipiendo, vt facit Galenus, loco trochiſci ex tribus granatis ſuccum pomorum dictorũ decoctum & ſeruatum in vaſe ſtanneo, vt dictum eſt, & ipſo nares illiniendo. Si verò illud non adſit, fiat linimentum ex ſucco omphacij, gallarum immaturarum vel ſumach, vel ex corticibus malorum punicorum decoctis.

Si autem ſiccantia nihil facient, ad corrodentia deueniendum eſt, & excedentia illam *Corrodentiũ* carnem, quæ robuſtæ ſint, facile enim nares talia tolerant, quorum materia eſt chalcan- *materia.* thum, alumen, ſandaraca, præcipitatum, calx non extincta, diphryges, oleum ſulphuris oleum chalcanthi, & huiuſmodi.

Inter compoſita verò ſunt trochiſci Andronis, Paſionis, Polyidæ, Aegyptiacum ſim- *Simplicia.* plex & compoſitum, trochiſci ex charta combuſta, vnguentum apoſtolorum vel Dama- *Compoſita.* ſceni, & cauterium commune: his tamen ſemper gummi calorem naturalem contempe rantia miſcendo, ac etiam cerebrum, vt ſunt myrrha, thus, maſtiche, & ſimilia. Muniantur autem loca ſana linteolo, vel pulueres hi inſperguntur bis, vel ſemel tantum in die. Ego autem vtor chalcantho vſto cum Aegyptiaco, addito etiam oleo & cera, vel utor alumine vſto cum præcipitato vſto, vel ol. ſulph. & ol. chalcanthi. *Curatio po-*

Facta vſtione obducatur cicatrice locus. *lypi per ſe-*

Tertia autem curatio erat per ſectionem, quæ maior eſt, hoc enim vnica vice Polypus *ctionem.* totus educitur, quod à medicamentis in pluribus diebus fieri ſolet, & minori cum dolore fit ſectio, quàm vſtio per cauſtica. Sex autem modis ſolet auferri Polypus per manualem curationem. Primo cum laqueo, imponendo filum circa radicem Polypi, & arrepta *Quot modis* radice fiat nodus ſic relinquendo, quoniam poſt tres dies ex ſe cadit: Hoc autem tantum *ſecetur poly* vtor ego in hæmorrhoide naſi, non autem in Polypo; & etiam hoc modo procedo in ca- *pus.* runculis, quæ non ſunt in penitioribus partibus. *1. Modus.*

Sed cum Polypus penitioribus partibus hæreat, difficile eſt imponere filum, quod radices Polypi capiat, quare hic etiam modus erit ineptus in caruncula & hæmorrhoidib. narium, quæ radices altiores habeant. Paulus verò dilatans nares ſpeculo volſella Poly- *2.* pum arripit deorſum trahens, & appoſito ſpecillo radicẽ polypi inquirit, qua inuẽta, inſtrumento ad folium myrthi paulatim excoriat radicem & ſecat. Sed quoniam ex hac actione euenire poteſt, vt & membranæ perforentur, & cartilagines detegi poſſint, quare tuta non eſt actio, cum ex his poſtea fieri poſſint vlcera difficilia. Alij verò accipientes *3.* Polypum volſella, & deinde ferramento in ſumma ſuperficie lunato ac incidente ſecant radicem Polypi in nares impellentes. Sed etiam ex hoc modo quandoque cartilagines *4. Modus ip-* inciduntur, quare non eſt tutus. *ſius eſt Fal-*

Ego autem fiſtulam argenteam accipio, nec nimis latam, nec nimis anguſtam, deinde *loppij.*

filum æneum vel chalybeum ſatis craſſum vel ferreum, ex quo arpicorda conſtituuntur, & ipſum duplicatum pono in fiſtulam illam, ita vt ex illo filo in altero capite fiſtulæ fiat anſa, qua in nares impoſita polypum arripio. Cum autem ingreſſus eſt polypus in anſam, impello fiſtulam ad radicem polypi, & caput fili ænei in parte fiſtulæ inferiori exiſtens traho, & ſic radices polypi ſtringo & extraho, quia ab illo filo & anſa ſecatur radix polypi, quia mollis eſt ſubſtantia.

Si autem durior ſit ſubſtantia polypi, extraho polypum, ac deinde gladiolo ſeco; &
eodem inſtrumento vtor ego ad hæmorrhoidas ani arripiendas & ligandas, quæ poſtea
per ſe cadunt, in hoc caſu pretioſiſſimum eſt inſtrumentum, quamuis alij habeant ma-
5 ximam difficultatem in arripiendis hæmorrhoidib. Aliqui vero fiſtula aliqua capiunt po
lypum, & per fiſtulam ferrum ignitum traijciunt ad intra nares, & ita vrunt, ſed pericu-
loſa & moleſta eſt actio. quoniam quamuis fiſtula ponatur, ne nares exurantur, tamen
etiam fiſtula calefit à ferro ignito, licet etiam lineis muniatur, & ſic nares exurit. Præ-
terea ex vſtione polypi reſudat humiditas quædam feruida per nares quæ exurit: præte-
rea poſſunt exuri membranæ narium: præterea poſſet incaleſcere os ethmoides & lædi
cerebrum, quoniam non poteſt videri modus exuſtionis. quare tuta non eſt curatio &
6 actio hæc per vſtionem. Alij in remotiſſimis polypis, in quibus non poteſt vſurpari fer-
rum, accipiunt funiculum & ipſum intorquent & imponunt in nares, ita vt ad palatum
perueniat, & arripiunt filum ex vtroque capite & diducunt vltro citroque, & ſic poly-
pum ſecant, quod tamen non probatur à me vllo modo: ſed ego in hoc caſu dilatans
7 ſpeculo nares forcipe ad hunc vſum apta polypum ſeco. Alij vero ſecant partes narium
laterales, donec deueniant ad polypum, & ipſum deinde ligant, donec per ſe cadat, vel
exurunt vel ſecant, poſtea nares conſuunt & agglutinatorium imponunt, quoniam na-
res facilime agglutinantur, & earum vulnera cito facileque ſanantur. Poſt ablationem
autem polypi, quomodocunque ablatus ſit, ad vlcus conſolidandum vtemini ſiccantibus ſuperius dictis ac epuloticis propoſitis.

De hydrocephalo & eius curatione exquiſita.
Cap. XXIV.

Ratio nominis.

IN puerorum capite ab ortus principio oritur tumor quidam hydrocephalus dictus, quia vt plurimum fit à collectione aquoſæ materiæ. Sed quoniam non niſi quam in puerili ętate fit hic tumor, ideo recentiores ipſum vocant aquam concretam in capite puerorum.

Quot modis fiat.
Quæ & quot loca occupet.

Fit autem varijs modis. nam quandoque fit, quia colligitur materia inter cutim & pericranium, & quandoque inter pericranium & cranium, quandoque inter membranas cerebri ac cerebum, vnde quatuor ſunt loca ipſius, ſemper tamen fit tumor, augetur quantitas & perturbatur conformatio capitis.

Cauſæ efficientes.

Cauſæ efficientes variæ ſunt, ſed prima eſt fluxio humorum, quæ (fluxio) vt plurimum oritur à toto corpore non ſolum puerili, ſed etiam à venis inuolucri fœtus, id eſt, ſecundinæ & ab vtero male affecto, quoniam frequentiſſime fit tumor hic, dum puer eſt in vtero matris, quia vterus exonerat ſe per venas ad fœtum ad ipſum venientes, & ſic ad caput pueri tranſmittitur materia hæc. Alia cauſa eſt venarum, membranarum, aut corij capitis dilatatio, ex qua effunduntur humores. Tertia vero cauſa, quæ euidens dicitur ab Aetio lib. 7. c. 1. vel lib. 6. c. 3. eſt diſruptio vaſorum facta vel ab ictu vel à contuſione.

Cauſa materialis.

Materialis autem cauſa vna tantum proponitur à recentioribus, & eſt aquoſitas menſtrua cruda & imperfecta expulſa ab vtero ad fœtum, quam natura non potuit concoquere, quæ deinde ad caput fluens facit tumorem. Ego autem ex his conijcio, hos non nouiſſe niſi vnam tantum ſpeciem hydrocephali, quoniam etiam ſerum eſt materia ipſius, ſeu feroſa ſuperfluitas in venis contenta ex Paulo lib. 6. c. 3. & ex Aetio lib. 5. Cum autem ſit hic tumor ex ictu vel contuſione venarum & arteriarum, materia eius eſt ſanguis eductus per ictum, in vomicam collectus, ac colliquatus, & factus veluti ſuccus fœculentus.

Notandum circa materiam.

Notandum eſt autem quod quamuis iſti tumores ſint aquoſi, aqua tamen illa eſt lenta & craſſa non autem pura aqua, vt notat Aetius.

Signa hydrocephali.

Signa duplicia ſunt, hydrocephali ſcilicet & loci ipſius. Hydrocephali autem primum eſt, quoniam ſtatim ab ortu pueri corrupta apparet conformatio capitis, ita vt pars aliqua ipſius promineat & tuberculū habeat, præterea tumor eſt concolor cuti ſine magno dolore,

Digitized by Google

Signa hydrocephali ex cōtuſione.

dolore, quia ab aqua fit. Si vero in tali tumore adſit rubedo & dolor ad tactum, ſi ſit ſatis inſignis, tunc eſt hydrocephalus ex contuſione & vaſorū ruptura in ipſo capite facta ab obſtetricibus negligentibus, dum fœtus educitur, vel à matribus gerentibus, abdomen in aliquo loco percutientibus, quod ego fateor mihi ipſi eueniſſe, & factum eſſe in me, ratione & cauſa matris.

Si inter corium & pericranium.

Si autem hydrocephalon ſit inter corium & pericranium & ab aqua, erit tumor mollis, valde prominens, concolor cuti, ſine dolore, turgidus ac facile digito cedens & refluens.

Si inter pericranium & cranium.

Eadem ferè ratione cognoſcitur eſſe inter pericranium & cranium, hoc tamen differt, quia durior eſt tumor, quoniam infra membranam illam continetur. præterea non ita facile cedit: & aliquid doloris adeſt ad tactum.

Si inter cranium & mēbranam.

Si autem ſit inter cranium, durus eſt tumor, nec facile comprimenti cedit: ſi vero valde comprimatur, cedit; quoniam licet ſub oſſe materia ſit, tamen in puerulis molle eſt os ita, vt cedat valide comprimēti, eò magis, cum aqua ſubiecta mollia ſeruet oſſa. Præterea cum comprimitur, valde vagiunt pueri, quoniam ingens fit dolor: præterea forma capitis tunc deterior eſt, & vt plurimum frons prominet ita, vt ſi quid additum eſſet, & caligare oculis videtur, & quaſi continuo illachrymantur oculi vel vt plurimum, nec audent pueri oculos aperire.

Si inter mēbranas & cerebrum.

Si vero ſit inter membranas & cerebrum, ſunt illa eadem ſigna omnia, ſed præterea adeſt quidam veluti ſtupor ſenſuum omnium, vnde ſtupidus videtur puer, ac nullo modo caput ſuſtentare poteſt, & ſi comprimantur, vagiet veluti ſi ex ſomno excitaretur, præterea ex naribus aliquid manat.

Præſagium.

Quo vero ad præſagium in hydrocephalo gemino exteriori ſalus præſagiri poteſt, quoniam vt plurimum ſanantur, ſi recte tractentur. In interioribus vero mors vt plurimum, non tamen relinquendi ſunt abſque curatione.

Curatio.

Curantur autem ab antiquis omnes hydrocephali ſola ſectione, quæ tutior eſt in exterioribus. At in interioribus hydrocephalis periculoſiſſima eſt, nec fieri debet, niſi tumor maximus ſit. Hanc tamen recentiores timent ob nimiam euacuationem materierum: ſed hoc antiqui non timebant vti exercitatiores. Ego tamen ipſam timeo, ne crucientur pueruli, vnde ipſam relinquo, ſi fieri poſſit: at ſi maxima ſit copia aquæ, ſectione opus eſt, quam in me ipſo expertus ſum. Si vero pauca ſit, medicamentis vtendum eſt. Recentiores vero veniunt ad diſcuſſoria; vnde Guilhelmus Placentinus vtitur ol. anethino vel chamomel. addito ſulphure. Sed ego maxime laudo repellentia, ex quibus mira quidem vidi, quæ non potuerunt agere diſcuſſoria, cum tamen alias ipſa non probauerim.

An repellentia cōueniāt.

Quandoque vero ex inunctione ol. roſ. compl. vel ol. myrthin. vidi ſanatos hydrocephalos ſpatio tantum quatuor dierum, quando præcipuè fit ex apertione & dilatatione venarum in quibus conuenit curatio comprimens & conſpiſſans venas: Ideo ego vtebar medicamento mixto ex repellentibus & diſcutientibus.

Diſcuſſoria Falloppij.

Ex diſcuſſorijs autem accipiebam viridia folia cupreſſi & abſynthij optime contuſa, deinde affundebam ol. roſat. compl. vel ol. myrthin. & faciebam linimentum. Quandoque vero vtor vnguento alabaſtrino, quandoque folijs hederæ cum illis repellentibus & cum folijs etiam abſynthij cum ol. roſ.

Recentiorū confutatio.

vnde ego non probo diſcuſſoria recentiorum, qui coguntur poſt eorum vſum deuenire ad exuſtionem perforantes hydrocephalon, quoniam volunt, vt deinde trib. vel quatuor, in locis cauſtico perforetur caput & linamento aliquo claudatur, quod quidem cauſticum ipſi laudant, quia à ſectione fugiunt, quaſi quod cauſticum lenius ac leuius ſit ſectione.

Curatio propria.

Sed meo quidem iudicio meaque ſententia, ſi hydrocephalus ſit ex contuſione, vtendum eſt puris repellentibus. Si ex apertione vaſorum repellentibus mixtis cum diſcutientibus, vt eſſet ol. roſ. cum chamomel. & etiam cum albo oui mixtum.

Reſolutio difficultatis.

Quamuis autem ratio dictet, quod ex repercuſſione materia ad caput retrocedet, tamen cum hæc materia à toto deueniat, ex repercuſſione fit, vt adſtrictis venis materia amplius non fluat ad caput. Cum vero his fuerimus pluribus diebus vſi, ſi quid remanſerit, diſcutientibus vtendum eſt, vt medicamento ex ſulphure, vel oxycroceo Guilielmi, vel cerino emplaſtro.

Apertio quando conueniat.

Si vero medicamentis non cedat tumor, veniendum eſt ad ſectionem, quam quidem optime docent Paulus & Aetius, & quam etiam ego laudo, ſi recens ſit affectus, vt pungatur ita, vt educi poſſit aqua perforando abſceſſum in loco decliui & ad euacuationem aquæ admodum apto.

Repellens et inflammationem prohibens.

Educta vero aqua ſtatim glutinandus eſt locus, non autem relinquenda labia diſtantia, aliquid addendo repellens ac inflammationem prohibens, vt eſſet vinum auſterum & oleum roſatum ſimul mixta, vt etiam dolor prohibeatur, & hæc cum lana applicētur, vel inſpergatur puluis thuris, vel aliud glutinatorium, vt eſt oleum abietinum admixtum maſtichino. Si vero ſit tumor ſub oſſe, aliqui aperiunt & perforant os, ego tamen hoc non laudo; ſed, vt docet Aetius, expectandam eſſe naturā puto,

donec

Digitized by Google

donec aperiat futuras, & locum oſtendat vbi debeat fieri ſectio. Sed ſciendum eſt, quòd fere omnes iſti moriuntur, imo vnum tantum vidi, qui ſectus fuit à me, & mortuus eſt. At primi duo exteriores fere ſemper ſanantur cum repellentibus & diſcutientibus mixtis vel ſolis repellentibus vel ſectione: ad exuſtionem autem nunquam deueni ego, quia nimis excruciat, & hæc de hydrocephalo.

De Coſsis ſiue ionthis iuuenibus occurrentibus in facie. Cap. XXV.

Varia nomina. *Notandum.* *Gutta roſacea differt à coſsis.*

COSSI iuuenum faciem infeſtantes etiam antiquis fuere noti ab iiſque vocati ionthi, cùque forte videantur floſculi ac efflorеſcentia cutis faciei: Bothor faciei nuncupantur ab Arabibus & barbaris, quia minimi ſunt tumores: Paulus vero, Aetius, Galenus & Latini varos vocant, vulgus autem coſſos appellat, & ratio ignoratur. Sed notandum eſt, quod oritur etiam quidam affectus in facie, qui gutta roſacea vel rubea vocatur, in qua color faciei mutatur in rubrum, ac cutis inæqualis redditur & fere tumida, quæ quandoque videtur quaſi præludium elephantiaſis, quæ differt valdè à coſſis, licet qui hac laborant, etiam coſſos patiantur, plurimi tamen coſſos patiuntur, non tamen guttam illam roſaceam.

Cauſæ efficientes. *Materiales.* *Differentia.*

Cauſæ varorum efficientes potiſſimum ſunt contagium vel conſuetudo: præterea fluxio humoris peccantis aliquando ab vniuerſo corpore, ſed præcipue ab epate. Materiales vero ex Aetio lib. 8. c. 13. & Gal. lib. 5. de comp. med. ſec. loc. c. 3. ſunt humores craſſi. Sed recẽtiores diſtinctius loquentes dicunt materiam coſſorum duplicem eſſe; alteram phlegma tantum, alteram phlegma cum ſanguine: & ex hac materia duplici, varorum etiam duplicem ſpeciem faciunt, quarum alteram vocant varos rubeos, alteram lacteos quorum etiam curatio variatur.

Signa. *Præſagium.* *Curatio.* *Victus ratio.* *Aquæ thermales refrigerantes.* *Phlebotomia.*

Quo ad ſigna, ſunt tubercula minima in acutiem deſinentia, modo rubea, modo vero alba. Quo ad præſagium, ſi multitudo horum occupet totam faciem, præſagienda eſt difficillima curatio, quia ſemper noua tubercula ſuboriuntur. Similiter ſi inueterata ſit hæc affectio, vnde plurimi ſanari non poſſunt, quoniam quamuis ſingula tubercula ſanentur, noua tamen ſemper ſuboriuntur; quæ prohiberi non poſſunt. Si vero recens ſit per contagium recepta, non ita difficile curatur. Curantur autem, ſi magna ſint & inueterata, inſtituta bona victus ratione, vt ſi albi ſint vel lactei, victus tenuis ſit ac bonum generans ſuccum calidum & ſiccum, & attenuans. Si vero rubri ſint, victus ſit tenuis quidem, non tamen attenuans, ſed potius hepar refrigerans. Aquæ thermales refrigerantes, vt Villenſes, vel frigidæ iſtæ noſtræ, vel coppo diui Petri, vel virginis in monte Orthoni, vel Lucenſes vel Calderianæ in agro Veronenſi, vel Agnanæ in agro Piſano; quæ omnes proſunt, ſi in ipſis infundatur. Si autem ventriculus ſit frigidus, calida adhibeantur. Præterea ſi rubri ſint, ſecetur vena in verc. Si autem lactei, euacuatio fiat per pharmacum pituitoſos humores educens. Facta euacuatione ac inſtituta victus ratione in ſex rebus non naturalibus ad locum affectum deueniendum eſt, circa quem

Loci affecti tractatio.

ex Galeno indicantur diſcuſſoria valida, vt cito diſcutiatur materia, ne veniat ad ſuppurationem, quoniam longior tunc fit affectus, moleſtior, ac relinquens veſtigium in facie, & quandoque puncta nigra quædam veluti ſtigmata faciem maxime deturpantia. Sed cum duri ſint tumores ac ſucci craſſi, emollientia cum diſcutientibus miſceantur, vt dicit Galenus, qui quidem vnum omiſſit, quòd ego tamen ex ſuis medicamentis propoſitis elicio, quòd ſcilicet ad ea opus eſt etiam ſectione & inciſione, ideo oportet, vt medicamentum diſcuſſorium ſit emolliens & incidens ac diſſecans, quia aliter materia illa

Vari rubri quibus tractandi. *Seminũ melonum vis.*

non poteſt emolliri. Sed cum varorum alij ſint rubri, alij lactei, varia requiruntur: vnde in rubris pro diſcutientibus, incidentibus & attenuantibus eſt acetum acidum & acre, vt robuſte diſcutiat, vt etiam ſuccus limonum, & ſuccus vnæ acerbæ, item ſuccus lapatij acidi ſiue acuti, id eſt, acetoſæ, vel vinum granatorum acidorum, vel eorum ſuccus: præterea alumen præſtans eſt, quoniam ſiccat & attenuat. Pro emollientibus autem addimus ſemina melonum, quoniam habent in ſe pinguedinem vel oleoginoſitatem quandam emollientem, ſimiliter amygdalas amaras & etiam dulces, nucleos etiam perſicorum, ſemina ricini, id eſt, cataputiæ maioris, quam giraſole vocat vulgus vel miraſole; vel admiſceatur oleum factum ex ſuis ſeminibus, quod dicitur oleum de cherua. Præterea ſunt farinæ, vt farina cocta hordei vel ſabarum.

Compoſita autem medicamenta plura ſunt, ſed accipiantur amygdalæ amaræ & dulces; vel aliquod ex dictis ſeminibus, & contundantur in mortario, deinde affundatur aliquis ſuccus acerrimus, vt acetum vel ſuccus limonum, quandoque addendo portiunculam aluminis combuſti: Quantitas autem ſit pro ratione corporis ſubiecti vel validi vel imbecillis & fiat linimentum. Ego autem habeo familiare quoddam medicamentum ex ſucco limonum, cochleis, vel porceletis illis, quæ ſunt veluti cochleæ marinæ albæ & lucentes, quæ tenentur ab vnguentarijs, & has colloco in ſucco limonum recenti donec ſuccus ille abſumat totam illam teſtam & relinquatur limus, quo poſtea locum in vngo. Quandoque vero ſi varus eſt durior, cum hoc luto miſceo aliquid amygdalarum amararum, vel nucleos perſicorum maſticatos, vel butyrum vetuſtiſſimum: vel pomatam, ſi delicatum ſit corpus. Si autem rebelles ſint vari, venio ego ad medicamentum robuſtiſſimum mihi admodum familiare hoc modo confectum. *Compoſita.* *Familiare Fallop.*

℞. Sublimati præparati loti ℥.i.
Ol. amygd. dulc. ℥.i.

Aliud familiare ad rebelles varos rubeos.

Miſce in vaſe vitreo aut ſupra cineres calidos aut ſub ſole, deinde accipio vel ol. amygd. dulc. optime contuſarum, vel amarar. vel ſeminum melonum optime contuſorum ac mundatorum ℥. s. & cum illo oleo & ſublimato miſceo, poſtea addo ſucci limonum, plantag. acetoſæ & aq. roſ. an. ℥. s. & miſceo, & cum albumine oui vnius & concutio; donec omnia incorporentur: & hoc robuſtiſſimum eſt in varis rubeis rebellibus ex maxime faciens, imo quo nihil aliud inueni validius. Si vero vari lactei fient, medicamenta acci piuntur attenuantia, diſcutientia & emollientia, vt nitrum vel ſal nitri quando nitro caremus, ſulphur ignem non expertum, ſandaraca vſta, auripigmentum vſtum & lotum, piper, cinamomum, cardamomum maius & minus, ſemina aniſorum, ſinapis & omnia ſemina acria: radix ari, id eſt, dracunculi maioris & minoris: radices bryoniæ albæ & nigræ: alcyonia præterea omnia, ſapones omnes, præſertim ille, qui dicitur pro pannis & niger, fæx vini vſta, quæ eſt alumen fæcis, oleum tartari, & radices ellebori albi ex antiquorum autoritate. Pro emollientibus autem iidem nuclei dicti, pinguedines variæ, vt pomata vel vnguentum roſ. Meſ. quibus acria illa excipiantur, vel ol. amygd. dul. addentes ammoniacum, ſtyracem & ſimilia: vt pro exemplo, ſi vultis, hoc modo. *Ad varos lacteos ſimplicia.* *Emollientia.*

Compoſita emollientia & attenuantia.

℞. Pulu. cardamomi ma. & min.
Et caryophyll. añ.℥.s.
Sulphur. viui ℥.i.s.
Nitri ℈.i. terantur ſimul & cum ſ.q. pomatæ f. linim. emolliens & diſcutiens. vel fiat hoc modo.

℞. Pulu. cardam. ma
Sem. aniſ.
Cinnam.
Pip.
Baccar. iunip. puluériſ. añ.℈.i.
Rad. ari ſiccatar.
Serpentar. ma. ſiccat. añ.℥.i.
Nitri ℈.ij.
Vng. roſ. Meſ. q. ſ. tritis terendis miſce in mortario pro linimento.

Cum autem volo robur addere, admiſceo alumen combuſtum & præcipue cuperoſum, quod maxime cutim roborat præter attenuationem & ſiccationem, quam habet; vnde quandoque ipſo ſolo vtor cuperoſo in mortario contuſo admixto luteo oui & ol. amygd. dulc. & linimentum conficio. Cum vero his vtor, quandoque robuſtiſſima addo, vt pul. rad. elleb. alb. vel ſandaracam & auripigmentum.

Si autem ad ſuppurationem veniat varus, & relinquantur ſtigmata nigra, vt tollantur, madefiat locus ſucco limonum per tres vel quatuor vices. Si vero hoc non ſufficiat, vtendum eſt oleo tartari, quo madefiat acumen acus, & deinde ſtigma rangatur. Si vero adhuc non ſuccedat, calamo ſcriptorio acuminato in acie extraho ſtigma illud ſine moleſtia accipiendo cutim & ad exteriora trahendo, vt promineat ſtigma, inde penna illa acutiſſima infixa traho; neque in hoc caſu vtor gladiolo, ne vlceret partes ſanas, vt fit in phlebotomia. Educto autem ſtigmate, per ſe ſolidatur locus & ſanatur. & hæc ſufficiunt de varis ſiue coſſis: ſequitur vt de affectibus oris loquamur, & primum de ranula ſiue lingua pagana. *Stigmatum ablatio.*

De Ranula ſiue batracho. *Cap.* XXVI.

Ratio nominis.

TVMOR quidam ſub lingua oritur, à recentioribus ranulus ſiue ranula vocatus, à Græcis autem βάτραχος. quoniam in rana talis reperitur tumor loco linguæ, qui noua lingua videtur in homine, & vulgo vocatur lingua pagana, quoniam vulgus pagani nomine aliquid inutile intelligit ac malum. Hic autem tumor aliquos balbutientes facit ac blæſos, ac loquelam maxime impedit; nos autem loquimur de illo, qui actionem impedit ac impedire poteſt.

Cauſa.

Cauſa efficiens primo eſt fluxio è capite, aut à toto, quæ fit vel ob attractionem, vel ob expulſionem, vel ob motum humorum proprium: aliquando enim fluit ſanguis purus, aliquando pituitoſus: & hi tumores faciunt ranulam hanc veluti carnem additam, ita vt tumor ſit mollis, rubicundus, laxus & ſine dolore: aliquando vero fluit melancholicus humor per ſe, vel cum pituita craſſa, & tunc fit tuberculum nigrum & liuidum, durum ac ſine ſenſu & dolore: aliquando tamen puncturas habet; vnde duplex eſt ranula, altera veluti caro addita, mollis, laxa, & ſine dolore ac rubicunda, altera vero denigrata, dura ac canceroſa dicta. Cognoſcitur autem eleuata lingua, videtur enim altera lingua addita.

Signa. *Præſagium.*

Quo ad præſagium, ranula cancerata nunquam ſanatur, quoniam vlceratur & hominem interficit, quare curatio ipſius non eſt aggredienda: ranula vero ſimpliciter dicta ſanabilis eſt.

Curatio.

Curatur autem, ſi inſtituatur bona victus ratio, deinde corpus euacuetur, & ſi minima non ſit, ſecetur vena, non quidem ratione affectus, ſed loci, qui eſt alicuius momenti & plurimos habet neruos. Præterea quia acria ſunt apponenda medicamenta, à quibus excitari poſſit fluxio, ideo ante purgationem fiat præparatio. Quo ad locum affectum, tripliciter ſuperari poteſt, aut exiccantibus aut exedentibus aut actione manuali.

Loci affecti tractatio. *Exſiccantia, & repellentia.*

Exſiccantia & repellentia laudat Auicennas, vt ex ſumach, hipocyſtide, gallis &c. vt & ipſos trociſcos ex tribus granatis: Item puluerem ex cortice granatorum, additis aliquibus concoquentibus, vt thure, maſtiche & myrrha, vt aloes amaritudo fugiatur. Præterea omnia exiccantia in primo gradu dicta in polypo conueniunt in ranula.

Exedentia. *Oleum ſulphuris ad lapidem renũ, & vermes quomodo exbibendum.*

Si exiccantia non ſufficiunt, veniendum eſt ad exedentia dicta in polypo, exceptis auripigmento, ſublimato, præcipitato & alijs huiuſmodi ſua natura venenoſis propter communicantiam oris cum ventriculo & eius ore. Accipiatur itaque alumen, chalcanthum, myſi, ſory & cuperoſa, quæ quamuis bona non ſint ratione ventriculi, tamen etſi deglutiantur, non ſunt venenoſa. Præterea oleum geminum ſulphuris & oleum chalcanthi, quæ etiam per interius exhibentur in vermibus ac lapide renum; in lapide quidem renum datur oleum chalcanthi vel ſulphuris ad tres guttas cum vino, aliquo decocto, velut ex capill. vener. In uermibus uero datur eorum gutta cum aqua graminis.

Ranulæ ſectio.

Si vero non ſuccedat per hæc res, ueniendum eſt ad ſectionem. Aetius uero lib. 8. cap. 37. dicit ſecandas tantum eſſe uenas illas nigras & turgentes ſub lingua exiſtentes. Albucaſis uero & recentiores uolſella ranulam accipiunt & per tranſuerſum ſecant, deinde imponunt exedentia, ut oleum ſulphuris & chalcanthi. Poſtea dicit Gulhelmus Placentinus, quòd ſola aqua aluminoſa teneatur ſub lingua admixta myrrha cocta, quia ſatis eſt ad cicatricem inducendam, vel accipiatur mel roſatum, vel ſyrupus myrthinus cum portiuncula aluminis, & inungatur locus. & hæc eſt ranula antiquorum.

Ranula alia à Falloppio adinuenta. *Ranula palati quibus accidat.* *Curatio ex Falloppio.*

Ego autem experientia adinueni aliam reperiri ranulam, quæ oritur ſub palato ſimilitudinem habens ranulæ; oritur autem ſub palato, uidelicet in membranulis ueſtientibus palatum in parte inferiori, & differt à ranula antiquorum, quoniam hæc oritur in cauitate illa laxa, quæ eſt inter linguam & muſculos in membrana inferiori & ueluti me lteris eſt & elata lingua facile patet. Tumor autem hic his accidit, qui ſæpe caput ſibi mundant & permittunt ex ſe ſiccari, neque de hoc tumore aut antiqui aut recentiores locuti ſunt, ſed ego ipſam adinueni & obſeruaui, quod quandoque adeo creſcit, ut etiam in partibus infra mentum appareat. Oritur ut plurimum ex fluxione à capite, quandoque ex fluxione facta à uentriculo per poroſitates linguæ. In hoc morbo idem fere indicatur, quod in meliceride, niſi quia nec putrefactio nec diſcuſſio in hoc tumore ſuccedit, quoniam non poſſunt in loco medicamenta ſeruari, neque etiam excìſio tuta eſt, nec uſus cauſticorum, neque excoriari poteſt folliculus: hæc enim in ore

peri-

periculoſa ſunt. Ego itaque attenuationem cutis ſupra poſitæ, in qua humor continetur, per caricam tento ſupra tumorem detentam, quandoque vero cum carica miſceo aliquid nitri.

Attenuata autem cuti, appoſito pollice ſub mento, vt eò comprimente bene promineat ranula, apertoque ore phlebotomo ranulam perforo in loco, in quo non ſint amplæ venę, neque earum multitudo, faciens ſectionem aliquantiſper magnam, ex qua magna pituitæ flauæ quantitas effluit, quæ videtur mel, quam comprimendo totam educo, & ea educta ſtatim affundo mel roſatum, vt detergatur folliculus, ita vt partes illæ deinde agglutinari poſſint. Si vero inueterata ſit ranula, impono mel roſatum cum alumine rochæ combuſto & hoc inungo donec ſanetur vlcus, à principio. ſ. vſque ad finem. *Si ranula ſit inueterata.*

Sed cum quandoque ſecta ranula & educta materia mellea & ſanato vlcere poſtea ad quinque vel ſex dies alia renaſcitur ranula, tunc non eſt deueniendum ſtatim ad ſectionem, ſed oportet permittere vt creſcat, deinde ſecetur; quoniam ſi ſtatim ſecetur, iterum regeneratur & quandoque renaſcitur bis, ter & quater, quamuis etiam corpus purgatum fuerit & reuulſiones factæ ſint. Cognoſcitur autem non amplius redituram eſſe neque regeneraturam eſſe ranulam, quoniam vltima vice ſit tumor durus, vt ſcirrhus & melleus, & ſic vltimus hic tumor ſanatur per impoſitione butyri vetuſti & ol. amygd. dulc. intus impoſita; extra vero cum his, quæ dicta ſunt alias; præterea cum diſcutientibus. Si vero his non ſuccedat curatio, imponantur caricæ cum butyro vel alia aliqua pinguedine quæ faciant ad maturationem, & exterius alia cerata pinguia, quoniam ſic ſanatur, nec amplius reuiuiſcit ranula. *Si redeat ranula.* *Signa ranulæ non rediture.*

De Gingiuarum parulidibus. Cap. XXVII.

IN gingiuis contingit inflammatio oriens nunc in vna parte gingiuæ, nunc in alia, & παρουλὶς dicitur à Græcis, videtur enim tanquam noua gingiua addita priori, ideo παρουλὶς dicitur, quaſi gingiua parua oborta alteri gingiuæ. Iſta autem duplicia ſunt; alia calida ex ſanguine, alia frigida ex materia pituitoſa. Cauſæ autē ex Petro de Argillara ſunt deſtillationes à capite, quandoque à ventriculo, quandoque ab alijs partibus, quandoque à dolorib. dentium, quoniam dolor attrahit. Materia autem varia eſt; modo enim pituita ſola, modo pituita cum ſanguine, modo purus ſanguis, nam crebra ſunt hæc tubercula. *Ratio nominis.* *Differentia.* *Cauſæ.* *Materia.*

Sed cum alia ſit recens, alia vero momenti ac recidiuans; plurimi enim ſunt, in quibus reuiuiſcunt ſæpius humores, quare ſi recens ſit, ſtatim ad locum affectum accedere poſſumus. *Curatio ſi recens ſit paruli.*

Si vero recidiuans, prius eſt euacuandum totum ac optime caput purgandum & roborandum ac reuulſionibus vtendum ac bona victus ratio inſtituenda, aliter nihil fiet, vel ſi ſanantur, iterum reuiuiſcunt, & tandem in fiſtulam inſanabilem deſinent. *Si recidiuās.*

Circa locum autem affectum antiquiores vt Paulus & Aetius & recentiores etiā ſtatim deueniunt ad medicamenta robuſte ſiccantia & diſcutientia. Si vero his non ſuccedat, ad cauſtica deueniunt: & ſi hæc non faciunt, tentant maturationem, deinde ſectionem. Inter exſiccantia autem primo eſt decoctum fœnugræci, ſecundo cremor ptiſanæ, tertio vinum mulſum. Si autem hæc non faciunt, admiſcent ſulphur cum melle cocto. Ego autem pro diſcuſſorio accipere ſoleo caricam & ipſa perforata in eam pono ſal nitrum & vſtum optime & frico & pono ſuper locum: Quandoque vero impono nitrum fricando cum carica: Quandoque paſſulas maiores, quę poſſunt enucleari, non autem illas paruas, quas non nouere antiqui: venio ergo ego ad paſſulam illam vocatam cubebo, quem antiqui per paſſulas maiores intelligebant, & has enucleo, & in ipſas ſal imponens frico & inuerſam vuam impono. Si vero hoc non valet, ad diſcuſſorium venio ex carica cum alumine vſto, quandoque ad alumen vſtum & chalcanthum. *Diſcuſſoriū familiare Falloppio.* *Paſſula non nota antiqs.*

Sed libentius cuperoſa vtor quæ eſt chalcanthum puriſſimum, quia non habet admixtum æs vel ferrum, & ſciendum eſt, quod niſi chalcanthum haberet ferrum, vel æs albū admixtum, concreſceret: ſed iſti, ſi viride non concreſcat, addunt, dum ipſum prępărant ad tincturas, æs vel ferrum, ideo ego libentius vtor cuperoſa in his partibus, miſcendo cum caricis & imponendo. *Cuperoſa quid.* *Notandum circa chalcāthum.*

Sed cum pauca ſint tubercula, quæ diſcutiantur, (ego enim teſtor, ex centum parulidibus quatuor non vidiſſe diſſipatas, ſed omnes fere ſuppurantur) ideo cum ſuccedit diſcuſſio

Digitized by Google

ſcuſſio in primis illis 4. diebus, venio ad maturationem cum caricis, vel viuis dictis addito butyro, vel pinguedine gallinæ, vel anſeris, vel ol. amygd: dulc. vel cum decocto ex maluis rad. altheæ additis caricis.

Curatio per ſectionem. Statim autem maturatum tuberculum aperiendum eſt, quia ſolet materia illa acris corrodere membranam, quæ ligatur maxillis, qua corroſa fiunt fiſtulæ: quare ſtatim aperienda eſt. Sectio autem dupliciter fit; nam ſi noua fit, ac non recidiuans parulis, ſatis eſt phlebotomo pungere per tranuerſum abſceſſum ipſum ſecando, vt pus excernatur, deinde accipiatur floſculum ſiue portio illa, quæ colligitur ex linteo corraſo & imponatur in vlcus facto linamento, vt diſtent labia, deinde imponatur mel roſatum ſimplex cum ipſo pluries in die locum inungendo, quoniam cum ſaliua detergitur locus, vel ſi opus ſit cum melle roſato admixto vtemini pauco alumine vſto.

Si ſit parulis ex recidiua. Si autem ex recidiua ſit parulis, oportet forcipe reſcindere totum acumen tumoris, aliter ſuccederet fiſtula, quæ clauditur & facit nouam parulidem & iterum clauditur, & nouam facit fiſtulam: quare exſcindatur nouacula, uel forcipe, deinde expleatur cauitas alumine uſto addito pauco melle roſato: deinde tota curatio procedat, cum melle roſato, cum pauco alumine: poteſtis etiam cum aqua aluminoſa, ideſt, cum nitroſa, ac alumine uſto uti donec ſanetur. Si uero ſuccedat fiſtula, curetur cura propria.

De Epulide ceu gingiuarum tumore.
Cap. XXVIII.

SOLENT gingiuæ aliud etiam genus tumoris pati à Græcis ἐπουλὶς dictum, de quo Latini nihil dixere; cum tamen creber ſit hic tumor in his, qui geminos habent dentes; & etiam communis eſt illis hic tumor, qui deſtillationes patiuntur, de quo agit Paulus, lib. 3. cap. 27. & lib. 6. cap. 26. & lib. 8. cap. 25. morbus autem hic talis eſt: gingiua enim ambiens vltimum dentem, præcipuè in mala inferiori, ita quandoque creſcit, ac ſuper dentem ſerpit & ita ad anteriora procedit, vt cadens inter dentem & dentem contundatur, & maximum facit dolorem, ita, vt os aperiri non poſſit, neque quandoque patiens comedere: *Nominis ratio.* ἐπουλὶς Græcis dicitur quaſi noua gingiua.

Cauſæ huius præcipuæ ſunt geminorum dentium generatio, qui quandoque 12. anno fieri ſolent: tumor autem hic fit, quoniam dentes illi tendunt carnem ſuppoſitam gingiuæ, & cum illam non poſſint rumpere, ſunt in cauſa, vt gingiua intumeſcat & inflammationem patiatur. Alia cauſa eſt fluxio à capite calida ex ſalſa pituita, vnde qui laborant morbo gallico, in quibus defluuium gallicum eſt ad palatum, hunc tumorem ſæpe pati ſolent. Materia autem eſt catarrhalis vt plurimum, quæ quandoque tenuis, ac inſipida eſt.

Signa nota ſunt: videtur enim caro adaucta tegens partem dentis: adeſt præterea dolor maximus & impedimentum in comedendo, febres quandoque ingentiſſimæ inſequi ſolent & ardentes.

Præſagium autem ſemper eſt bonum, nam ſuperata inflammatione facile aufertur caruncula illa.

Curatio autem eſt, ſi inflammatio ſit alicuius momenti, præmittenda ſunt capita vniuerſalia iam dicta: ſi vero non ſit momenti, locus tantum affectus tractetur duo agendo, primum ſcil. inflammationem mitigando ex mulſa, vel decocto ſem. lini, vel cremore priſanæ ipſis abluendo. Ego autem ſoleo accipere decoctum fol. malu. addito ſaccharo, vel melle roſ. os colluendo: vel accipio lac admixto decocto malu. vel paſſularum, vel caricarum. At ſi feruens ſit febris & inflammatio ingens, accipio lac purum millies ipſo os colluendo: quandoque admiſceo decoctum maluarum, quandoque caricarum. Atſi magis mitigare volo, lacti aquam roſaceam admiſceo, vel ſuccum roſ. Si vero magis ſiccante opus eſt, addo mel roſatum. quandoque autem extinguo chalybem pluries in lacte & vtor. Per exterius vero impono emplaſtrum ex pane, violis, roſis & lacte, ponendo exterius ad maxillam ad radicem ſcil. aurium: quandoque vero decoctum violariæ fol. ſcil. & etiam malu. addito pane & oleo roſato facio emplaſtrum optimum.

Auxilia propria pro ablusione.

Per exterius applicita.

Carnis ablatio quot modis fiat. Superata inflammatione poteſt aperiri os, quod prius non poterat, tunc itaque eſt auferenda caro illa, quæ aufertur, vel per corroſionem, vel per ſectionem, vel exſiccationē: per exſiccationem quidem inſpergendo gallas: vel medicamentum ex tribus granatis,

vel

vel alia dicta in polypo. Si exſiccatio non faciat, ad exedentia deueniendum eſt, inter que tria ego familiaria maximè habeo, quorum primum eſt alumen rochę combuſtum, ſecundum ſcobs vſta, tertium chalcanthum vſtum æquis portionibus aſſumpta, & addito ſale toſto, ac optime trita inſpergantur & imponantur loco, vel fricentur gingiuæ. Antiqui autem ſumebant ærugines & cætera, quæ dicta ſunt in polypo, ſed mihi admodum non placent. Secundum medicamentum mihi familiare erat oleũ ſulph. tertium vero aqua aluminis magiſtralis, quibus locum madefacio cotone in ipſis madefacto, & ex his ita gingiua corroditur, vt liberetur. Sed quoniam aliquando gingiua fit calloſa, & non poteſt auferri per exedentia; ideo tunc venio ego ad ſectionem, cum Paulo & Aetio. Notandum eſt tamen, quod mea differt ſectio à ſectione Pauli & Aetij: nam ipſi volſella carnem arripiunt, poſtea forcipe ſecant: ſed ego habeo inſtrumentum falcatum, quod erat ad modum falcis, qua prata ſecantur habens aciem acutiſſimam, & hoc ſeco per medium ipſam gingiuam, non autem carnem aliquam auferendo, aut amputando, ſed cum acie illius inſtrumenti vſque ad dentem gingiuam ſeco, deinde partes ſeparo, ita vt vna caderet interdentes, altera vero extra: poſtea accipio lanuginem lintei abraſi, & ipſam obuoluo alumine combuſto, vel imbuo in aqua aluminis & impono in illam ſectionem, vt remaneant partes illæ ſeparatæ. Poſtea ad obducendam cicatricem vtor alumine combuſto, cum melle roſato, iubens, vt abluatur os, cum decocto aluminis & myrrhæ in vino decoctor. quæ curatio mihi ſemper ſucceſſit. Sed quia quandoque opus eſt totam illam gingiuæ ſubſtantiam amputare, vt facit Aetius & Paulus quamuis raro hoc accidat, ideo q opus eſt, amputetur. At ſi leuis ſit affectus ſola frictione ſalis, & aluminis ſanantur, vt ego multoties vidi & ſanaui.

Familiaria pro exedenda carne.

Falloppij cu ratio per ſectionem diuerſam ab il la Pauli, & Aetij.

Eſt præterea alius tumor gingiuarum parulida dictus, qui eſt ipſarũ inflãmatio quandoque maximè moleſta, de qua Paulus lib. 3. cap. 28. & in qua oriuntur grauiſſimi dolores, quæ quoniam eodem modo curatur, vt dictum eſt, ideo illa eadem, quæ in ſuperioribus, dixi conſiderantes in huius curatione ſimiliter procedetis.

Parulida gingiuarum.

De Panaricijs vngium, ac digitorum affectibus. Cap. XXIX.

1.

SVCCEDVNT tumores grauiſſimi circa vngues orti, vulgo panaricia dicti, à Grecis vero παρωνυχία, quia frequentiſſimi ſunt circa ipſos digitos quandoque ipſos corrumpendo, in Hetruria vocatur il mal del pino, eò quod diſrupto abſceſſu ſuccreſcat caro quædam, quæ pinus formam habet; apud aliquos autem vocatur il mal del fico, quia folia ficus arida, & lac ipſius ſolent affectum hunc ſanare, & eſt inflammatio ſæuiſſima, & ita, vt Theodoricus dicat eodem modo tractandam eſſe, vt carbunculos.

Mal del pino.

Mal del fico.

Cauſæ huius externæ ſunt contuſiones, à quibus ſæpe oriuntur: quandoque puncturæ in extremis vnguibus ſunt harum cauſæ, & exulcerationes rediuiarum, ideſt, pellicularum circa vngues exiſtentium, vnde ſæpe accidit, vt mulieres conſuentes ipſum patiantur affectum. Semper autem immediata cauſa eſt fluxio, quæ fit vel à dolore, vel alia quauis cauſa alias dicta.

Cauſe panaricij.

Materia autem eſt tenuis, ac bilioſus, vel ſanguis exuſtus melancholicus, vt plurimum tamen eſt bilioſus, tenuis & præter modum calidus, qui cum inuadat extrema digitorum oſtia, primo vngues inflammat, poſtea etiam cæteras partes.

Signa ſunt tumor partis, rubedo aliqua, pulſatio doloroſa, vigiliæ perpetuæ, febriſque magna quandoque.

Præſagium autem tale eſt, quod, ſi inueteratæ ſunt paronychię & induratæ, præſagiendum eſt, quod radix vnguis ſit corrupta, & os extremum digiti vitiatum; ideo longa erit curatio, quoniam tunc oportet aperire, & auferre os vitiatum.

Si autem recens ſit affectio, ſemper cita ſanitas eſt pronuncianda & facilis; quia ſi à principio curatur, uel non fiet, uel cito curabitur. Si uero ſit inueterata, ac iam ſuppurata, pronunciando eſt difficillima curatio, ac etiam quandoque articuli corruptio, & totius etiam interdum digiti, & mors aliquando, quoniam quandoq; ſphacelus ſuccedit.

Curatio autẽ ſi in principio uocati eritis, non faciatis, ut ſaciunt recentiores, qui hanc ualde timentes communiter uenam ſecant, aluum leniunt, & cum pharmacis bilioſum humorem educentibus corpus expurgant. Tenuem etiam uictus rationem inſtituentes: Si enim ſcirent, qua ratione iſta ſint tractanda, non deuenirent ad hæc, ſed ſine his

An phlebotomia, & euacuatio cõ ueniat.

locum affectum ſanarent: quoniam non eſt opus his, niſi vehemens ſit inflammatio & febris, quare in principio ſtatim, vt mea fert ſententia, veniendum eſt ad loci affect. pertractationem; primo tentando prohitionem huius tumoris ac materiæ illius diſſipationem ſtatim; & ob id antiqui ſtatim veniunt ad repellentia. *A principio agenda ante ſuppurationem.* Vnde ego ſtatim, niſi incipiat ſuppurari, ad acerrimum acetum deuenio, linteum ipſo madefaciens & digitum obuoluens vel ſuccum limonum impono, vel mando vt æger digitum teneat in ſucco agreſtæ, vel facio emplaſtrum ex farina hordei cum ſucco agreſtæ vel limonum vel aceto & impono. Aliqui vero recentiores faciunt emplaſtrum ex gallis vel ex corticibus cotoneorum, & bene faciunt; omnia enim acerba maxime laudo ac repellentia, quæ refrigerent & exiccent. Neque eſt veniendum ſtatim ad doloris mitigationem, vt aliqui faciunt ignari, *Error eorũ, qui ſtatim deueniunt ad mitigationẽ doloris.* quoniam iſta fugienda ſunt, ſed repellentibus vtendum. Si autem ex vſu repellentium non cedat dolor, ſed potius augeatur, tumor tamen minuatur, ex hoc colligendum eſt, quod materia quidem digeritur, ſed craſſior in profundo colligitur, quæ repelli non poteſt; quare tunc veniendum eſt ad maturationem & concoctionem, non autem ad digeſtionem, quia hæc res non ſuccedit. Tunc itaque ego laudo medicamentum Lanfranci ex axungia & ſcabioſæ folijs virentibus contuſis, *Medicamentũ Lanfranci.* quia putredini reſiſtit atque concoquit. Si vero hoc non adſit, ego accipio conſolidæ mediæ folia vel minoris, id eſt, folia illius primæ conſolidæ, quæ primula veris dicitur, & contundo cum axungia & butyro: vel accipio caricas contuſas cum butyro, *Medicamenta propria.* vel portiunculam lardi ſaliti & impono ſal cum aliqua portione croci, & ſuper locum pono ad maturationem.

Facta autem maturatione aliqui ſecant ferro ignito antequam fiat perfecta maturatio, vt Ioannes de Vigo, qui monet, vt abſceſſus aperiatur, antequam optime ſit maturatus, ferro ignito. quod tamen ego non laudo, ſed volo potius, quod expectetur bona concoctio, deinde nouacula aperiatur. *Pterygion à recẽtioribus neglectum.* Sanie autem expreſſa quandoque ſolet ſuperuenire caruncula, quæ πτερύγιον vocatur, quæ eſt caro ſupercreſcens circa vngues, quam recentiores neglexere, quamuis Celſus lib.6.cap.11. eam non neglexerit; & hæc non eſt rediuia illa, quæ etiam πτερύγιον à Græcis vocatur: nam ipſi per pterygion duo intelligunt, primo pelliculam illam, quæ veſtit vngues, de qua non loquimur in præſentia: ſecundo vero πτερύγιον vocant carnem hanc ſupercreſcentem, vnde male aliqui in Paulo & Aetio rediuiam hoc vertunt; nam Celſus in morbis hoc meminit, at illa πτερύγιον non eſt morbus. Succreſcit ergo caro iſta, quæ verè pterygion dicitur vel aperto panaricio, vel non aperto etiam, & eſt caro doloroſa ac grauis.

Error Medicorum in cognitione pterygij. Notandum autem eſt, quod hæc ſolet quandoque decipere Medicos, quoniam in omni ſuppuratione vnguium ſemper in radice media vnguis ſolet oriri caruncula, quæ eſt origo vnguis, & ipſi credunt eam eſſe pterygion, de quo loquimur, quam quandoque erodentibus curant; ſed decipiuntur; nam caruncula, de qua loquimur, vt plurimum naſcitur à lateribus vnguium, & eſt in principio, id eſt, in eius radice anguſta, ſuperius autem lata eſt: Contra vero ſe habet illa, quæ eſt origo vnguium, quæ radix eſt vnguis, & eſt bona caro ac lata in radice.

Superueniente ergo hoc pterygio omnes veniunt ad exedentia dicta, vt ſquamas, præcipitatum, chalcanthum, trociſcos Andronis, trociſcos ex charta combuſta, trociſcos Paſionis, & illos, qui ſandaracam & ſublimatum habent, quandoque oleum chalcanthi vel aluminis vel ſulphuris. *Vſtio reprobatur.* Aliqui vero veniunt ad exuſtionem. quanquam ego eam non laudauerim vnquam. Bene verum eſt, quod quandoque deuenio ad oleum ſulphuris & chalcanthi, quandoque ad folia ficus arida vel ad vnguentum ægyptiacum. Si autem non ſuperueniat caruncula & ſola ſanies ex abſceſſu educatur, iſti imponunt vnguentum apoſtolicum: Ego vero impono vnguentum Iſidis vel mel roſatum cum alumine combuſto.

Sed cum hoc appoſitum fuerit, extra deinde apponendum eſt medicamentum repellens, quare extra ego impono vel micam panis madidam in vino auſtero nigro vel poſca intinctam, vel impono vnguentum diapompholygos dictum, & his vtor, donec ab omni ſorde ſit liberatus abſceſſus. Liberato autem eo è ſorde, diapompholyge ſolo, vel vnguento diapalm. vti poſſumus vſque in finem. Quomodo autem curanda ſint oſſa corrupta & nerui, in ſuperiori anno dixi, quomodoque ſint educenda, cum de articulis tractarem; quare ſi os corrumpatur, ad illa iam dicta recurrendum eſt.

De Prominentia vmbilicali. Cap. XXX.

Nomina.

SOLET pellicula illa rugoſa, quæ à Græcis γραῖα, id eſt, vetula dicitur, quia eſt rugoſa, intumeſcere & extendi præter naturam & à Græcis ἐξόμφαλον vocatur, à noſtris autem prominentia vmbilicalis ſiue vmbilici, de qua Paulus lib. 6. c. 51. & Aetius lib. 4. cap. 26. & hæc eſt familiaris pueris & mulieribus; raro enim videbitis hunc affectum, niſi in puerulo vel muliere, & potiſſimum dum parit, aut eſt enixa.

Cauſę in pueris & mulieribus. *Materia quotuplex.*

Cauſæ autem huius in puerulo efficienres ſunt nimius vagitus, contentio, ſpiritus retentio & clamor. In mulieribus autem nixus maximus inter pariendum, quoniam tunc extenſus eſt vterus & muſculi abdominis & pellis vmbilici, ideo facile fit ruptura. Præterea clamores magni, ſaltus & copia maxima flatuum. Materiales vero cauſæ plures ſunt: nam materia herniæ aliquando ſunt inteſtina egredientia extra abdomen dilatato peritonæo, vnde hic habemus morbum in ſitu, in ſubſtantia & quantitate adaucta & in conformatione etiam ac numero. Quandoque materia hernię eſt omentum, quod egreditur dilatato vmbilico ac muſculis extenſis & retinetur ab abdomine & ſic facit herniam. Quandoque ex Paulo materia herniæ eſt flatus, quod plerunque accidit in pueris, quandoque eſt aqua coaceruata ſenſim ac ſenſim reſudans à vaſis illis & præcipue a veſica per vragum, quæ colligitur in ea cauitate. Quandoque caro ſolet concreſcere in hac cauitate, & ſic herniæ materia eſt caro: Quandoque & ſæpe fit aneuriſma, vt quando ſectæ ſunt arteriæ vmbilici & recens eſt ſectio, & etiam vocatur hernia vmbilicalis.

In adultis autem raro accidit hic tumor, frequentiſſime vero in dictis.

Signa diſtinguentia vmbilicalem ab inteſtinali.

Signa vero diſtinguentia erunt hæc; nam ſi erit hernia ab inteſtinis, facile reſupinato ægro inteſtina reducuntur ad proprium locum cum ſtrepitu ac rugitu.

Præterea hic eſt inæqualis, vt ſunt inuolucra & anfractus inteſtinorum. Præterea cum hic tumor fiat ab inteſtinis lenibus, ideo durus non erit tumor, ſed facile tractabitur, ac tactui ceder & mollis erit.

Si ab omento. *Si à flatu.* *Si ab aqua.* *Si à carne.* *Si ſit aneuriſma.* *Curatio.*

Si vero erit ab omento, erit facilis tractatu, ſed non ita facilis, vt altera ab inteſtinis, erit etiam inæqualis, ſed minus, quam ea ab inteſtinis. Prærerea reſupinato ægro retrocedet omentum, ſed ſine ſtrepitu. Si vero erit à flatu, ſi percutiatur, pulſabit vt tympanum, etſi comprimatur, non facile eliditur flatus, ſed eſt tenſior & renitentior iſta hernia à flatu, quam illa inteſtinorum, vel ab omento, quia flatus hic colligitur, vel aperto peritonæo vel non. Si non eſt apertum peritonæum, non poteſt cedere, quia retinetur flatus. Si autem ruptum ſit petitonæum, quia cauitas abdominis ſemper eſt repleta flatibus ideo non facile cedit. Præterea lucidus eſt tumor. Præterea ſi conculcetur digitis, ſtatim ablatis ipſis redit ad ſuam molem. Si vero ſit ab aqua cognoſcitur, ſi hydropicus ſit æger: ſi vero non ſit hydropicus, cum non habeat communitatem cum cauitate abdominis, cognoſcitur pet lumen appoſitum. quia lumine appoſito apparet lux tranſparens & aqua apparet, vnde tumor lucidus eſt & aquoſus. Si autem ſit caro, adeſt renitentia ac durities, mollis tamen & nunquam retrocedit ad tactum & compreſſionem, Si vero ſit aneuriſma ex pulſatione exiſtente in ipſo tumote, patebit ad tactum. Quo ad curationem, ea in hernia vmbilicali ab inteſtinis facta duplex eſt: altera per vinculum & medicamenta, altera per manuum operationem. Recentiores autem non laudant manualem actionem, quia reuera difficilis eſt, quoniam difficile conſolidantur vulnera facta. Guido etiam hanc reprobat dicens tentandam eſſe ſanitatem vel per medicamentum vel per ligaturam: quare iiſdem medicamentis vtendum eſt adſtringentibus & exiccantibus, quæ erant in vſu in hernia facta ab inteſtinis deſcendentibus in ſcrotum, de qua inferius dicemus. Primo enim oportet vt inteſtina & omentum in proprium locum deducantur, prætcrea oportet vt ſimul inungantur partes peritonæi & vmbilici dilatatæ cum medicamentis adſtringentibus. Cum autem medicamenta hæc duorum ſint generum, quædam ſcilicet per exterius appoſita & quædam per interius aſſumpta, ideo vtriſque eſt vtendum, vt tandem pars illa glutinetur, quod quia fieri non poteſt, niſi pars illa conſeruetur ſimul iuncta, ideo ſemper faſcia & puluillis comprimendus eſt vmbilicus, de quibus omnibus infra dicemus. Quo ad victus rationem & curationem in reliquis eadem eſt, quæ in hernia inteſtinali requiritur: & ſic de illa, quæ in ſcroto, etiam dicendum eſt. Ego tamen nunquam aliam curationem

Actio manualis reprobatur. *Quæ primo agenda.*

tentauis vnde ſi manualem actionem quis vellet, legat Paulum in proprio loco & Albucaſin, quoniam cum ego eam improbem, necvnquam ea vſus ſim, ideo ipſam hic non pono nec tracto.

Si hernia ſit ventoſa. Glandes diſcutiẽtes pro pueris.

Si autem ſit hernia ventoſa, quæ ſæpe ſolet oriri in puerulis, oportet, vt pueri caueant à rebus ventoſis, ideo nutrices caueant & pueri à cibis ventoſis, totus venter inungatur oleo chamomel. & anethino. Præterea imponantur glandes diſcuſſoriam vim habentes, & primo accipiatur ſpicus allij bene coctus ſub prunis, & inungatur butyro vel oleo anethino, & imponatur puerulo, vel accipiatis caulem rutæ viridem excoriatum à pellicula & oleo anethino inunctum & imponatis vel inungãtis pauculam partem caudæ raphani & imponatis; ex his enim diſcutientur flatus & purgabitur venter.

Vmbilicum conſtringentia.

Hoc facto prominens vmbilicus ligandus eſt, poſtea imponantur facientia ad adſtrictionem vmbilici, vnde ego in pueris accipiebam folia hederæ & cupreſſi & ea manſa impono vmbilico, & puluinat ex linteis cum faſcia impono, immutans tertio quoque die, quandoque folia illa tundo in mortario & inſpergo vino auſtero & impono, vel accipio myrrham, bolum orientalem, terebinthinam, & ceram miſcendo ad cerati conſiſtentiam, & impono vmbilico, & ſuccedit optime. *Si hernia ſit aquoſa.* Si vero eſt aqua, diſcuſſorijs tantum vtor, inter quæ ex Aetio primo eſt ſemen ameos, ſi eo manſo imbuatur vmbilicus: ſi autem hoc non facit, venio ad varia diſcuſſoria dicta in meliceride; vel vltimum refugium habeo cerine emplaſtrum cum oxycroceo & alijs ibi dictis. Si vero eſt caro, non tracto locum, nec curam ſuſcipio, quoniam periculoſa eſt curatio, & ideo potius relinquenda. Si autem fuerit aneuriſma, pariter neque curationem aggredior; quia periculoſa eſt.

Inflammatione teſtium. Cap. XXXI.

Cauſæ externæ.

TESTIVM inflammatio per ſe nota ſatis eſt affectio, quia calidã eſt cum inſigni tenſione, cum inflammatione ac pulſatione maniſeſta & cum tumore. Varias autem habet occaſiones exteriores, inter quas eſt contuſio, ictus & agitatio teſtium. Præterea ſolent ſuccedere inflãmationes ratione flatuum, qui gignuntur in abdomine: aliqui enim abundantes flatibus fluunt per vaſa ſeminalia ad teſtes, & faciunt dilatationem illarum partium, ex qua fluit ſanguis, & fit inflammatio. Præterea cauſa poteſt eſſe gonorrhœa ſuppreſſa, à qua vt plurimum fit inflammatio hæc, quando nimis cito ſupprimitur gonorrhœa: cum enim vel ob contagium vel laxitatem illarum partium & colorem, vel ob materiam bilioſam acrem adeſt gonorrhœa, & cito ſupprimitur, ſtatim ſuccedit inflammatio vel vtriuſque teſtis vel vnius ſaltem: & ratio huius patet: nam cum ſemen gignatur in illis inuolucris neruoſis, quæ efformant didymum, ac ſenſim & ſenſim debeat fluere, cum retinetur feruet & facit dolorem, & ita per conſequens fit attractio materiæ ſanguineæ, & ita inflammatio fit. *Cauſæ immediatæ.* Immediatæ autem cauſæ ſunt fluxiones humoris. *Materia inflãmationis.* Materia vero vt plurimum eſt ſanguis, quamuis aliquando cum ſanguine bilis vel pituita iungatur, vt plurimum tamen eſt ſanguis ipſe.

Præſagium.

Præſagium autem tale erit, quod ſit difficilis curatio & tarda ſanatio, & ſemper etiam poſt ſanationem longo tempore relinquitur tuberculum paruum circa epididymum, quod eſt ſeminarium reciduæ. Præterea præſagiendum eſt, quod moderatis medicamentis tractandus ſit locus affectus, ne veniat ad ſuppurationem: quoniam fieret fiſtula, ſi validis tractatetur; quæ ſanari non poterit.

Curatio.

Quo ad curationem, ſi ſit inflammatio ex contuſione, in principio mitigandus eſt dolor, ſecundo conſtipanda ſunt vaſa, deinde prohibendæ fluxiones: vnde cum fuerit contuſio, vel etiam quod non adſit iſta in principio inflammationis huius, primo veniendum eſt ad rationem victus tenuem & refrigerantem, etſi ſit ex contuſione, quoniam tunc talis conuenit victus, ita vt etiam aquam bibant. At ſi ſit ex flatu, non refrigerantem, ideo non laudatur tunc vſus aquæ puræ, ſed alteratæ cum ſaluia & cinnamomo & huiuſmodi, fugiat piſces, lactucas & ſimilia. Si vero ex retento ſemine, comedat omnia frigida; vt & ſi ſit ex contuſione quieſcat æger, moderate dormiat, non iraſcatur, fugiat mulieres, illis exceptis, in quibus inflammatio orta eſt ex retento ſemine: non tamen coeant cum illis, ſed tandem cum illis colloquantur interdum, quia ex hac

collo-

Phlebotomia. *Lenitio alui.* *Loci affecti tractatio.* *Familiare Falloppio.*

colloeutione ac inſpectione moderatè aperiuntur vaſa illa, & ſemen effluit ſuccedente gonorrhœa. Præterea ſecetur vena immediatè: ſi autem non poteſt ſecari, exhibeatur pharmacum, quod leniat aluum, & retrahat materiam à renibus & vaſis ſeminatijs, vt eſt caſſia, ol. lenitiuum, ſyr. roſ. ſolu. Quandoque verò ad valentiora aſcendendum eſt medicamenta, poſtea ad locum affectum veniendum, circa quem ſi ſit inflammatio ex contuſione, vtendum eſt dolorem lenientibus, adſtringentibus & ſiccantibus, vt eſt ol. roſ. ol. myrthin. admixto etiam ſucco roſato recenti: præterea vnguentum alabaſtrinum vocatum optimum eſt, quibus vtendum eſt primum ad mitigandum dolorem, & conſtringenda vaſa. ego autem hoc familiare habeo; recipio folia hederæ viridia, folia roſ. quæ conſeruantur in fundo olei roſati, deinde tundo in mortario, & addo album oui, & etiam luteum quandoque, & aliquid etiam ſtercoris vaccini, quoniam hoc mitigat, adſtringit & ſiccat, & ipſum modò frigidum, modò verò calidum impono, vel accipio vinum auſterum nigrum, & oleum myrthinum & roſatum miſcens & ſtupas imbuens impono; poſtea ad diſcutientia & moderatè repellentia venio, & hæc, ſi ex contuſione fiat inflammatio.

Si ſit inflammatio ex flatu.

Quando autem eſt inflammatio ex flatu, habeo ego medicamentum, quod quidem (verum fatendo) didici à quodam tonſore, magnam habens vim diſcuſſoriam calidam, & etiam repellentem, qui tonſor Piſis erat; hoc tamen ille non ſemper vtebatur rectè: quoniam non ſciebat diſtinguere, ſed vtebatur ipſo in qualibet inflammatione.

Emplaſtrum cuiuſdã tonſoris optimũ.

At ego rationem inſequens dico vtendum eſſe hoc emplaſtro in inflammatione tantum à materia flatuoſa, non autem à ſanguine, & ſic in principio: quoniam ſi hoc in principio inflammationis ex retento ſemine, vel ex ſanguine applicatur, maior ſuccedit inflammatio. Medicamentum autem hoc conſtat ex folijs rutæ viridis, lauri, ſtercore vaccino & oleo roſato, aliquando verò ego addo oleum chamomelinum loco olei roſati; & ſic vos etiam alio ſimili vti poteritis, vt ſunt ea, quæ diximus in polypo narium ad diſſoluendum & ſiccandum, dummodo emplaſtri modo ponatur, & in craſſam formam.

Si ſit inflammatio ex ſemine. *Medicamentum mulierum.* *Si dolor ſit ingentiſſimus.*

Si autem fiat inflammatio ex ſemine, mitigandus eſt dolor, & non impediendus tranſitus ſeminis vllo pacto, ſed eliquandum ſemen, vnde non eſt in hoc caſu adſtringentibus vtendum, ſed potius laxantibus, vnde ego teſtor me vidiſſe aliquas mulieres, quæ in hoc caſu aſſabant ſolia lactucę in ſartagine ol. roſ. & butyro, & imponebant felici cum ſucceſſu. Aliqui verò alxinem accipiunt, quæ vulgò pauarina dicitur, eamque diſrumpunt & elixant in ſartagine cum oleo roſato, & applicant; nam optimè facit, quia laxat, mitigat, & refrigerat. Aliqui verò his duobus medicamentis admiſcent aliquam portionem parietariæ, & ſimul aſſant in ſartagine cum oleo roſ. & bene faciunt. Ego verò quandoque ſum vſus oleo roſato completo ſolo ipſo lintea madefaciens & imponens; ſed hoc ſæpe immutari debet, & familiare hoc mihi eſt. Quandoque verò impono vnguentum roſatum Meſue & infrigidans Galeni, & hoc ſi dolor ſit ingentiſſimus, alioquin admiſceo aliquid olei amygd. dulc. loti cum aqua hordei, non ſolum vt mitigetur dolor, ſed etiam ad relaxanda vaſa, ſiue vt laxetur ſubſtantia membranæ continentis ſemen, ex qua relaxatione ſemper, vt ſemper comperi, mitigatur dolor. Quandoque impono ſol. maluarum cocta in ſartagine, cum ol. roſ. vel folia ſpinachiatum cocta in oleo amygd. dulci.

Error vtentiũ reſoluentibus.

Sed aduertendum quòd ſtatim creuit teſtis in maximum tumorem, dolor tamen ceſſauit, cui maximè attendendum eſt, & præcipuè ſi fiat ex ſemine retento ipſa inflammatio, & nunquam eſt veniendum ad robuſtiſſima repellentia. Si itaque intumeſcat teſticulus & ceſſet dolor, incumbatis reſolutioni per medicamenta lenia, non autem robuſta; ideo primo ego vtor emplaſtro ex fabis. At ſi dolor viget & calor, addo oleum roſ. complet. Si verò calor non viget, addo oleum chamom. & hoc emplaſtro procedo vſque ad ſtatum, vel etiam vſque ad finem. Quare notandus eſt error illorum, qui hoc vtuntur à principio: quoniam ſuccedit, vt hoc medicamento materia tota non poſſit digeri: quare vtor ego emplaſtro ex ſemine panici, vel milij, cum ol. roſ. vel chamomelino. Quandoque verò ſi adeſt aliqua durities, addo his emplaſtris oxymel ſimplex vna cum ol. roſ. comple. & ol. chamomel. facit autem oxymel ad attenuandum ſemen, quod factum eſt grumoſum in vaſis ſeminarijs. Quandoque verò venio ad fomenta facta ex decocto chamomeli, Betonicę, & ſol. menthę, & ſimilium non valde calidorum: quandoque coquo fabam, vel panicum, vel milium in lixiuio dulciori, vt magis digerant. Quandoque venio ad olea robuſtiora, non autem emplaſtra illa, quę ita quandoque obſtruunt, vt ſupputationem cauſent, quæ eſt in hoc caſu fugienda, vnde accipio, vel oleum lil. alborum, & inungo, vel ol. anethin. vel vulpinum, vel chamomel. & teſtem inungo,

donec diſcutiatur materia. Sed notandum, quòd aliquando remanet tuberculum durum, quod videtur nouus teſtis, factum à grumoſo ſanguine; & videntur hi tres habere teſtes; ſed in hoc caſu opus eſt patientia, quoniam tempus illud diſſipat, nec medicamentis cedit: aliquid tamen eſt agendum, vnde tentanda eſt emollitio, ſed non poterit ſanari breui tempore, ideo vtatur oleo amygdalino dulci, cum pauco oxymelite, vel eodem oleo cum pauco oleo reſolutiuo, & inungatur locus bis in die, & non agitentur hi, & caueant à coitu, & cibis calidioribus cum diuturna patientia donec reſoluatur tuberculum ipſum; nam impoſſibilis eſt facilior, ſeu citior reſolutio. Vnum tamen notandum eſt animaduerſione dignum, quod pertinet ad ſitum partis, quod ſcilicet teſtes ſemper debent eſſe ſuſpenſi dum curantur, ita tamen vt non doleant: aliter nunquam ſanabitur inflammatio. Ideo cum imponitis emplaſtra, vel vnguenta, vel olea, curetis vt teſtes ſint ſuſpenſi, ſuſpenſique maneant & non penſiles; ſine dolore tamen fiat hæc ſuſpenſio: quoniam hoc maximè proderit, immo ita neceſſarium eſt, vt ſine hac ſuſpenſione impoſſibilis ſit ſanatio. & hæc ſufficiant de teſtium inflammatione dicta.

De Affectibus glandis pudendi ad tumores pertinentibus. Cap. XXXII.

Thymi quomodo differant à fico.

GLANS pudendi patitur quoſdam tumores carnoſos, qui thymi dicuntur à Græcis, Thymia verò à Celſo, vel carnes additæ; & ficus à recentioribus, vt etiam ab Aetio. Cùm autem glans creuerit ad maiorem tumorem, vulgò porrifichi vocantur; non differt tamen thymus à fico, niſi ratione magnitudinis: quia cum paruus eſt tumor, thymus dicitur: cum autem magnus eſt, vocatur ficus, vel porrifichi.

Thymi loca propria.

Thymi quid ſint.

Sunt autem iſta tubercula propria trium locorum, primo pudendi muliebris; ſecundo glandis; tertio ani. Sunt autem carnes quædam rubicundæ, quæ in extremo ſunt fimbriatæ, vti ſunt ficus in interna parte, radix autem huius carnis eſt anguſta, color rubicundus, aliquando verò albicans, quandoque nigricans.

Cauſæ.

Cauſæ autem ſunt duæ, prima eſt contagium, contagioſa enim eſt affectio, ideo cauendum eſt à mulieribus, quæ laborant his carunculis in vulua; & ſi mulier illa laboret morbo Gallico, prius inficiet homines eam cognoſcentes his thymis, qui deinde progredientes generant morbum Gallicum etiam in viris: quare quandoque cum Gallico adueniunt, quandoque verò ſine eo. Secunda cauſa efficiens eſt caries; ſæpe enim fit carioſus penis à carie non Gallica, qua (carie) ſanata ſolent ſuperuenire thymi. Præterea, ſi quis coitu vtatur tempore menſtruorum, corripietur hoc morbo: nam ab illo ſanguine vitioſo inflammatur glans pudendi, & varijs coloribus afficitur, poſtea ſuperuenit thymus, dum inflammatio abijt. Fluxio verò & intemperies mala in loco ſunt cauſæ immediatæ: introducitur enim intemperies mala in glande, quæ corrumpit facultatem generatricem & formatricem eius, quæ poſtea generat, quę non deberet.

Materia.

Materia verò ſunt humores vel ſanguinei, vel pituitoſi, vel melancholici: ideo fiunt thymi quandoque canceroſi, quandoque benigni: nam humor melancholicus quandoque facit thymos canceroſos, qui ſunt nigri, fœtidi & doloroſi cum puncturis. Benigni autem ſunt rubicundi albicantes, & ſine dolore, qui fiunt ab humore ſanguineo, vel pituitoſo.

Præſagium.

Præſagium autem tale eſt, quòd, ſi ſint canceroſi, non ſint proritandi, quoniam non ſanantur. Si verò ſunt benigni, poſſunt ſanari & facilè: ſi verò ſint cum morbo Gallico, difficillimè. Præterea in locis muliebribus non ſuccedit curatio, quia manum adhibere non poſſumus: ſimiliter in ano.

Curatio.

Curatio autem fit & medicamentis & manu, præmiſſis vniuerſalibus, ſi opus ſit: quare ſi ſint magni & copioſi, & pluribus in locis: primo expurgetur corpus, deinde veniatur ad locum affectum, circa quem primo vtendum eſt medicamentis leuibus: vnde ego familiare habui ammoniacum præparatum cum aceto: quoniam diſſipat & diſcutit illas carnes. Sed cum maximus adſit pruritus, oporret vt æger manus contineat, & non ſcalpet: vel accipiebam ego portulacam contuſam & imponebam: vel madefaciebam

Familiare medicamentũ Falloppij.

ciebam

Digitized by Google

c ebam linteum in eius ſucco & imponebam, vel accipiebam portulacam ſyluestrem, quam vermicariam vocant, vel vermicularem, quæ acris eſt, & eſt ſemperuiui ſpecies, imò vocatur ſemperuiuum ſacrum, & hanc tundebam ſuccum exprimens, quem deinde affundebam ſupra thymum feliciter: vel accipiebam ſcorpioidem Dioſcoridis, terebam & imponebam, illam ſcilicet quæ profert pilulas rotundas. Quandoque caro bouina vel vaccina cruda impoſita iuuat. Aliqui verò lac tithymali inſpergunt ſuper thymos, modò glandem non tangat, quoniam eam excoriaret. Quandoque verò ego accipio ramum ficulneum viridem, & erado ſubſtantiam internam, & ipſam deraſam impono. Quandoque accipio ramum ficus tenerum & exprimo lac eius ſuper thymum, munita tamen glande, ne tangatur à lacte. Si autem hæc nihil faciunt, venio ad robuſta medicamenta illa ſiccantia, quæ iam dicta ſunt in polypo. Si verò neque hæc faciant, venio ad exedentia, vt ol. ſulph. vel aquam aluminis magiſtralem, ſed ſemper tegendo glandem, vt cum membrana aliqua vel charta tenuiſſima & molli, vt poſſit reduci ad ſuum locum: quoniam ſemper tegenda eſt præputio ſuo glans, aliter intumeſceret, ideo ſemper reducatur præputium in ſuum locum & tegatur, ne à medicamentis illis exedatur, quare tegatur aut charta aut membrana tenui.

Curatio per manum.

Quandoque ſanatur thymus per manum: vnde aliquando ipſum vincio ſeta vel forcipe ſeco: nam hoc modo facillimè ſanatur. Sed aduertendum eſt, quòd quando ſecatur, oportet, vt magnam copiam ſanguinis effluere ſinatis: quoniam ex hac optima expurgatione citiſſimè ſanatur. Sed ſi noluerint patientes perferre forcipem, imponatur circa thymi radicem filum ſericinum, & ſtringatur per vices: quoniam ſpatio duorum dierum ſanatur cadens. Si verò remaneat poſtea quid radicis illius, vtor ego quibuſdam medicamentis, ratione quorum ſanantur, niſi canceroſa ſint. Sed notandum, quòd quando ſunt in glande plurimi: quoniam quandoque viri ſunt fœdiſſimi, ita vt quamuis coeant cum fœdiſſimis mulieribus, non tamen poſtea glandem detergunt, vnde non ſolum eorum glans, ſed etiam quandoque totus penis thymis corripitur, vnde in hoc caſu aduertendum eſt, quod non ſunt exedendi omnes ſimul, ſed primum ſunt exedendi interiores, deinde exteriores, ne exedatur tota ſubſtantia præputij à vi medicamentorum ſimul collecta, ideo primum interiores exedatis & obducatis cicatrice, poſtea exteriores curabitis, & hæc de thymis ſint ſatis. Sequitur vt agamus de affectibus canalis vrinarij, & potiſſimum de caruncula.

De Caruncula ſupercreſcente in canali vrinario moleſtiſſima. Cap. XXXIII.

Cauſa.

SVBORITVR quandoque in canali vrinario penis caruncula quædam, & moleſtiſſima quidem; quæ aliquando etiam fit calloſa, ita vt vſque ad mortem miſeros ægrotantes, & excruciet ac perducat: ſicuti me ſæpiſſimè vidiſſe fateor; Et hæc ex diuturna gonorrhæa generari ſolet; quæ canalem abradens, vlcusq; in eo excitans, tractu temporis ipſo non conſolidato, tumorem calloſum inducit, humoribus nimirum eò confluentibus, & à partis calore tenuioribus reſolutis, craſſioribus autem relictis & exſiccatis. Verum enimuerò dum talis ſubſequitur affectus, illicò ad localia, quæ vlcus ſanant, & cicatrizant, deueniendum eſt; ne medici pigreſcente incuria durities in callum verſa vrinæ tranſitum intercipiat, & ſuffocationem pariat.

Curatio.

Petri Galli laus in eius medicamento.

In hac verò curatione multi multa dicunt, nullus tamen ſcopum attingit. Quidam tamen eſt Venetijs, qui vocatur PETRVS Gallus, ex nobiliſſima SIVOS familia ortus; quem verè in hac curatione omnes ſemper longiſſimè ſuperaſſe affirmo; medicamentum enim tale compoſuit, quo & carunculam quantumuis duram calloſam, & contumacem citiſſimè abſumit; & breuiſſimo temporis interuallo vlcus ſanat, cicatricemque inducit; quod à me nunquam potuiſſe percipi libentiſſimè aſſero, & ſi omni cura, diligentiaque incubuerim vt illud intelligerem.

Nonnullorũ curandæ carunculæ modus imperfectus.

Qui verò curationem hanc aggredi conantur, quæ tamen rarò ſequitur ad vota, imponunt candelam in canale vrinario, vt quænam ſit obſtructionis cauſa apprime colligant, an ſcilicet calloſa, mollisve ſit caruncula; & ſi mollis eſt, leuioribus vtuntur medicamentis, ſicuti ſi dura acrioribus rem agunt; Pro prima accipiunt purum præcipitatum, vel parum Aegyptiaci cum modico ceræ & olei, vt mollius reddatur vnguentum, & acumini candelæ illud addentes, curationem tentant: interdum cerina vtuntur, quandoque Diapalma

cum

cum pauco nitro vel portiuncula ſquamæ, quandoque vnguento Iſidis, & ſimilibus. Pro ſecunda accipiunt præcipitarum, alumem combuſtum, & chalcanthum rubificatum in æquali quantitate, & his candelæ ſummitatem inficiunt, digitiſque accuratiſſimè puluerem apponentes ne decidant, oleo ſemper candelæ corpus abluunt: Sed inter alia arſenico quoque chryſtallino ſuper lapide pictorio cum ſucco limonum agitato candelam muniunt; hoc tamen primum ſeruato, vt ſub Sole quater ſicceiur, & ſtillatitio aceto ſingula quaque vice diluatur, quamuis roſacea aqua vltimo loco vtantur; & cum aliquo cerato, vt puta Diapalma, vel Diachylone, vel oleo roſato & cera illud applicant; & hoc aſſerunt tutiſſimum eſſe medicamentum, ſemel aut bis etiam in die intermittendum. Nonnulli loco arſenici vtuntur calce non extincta, & quando candela ingredi nequit, ponunt medicamenta hæc in ſummitate pediculi folij maluarum exteriori cortice deraſo quo in candelæ vicem vtuntur. Cùm autem in hac lotij ſuppreſſione ſoleant ſæpiſſimè quatuor & quinque etiam carunculæ reperiri, quæ curam & tranſitum omninò impediunt, propterea ſi nec balneorum, nec inunctionum, nec candelæ vſus ſufficiet, recipiunt virentes iuncos acuminatos, & in eorum aculeo portiunculam ſupradicti vnguenti imponunt, & illo optimè amygdalino oleo madefacto ſenſim & ſenſim penetrationem conſequi ſtudent; quæ vt facilius accidat, iuncum per aliquod temporis ſpatium in vrinario canale permanere ſinunt; quo facto (vt ſanies detergatur) alium iuncum roſaceo melle, aut ſimili deterſorio humectant, & ita carunculam auferre, vlcuſque conſolidare autumant.

Duarum vel trium carunculárum curatio à medicis obſeruata.

Sed notandum eſt, quòd non ſatis eſt carunculam auferre, verum etiam vlcus factum cicatrice obducere oportet; in quo certè (vt dixi) mirum in modum præſtat PETRVS ille Gallus. Porrò autem cum & ea, quæ ab alijs in hunc vſum reuocata fuere, medicamenta (licet ſcopum nunquam attigiſſe comperetim) in ſtudioſorum gratiam reticere non debeam; hæc potiſſimum deſcribam.

Aliorũ remedia non probata.

Recipe butyri recentis, mellis roſati añ. partem æqualem, aluminis crudi partem minimam, miſce. Vel recipe æris aut ferri ſquamam præparatam, & candelæ acumini ipſam necte & immitte. aliquando pompholygem pariter præparatam, quam tutiam vocant, ſquamis adde, aut tali decocto per clyſterem bis in die immiſſo partem læſam ablue. Recipe gallarum immat. cort. granat. radic. tormentillę, thuris, maſtiches, aloes, myrrhæ, boli or. & aluminis roch. añ. partem æqualem, coque in vino dulci, vel ſaltem non auſtero nigro & craſſo, & vtere: hoc enim per vnius tantum aut alterius diei ſpatium vlcus cicatrice interdum obduxiſſe affirmant, quod tamen à me non creditur. Homines enim tali morbo correptos, cùm nunquam ab alio curatos viderim, ſemper ſupradicto PETRO Gallo velnti peritiſſimo, & in hac curatione verè vnico & rutiſſimo medico libentiſſimè ſanandos demiſi.

Quorundam decoctũ pro cicatrice inducenda non probatum.

Petrus Gallus in curãdę carunculę verè Princeps.

De Ani affectibus illis, qui ad tumores pertinent, & manu indigent. Cap. XXXIV.

De condylomatibus.

IN ano duo ſunt genera morborum, quę materiam medicam deſiderant, quæ etiam communia ſunt loculis muliebribus, & præſertim alterum, quod condyloma vocatur: naſcitur enim tuberculum in extremo ano, vel circa marginem ani durum & calloſum, quod condyloma vocatur, vt ſunt protuberantes nodi in articulis digitorum; quod quidem tuberculum graue eſt, præcipuè quando fęces duræ excernuntur, vel quid aliud, quod fęces comprimat.

Cauſæ.

Criſtæ quotuplices.

Cauſæ autem horum ſunt aliquando thymata præcedentia ani, vel turpis coitus, vel rhagades ex peſſimo & diabolico illo coitu, vel etiam fæcum durarum excretio: rhagades enim inueteratæ, vt plurimum terminantur in condylomata, quæ tubercula vulgò criſtæ vocantur inueteratæ: criſtæ enim duplices ſunt; vel enim ſunt ficoſi illi tumores, vel ſunt iſta condylomata, quæ duræ ſunt criſtæ, nulluſque reperitur homo, qui paſſus ſit thymata, vel ſuppreſſionem fęcum, vel ipſarum durarum excretionem in hæmorrhoidibus maximè, qui non habeat ac patiatur hæc condylomata.

Sed quo ad eorum curationem, ſciendum eſt, quòd quando hæc condylomata ſunt

leuia,

ſenia, non requirunt curationem. Si autem moleſta ſint, ſunt etiam curanda. in quorum curatione proponuntur multa medicamenta exſiccantia ab autoribus. Ego autem in hoc caſu nunquam vtor medicamentis, ſed ſectione, quia melior, tutior, ac citior eſt curandi ratio. Secari autem poſſunt condylomata tripliciter, vel filo vinciendo ipſa condylomata ita, vt cadant, vel forcipe, vel medicamento cauſtico. Si autem condyloma pediculum habeat anguſtum; nil melius eſt ſectione, quia breuiſſima eſt, & non doloroſa actio.

Curatio per ſectionē melior quā per medicamenta.

Sed notandum, quod aliquando ſunt venæ manifeſtiſſimæ in condylomate, ac inſignes circa pediculum, quæ ſi ſecentur, ſanguinem copioſum effundunt, vnde tunc eſt vtendum filo vinciendo radicem eius donec cadat, non autem ſcindenda ſunt, vel ſectione vtendum. Sed ſi non adſint venæ, ſecentur forcipe, vel aliquo inſtrumento ſecante, vt raſorio, vel gamaut, vel gladiolo; forcipe tamen breuior, facilior, tutior ac minus doloroſa eſt actio. Poſt ſectionem autem ponatur puluis factus ex chalcantho, alumine rochæ vſto, gallis & granatorum corticibus; vel cauſtico exedatur; vnde ego pro cauſtico vtor ſandaraca, vel auripigmento macerato in oleo vitrioli: nil tamen melius eſt; quam vt madefiat linteum in oleo ſulphuris, vel chalcanthi & applicetur condylomati.

De Hæmorrhoidibus. *Cap. XXXV.*

Hæmorrhoides venæ quot ſint.

POST condylomata ſuccedunt hæmorrhoides, per quas duo intelligimus, vel intelligere poſſumus; vel ſcilicet venas in ano exiſtentes, quæ ſunt aliquando quinque, aliquando ſex, aliquando plures, aliquando pauciores, quæ ſunt capillamenta venarum in extremo ano, quæ aperiuntur ſæpe in ano, & effundunt ſanguinem; ſecundo vero intelligimus per hæmorrhoides morbum quendam tumidum, qui fit circa capillamenta illa venarum ani: nam ſolet tunica illa in ſuperficie ani intumeſcere, vnde etiam venæ iſtæ intumeſcunt, vel aperiuntur; & hæc hæmorrhoides etiam dicuntur. De cura autem hæmorrhoidarum primo modo captarum non eſt loquendum: quoniam non ſunt morbi, ſed de hoc ſecundo genere tumido.

Hæmorrhoidarū ſpecies.

Materiæ hæmorrhoidū.

Errorū Medicorū in cognitione hæmorrhoidum

Hi autem tumores ſunt varij generis ex Hipp. in lib. de tumoribus: nam aliqui habent ſimilitudinem acini, vuæ nigræ, & iſtæ hæmorrhoides ob id acinales vocantur: aliquando vero veluti moræ tuberoſæ, & ob id morales dicuntur. Aliquando creſcunt ita, vt verrucæ videantur & duræ ſunt, vnde verrucales dicuntur. Aliquando vero videntur ampullæ & veſicæ, & ob id veſicales nuncupantur: vnde quatuor ſunt ſpecies hæmorrhoidum, quæ differunt ratione materiæ diuerſæ, à qua fiunt: nam acinales à puro ſanguine fiunt, morales vero à ſanguine atro & craſſo, verrucales à ſanguie melancholico, vel bile atra, veſicales autem à ſanguine pituitoſo. Notandum tamen eſt, quod iſtæ hæmorrhoides aliquando extra anum ſunt, aliquando intra occultantur; ſi autem extra ſint, manifeſtæ dicuntur; ſi intra, occultæ & cæcæ, à recentioribus vero barbaris ſurdæ vocantur, vnde ſurdæ recentiorum & cæcæ antiquorum eædem & idem ſunt. Præterea aliæ ſunt doloroſæ, aliæ ſine dolore. In his autem notandum eſt, quod plurimi decipiuntur: nam ſolent dupliciter aperiri venæ illæ: ſolent enim aliquando capillamenta illa venarum producere tuberculum, vt eſt granum milij & pars illa nigra protuberans ſpargit ſanguinem: aliquando vero fit vlcus paruum in hæmorrhoide purum & mundum, & ex his etiam ſanguis effunditur, in quo Medici decipiuntur, quando talia vlcera vident, aut quia credunt eſſe vlcus, & ſanare tentant, ſed fruſtra, quia iſta vlcera ſunt oſcula venarum aperta & exeſa, nec requirunt curationem, nec poſſunt ſanari, niſi ſanentur hæmorrhoides. Cauſæ autem hæmorrhoidum notæ ſunt, vt malus ſuccus in corpore contentus, & plenitudo ſanguinis melancholici, ideo in eis non eſt immorādum, ſed ad curationem deueniendum citius.

Indicationes

In hæmorrhoidibus tria requiruntur, primum quando dolent, ut mitigetur dolor: nam maximè excruciat iſte dolor, quia maximus eſt, & intolerabilis quandoque, & præcipuè quando cæcæ ſunt & occultæ, nec maxime tumidæ ſunt, ſed parum, aut nihil. Quare primum indicatum eſt ſedatio doloris, ſi quis adeſt. Secundum indicatum eſt, quod, ſi non fluat ſanguis, curetur vt fluat; vel ſi nimis fluat, ſiſtatur. Tertio auferenda ſunt tubercula iſta: quia moleſta ſunt, & ſi extra ſunt, impediunt etiam ingreſſum; & ſi ſint intra, maximus fit dolor in excretione & inuertuntur, ita vt tolerari quādoque non poſſint,

Google

poſſint, vel non ſine maxima difficultate. Quoad primum dimittenda ſunt communia: nam præter modum dolentes requirunt rationem victus contrariam humori peccanti, ſectionem venæ in talo vel cubito; tertio requirunt, vt non exhibeamus lubricantia aluum, ſed quanto tardius fieri poteſt, vt excernantur fæces, melius eſt, ideo ſupprimenda eſt aluus. Sed quoniam fæces hoc modo ſiccabuntur, vnde dum voluerit patiens poſtea exercere, maximè cruciabitur ab ipſo dolore. Vnde ego dico, quòd bene curandum eſt, quantum fieri poteſt, vt æger rarò fęces excernat; ſed quoniam percipiet ſtimulationem fæcum, infundatur clyſter ex oleo puriſſimo ad lib. ß. & butyro recenti ad ℥. iiij. quibus calefactis ac mixtis infundatur, & ipſum teneat patiens per ſpatium vnius noctis vel diei integri, quia ex hoc liquefiunt fæces ita, vt poſtea egrediantur ſine moleſtia.

Clyſter in hæmorrhoidibus.

Doloris mitigatio.

Hoc facto ad doloris mitigationem veniendum eſt, pro quo varia ſunt, ſed inter omnia ſola ea, quæ refrigerant & ſiccant, & diſcutiunt humores impactos, bona ſunt in hoc affectu.

Familiare Falop. pro dolore leniẽdo.

Vnde ego familiare habeo vnguentum populeon, quod reſtigerat & ſiccat: ſed vt magis ſiccet, addo cortices granatorum tritos vel puluerem gallarum, vel puluerem ex corticibus ouorum, vel metallica illa, vel ſquamas lotas, & quandoque etiam præcipitatum, vt magis ſiccet & impono. Quandoque verò ad lumbricos terreſtres venio: quoniam hi præſtantiſſimi ſunt in hæmorrhoidibus non ſpargentibus ſanguinem, vnde tunc accipio oleum armelini vocatum, quod pro hæmorrhoidibus ſeruatur in officinis, & vocatur etiam oleum de baricocoli, vel de armelini, aut moniachæ, quod quidem oleum fit ex aromaticis malis, ex quorum nucleis fit oleum, & in hoc ego incoquo vermes terreſtres in vaſe ferreo: ſed ſi hoc vas non adſit, accipio lucernam coquinariam, & coquo, deinde inungo ac impono feliciter.

Oleum armelini.

Aliud familiare.

Quandoque verò vehementioribus vtor accipiens millepedes, animalcula illa ſcilicet, quæ aſelli vocantur ſeu porcellettæ, quæ gignuntur in hortis penſilibus, vel etiam degunt ſub vaſis aquarijs, & hæc animalia in ollam imponens in furno exuro, & puluerem conficio, iterum etiam accipio aſellos viuentes, & in eo oleo armelino dicto decoquo, & hoc hæmorrhoides inungo, ſuper quas etiam puluerem inſpergo.

Oleum ex ſcarabeis optimum.

Vltimo venio ad quædam animalia nigra, quæ gignuntur ex ſtercore bouino in vijs, & Scarabei vocantur, à Græcis verò Canthari: hæc enim animalia ſunt vera medicina hæmorrhoidum dolentium, & hos ſcarabęos incoquo, in quocunque oleo & optimè, donec ferè ex toto vrantur, & deinde hoc oleo inungo. Quandoque verò eos macero tota æſtate in oleo, & ad vſum ſeruo. nam hæc mitigantia ſunt, alijs omiſſis communibus, anodynis ſcilicet, & hæc mihi ſunt familiaria. Verùm autem eſt, quod etiam quandoque duo alia egerim pro ſedando dolore hæmorrhoidum; vel enim primo ferramento calido exurebam hæmorrhoides dolentes, ſed ferramentũ non vrens erat, ſed multum calidum, vel oleo feruenti tango hæmorrhoidas, ſenſim tamen, donec exuratur ſuperficies hæmorrhoidum; vel hirudines etiam impono: nam ex his dolor ſedatur vt plurimum.

Si autem non fluat ſanguis, & tumidæ ſint hæmorrhoides aut mariſcæ, ſiue extent, ſiue non extent, infinita proponuntur ab Aetio, quæ faciunt ad apertionem ipſarum. Ego autem etiam in hoc duo familiaria habeo medicamenta, ad aperiendas ſcilicet mariſcas, quæ etiam mitigant dolorem, quæ ſi facere non poſſunt, deuenio ad hirudines, vel ad manuum operationem, primum autem ex rad. cyclaminis & pannis coctis hoc modo eſt confectum:

Emplaſtrũ Faloppij pro apertione hæmorrhoidũ.

℞. Carn. pom. ſub prun. coct. ℥.ij.
Rad. cyclam. virid. ℥.j.ſ. vel etiam ℥.ij.
Litharg. aur. ʒ.ij.
Aloes ʒ.j.
Croci ℈.j.
Ol. roſ.
Mellis } an̄. quantum ſufficit.

Miſce, fiat emplaſtrum in mortario, quod imponatur, ſiue ſint manifeſtæ, ſiue occultæ: habet enim vim mitigatoriam, & aperit & ſanguinem educit.

Aliud emplaſtrum eſt hoc:

℞. Carn. cæparum communium ſub prunis coctar. vel loco harum, cæpas Liliorum albor.

Rad.

Rad. cyclam. virent. an̄. vnc. ij.
Aloes ʒ. j.
Aſellos nu. xx.
Olei roſ. } an̄. quantum ſufficit.
Mellis }

Miſce in mortario, & fiat emplaſtrum. Si autem ex his non aperiantur mariſcæ, venio ad folia ficuum, accipiens duo folia ficuum virentia, & ſimul ea inter ſe frieo, vt aſperitatem remittant, præterea frico etiam ſimul, vt ſuo lacte imbuantur; deinde mando, vt æger exprimat mariſcas, deinde ſenſim & ſenſim frico ipſas cum dictis folijs, & ſic apetiuntur. Quod ſi neque hæc faciunt, vltimo loco hirudines appono. Si autem præter modum fluit ſanguis, tunc adſtringentibus vel cauſticis ipſum ſiſto, de quibus aliàs dictum eſt, cum de fluxu ſanguinis ageretur. Sed cum non ſemper hæc ſufficiant, ideo opus eſt deuenire ad exuſtionem, vel medicamento vel ferro, aut ad præfectionem, aut ad ligaturam. Exuſtio autem facta per ferrum & cauſticum non laudatur à me; nec etiam præciſio & innerſio, vt docent aurores. Sed ſemper ego per deligationem tentaui ſanguinem ſiſtere, & optimè ſucceſſit. An verò omnes ligandæ ſint & exſiccandæ, cum omnes ſanguinem ſpargant, difficultas maxima eſt inter Aetium & alios Medicos, Aetius enim in hoc omnibus contradicit, quia Hippocrates ſect. 6. aphoriſm. 12. dicit, quòd ſi vna non relinquatur apta, incidunt patientes in hydropem & ſimiles morbos, in quos etiam incidunt, ſi nimium ſanguinem ſpargant. Interpretes autem dicunt, quòd vna vena ſit relinquenda aperta. Aetius autem aliter dicit. Ego autem cum Galeno conſentiens dico vnam ſemper eſſe relinquendam apertam ſi fieri poteſt, niſi maximè fluat ſanguis, ſed in hoc non eſt immorandum, cum ego aliàs docuerim; quomodo ligandæ ſint, cum loquebar de polypo; tunc enim inſtrumentum docui ex fiſtula argentea, ex filo æneo, quo optimè ligantur hæmorrhoides ipſæ. Notandum eſt autem, quòd ſi extra ſint, facile ligantur: at ſi ſint intra, tunc infundendi ſunt clyſteres, vt extra veniant, ac omnia ſunt tentanda, vt extrahantur, vel imponatis emplaſtrum ex cæpis puris coctis addito ſulphure tantum, vel nitro ſimul cum ſulphure, vel cucurbitulas ad anum apponatis, ad foramen ſcilicet, vt his extrahantur mariſcæ, vel per clyſteria acriora hoc tentabitis. Sed notandum eſt in deligatione, quod, cum ſunt eductæ & arreptæ filo æneo, cum filo deinde ſericino ligantur, non ſunt nimium ſtringendę: quoniam ſi nimium ſtringantur, cadunt citius quàm oporteat, & antequam conſolidentur. Poſtquam autem fuerint vinctæ, inungantur omnes oleo armelinorum; vel vnguento popul. vel oleo amygd. dulc. & eas poſtea digito iuuando curetis, vt reponantur in ſuum locum, vel hoc fiat per candelam ceræ albæ optimè vnctam, vel cum digito inuncto oleo aut butyro. *Folia ficus.* *An omnes hæmorrhoides ligandæ ſint, ſi omnes ſanguine aſpargant.*

Cùm autem exciderunt hęmorrhoides ligatę, vt vulnus ipſum çonſolidetur, ego vtor trochiſcis ex tribus granatis ipſis inungendo, vel diſſoluo ipſos pomara, vel oleo armel. & impono in ſedem, & ſic fit cicatrix. Et hæc ſatis ſint de hæmorrhoidibus dicta; ſequitur modo, vt agamus de tumorib. illis, qui partium extremarum ſunt morbi, inter quos primum agamus de illis, qui perniones ſiue bugantiæ dicuntur. *Ad cicatrizandas hæmorrhoidas.*

De Affectibus partes extremas occupantibus, & primum de pernionibus. Cap. XXXVI.

PERNIONES ſunt affectus extremorum membrorum, qui non niſi hyeme oriuntur, & Græcis χίμεθλα, quaſi hyemalia, vocantur, & ſunt tumores rubicundi in principio, qui poſtea fiunt liuidi, nigri & molles, & aliquando ad ſuppurationem veniunt, & etiam quandoque gangręnantur, & oriuntur circa articulos pedum & manuum, & aliquando circa calcem, & quandoque circa naſum, & etiam aures. *Perniones quæ loca occupent.*

Cauſæ ſunt frigora ingentia, quæ afficiunt extremas partes; cauſa verò immediata eſt fluxio ſanguinis boni; materialis verò ſanguis bonus fluens ad partes illas debilitatas, vt quando abundat ſanguis halituoſus in corpore, vt in pueris & mulieribus, cùm non poſſit diſſlari dolente parte ob frigus, fluit illuc & facit tumorem, & putreſcit magis ob frigus, quàm ob aliud. Hinc autem eſt, *Cauſæ.*

Digitized by Google

tem eſt, quòd puellæ ante menſtrua patiuntur hos tumores, & ſic pueri bene habituati.

Curatio.

Curatio autem horum tumorum ignota eſt omnibus ferè, præterquam Aetio, qui optima proponit medicamenta: nam omnes hæc curant per calefacientia & ſiccantia imponentes rapas, alij vrticas, alij raphanum, alij oleum ex ſeminibus lini: alij exurunt cineribus calidis, vel ferro calido, quià putant quod cum frigus ſit horum tumorum cauſa, quod calor harum partium ſanet; ſed decipiuntur. Nam ego aſſero, quod tota curatio in principio conſiſtat in repellentibus ac robuſtis refrigerantibus & exſiccantibus; & ſi adultum ſit corpus, nil præſtantius eſſe poteſt, quàm ſecare venam in principio: ſola enim hac ſectione venæ plurimas ego præſeruaui: quare in puellis, in quibus eſt tempus menſtruorum, non autem adhuc fluunt. ſecetur vena etiam in hyeme, nec timeantur frigora. Bene verum eſt, quod oportet, vt in thalamo calido maneant, & ſecetis venam baſilicam.

Error curantium perniones in principio.

Circa locum affectũ quæ conueniant.

Circa locum autem veniatis ad repellentia refrigerantia & exſiccantia, quibus etiam Aetius vtitur; ſed ipſe neſciebat quare hoc faceret: quoniam imponit ipſe emplaſtrum ex ſucco citri, vel limonis, vel arantij. Accipiatur itaque ſuccus limonum, vel arantiorum acidorum, vel mali citri, & miſceatur cum ſarina hord. & oleo roſato omphac. mira enim fient ex hoc: vel accipiatis ſuccum roſ. & acetum acerr. & album oui, & cum ſarina hord. fiat polenta, ſed omnia ſint cruda. Vel accipiatur farina orobi, & ſuccus roſarum cum oleo roſ. vel aceto roſ. & ſuccus myrthill. cum oleo ſimiliter roſ. & fiat polenta, & applicetur. Vel etiam triapharmaco vti poteſtis, quod quidem conſtet ex litharg. oleo roſ. & aceto, quod diducitur in mortario plumbeo ad linimenti conſiſtentiam, & hoc quotidie inungatur locus affectus: quoniam eſt præſtans medicamentum.

Triapharmaci compoſitio.

Ego autem familiare hoc habeo:

Medic. Faloppij.

℞. Succi roſ.
Solatri
Plantag. } añ. ℥.j.
Ceruſſ.
Lithargir. } añ. ℥.ij.
Aceti acerr.
Ol. omphac. } añ. ℥.iij.

Miſce in mortario plumbeo, & ſubigantur ad linimenti conſiſtentiam: quoniam optimè ſuccedit. Sed aduertendum, quòd cum horum vſus ſoleat maximum pruritum facere, ideo quando pruritus adeſt maximus, detergendum eſt medicamentum, & auferendum totum, & abluendi perniones aqua roſ. frigida. Si autem exulcerati ſint perniones, ego vtor vnguento diapompholygos. Sed infinita habentur medicamenta ab Aetio, Paulo, & omnibus, quæ huic ſcopo inſeruiunt, quibus vti poteritis, ſi vlcerati ſint, aliter nunquam ipſis vti debetis.

Notandum ſi adeſt pruritus.

De Callis ſeu clauis. *Cap. XXXVII.*

SVBORIVNTVR in extremis partibus ob laborem calli, qui claui etiam vocantur, & rectius, quoniam qui clauis iſtis laborant, ita punguntur, ac ſi clauos in partes illas infixos haberent. Vt autem quis poſſit ab iſtis præſeruari, ſciendum eſt, quomodo naſcuntur. Naſcuntur itaque primum ſuboriente veſica, quæ oritur, quando quis vtitur crepidis, & poſtea dimiſſis illis vtatur caligis ſtrictioribus, vel cum caligis vſus eſt, vtatur deinde zoccolis ſiue crepidis. Ex horum enim hoc vſu vario oritur veſica, quia atteruntur ab his pedes, quæ veſica ſi relinquatur & ſiccetur, vt plurimum facit callum: ſpatio enim quatuor dierum tantum humor, qui erat in veſica illa, ſiccatur, & pellis ſupraposita fit dura, & continuo carnem atterit, & ita calli ſuboriuntur, qui fiunt duri: & hanc cauſam ego multoties reperi, didicique ab experientia hoc, quod ex attritione in itineribus vidi veſicas ſubortas, ex quibus deinde calli facti ſunt; ideo moneo vos, vt ſi præcauere vultis à callis, vt illas ampullas amputetis, ac veſicas illas aperiatis, quæ in pedibus ſuboriuntur, neque permittatis eas ſiccari, aliter callus ſubſequetur. Verum eſt tamen, quod pellis illa ſubiecta veſicæ dolet, & ideo imponendum eſt aliquod medicamentum, vt diachylon, vel diapalma, vel diapomphol. vel aliud, ne doleant, aliter calli ſuperueniunt. Sed loquamur modo de iam factis, quo-

Calli generatio quomodo fiat.

Præſeruatio à callis.

modo

modo ſanentur. Infinita autem ſunt medicamenta, ſed omnia debent habere vim attenuandi & exedendi. Aliqui verò macerant callos lixiuio, & deradunt, cum molles ſunt facti. Ego tamen non laudo deraſionem: quoniam non eſt bona curatio, quia iterum ſuboriuntur, præterea quandoque bonas carnes deradunt, vnde ego macerationem tantum cum lixiuio maximè laudo: Maceratione autem facta ego accipio acetum ſtillatitium, vel acetum forte, & macerato callo in lixiuio fortiori impono offulam panis maceratam in aceto illo acerrimo, quando it dormitum patiens, vt tota nocte ſeruetur, quod fiat per tres noctes; die autem impono emplaſtrum Iſidis; quoniam ſic maceratur callus & fit mollis, nec amplius affligit hominem. Cum autem hoc quandoque non ſuccedat, ideo veniendum eſt ad validiora, vt eſt nitrum, ammoniacum, vt ſi nocte vtatur aceto dicto: die verò accipiat nitrum vel ammoniacum, & ſeruet in palma manus, donec emolleſcat, atque etiam digitis atteratur, vt mollis fiat, deinde extendatur & tractetur, ac ſi eſſet paſta, deinde plateſma fiat, in cuius media cauitate imponatur aliqua portiuncula ſalis nitri triti; & ſi hoc ſit nimis vehemens & acre, torreſiat, & callo imponatur per totum diem. *Calliſacti cu ratio.*

Si verò hoc non ſufficiat, accipiatur auripigmentum toſtum, ſandaraca Græcorum, ſal nitrum, & ſulphur ignem non expertum æquis portionibus ac ponderibus, terantur & fiat puluis, qui excipiatur cera, vel ammoniaci lachryma molli, & imponatur. Si verò neque hoc ſufficiat, vt quando ita duri ſunt, vt his non cedant, veniendum eſt ad cauſticum; vnde ego ſoleo accipere ventres cantharidum & contundo, deinde cum croco miſceo, & fermento, & huius mixtionis nimirum portiunculam impono ſuper callum; ex hoc enim excitatur ueſica cũ aqua, & ita abſcedit callus, deinde ueſicam ſeco, & locum poſtea cum diapompholyge curo: uel accipio capitellum pro cauſtico medicamento, ſi cantharidibus uti non uellet aliquis. Et hactenus de callis.

De Poris ſeu verrucis. *Cap. XXXVIII.*

SVBORIVNTVR quædam tubercula, quæ verrucæ dicuntur ſiue pori, qui in toto corpore naſcuntur, & non unius generis, ſed aliæ myrmeciæ, ideſt, formicales dicuntur, unde à Recentioribus formiculoſi vocantur pori, aliæ verò ἀκροχορδόνες, & à noſtris verrucæ penſiles nuncupantur, à quibuſdã verò neui. Formicales autem duræ ſunt admodum, & naſcuntur vt plurimum in manibus, & habent radicẽ latiorem apice, atq; apicem aſperſum. *Varia nomina, & ſpecies.* *Formicales.*

Penſiles verò vt plurimum naſcuntur in collo, molliores ſunt, & in alijs etiam partibus oriuntur, quandoque & pediculum anguſtum habent. Iſtæ autem omnes uerrucæ naſcuntur ex materia melancholica, craſſa & quandoque cum pituita etiam, errante formatrice facultate partis, quæ cum non poſſit materiam illam diſcutere, potius format uerrucas, quàm ipſam diſcutiat, & ſic facit morbum in numero. Quandoque uerò fiunt à materia melancholica cum pituita mixta; & iſtis laborant ruſtici, quia abundant plurimis excrementis craſſis, & his etiam pueri laborant, quia licet ſucco melancholico non abundent, pituitoſo tamen maximè abundant. Verrucæ præterea contagioſæ ſunt; ſi quis enim non laboraret uerrucis, ſi cadat ſanguis ab ipſis in aliam partem dum reſecantur, ſuccreſcit alia uerruca; vnde aliqui uerrucas capiunt, ſi ũi linteo detergantur, in quo fuerit ſanguis uerrucarum collectus: & ſunt aliqui, qui nunquam liberantur ab his uerrucis. Si autem quis diu his laboret, oportet uniuerſalia capita præmittere, poſtea uenire ad locum affectum, ſi tædio ſint illæ homini. In acrochordonibus uerò, cum quaſi delitioſi ſint, non multum laborandum eſt: nam aliqui maximè delectantur his, ut cum hæc habent in naſo vel collo: & ſi hæc curare uelitis, non multo labore hoc facietis, nec reuiuiſcent. Sed ſi ſint formicoſæ uerrucæ, cum ſatis moleſtæ ſint, ideo ualidiſſimis indigent medicamentis diſcutientibus & reſoluentibus, inter quæ primo ſunt folia ſalicis uiridia, quod caſu ego didici à quadam uetula, quæ his utebatur, cum aliqua tamen incantatione: verum per ſe faciunt hæc folia, ſi ipſis fricentur quotidie matutina hora. Succus etiam foliorum iſtorum diſcutit, & attenuat, & digerit. Quandoque uerò ego accipio folia ſalicis ſicca, & facio puluerem, & cum aceto miſceo, quandoque uenio ad acetum ſquilliticum. Si autem hæc non faciunt, uenio ad portulacam ſyluestrem uirentem uerrucariam dictam, ipſa uerrucas fricans aliquando accipio ſcorpioidem illam uerrucariam, quæ profert pilulas, & frico: quandoque ſcrophularia maiori ipſa frico, *Penſiles.* *Materia.* *Verrucæ contagioſæ ſunt.* *Acrochordones ſunt delitioſi.* *Curatio.*

Digitized by Google

aliquando radice dracunculi maioris vtor vel radice ari, vel radice cyclaminis prioris, his ipſas fricans. Si verò neque hæc ſufficiunt, venio ad cauſtica accipiens allium viride, illud contundo, & eius partem ſuper verrucam pono, poſtea facio pileolum ex cera, & impono & faſcia obduco: nam hoc modo facit veſicam, & cadit, & ſic curantur verrucæ; vel accipio ſandaracam Græcorum, auripigmentum purum, & miſceo cum oxymellite, vel cum melle, vel fermento & impono, quia vrit optimè, vel accipio oleum chalcanthi, vel ſulphuris locum madefaciens, vel ultimo in loco venio ad exuſtionem cum ſulphure, accipiens nucem iuglandis per medium diuidens ac nucleos extrahens, & accipio dimidiam partem teſtæ, & facio in ipſa foramen paruum, magnitudinis ſcilicet verrucæ, & appono ſuper verrucam, ita tamen, vt ipſa optimè ingrediatur in illud foramen optimè calcans, poſtea pono ſulphur in illa teſta, deinde candela ſulphur accendo; ſic enim eliquatur ſulphur & exurit verrucam, nec partes vicinæ vruntur, quoniam ab iſta teſta perforata præſeruantur, & hæc donec ſufferre poſſit æger: nam ter vel quater eſt faciendum. Quando verò ſanatus eſt locus, vtendum eſt per aliquot dies vel folijs ſalicis, vel alijs ſuperius dictis, vt diſſipetur materia illa, ne reuiuiſcat verruca, nam quandoque reuiuiſcunt. Cum autem alij non adſint tumores, qui adhuc cognoſcantur, ideo finem huic operi hic imponemus, Deo gratias agentes.

Vſtio cum ſulphure quo modo fiat.

FINIS TRACTATVS PRIMI.

GABRIE-

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS,

Medici, ac Philoſophi præclariſsimi.

DE DECORATIONE.

Tertij Tomi Tractatus Secundus.

PRAEFATIO.

D*E DECORATIONE vniuerſi corporis huma-* Ordo.
*ni, & ſingularum partium, quæ partim neceſſario
corpus conſtituunt, partim vero per acceſſorium
quoddam illud perficiunt, tractaturis neceſſarium
eſt prius videre, quid ſit Decoratio. Secundo quid
circa corpus vniuerſum, vel partes agat. Tertio ad
quem artificem pertineat. Quarto quid in illa contineatur. Vltimo qui* Ars duplex.
*ſcriptores legendi tractarint de hac materia: vtque hæc certo pateant,
altius quædam repetenda, quod omnes artes à ſcriptoribus diuiduntur
in duo genera, alteras bonas conſtituunt, alteras malas, atque fucatas;
malas vocamus eas, ſecundum Philoſophos, & Medicos ex autoritate
Galeni, quæ verſantur tantum circa illud, quod bonum videtur eſſe,* Cap. 10. lib. de opt. ſecta ad Traſybulum.
*non autem eſt; quarum finis bonum, & perfectum apparens eſt, non
tale exiſtens: bonas vocamus eas, quæ circa bonum ſincere, & verè bo-
num verſantur. per bonum intelligimus perfectionem in ſubſtantia rei,
& integritatem eius, de qua dicitur bonum. Vnius, autem, cuiuſque
rei cum vnum ſit bonum ſummum tantum, & perfectio tantum (quo-
niam vnum, vt vnum, vnam integritatem, vnam perfectionem, & v-
num bonum habet) & ideo vnaquæque ars circa vnum bonum, vnum
finem, & vnam perfectionem verſatur illius rei, de qua tractat. Ve-* Bonum.
*rum bonum hoc in vnaquaque re dupliciter obſeruari poteſt; altero qui-
dem modo, quo conſiſtit hoc bonum, & in actu reperitur in re, verbi gra-
tia, in corpore perfectio eſt, vt poſsit moueri, dum adeſt motus, adeſt*

perfectio, & bonum: aliquando bonum deſideratur, vel quia nondum genitum, uel quia genitum corruptum eſt. Quum igitur duobus modis poſſit tractare ars de bono, uel præſens conſeruando, uel deſideratum reſtituendo; quæritur an eadem ſit ars? 14. cap. illius lib. ad Thraſyb. dicit Galenus ad eandem artem pertinere; nam cum perfectio ſit finis artis, ars non ſolum producere eam debet, ſed conſeruare ex his colligimus, quod una ars habet unum finem, & unum bonum pro fine. bonum eſt perfectio rei, circa quam uerſatur. hunc finem ars tentat efficere, & effectum conſeruare. Architectonica habet finem, conſtructionem ædium, ſi pereunt ædes, reſtituit; ſi reſtituit, conſeruat. Cum itaque medicina ars ſit, neceſſarium eſt habere vnum finem, qui ſit perfectio ſubiecti, circa quod verſatur: quod eſt perfectio corporis humani, verum non ita conſtat, quid in corpore humano ſit bonum, & perfectum, circa quod verſatur ars: aliqui voluere perfectionem corporis humani eſſe robur, & vim ad actiones obeundas; & benè ſenſere; quia hoc eſt potiſſimum in corpore humano; & ideo dicitur iſta integritas corporis, quoties poteſt integras actiones perficere. hoc confirmatur à Galeno in eodem lib. capite 15. confirmatur etiam ratione iſta potiſſimum: corpus humanum eſt organum animæ: organum eſt organum ad hoc, vt edat talem actionem, quam ſi edere non poteſt, imperfectum eſt. ſi corpus eſt organum animæ, & finis eius eſt actus, & opus, ergo ſumma perfectio corporis eſt robur, & vis in agendis actionibus: idcirco finem Medicinæ dicimus in corpore uerſantis eſſe conſeruare robur corporis, quod probatur alia ratione: robur eſt uirtus corporea non dico uis, ſed uirtus: uirtus autem eſt ſummum bonum, dicebat Ariſtot. ergo ſequitur, quod robur eſt ſummum bonum, finis corporis quatenus organum eſt, & in hoc tendit ars Medica. Alij dixere ſanitatem eſſe illud optimum in corpore, ſanitas eſt cauſa omnium optimarum actionum efficiens, & conſeruans, ergo ſanitas eſt ſummum bonum. Nam ſicut Deus eſt efficiens, & conſeruans, & finis omnium, & bonum ſummum, ita ſanitas, in quam omnes conſpirant. Probo authoritate eiuſdem Galeni in dictis locis, & authoritate Ariſtotelis, qui ſanitatem ait eſſe virtutem corporis. ſi virtus eſt, ergo ſummum bonum corporis, & perfectio, & integritas eius. Alij voluere eſſe bonum habitum, quoniam habitus bonus eſt cauſa functionum, & habitum bonum tentamus omnes, ad quem non ſolum Medicina, ſed mangonica etiam ars intenta. nam antiqui arte Medica conſeruabant habitum, ſed hoc non ſatis erat: habebant Gymnaſticam artem, & Mangonicam artem, qua molliendo, & remolliendo præſtantiorem habitum faciebant, & cum à Galeno & Ariſtot. virtus prodita ſit, ergo bonum corporis dicimus eſſe iſtum bonum habitum. Ultimo non defue-

Finis medicinæ eſt conſeruare robur corporis.

re, qui dixere pulchritudinem eſſe bonum corporis ſummum cum hæc ab omnibus affectetur non ſolum fœminis, ſed maribus: non modo iuuenibus, ſed ſenibus, cumq́; etiam virtus ſit, ideo eſt ſummum bonum, & per fectio. ex his habemus rationes pro omnibus partibus. Quodnam autem eſt ſummum bonum? quod pertinet ad actiones videtur magis excedere, tamen eſt ſummum bonum. Hac ratione dicemus artem Medicam non habere vnum finem, vel corpus humanum plures habere fines, quorum neutrum eſt aſſerendum. quodnam ergo erit hoc ſummum bonum? Reſpondet acutiſsimus Galenus, quod bonum, quamuis multiplex videatur, vnum tamen eſſe dicitur, multiplicitas autem dependere videtur, quia aliud eſt cauſa boni, aliud eſt fructus illius boni, tamen vnum eſt bonum, vnus eſt finis, & ita bonum aggregatum ex his eſt ex ſanitate, bono habitu, pulchritudine, & robore actionum; videamus an res ita ſe habeat. accipiamus ſanitatem, & bonum habitum, hi ſunt cauſa pulchritudinis, & roboris in actionibus; pulchritudo, & robur ſunt fructus, ſunt effectus iſtarum cauſarum. ſi coniungamus cauſas, & fructus, vnum erit bonum. Summum bonum in homine eſt, quod generatur, ideo ſecum coniunctam habet cauſam: ex hoc colligemus, quod quemadmodum omnes aliæ artes habent vnum finem, vnum bonum, ita Medicina, quæ habet perfectionem ex omnibus his quatuor virtutibus compoſitam, & iſtæ virtutes conſtituunt corpus noſtrum. Probat Galenus rem iſtam, & inquit, videte, quod non poteſt alterum horum ſequeſtrari ab altero: non poſſumus ſequeſtrare pulchritudinem ab habitu, neque à robore, neque à ſanitate; nec habitum bonum ab vno horum, nec robur à ſanitate, habitu, & pulchritudine, nec ſanitatem à cæteris, reſtituta ſanitate, reſtituitur robur, & pulchritudo; reſtituta pulchritudine reſtituitur robur, &c. ſequitur ergo quod re vnum, & idem ſint, quamuis ratione differant: colligemus ergo, quod in Medicina finis eſt ſummum bonum corporis humani, quæ eſt perfectio conſtans ex quatuor virtutum aggregato, quæ ſunt ſanitas, robur, pulchritudo, & habitus, cum hæc omnia comprehendat ars medica, explodit omnes alias artes, exempli gratia, Mangoniam, Athleticam, comptoriam; ipſa omnia facit, ipſa mollit, ipſa pulchrum reddit corpus. Cum autem in hoc ſummo bono contineatur pulchritudo, ſequitur, quod colligere poſſumus pulchritudinem pertinere ad artem medicam. quia hæc aut præſens eſt, aut deeſt, ad artem Medicam conſeruatio, & reſtitutio pertinet. Verum hic ſcrupulus quidam occurrit, cum videam Philoſophos, qui continuo hæc tractant, accuſare pulchritudinem: Habemus authoritatem Galeni in illa oratione ſuaſoria ad artes, in qua dicit pulchritudinem eſſe potius occaſionem mali, quam boni: quomodo ergo erit ex eodem Gal. virtus, & ſummum

Pulchritudinem eſſe ſummū bonum corporis.

Summum bonum.

Finis in Medicina.

Pulchritudo duplex. Fucata.

bonum? Domini, cum hoc videam, cogor, vt ego veniam in hanc ſententiam duplex eſt pulchritudo; altera fucata, adulterina, ficta, & non vera, quæ non naturalis, vel præternaturalis dicenda, de qua Galenus primo de vſup. 9. & opt. ſecta ad Thraſyb. cap. 10. & primo de comp. med. per loca, cap. 2. & hanc appellamus mangonicam, vel comptoriam, & hæc meretricia; vel cynædica dicitur; nam deſtruit conditiones naturæ, vt artis aliquot peſſimas conditiones inducit; quam ſi affectant ſenes, iuuenes, & mulieres; Mulier deſtruit venuſtatem: ſenes grauitatem amittunt: iuuenes virilitatem perdunt. Altera pulchritudo naturalis dicitur, quam vnuſquiſque affectare debet: & qui non affectat, turpis eſt, & Democriti factum in illum quadrat.

Naturalis Hiſtoria Democriti.

Democritus in prandium vocabatur ſæpe ad domum ornatiſſimam, vbi erat inſtructa menſa linteaminibus pulcherrimis; argenteis; & aureis poculis ornata, amicus autem ſordidus erat totus. Cum Democritus expuere vellet circumuoluens oculos nihil inuenit turpius amico; & ideo in faciem deſpuit eius: idem merentur illi, qui deſpiciunt faciem, barbam, colorem, & naturalia: digni profecto ſunt, vt expuantur. altera igitur eſt pulchritudo, quæ naturalis dicitur; quam dupliciter Gal. deſcribit. altero modo nimis ſeuere, altero modo latius aliquantiſper. anguſte, & preſſius, quando timebat à pulchritudine fucata, meretricia; & ideo dicebat, lib. 5. de placitis Hipp. & Plat. cap. 3. eſſe compoſitionem, & connexionem naturalem, ac ſymmetriam partium inter ſe, & ab iſta ablegauit molliciem, partium colorem, & ſimiles notas pulchritudinis, ablegauit iſta quæ pertinent ad pulchritudinem naturalem, ne daret aditum fucatæ pulchritudini; ne iſta meretrix in Theatrum veniret: verum quum poſtea non timebat iſtam meretricem, latiorem pulchritudinem explicabat, & connumerabat ſubſtantiam, colorem, quantitatem, ſitum, figuram, & conformationem partium. in his enim omnibus conſtituebat pulchritudinem.

Primo de vſup. 9.

In lib. de op. ſect. ad Tr. 14. primo de vſup. 9. 11. eiuſdem 13. 1. de comp. medic. loc. 2.

Definitio decorationis, ad quam artem pertineat. Cap. I.

EX quibus omnibus, cum nos ſimus tractaturi de decoratione, quę conſeruare, & reſtituere poteſt, ita eam definimus. Pulchritudo eſt bonus, & naturalis habitus corporis in ſubſtantiæ, quantitatis, ſitus, figuræ; atque coloris ſymmetria conſiſtens. Hęc eſt natura iſtius pulchritudinis, circa quam verſatur res huiuſmodi, de qua nos inſtituimus tractationem. Et notate, quòd non vna ſymmetria datur in his. Aliquando color dicitur ſymmeter ratione coloris vnius partis comparati ad colorem alterius partis, verbi gratia, videmus iuuenē rubrum, habentem barbam flaui coloris; huiuſmodi eſt ſymmetria: quia vtrunque quadrat cum ætate, & faciei color reſpondet colori barbæ. Symmetria etiam cadit reſpectu vniuerſi corporis. habet iuuenis rubram, candidam, roſeam faciem, ſi corpus eſt huiuſmodi, tunc dicemus habere ſymmetriam. Tertio dicitur ſymmetria, relata illa qualitate ad vnum præſtantiſſimum in vniuerſa ſpecie. ſi imaginemur colorem in muliere, ille eſt, qui eſt mixtum lac cum vino: & ille adoleſcens habet colorem optimum, quoties carnis albidæ, vel lactis cum ſanguine mixtio videatur, ſi videmus hoc, dicimus pulchritudinem adeſſe; quia adeſt ſymmetria cum colore pulcherrimo totius ſpeciei; idem dicimus de iuuene, puella, ſeno, & viro. idem de reliquis qualitatibus, figura & cæt. Hanc pulchritudinem obſeruat Medicus, atque conſeruat; & quia per turpitudinem deſtruitur, hanc ipſe fugat. Verum duobus modis pulchritudinem reſtituit, ſicut duobus modis perit. nam aliquando perit per ſe non pereunte ſanitate partium; aliquando per accidens pereunte ſanitate partium, verbi-gratia: ſit mulier ſub Sole; inficitur cutis, & nulla pars laborat morbo. vice uerſa fit carbunculus in facie: huiuſmodi nigredo turpitudinem inducit, pereunte cum pulchritudine ſanitate. Medicus vtranque pulchritudinem reſtituere poteſt, primam per ſe, ſecundam per accidens. hoc ſecundum genus operis pertinet ad medicinam curatiuam; primum verò ad medicinam, quæ Coſmotice, hoc eſt, ornatoria dicitur, vel decoratoria. ex quo patet vis artis multiplex: vis, quæ reſtituit ſanitatem, dicitur curatiua; quæ reſtituit pulchritudinem, dicitur ornatoria, decoratoria. Sed eſt differentia inter comptoriam, & ornatoriam. Comptoria deſtruit naturam, & addit, quòd non eſt in natura. Decoratoria ſemper reſpicit id, quod eſt ſecundum naturam in iſto homine, vel in tota ſpecie, vel in hac, vel in illa parte. Ex quibus conſtat, quòd decoratio nihil aliud ſit, quàm conſeruatio vel reſtitutio pulchritudinis naturalis, vel in vniuerſo corpore, vel in corporis parte per ſe: nam decoratio non tractat de curatione pulchritudinis per accidens, quæ eſt per ſanitatem corporis, ſed de pulchritudine per ſe, quatenus pulchritudo. Nos autem in hoc de decoratione tractatu hunc ſeruabimus ordinem; vt ſcilicet primo de vniuerſi corporis pulchritudine tractemus, poſtea deſcendamus à capite ad pedes. tractabimus autem de illa decoratione, quæ reſtitui poteſt, ſine curatione morborum: quoniam fuſius Scriptores de hac curatione dixerunt; vos repletos libros multarum ægritudinum inuenietis. Ego agam de pulchritudine reſtituenda ſine morborum curatione. Ex inſtituto tractarunt primum de hoc Cleopatra Medicus, deinde Crito, tertio Moſchion, vt habemus ex Galeno. Rhaſis tractat de huiuſmodi negotio 36. lib. continentis, Auicen. vltima ſen. 4. libri. Inter recentiores Ioannes de Vigo, Petrus ab Argillata, Nicolaus Florentinus in vltimo libro omnium ſuorum operum, qui ſparſim tractarunt, ſunt multi, Galenus in lib. de comp. med. per loca. Paulus, Aetius, Oribaſius, Alexander Trallianus, Celſus, Octauianus, Marcellus &c. & non eſt Medicus, qui locutus ſit de locis affectis, qui non dixerit aliquid, quod pertinet in pulchritudinem. in primo capite nos tractabimus de impinguatione, & gracilitate corporum, vt quando nimis pinguia ſunt, quomodo gracilia reddenda, & è contra.

Definitio pulchritudinis.

Symmetria prima.

Symm. 2.

Symm. 3.

Comptoria.

Decoratoria

Primo de compa. med. loca. 1. & 2. cap.

De turpitudine, & primum de obeſitate, & quid nominis eius. Cap. II.

PVLCHRITVDINEM aliam eſſe naturalem; aliam verò fucatam, & meretriciam dictum eſt. Hanc poſteriorem non eſſe tractandam à Medico, priorem eſſe inter eius ſcopos collocandam tradidi. cumque huiuſmodi pulchritudo naturalis à turpitudine deſtruatur, ſtatim requiri opem medicam, dicebam. Adiungebam ex mente Galeni conſiſtere pulchritudinem in proportione, analogia, in ſubſtantia, quantitate, ſitu, & figura partium. quibus adiungitur coloris innati qualitas proportionata habitui, & ætati. *Turpitudo.* Turpitudo erit corrupta proportio iſtarum rerum, vel ſubſtantia, vel quantitate, vel ſitu, vel figura, vel colore partium. cum indecorum habitum abigere ſit intentio, merito de omni lapſu loquendum non morboſo, ſed turpi. nam duplex eſt lapſus; alter qui dicitur morboſus; qui eſt affectio præternaturalis impediens actiones corporis; de hoc non tracto: alter pertinet ad pulchritudinem, quando analogia oblectans oculos deſtruitur; ſolet autem hic lapſus eſſe vel in vniuerſo corpore, vel in parte. Turpitudo vniuerſi debet præcedere turpitudinem partis; quia vniuerſalior eſt: & quoniam turpitudo vniuerſi (vt plurimum) in quanto conſiſtit, vel præter modum aucto, vel diminuto, ideo de hoc tractemus. & primo de aucta quantitate; ſecundo de diminuta, poſtea ad ſingularia membra deſcendamus. De nimia igitur corporis craſſitie abigenda, dicendum, quæ παχύτης vocata eſt. παχὺς à Græcis homo vocatur excedens magnitudine. vocatur πολυσαρκία abundantia carnis. aliquando παχυσμὸς, hoc eſt incraſſatio vocatur. igitur & παχύτης, & πολυσαρκία, & παχυσμὸς impropriè vocant noſtri Latini, & præcipuè, qui interpretati ſunt Græcos obeſitatem, craſſitiem aliqui & craſſitudinem; ſunt qui ventricoſitatem transferunt: alij verò corpulentiam dixere. vnde corpulentia, ventricoſitas, craſſitudo, craſſities, & obeſitas idem ſignificant, ex quo Galenus Latinè loquens, obeſos præpingues, & craſſos vocat. de natura ergo obeſitatis tractemus.

Imprimis autem obſeruare debemus, quod corpus hominum tripliciter in quantitate excedit quantitatem ſymmetram. voco quantitatem ſymmetram: hoc eſt, in qua maior pars hominum conuenit, quæ conuenit neque magno, neque paruo. Hæc excedere ſolet tripliciter: ex 2. aphor. 54. prima ratio exceſſus dicitur magnitudo μέγεθος à Græcis. ſecunda dicitur longitudo à Galeno μακρότης. tertia craſſities παχύτης ibi vocata à Galeno. *Magnitudo.* per magnitudinem intelligit excedentẽ quantitatem corporis in longum, latum, & profundum: igitur quoties corpus fit magnum & per longum, & per latum, & per profundum, illa dicitur magnitudo ſupernaturalis: & de hac non loquimur. *Longitudo.* altera longitudo, quando corpus tantum per longum creſcit; & de hac nequaquam dicere intendimus. *Craſſities.* tertia erat craſſitudo, in qua ſecundum Gal. fit incrementum nimium ſupra illud, quod eſt ſecundum proportionem, ſecundum latum, & profundum, non autem ſecundum longum: hoc eſt ita ad latera, veluti ad partes anteriores, & poſteriores; ita in intimis, ſicut in extimis. Hęc eſt ergo obeſitas, quam cum Galeno definire intendimus hoc modo. *3. com. in 6. epid. comm. tex. 29.* *Definitio.* Craſſities eſt tumor vniuerſi corporis adaucti, vel creſcentis ſupra id, quod eſt ſecundum naturam latum, & profundum. ex quibus verbis colligimus hanc obeſitatem non eſſe morbum. nam quamuis ibi Galenus tumorem vocet, tamen non omnis tumor morbus eſt, vt ſatis abundè dictum eſt in tractatu de tumoribus. eſt enim aliquis tumor, qui eſt ſymptoma, aliquis eſt morbus, aliquis ſupra naturam, id eſt, ſupra habitum naturalem; nam plurimi obeſi funguntur actionibus proprijs integrè, quamuis non ita valde. ſed dicenda affectio ſupra id, quod eſt ſecundum naturam.

De quatuor ſpeciebus obeſitatis. Iſtius obeſitatis quatuor ſpecies conſtituimus ex duabus differentijs eius. nam ratione naturæ conſentientis; aut non conſentientis reperio quandam craſſitiem naturalem, & quandam non naturalem: ex 2. de temp. 4. nam ſunt quidam tales obeſi natura, aliquot non natura, ſed acquiſititia conſuetudine, qualitate facti ſunt tales. *Obeſitas naturalis.* Si quis quæret quæ eſt obeſitas naturalis? eſt augmentum ſecundum latum, & profundum ſupra id, quod eſt ſecundum naturam, in quo omnia correſpondeant cum naturali habitu corporis obeſi. voco naturalem habitum corporis illam temperaturam corporis, & partium, qua donatum eſt corpus ab ipſa generatione. Et quæ erit? primum, vt mollities adſit in obeſo; ſecundum, vt adſit albedo vniuerſi corporis; nam habitus naturalis conſentiens cum obeſitate debet eſſe humidus, & frigidus; in humido, & frigido conſequitur

albedo,

albedo,& mollities. addite anguſtiam venarum non à pinguedine, non à carne factam,
ſed à natura correſpondentem habitui: quia habitus frigidus, & humidus habet venas
paruas. addatis, quòd in hoc corpore non adſint ſigna inſignis caloris, vel ratione excre-
mentorum, vel ratione pilorum, & cæterorum. nam pili pauci ſubflaui, & molles requi-
runtur. ſi duri, nigri, criſpati fuerint pili, iſta non eſt obeſitas naturalis. Obeſitas non na- *Obeſitas non*
turalis eſt, quæ non conſequitur ad habitum naturalem, ſed ad habitum per conſuetudi- *naturalis.*
nem acquiſitum. cognoſcimus hanc obeſitatem: quia non correſpondent omnia obe-
ſitati: habitus naturalis non reſpondet, & ita in obeſo non naturali adeſt plenitudo, &
vaſtitas corporis; ſed color erit ruber, vel niger, durities calloſa, latitudo inſignis vena-
rum, quamuis non pateat ad ſenſum: tamen ſi liget Medicus brachium, videbit ad ſen-
ſum venas latiſſimas, & ampliſſimas; igitur in his & color, & mollities, & anguſtia ve-
narum non reperitur, præterea excrementa nimis rubicunda ſunt, hirſuti ſunt, & pi-
loſi. Hanc non poſſum dicere obeſitatem præternaturalem, commotus authoritate an-
tiquorum millies citata à Galeno, quod conſuetudo eſt altera natura: quia per conſuetu-
dinem obeſitas hæc facta eſt; non à primordio generationis. Alia differentia eſt conſti-
tuens duas alias ſpecies obeſitatis, quæ ſumitur à morboſa, & ſalubri natura; & ita mor-
boſam habemus, & ſalubrem obeſitatem. Morboſam vocamus, quæ peruenit ad extre- *Morboſa obe*
mum magnitudinis, ita vt lædat actiones, vti habemus apud Rhaſim 14. contin. & Gal. 2. *ſitas.*
de temp. 4. apud Auicen. 7. fen. 4. libri tract. 4. cap. 5. Apud Hippocr. in lib. de aere, aquis,
& locis, circa finem: ad extremam craſſitiem ſolent iſti morboſi affectus contingere. &
primum, quo ad generationem, qui præter modum craſſi ſunt, ſolent eſſe inepti ad Ve- *Obeſi inepti*
nerem, neque illam ſolent affectare, & non percipiunt magnam voluptatem in coitu. *ad Venerē.*
ſolent tamen aliquando luxurioſi eſſe, & gignere plures maſculos, & fœminas. Nocu- *Ariſtot. &*
mentum autem, quod fœminis valde præpinguibus accidere ſolet numeratur ab Hip- *Auerr. 1. de*
pocr. vbi ait non ſolere concipere mulieres præter modum obeſas: quia conculcatur os *gen. ani. 18.*
vteri ab omento, & non recipiunt ſemen; & ſi concipiunt, non retinent ob mollitiem. *1. aph. 46.*
& ſi concipiunt forte, patiuntur abortum: & ſi pariunt, imbecillis erit fœtus. Non ſunt
ſalaces; non ſentiunt delectationem coitus: ideo aduertant Medici circa fœtus pin-
guium: quia laxi ſunt, & imbecilles, & cito corrumpuntur. Addatis, quòd in hac mor- *Morbi pin-*
boſa pinguedine ſequitur anhelitus difficultas. addite cordis tremorem, & palpitatio- *guium.*
nem: ſolet diarrhœa fæcum, vel alterius materiæ ſuccedere. patiuntur etiam ſæpe dy-
ſenteriam ex Galeno 2. de temp. 4. iſti non poſſunt tolerare famem, nec ſitim: quoniam
cum habeant venas anguſtiores, ſi ieiunio infeſtantur, deficiente ſanguine pauco, quem
habent, deficiunt vires. Hoc confirmatur ab Hippocrate, Rhaſi & Auicenna locis dictis.
Appetunt imbecilliter cibaria: quia humiditate nimia abundant, & (ex lib. de ſalubri di e-
ta) ſcatent plurima pituita: & ideo ſemper languet appetitus; quamuis labantur vires
ob ieiunium. Adiungitur etiam hebetudo ſenſus: ego vidi, quòd corium in vno ex his
erat ita incraſſatum, vt ſenſum amiſerit ratione nimiæ impactionis neruorum: ineptiam
habent ad motum. & per hanc ineptiam non ſolum intelligo motum diminutum: ſed
quia ſunt multi motus, quos perficere non poſſunt. primo, quoniam non poſſunt exten-
dere brachia ad poſteriora, vt obſcœnas partes mundent: pariter optimè non poſſunt fri-
care caput, nec attollere fœmur, & ponere pedem ſupra genu, & in motu infinita alia
incommoda patiuntur. præterea imbecillitas eſt omnium actionum, quæ etiam in ſanis
obeſis reperitur. Eſt autem ſana obeſitas, quæ eſt coniuncta cum ſanitate corporis ex *Obeſitas ſa-*
Galen. primo de ſanit. tuen. 5. vbi dicit obeſos, & valde obeſos ſanos eſſe: non tamen ſi- *na.*
bi placere eorum habitum: ſunt ſani, quia obeunt ciuilia munia, commodè equitant,
currunt, iter faciunt, & cæteras actiones adminiſtrant, gignunt, dormiunt, vigilant, ſtu-
dent, & omnia alia agunt, quæ homo ciuilis agere debet. Et quamuis huiuſmodi craſſi-
ties non lædat actiones, tamen non eſt vtilis in ſenibus, ſed periculoſa: indecora eſt iu-
uentuti, & indecens ex 2. aphor. 54. ideo eſt abigenda, & omni ſtudio, diligentia, ac ope
Medica extirpanda.

Sed hoc non eſt ſatis: oportet ſcire quomodo fiat hæc obeſitas: Fit dupliciter, vel ſu- *Quomodo*
perabundante pinguedine, vel carne: ſi ſuperabundat pinguedo, craſſities, vel παχύτης *fiat obeſitas.*
dicitur, ſi caro, πολυσαρκία vocatur. Quomodo abundat pinguedo? ex Galeno in om- *2. de tēp. 4.*
ni generatione ſanguinis ſemper gignitur multa copia pinguis tenuis & leuis materiæ,
quæ oleoſa eſt, iſta in corporibus calidis & ſiccis ſolet eſſe pabulum calidi innati, & ita
non apparet, ſed in habitum conuertitur, & exhalat. Huiuſmodi oleum in omnibus
animalibus generatur, in habitibus frigidioribus, & humidioribus. cum calor ille ſit
moderatus, ex iſto oleo quid fit? transfunditur à venis ad extra venas, quia cum tenuis
ſit, penetrat, & extruditur extra venas. & cum quicquid eſt extra venas, vel ſit pars

frigida & ſicca membranoſa, oſſea & cartilaginoſa, vel ſit pars carnoſa calida, & humida. ſi hoc oleum accedit ad primam partem, fit pinguedo, & ſic ſunt corpora pinguia, non obeſa. ſi accedit ad carnoſas partes, quæ ſi ſint calidæ in halitum vertunt illud oleum. ſed ſi caro vel ratione otij, vel alia ratione deſes facta eſt, & imbecillis redditus ſit eius calor, *Auctio in carne.* tunc augentur carnes, & corpus non ſolum pingue, ſed obeſum dicitur. At ratione carnis fit hoc modo, quia partes carnoſæ ſunt robuſtæ, & attrahunt maximam quantitatem ſanguinis, vel quia vaſa anguſta transfundunt maximam copiam ſanguinis, qui fit caro, & augentur muſculi, & creſcit corpus per incrementum carnis. Hic eſt geminus modus, cui addamus tertium, quando ex vtroq; fit craſſum corpus noſtrum: plurimi fiunt obeſi ratione pinguedinis: rari, carnis ratione; frequentiſſimi, ratione vtriuſque.

De Cauſis, ſignis, & præſagijs obeſitatis. Cap. III.

Cauſæ. QVID eſſet corporis craſſities, vti fieret, & eius ſpecies quot ſint, diximus: nunc videamus cauſas, deinde ſigna, tertio præſagium, & tandem veniamus ad curationem. Cauſas omnes diſtinguunt in duo capita, in internas & externas. in primo loco externarum *Aer frig. & hum. 2. ſimpl. 20.* ſunt aer frigidus & humidus ex Galeno. vnde apud Scythas, in quibus vigent frigora, reperiuntur obeſa præter modum corpora. *Quies.* Quies etiam obeſa reddit corpora: quia refrigerat calorem, & non abſumitur alimentum. *Motus temperatus.* addatis motum temperatum, quia tantus ſit, quantus ſatis ſit ad eliquationem materiæ. *Fricationes. Vnctiones. Balnea.* fricationes, inunctiones replentes, & balnea ſunt etiam cauſæ obeſitatis. præterea eſt ſomnus longus, quoniam in eo non fit digeſtio & excuſſio materiæ. verum omnia ſuperantur à copia ciborum multum, & cito alentium. *Copia ciborum.* primum inter hæc locum habent vina craſſa, dulcia, & parum differentia à ſanguine. *Vinū dulce.* vnde habemus vinum maritimum ibidragum vocatum, quod ex Illyria affertur. *Cauſæ internæ robur carnoſi generis.* Inter cauſas internas connumeratur primum, robur carnoſi generis, ita vt maximam copiam ſanguinis attrahat: & ideo multum creſcat: ſanguinis etiam nimia copia ſolet eſſe cauſa obeſitatis: ſicuti etiam maxima copia oleoſæ materiæ eſt altera cauſa materialis obeſitatis. *Venarum anguſtia.* Venarum anguſtia, quoniam cum non multa congeries ſanguinis in venis fieri poſſit, neceſſe eſt extrudi extra venas. potiſſimum eſt habitus frigidus & humidus, quoniam in eo oleoſa materia, & ſanguis abundat, & non reſoluuntur humiditates: ſed oportet, vt frigiditas non ſit intenſa.

Signa naturalis obeſitatis. Signa obeſitatis non ſunt tradenda; quia patent ad ſenſum. ſed ſignis cognoſcuntur ſpecies obeſitatum: nam vna naturalis, altera non: vna morboſa, altera ſalubris eſt. color albus, mollities cutis, pilorum defectus, venarum anguſtia indicant craſſitiem naturalem. *Signa nō naturalis obeſitatis.* ſi color ſubruber, vel niger, cutis dura, pilorum abundantia, venarum apertio, tunc erit non naturalis. Cognoſcitur etiam obeſum corpus ob pinguedinem: quia albedo eſt nimis candida, laxitas vniuerſi corporis cum flacciditate partium, frigiditas *Ex pinguedine.* ad tactum, quæ eſt pinguedo Carniſpriuij: ita enim illud depingunt. Obeſitatem verò ex carne adaucta cognoſcimus primum ex ſoliditate molli corporis, indicatur ex colore albo cum rubore admixto, caliditate ad tactum inſigni, verum leni, non mordicante. *Ex carne.* adeſt robur maximum virium in omnibus actionibus. *Signa morboſæ obeſitatis.* ſi arripiant hominem ſupra thoracem, & conſtringant, ſuffocabunt, & dimouebunt, veluti ſi palea eſſet. Si verò ſit craſſities morboſa, cognoſcitur à ſymptomatibus: ſi ſalubris, cognoſcitur, quia non adeſt impedimentum. *Signa ſalubris obeſ.*

Præſagia. 2. de tēp. 12. Præſagia, quæ poſſunt in pinguedine proferri; hæc ſuut, vt ſit ſemper ſuſpectus habitus craſſus & obeſus. ratio eſt ex Galeno, quoniam facile patiuntur ab internis cauſis, aut ſalubris, aut inſalubris ſit obeſitas: patiuntur enim ab obſtructionibus, à feruoribus, &c. *Inſtantia.* præterea, qui obeſi ſunt, etiamſi ſalubres ſint, facile moriuntur 2. aphoriſm. 44. Inſtant Arabes, & dicunt, quòd per ſe non ſubijciuntur obeſi huiuſmodi periculo: quoniam vita conſiſtit in humido, ergo obeſi diutius viuere debent: quia habent multam materiam pro alimento caloris. *Solutio.* Verum ſi obſeruemus quæ conſequuntur, cum nimia fuerit craſſities, facile calor ſuffocatur. præterea cùm ſubijciantur occaſionibus internis, facile ſuffocantur, & alteratur calor in ipſis. *Primo de dig. ex pul. 8.* huius rei reddit rationem Galen. in comm. illius aphoriſ. & dicit, quòd breuis vita pinguium, quia deeſt ſanguis copioſus, in quo ſuſtentatur calor; eo quod venæ ſunt anguſtæ, & eſt ratio contraria Arabibus. præterea (dicit) non multus eſt ſpirituoſus calor: quia arteriæ primum natura anguſtæ ſunt,

deinde

Digitized by Google

deir .de ab abundantia carnis,& pinguedinis coarctantur ex Galen.& ita non poſſunt co-pio| .um calorem ad corpus deferre. ſi nobis tractandum eſt obeſum corpus,poteſt ne ſa-nit: ıti reſtitui? ſi non eſt confirmata obeſitas di.ficile ſanantur; ſi diuturna difficilius; ſi eſt: naturalis, & diuturna, multo difficilius, tamen omnis obeſitas vinci poteſt.

De Indicationibus curatiuis. Cap. VIII.

QVOMODO autem obeſitas iſta ſuperabitur? Nos dicebamus, quod cauſa obeſitatis eſt habitus frigidus & humidus: humidus præcipue cum moderata caliditate & frigiditate, qui aut ſit acquiſititius, aut naturalis, ſi hoc eſt, neceſſarium eſt, vt nos in ſuperanda obeſitate habeamus ſcopum mutandi huiuſmodi habitum. in obeſo corpore abundat humida materia neceſſarium eſt conuertere in ſiccitatem, & caliditatem; oportet ergo, vt nos immutemus iſtum habitum;& ſic obeſitas exiccabitur ex Galen. ſed aſſequemur hunc ſcopum duobus modis,primo diſcuſſa omni humiditate, quæ iam congeſta, & compacta eſt: non poſſumus facere hoc, niſi pinguedinem, & carnem eliquemus, & poſt diſcutiamus. ſecundum agendum eſt, vt nos impediamus nouæ humiditatis generationem, & additionem. Hoc autem fiet vel ſubminiſtrato minimo alimento, vel vt mali ſucci ſit alimentum, non reſpondentis pinguedini, ita vt partes potius fugiant, quam attrahant; vel alimentum ſit paucum, vt non poſſit pertraſire ad loca reficienda; aut quod viſcera ſint præter naturam affecta, vt bonum non reſtituant alimentum: vel obſtructa ſint.

14.meth.15

Quibus autem inſtrumentis hæc aſſequemur? ſicut res non naturales poſſunt replere corpus, ita etiam euacuare ex Galen. & Hippoc. ſicut aer frigidus & humidus replet, ita calidus & ſiccus exiccat eliquando carnes, & abſumendo. in hoc caſu æger ſub Sole ſit, & ſi poteſt eſſe nudus, eo melius, quoniam ſi ſit in aere calido & ſicco, & ſub ſole: maxime ſiccatur corpus. ſi ſit in loco frigido, & corpus ſit nudum, frigiditas repellit calorem, & facit bonam concoctionem, & impedit transfuſionem materiæ à venis ad extra venas. Nos habemus præceptum Orib. apud Rhaſim 14. contin. vt non ſolum ſint ſub ſole, ſed obruantur arena, & cineribus. & ego expertus ſum, & experimentum optimum eſt, dummodo ſit obeſitas naturalis, & non adſit corium durum. pariter ſi lutemus cretaceo luto,vel luto montis Ortonis facit ad ſummam maciem,non ſolum in particulis, ſed in vniuerſo. accipimus enim lutum, & diſſoluimus aqua thermali, vel chalybeata, & vngimus corpus, & exponimus ſoli. ſolemus autem obruere arena, vel luto corpora, ne obducantur cruſta, corrumpantur, exiccentur, areſcant, & vlcera oriantur, atque rimæ contrahantur.

Aer.
5. de tuend. ſan.2.
Ex lib. de ſalu. dieta 13.
Aer.

Adiungitur motus, & quies: quoniam quies aliquando, quæ labefactat virtutes partium, ſolet extenuare partes:quamuis motus moderatus impinguat, tamen inter cauſas potiſſimas gracilitatis motus connumeratur:ſed debet eſſe motus vehemens, acutus,inducens ad laborem, & laſſitudinem, atque ſudorem. Exercitationes ſunt luctatio, equitatio, luſus pilæ vel paruæ,vel follis magni, foſſio agrorum, luſus ſerræ, & dimicatoria exercitatio: ſed inter omnes Galen. numerat curſum vehementem. Ex quo colligo, quod inter omnes exercitationes nulla potior eſt curſu:non quia difficilior,& maiorem ſudorem faciat:ſed quia obeſi hanc exercitationem facere poſſunt. Dimicatio periculoſa eſt, ne defodiantur oculi; non poſſunt equo vehi, ne rumpatur dorſum equi:non ludere pila, ne cadendo naſum comminuant:nullus eſt, qui currere non poſſit, quamuis curſus non ſint ita validi. Sed in hoc curſu hæc obſeruanda ſunt. primo,vt fiat ieiuno ſtomacho, ne repleantur artus; ſecundo,vt ſtatim poſt curſum non comedat; ſed ſinat,vt refrigeretur corpus: poſtea accedat ad balneum, & demum cibetur. tertio, vt præparetur corpus ad curſum: præparabat Galen. frictionibus linteorum duorum, donec rubeſceret corium, deinde oleo reſolutorio vngebat, quod deſcribitur ibi à Galeno & 14. method.5. & conſtat ex oleo veteri cocto cum althea, ariſtoloch. opop. &c. quod in officinis reſolutorium vocatur. ſed ſi non adeſt: omnia olea acopa bona ſunt, vt ol. lil. alb. ſimp. & comp. cum arom. ol. irinum, ol. de ſpica cum arom. quæ reſoluentia ſunt. ſed vnum notate, quod cum dixerim præceptum eſſe neceſſarium,vt iſti poſt curſum quieſcant, contrarium proponitur ab authore libr. de ſalub. dieta,qui dicit, vt ſtatim anhelosi ſumant cibum. dicit Galenus in com. ideo authorem dicere hoc, vt celerrime repleantur corpora. Hoc autem facit ad extenuationem: quia non nutriunt: quoniam dum

Motus, & quies.
5. & 6. de tuenda ſan.c.2. & 8.15.meth.15.
Curſus.
14.meth.15 prope finem.
Ol. reſolutiuum.

attra-

attrahuntur cibaria violenter, inconcocta, & cruda ſunt: & ideo non facile fluunt, nec poſſunt reficere corpora. Præterea faciunt obſtructiones in viſceribus; niſi iſtæ ſint cauſæ, ex Galeno poſſumus colligere, quod ſibi non placet: quoniam morboſum corpus efficeretur. igitur quieſcant poſt exercitium ex Gal.

Somnus & vigilia. Somnus, & vigilia impinguant corpora, ſi moderata fuerit vigilia. ideo contrarium eſt inſtituendum. plurimum vigilandum eſt. ſtudeant obeſi, & vigilent, vt fiant graciles, ſed, ſi quis ſtudeat, & poſtea dormiat, vel fuerit in otio, non fiet gracilis: parum dormiat ſuper lectum durum, non in pluma, nec in ſtrato molli: quoniam dura cubatio ſemper confundit partes, & impedit appoſitionem alimenti; ideo dormiat ſupra tabulam, vt maceretur. *Excrementa.* Addatis excrementa corporis, facite, vt fæces, & lotia excernantur, & ſubducantur. & ita clyſteres acres quotidie imponendos curate; quoniam neceſſarium eſt ex Auic. vt diſtributio alimenti impediatur. poſtquam ergo concoctus cibus eſt in ventriculo, ſtatim facite, vt fæces excernantur, & bonæ ſunt aliquot pillulæ ad hoc. & ego ex aloe familiares habeo, & mando, vt quotidie vnam ſumant ante cibum: ſed hæ non ſunt bonæ pro ſenibus. *Animi paſſiones.* Addatis & animi paſſiones, quæ maximi ſunt momenti. Monent Arabes, vt ſemper maledicamus illis, nuntia mortuorum amicorum, atque parentum afferenda, obiurgandi ſunt, culpandi, iniurijs onerandi; quamuis ego viderim homines continuo liuore vexatos, & perturbatos, impinguari. ideo obeſi negotientur.

Venus. Veneris ratio habenda eſt; nullus eſt habitus, in quo tantum venus proſit, quantum in obeſis. vtinam tantum poſſent, quantum opus eſt: ſed non ſunt ſalaces, ineptiſſimi agent. *Victus ratio victus tenuis.* Victus ratio tenuis, & attenuans habenda eſt, per tenuem intelligimus victum exhibentem paucum alimentum. paucum alimentum poteſt haberi a victu vel pauco exiſtente in quantitate, vel magno in quantitate, quod parum alat. & ideo comedant ſemel in die. ſed parum comedant dicit Gal. in lib. de ſalub. dieta. Vnica illa vice, ſi demus carnes bonas, vel panem, demus quam minimum. ſed ſi famelici ſunt? Ego habui obeſos, qui omnia ſubibant, vt extenuarentur. at in vno prandio comedebant tantum, quantum comedunt quinque homines. *5. de tuen. ſ.* ad minus enim duos capos deuorabant. Ego vidi lachrymas exudantes præ fame ab oculis eorum. Galen. monet nos, vt exhibeamus panem furfuraceum: nam ſi multum comedunt, multum cacabunt. Mandant olera quantum voluerint, vt eſt lactuca, ſpinachia, &c. præterea fercula exhibemus ex oryza, ex milio, & ſi poſſent comedere panem ex ſorgo, extenuarentur ſpatio quindecim dierum. *Carnes.* Inter carnes, nulla poteſt exhiberi: quia omnes alunt. *Aqua.* bibant aquam. Dices tu, vis ſiccare, & aqua humectat, & refrigerat, exhibete aquam cum aceto. & ego vidi ex vſu ſolo oxycrati, vel aquæ chalybeatæ ſanatos. *Victus attenuans quid.* Victus attenuans eſt, quod parum nutrit, ſed attenuat. & primum locum tenent in hoc caro, & piſces ſalita. *Caro & piſces ſaliti.* Præterea caſeus antiquiſſimus ſalitus: Oleta omnia acria, vt allia, cepæ aſcalonitæ vel communes, & bibant aquam, ſi voluerint, & habeant hæc omnia cruda, vel cocta. comedant radices raphanorum, erucas: & poſſumus coquere admixto aceto. *Caſeus.* *Acetum.* Et quamuis Rhaſes dubitet de aceto: quoniam diſcutit valde: ego tamen dico; quod diſcutit exiccando. Ego vidi potantes quotidie ſpatio 40. dierum cyathum ſex, aut octo vnciarum emaciatos: aliquot reperi, qui coquebant acetum cum ſemin. fœnic. vel aniſi, vel petroſel. aſparagi amari ex montibus cibum præſtant ad hoc commodum. Item caules tenues, & ſtolones ex ruſco, ex bonifacia herba: & omnia cibaria calida & ſicca præſtantiſſima ſunt. vnde vſus cinn. caryoph. piperis, & omnium aromatum præſtantiſſimus eſt. *Potus.* Potus ſit aqua, vel vinum acerrimum, & calidiſſimum in parua quantitate, vel poſca. multum vinum replet corpus. poſſumus ne iſtos alia ratione extenuare? Per medicamenta, de quibus agere iam tempus oportunum eſt.

Sudorem mouentia. Imprimis autem duo medicamenta notanda ſunt. primum eſt propoſitum à ſcriptoribus euacuans, vt ſunt, quæ euacuant per ſudorem, vel per lotium; omnia genera apiorum bona ſunt, aſparagi amari: *Lenientia.* quæ leniunt aluum, ſunt præſtantiſſima, & ideo pillularum continuus uſus præſtans eſt. *Sectio venæ.* ſed quis dicet: euacuatio per ſectam uenam conuenit? *1. ad Gal. 18* nullus de hoc mentionem facit: quia in his, ut plurimum, non abundat ſanguis, cum habeant uenas anguſtas. ſed Galen. dicebat, quod copioſus miſſus ſanguis in obeſis, periculoſus eſt, quia iſti facile patiuntur. ſi paucum ſanguinem mittimus, nihil erit. ſi multum, non perferent uires. ideo tantum purgantibus mediocribus eſt lenienda aluus. At medicamenta alterantia quæ ſunt? quæ habent uim ſiccandi. & digerendi. ut eſt ruta. & quamuis Galenus laudet ſyluestrem, *Alterantia.* tamen hortenſis præſtantiſſima eſt: ego laudo, ut iſti comedant rutam, fiant decocta, & electuaria ex ruta. addite ariſtoloch. rotund. addite centaur. minus: cui parum fido, quia lotia ſanguinea prouocat. addatis gentianam, polium montanum, ſal uiperinum, quia eſt præſtantiſſimum pro morbo articulari. Trociſci uiperini præſtantiſſimi ſunt. Meminit cuiuſdam compoſitionis Gal. in lib. de Antid. The-

riaca

Digitized by Google

riaca præſtantiſſima eſt. ſed Arabes addunt laccam, & ſuam ſandaracam matutina hora. addunt compoſita hæc, veluti acetum ſquilliticum, non dico oxymel ſquilliticum, quod perferre non poteſt ſtomachus: nam acetum ſtatim petit fundum, & non facit conuulſiones, & actiones moleſtas in ventriculo. at oxymel id facit ratione mellis, quod ſupernatat, & manet in ore ventriculi. ideo cochlear accipiant aceti ſquillitici, proculdubio extenuabuntur. Ego macero eam cum vj.℥. aquæ marinæ matutina hora aſſumptis: aliquando trociſcis vſus ſum de lacca, de rhabarb. de abſynth. & confectio anarcardina habet principatum, quam matutina hora capiat in pauca quantitate.

De Gracilitate. Cap. V.

SEQVITVR diſpoſitio quædam ſuperiori penitus contraria, quæ varijs vocibus nuncupata eſt. nam Gal. tribus vocibus vocare ſolet. λεπτότης enim, hoc eſt tenuitas, appellatur. ἰσχνότης, hoc eſt, gracilitas. λεπτυσμὸς, id eſt, attenuatio, quamuis etiam extenuatio ſignificet motum, per quem introducitur gracilitas. Noſtri vocant gracilitatem maciem; vnde gracilia & emaciata corpora vocantur: dicitur quinetiam tenuitas: in libris Arabum, & recentiorum extenuatio vocatur, in qua affectione videamus quid ſit, quomodo fiat, quot ſpecies habeat, deinde quot ſint cauſæ, ſigna, & quid præſagiendum?

6. epid. com. 3. com. tex. 29.

Propoſitum & ordo.

Sicut ergo tripliciter excedit quantitas, ita etiam huiuſmodi gracilitas, & attenuatio trium generum eſt: quando corpus attenuatur, ita, vt ſit breuius, & tenuius, quam conueniat ſecundum latum, & profundum: & ſunt puſilla corpora, vt pygmæorum. aliquando deficit quantitas in longitudine tantum, & iſta dicitur breuitas: aliquando ſolet diminui ſecundum latum, & profundum, & tunc eſt macies, gracilitas appellata. ex his colligimus definitionem, & dicimus cum Galeno quod macies eſt totius corporis molis ablatio ſecundum latum, & profundum intra id, quod eſt ſecundum naturam. nam quoties tumor naturalis, prominentia partium ſecundum latum, & profundum eſt ablata in vniuerſo corpore, dicitur macies: nam, ſi eſt vnius partis, potius dicitur extenuatio: & eſt affectio, quæ non eſt præter naturam, ſed infra id, quod eſt ſecundum naturam. nam recedunt partes ab habitu naturali tripliciter, aut præter naturam, quando laborant morbo: aut ſupra naturam, quando laborant obeſitate: aut infra naturam, quando laborant macie.

Differentia.

Quid macies.

In lib. de tuca. 1. 6. epid. com. 3. com. tex. 29.

Sed macies duplex eſt, vna eſt, quæ eſt morbus, & conſequitur ad tabem, alia eſt non morboſa, in qua actiones oportunæ ſunt, & hæc infra naturam dicitur. Huiuſmodi cognoſci oportet ſpecies, quę oriuntur ratione trium differentiarum, ita vt ſex ſint ſpecies: vna eſt naturalis, altera non naturalis, & idem dicimus per contrarium, quod diximus de obeſitate. Naturalis macies eſt, quando habitus conſentit cum gracilitate, & hic habitus duplex eſt, aut frigidus, & ſiccus, aut calidus, & ſiccus. non naturalis eſt, quando nos videmus, quod non reſpondet habitus naturalis viſcerum cum gracilitate: vt quum habitus eſt frigidus, & humidus, vel calidus & humidus, & gracilitatem habet. Aliæ ſpecies ſunt, vt nos cognoſcamus morboſam, & ſalubrem maciem: morboſa eſt coniuncta cum morbo, cum tabe, vt aridi facti ſint, hirſuti ægri, & conſiſtere non poſſint. Salubris eſt, quando ciuilia munia perficere omnia poſſunt corpora. alia ſpecies eſt, quando macies eſt confirmata, in qua non ſolum carnes, & partes pingues conficiuntur, ſed etiam cutis eſt emaciata, & contracta, & ſiccata. contra autem quum videmus attenuatam pinguedinem, & carnes, & laxam, & flaccidam, & mollem cutim, tunc non eſt confirmata macies. Hæc colliguntur ex Gal. in loco dicto epid.

Species.

Naturalis macies.

Non naturalis.

Morboſa.

Salubris.

Confirmata.

Modus autem, quo fit macies, triplex eſt, aut per eliquationem tantum pinguedinis; vel per pharmacum, vel per laborem inſignem. alter modus eſt, quando non ſolum pinguedo, ſed etiam caro abſumitur, & hoc prouenit à validiori cauſa; tertius modus eſt, quando non ſolum pinguedo, non ſolum caro, ſed etiam humiditates, quæ ſunt in corio, & partibus ſpermaticis, conſumuntur. & hæc eſt potiſſima & conſummata macies.

Quomodo fiat macies.

Cauſæ maciei diſtinguuntur in internas, & externas. externæ ſunt omnes cauſæ, quas laudabam pro cohibenda obeſitate. nam primo ipſe Hippocr. in lib. de aere, aquis, & locis. Galen. 5. de ſanit. tuend. 2. proponunt aerem calidum extenuare corpora; vnde incolentes loca calida graciles ſunt. aer etiam fit arte calidus. Vnde mora ſub ſole, nudatio

Cauſæ externa.

Aer.

corporum, conſiſtentia ſub arena, vel puluere, exercitatio immoderata, lotiones in aquis thermalibus, frictiones validæ, natationes in mari, curſus, ſaltus, luſus pilæ, vigiliæ, omnia hæc extenuant. adeſt etiam diarrhœa, qua colliquantur carnes & pinguedo. quoties ergo fluxus ventris adeſt, adeſt extenuatio. euacuatio etiam per lotium inſignis facit macilentos. Vnde diabetici maciem habent. addatis animi paſſiones. Veneris vſus *Victus ratio.* peſſimus eſt. Verum ratio alimenti primas tenet. & eſt alimentum extenuans tenue vel potentia vel actu, tenuem actu voco, qui in pauca quantitate ſubminiſtratur; qui vult non eſſe macilentus, non parum comedat. ſimiliter victus potentia tenuis hoc eſt parum alens, idem facit. Verum etiam alimentum attenuans idem præſtat, vt allia, cæpe, cinnamomum, & aromata. ſed addatis medicamenta: mille obeſi facti ſunt tenues poſt *14. Meth. 15.* pharmaca exhibita ſoluentia, Antidota diuturna, & purgantia. Ex quo Galenus dicit, quod aliqui ex continuo vſu theriacalium ſalium mortui ſunt, adeo extenuati ſunt.

Cauſa interna. Internæ autem cauſæ ſunt iſtæ. prima eſt ſanguinis defectus; quia non tantum oleum eſt in ſanguine, nec tantus ſanguis defertur ad muſculos, vt caro gigni poſſit; ideo neceſſario fit macies. non eſt autem tantus ſanguis, vel quia vitioſus non poſſit diſtribui, vel quia nimis paucus ſit in venis. Quomodo vitioſus? Hoc vitium exponit Auicennas. quod eſt duplex vel in ſubſtantia; vt ſi ſit nimis craſſus, vt non poſſit egredi è venis, vel per qualitatem, quãdo bilioſus amarus effectus abhorretur à partibus, & non attrahitur. *6. de tuend. ſa. 3. & com. prædicto.* alia eſt cauſa interna, quam proponit Galenus & eſt facultatum ipſarum imbecillitas. explicat duobus modis, primo quando dicit; non fit bona diſtributio, ſecundo, quando non fit in partibus concoctio bona. quid ſibi vult? hoc eſt quod facultas attractrix partium carnoſarum non eſt adeo valida, vt attrahat ſanguinem, vel quoties concoctrix mala erit. quia quando non bene concoquunt, non bene immutant, ſuccedit macies. Rhaſes & Auic. dicunt, quod quoties expultrix peccat, ita vt citius expellat ſanguinem, vel quoties attractrix non tantum attrahit; fit macies: de quo etiam Gal. *3. de cauſ. ſymp. 1. & 2.* Addunt tertio in loco temperaturam totius corporis. nam duæ temperaturæ neceſſario faciunt maciem, vna eſt calida, & ſicca. potiſſima autem eſt illa, quæ eſt intemperies frigida & ſicca. In his au- *6. de ſa. tu. 8.* tem duobus debemus nos hoc obſeruare, quod poſſunt eſſe naturales, & acquiſititiæ *Lien magnus cauſa maciei.* temperaturæ, & vtræque faciunt ad gracilitatem. Rhaſes & Hipp. in lib. de aere, aquis, & locis capite tertio notat, quod magnitudo, ſcirrhus, & craſſitudo lienis emaciant corpus, & hoc experimẽto cognitum eſt. reddit rationes plurimas Auic. reddit vnam Hipp. & dicit, quod lien creſcens abſumit, veluti ſpongia, omnem ſanguinem, vel bonum, vel malum. addit Auic. primo, quod lien, cum inculcet hepar ob magnitudinem, refrigeret ipſum, & fiat mala cõcoctio ſanguinis. ſecundo, quia facit obſtructiones in hepate, & eſt *Vermes.* cauſa, vt non fiat diſtributio. additur aliud ab Auic. 3. canon. vbi loquitur de fame; quod, qui laborant vermibus in ventriculo, & inteſtinis, macie afficiuntur: & hoc patet in puerulis. etenim turgidulos vidimus infantes ſenſim emaciari. matres ſolerites ponũt os ori, & ſentiunt prauum odorem, & cognoſcunt. Neque ſolum vermes concreſcentes in ventriculo, ſed etiam in renibus, vel alia parte, emaciant. Nephriticæ affectiones cauſæ ſunt maciei: addunt reſolutionem nimiam ob calorem, ſed hæc refertur ad alias cauſas.

Signa. Naturalis. Cognoſcitur autem naturalis macies, quum venæ ſunt latæ; corpus piloſum, color ſubniger. *Non naturalis.* non naturalis; quum color albus, venæ anguſtæ, & corpus molle & glabrum eſt. *Morboſa.* Maciem morboſam indicat morbus præſens: *Salubris.* maciem ſalubrem indicant actiones præſtantes, de qua loquitur Hipp. in aph. & dicit, quod diuturniorem vitam producit, quam obeſitas; quia non adeſt occaſio ſuffocationis caloris. iſta autem macies, ex Gal. eſt, quæ facile patitur ab externis, vt ambiente calido, & frigido: ſed obeſi magis patiun- *Non confirmata.* tur ab internis. Macies non confirmata cognoſcitur, quoties cutis eſt laxa, & poteſt diduci à ſubiectis partibus: *Confirmata.* contra quando nos videmus, quod cutis dura, contracta non poteſt diuelli à ſubiectis partibus, erit confirmata, & ideo duobus, vel tribus verbis Hipp. explicabat has ſpecies in illo tex. 29. 3. ſect. 6. epid. quando dicit in macie primum laxatur cutis; deinde contrahitur. quando macies fit, vel eſt facta, non confirmata, tunc cutis eſt laxa, tunc eſt confirmata, quum corium ſiccatur, vt ſi ex vtre educamus vinum, aut oleum, & etiam aridum, & ſolidum reddamus.

Præſagium. Quando habemus iſtas macies, quid eſt ſperandum? non naturalis, & non confirmata facile reſtitui poteſt, dummodo non adſit morbi impedimentum. Et ideo optime videatis cutim maciatorum, habitum, & præterita, & præſentia ſigna inueſtigetis. ſecundo macies naturalis non confirmata difficilis eſt curationis; naturalis confirmata difficilior eſt. macies morboſa ſequens marcorem, & tabem, inſanabilis eſt, niſi per miraculum.

De

De Maciei curatione. Cap. VI.

QVOMODO ergo erit replendum corpus? non eſt dubium: tota ratio conſiſtit in his tribus capitibus, vt nos paremus bonam concoctionem, bonam diſtributionem, & apta materia ſubminiſtretur in qualitate & quantitate. Hoc fiet duobus præſidijs, ratione victus, & reliquis rebus non naturalibus, atque pharmacis. de rebus non naturalibus mutate omnia, quæ diximus in curatione obeſitatis. Eligite aerem calidum, & humidum, vel frigidum, & humidum. *Aer.* quietem, & motum moderatum. *Motus, & quies.* mora in balneo moderata præſtans eſt; nam replet artus, non extenuat. *Balneum.* frictiones molles rubram tantum cutim reddentes. ſed etenim duo ſunt frictionum genera, molle, replens, & durum, conſtipans. *Fricationes molles.* nos autem lenibus linteolis fricemus, donec rubrum fiat corpus. deinde duris linteolis breuiter fricetur cutis tribus vel 4. vicibus quia conſtipando non fit exhalatio. Conſtipanda autē cutis poſt frictionem, vel per balneum calidum, vel aqua frigida, ſi virtus fuerit robuſta. & ita neceſſario manet humiditas in partibus, & apponetur. *Vnctiones.* ſi autem corpus non ſit robuſtum, venite ad vnctiones olei viſcidi, & non reſolutorij, vt ol. oliuarum maturi, vel omphacini; & ſi roſatum fuerit, præſtantius erit, ol. amig. dulc. ol. pineorum nucleorum, vel ex piſtachijs præſtans eſt; quia humectat, & adſtringit. Ad hoc facit ſomnus multus. *Somnus.* & ego memini, quod volentes impinguare ſues, accipimus farinam loliaceam, coquimus, & damus, vt ſorbeant ſues. Somnus profundus inducitur eis, & maxime pingueſcunt. Vnde laudo lactucas, vel lac ſeminis papaueris, vel hyoſcyami. Addatis animi paſſiones; læta quærant, fugiant grauia. *Animi paſſiones.* Venus fugienda, & qui volunt pingues fieri, caſtrentur. Vnde Eunuchi ſunt pingues, molles. ſolemus autem caſtrari & mente, & gladiolo. Caſtremini mente, caſtrando appetitum veſtrum. *Venus.* Cibaria ſunt contraria attenuationi. *Cibaria.* & primum ſunt boni ſucci, & facilis concoctionis. ſed quædam ſunt peculiaria, & primum locum tenet lac, quod quanto craſſius, tanto oportunius. *Lac.* Neque ſolum in prandio, & cœna, ſed matutina hora ante prandium ſex, vel quinque horis. lac vaccinum primas tenet; ſecundas ouinum; tertias caprinum; quartas & vltimas aſininum, & humanum. & quamuis butyrum ſit oportunum, tamen lac non ſit ex animali præter modum pingui, ne fluat in ventriculo. Secundas adſcribimus ferculo facto vel ex cremore cicerum, vel ex cremore optime cocto fabarum, vel ex medulla panis, optime & diu cocta in aqua, vel iure. *Cicerum, & fabarum cremor panatella.* & Illuſtriſſimæ iſtæ Venetæ vtuntur. ſed neceſſarium eſt, vt accipiat quam tenuiſſimam ſubſtantiam, quæ, niſi attenuetur, non impinguat; quia non habet celerem appoſitionem. vnde bulliat panatella ſpacio quinque, ſex, aut ſeptem horarum, vel etiam octo cum maxima copia aquæ: nam, ſi non ita bullit, obſtruuntur viſcera. & hanc capiunt poſt, vel ante cœnam. vos teſtes eſſe poteſtis coloris, & pulchritudinis ſanguinis illarum. ſi autem exhibeamus cremorem cicerum, aut fabarum, pinguia fiant fercula butyro. Succedit ſubſtantia amygdalarum optime cocta, & pinei nuclei cum panatella. Sed defertur quædam nux ex Indis, quæ Indica nux dicitur, *Nux indica.* quæ, ſi rancida non eſt, ſed recens, ſi pura comedatur, vel ex ea panatella conficiatur, primas tenet in incraſſando. at notate, ne rancida ſit; quia non diſtribuitur; ſed ſiccat, & attenuat. Quæ autem ſint cibaria boni ſucci, nota ſunt. ſed cibi bene, & cito diſtribuantur. In qua re ego reperio Gal. diſſentientem ab Auic. Auic. monet, vt non vtamur balneo poſt cibum; nec frictione, nec motu impinguandum. Gal. vult, vt vtamur balneo: *14. Meth. 61.* vterque tamen bene dicit. ſed potior videtur ratio Auic. quoniam ſi motus, & balneum ſequitur cibum, ſit attractio crudi cibi. *Contradictio inter Auicennam & Galenum.* Gal. hoc vidit, & dicit hoc idem, quoniam ſuccedit obſtructio. ſed non ob id debemus omittere balneum; nam poſſumus ſuccurrere obſtructioni capparis floribus cum oxymelite: & ego ſum iſtius ſententiæ: quod quādo volumus extenuare obeſum, debemus aduertere, quod febris ſuccedat, quę etiam attenuat, & flocci facit febrem Medicus, dummodo diligens ſit. ita non curanda obſtructio, dummodo expleamus, & cito agamus: ego potius inclino in ſententiam Gal. quam Auic. quia tarde impinguabitur corpus. ita monet Gal. vt interrogemus ſæpe ægros, an patiantur grauitatem in viſceribus.

Solebant antiqui medicamentis hoc tentare, hoc eſt attrahentibus ſanguinem ad partes, & habentibus vim calefaciendi, & humectandi: inter quæ primum locum tenent acopa, & vocantur illa acopa, quibus vtuntur Medici ad laſſitudines tollendas: *Acopa.* noſtris temporibus eſt oleum reſolutiuum, ol. lilior. alb. cum arom. oleum irinum, ol. de ſpica. ſecundū locum tenent dropaces, & ſunt medicamenta, quę apponebantur cuti, vt educe- *Dropacet.*

Digitized by Google

rent ad ſuperficiem materiam, & erat picatio, quæ fit ex pice; & tantæ erat authoritatis, vt iſtud ſolum replere poſſe corpus reſtetur Galenus & Auicennas in mille locis.

Picatio.

Picatio fiebat hoc modo. Primum radebant corpus vniuerſum ex primo de compoſit. medicam. loc. 4. quia pix hæret corpori, & facit cruciatus, ſi pilis applicetur. Secundo capiebant picem ſiccam, & addebant oleum, vel commune, vel amygdalarum dulcium, vel aliud calidum, & humidum, quo fiebat mollis pix. Hoc medicamentum ex Galeno calefacit, & humectat corpus: ſi ratione picis hoc diceret, falſum eſſet: quia pix ſiccat. Hac ratione dico, quod diluebatur pix oleo calefaciente, & humectante. At, ſi vos vtemini, habeatis picem veram bonam: nam in hac regione Veneta non habemus picem ſiccam bonam. habemus pro ea piſſaphaltum, & diabolicum eſt medicamentum, facit exæſtuare nares, nimis acre, nimis ſiccans eſt. Habeatis ergo picem ſiccam delatam ex Alemania. de pice liquida poteſtis coquere cum aqua: quia fiet ſolida, & dura: vel ſine aqua: & erit acrior, poſtea diluatis aliquo ex oleis prædictis, & habebitis medicamentum præſtantiſſimum.

6. de tuenda ſan. 8.
14. meth. 16

Modus applicandi picem.

modus autem applicandi picem hanc, talis eſſe debet. Primo corpus vniuerſum pilis exuendum. Secundo incaleſcendum, vt plenius reddatur, hoc autem fit balneo aquæ calidioris, non calidiſſimæ, vel frictione: & ſtatim pix applicanda ſubacta aliquo ex dictis oleis calefacientibus, & humectantibus, & quamuis reperiamus multos valde eliquantes picem, alios non addentes oleum, tamen curate vos, vt habeat corpus viſcidum, & tenax. quum præparata eſt, extendatur ſupra lintea, quæ poſſunt applicari, accipiuntur lintea, apponuntur ad ignem, donec liquida fiat pix, & ſtatim ponuntur in parte, dum refrigerari incipit pix: poſtea auellitur: iterum calefit, & imponitur ter, vel quater, donec validè rubeat membrum: & turgidum factum demum oleo communi, vel amygdalarum dulcium inungendum eſt. talis eſt modus picationis.

Hora.

Hora eſt matutina, vel veſpertina: hyeme vtraque hora commoda eſt. at in æſtate monet Galen. vt ſemel picemus; quia actio moleſta eſt, & facit æſtuare corpus, nec poteſt ita perferre. præterea quandoque quotidie; alternis quandoque diebus, aliquando quarto quoque die picamus ex 14. metho. 16. & de offic. med. commentatio 3. comm. tex. 32. pro neceſſitate, & conditione affectus, ſi magnus, vel paruus fuerit, & pro corporis temperatura. poſtea veniamus ad munditiem cutis, quoniam pix colorem deturpat: vnde aliqui nimis pulchritudini ſtudentes hoc medicamentum ferre non poſſunt. fiunt enim nigerrimi, & nec oleo, nec ſapone purgantur. vnde opus eſt vti medicamentis dicendis pro deterſione.

Dropaces.

Si non poſſunt perferre picationem, venimus ad dropaces, cuiuſmodi eſt nitrum, ſulphur, pyrethrum, piper, thapſia, euphorbium, quæ habent vim attrahendi ex alto, quæ diſſoluta cum humectante medicamento, conſeruant humiditatem. vnde thapſiam melle miſcemus, & illinimus vniuerſum corpus. ſed vtimini in pauca quantitate, vt rubrum fiat corium, non inducat veſicas, euacuet materiam, & non impinguet. & ideo notate bene.

Ablutio medicamentorum.

Solemus etiam vti huiuſmodi medicamentis cum cerato aliquo, veluti cum humido cerato facto ex cera, & oleo puro, vel cerato ex oleo amygdalarum dulcium, & hoc cum cerato vtimur, quando diu debet conſiſtere medicamentum; cum melle, quando volumus, vt interius penetret: cum oleo, quando breui debet conſiſtere. Solemus aliquando ſinapi cum caricis mixto vti. finis autem horum medicamentorum eſt, quum corium rubrum redditum eſt. quo facto, ſtatim abluamus huiuſmodi medicamenta. ſi erunt cum oleo, vel cerato, non tentare deterſionem cum aqua, ſi mixta cum melle aqua tepida detergatis. Facta deterſione, inungatis oleo dulci, vel amygdalarum dulcium.

Elect. proprium.

Solemus etiam propoſitis medicamentis ab Arabibus vti; ego autem vſus ſum hoc electuarium. Accipio amygdalarum dulcium, nucleorum pineorum, piſtachiorum mundatorum, ſemin. ſeſami, auellan. mundatarum aña vnc. j. pulueris tereb. ſiccioris (quæ defertur ex Cypro cocta in aqua, & ſi non eſt, ego coquo, vt docet Aetius pro trochiſcis cyphi) vnc. med. carnis nucis Indicæ, vnc. ij. ſarcocollæ drach. iij. ſem. papau. albi vnc. j. & media, ſacchari q. ſ. teruntur, terenda, & formatur electuarium diſſoluto ſaccharo communi aqua. hoc aſſumitur quantitate trium, aut quatuor cochlearium matutina hora: &, ſi ſuperdormitur, optimum eſt. Medicamẽtum hoc ratione ſimplicium magnam vim habet, & experimento confirmatum eſt. Hæc ſint ſatis pro impinguando corpore vniuerſo: ſi autem talem ſuſcipimus curationem eſt ſæpe, quando poſt tabem macies ſuccedit. Macies enim naturalis potius affectatur pro agilitate, niſi ſint mulierculæ, quæ cupiunt obeſæ, & turgidulæ videri; ideo potius non ſolemus partes tractare, vt omnes in vnum conſpirantes corpus efficiant pulchrum, atque decorum.

De Dimnutione vel paruitate alicuius membri reſtauranda. Cap. VII.

Epilogus dictorum.

TRACTANTES de repletione vel temperamẽto vniuerſi corporis dicebamus, quòd aut ſecundum naturam, aut non ſecundum naturam emaciatum, dummodo macies morboſa ac confirmata non ſit, quæ agenda ſint circa victus rationem, & in corrigendis rebus non naturalibus. addebam præterea duplex eſſe inſtrumentum, quo eam ſuperare poſſimus, primum erat victus ratio ac rerum non naturalium, alterum verò medicamenta ipſa, quæ partim per os aſſumpta, partim verò corpori applicata; & horum quædam lenia eſſe diximus, vt olea illa, de quibus mentionem feci, quædam valida, vt quæ acopa medicamenta vocantur; mediocria verò alia, inter quæ erat picatio, quæ quomodo fieret inſtitueram dicere, dixique primum, ante picationem admouendam, corpus ipſum præparari debere, deinde ipſi applicandam picem hanc præparatam oleo, vt dictum eſt; & addebam corpus præparandum eſſe vt incaleſceret ac turgeret ipſa frictione vel balneo aquæ neque tepidiſſimæ neque calidiſſimæ, ſed calidæ tantum, corpore verò tumefacto ſtatim accipiatur pix, quæ ſit rectè præparata, id autem fiet, ſi picem ſiccam habueritis vel ex Germania, vel à vobiſmetipſis in aliquo vaſe cum aqua, vel ſine etiam aſſabitis donec dureſcat, quæ poſtmodum aliquantulum eliquetur cum oleo aliquo calido ac humido, vt vel communi oleo, vel altero ex amygd. dulc. Piſſaſphaltumque non conuenire dixi, quoniam nimis exſiccat ac valde calefacit, modumque ipſius picis corpori applicandæ tradidi, & in applicatione, quæ & quot ſeruanda ſint, oſtendi: & terminum etiam eius cum hyemis, tum etiam æſtatis tempore pro ratione roboris corporis & neceſſitatis; & denique, ſi noluerit æger picationem admittere, cùm admodum moleſta ſit, atque maximè deturpet, ad quæ alia medicamenta ſit aſcendendum, & cum quibus miſceri debeant, formulam tradendo ſatis laudatam ab auctoribus.

Sed quoniam raro fit, vt qui ſecundum corpus vniuerſum extenuatus ſit, niſi morboſa ſit macies, hanc tam diuturnam curationem iubeat, cùm præcipuè ipſi videantur agiliores & aptiores ad obeundas actiones, quàm qui pleni ſunt, cum plenitudo potius ad pulchritudinem, quàm ad robur faciat. Frequenter autem ſolet in vſu venire, vt brachium vel manus, ſiue alia aliqua pars corporis extenuata ſit, cuius repletionem deſiderant; ideo de hac particulari alicuius membri plenitudiue nunc tractemus; hæc autem vocatur diminutio vel paruitas illius membri, in quo exiſtit. ac duplex eſt, vel naturalis vel acquiſititia, naturalis, quando à natura tale eſt effectum membrum: altera verò acquiſititia eſt, non ſecundum naturam, ſed per morbum, vel aliam cauſam attenuantem. Hæc lædit ſæpe actiones, & facit turpitudinem. ratione turpitudinis nos de vtraque loquamur. & per tenuitatem hanc, intelligimus maciem partis, quæ fit diminuta ſecundum latum, & profundum, aliquando ſecundum longum. hoc patet in luxatis. Naturalis vnde proueniat, perquirendum in natura fœtus. non naturalis cauſæ duę ſunt ex Hippoc. quies, & deligatio ſunt cauſæ extenuationis membrorum. iſtæ geminæ cauſæ mihi videntur referri, & in diſtributionem, & in nutritionem partis, eo quod non bene nutriuntur membra, neque fiat diſtributio alimenti ad membra. *3. comm. de off. med. comm. tex. 32.*

Qua autem cauſa fit iſta nutritio mala? vt plurimum fit ratione refrigerationis, & iſta eſt cauſa, quæ facit malam nutritionem, & vt non fiat diſtributio. refrigerantur autem iſta membra quiete. quando frangitur crus, & manet in quiete quadraginta diebus, emaciatur, quia ob quietem refrigeratur: exercitium calefacit artus, & eſt in cauſa, vt nutriantur; quod dico de crure fracto, idem dico de alijs membris quieſcentibus ſine morbo. adiungitur à Galeno deligatio artus: quoniam ſolemus incipere deligationem ſupra locum affectum, & aſcendimus vſque ad principium membri deligando, & exprimitur ſanguis, & ſpiritus vſque ad principium membri, quod ex hac deligatione refrigeratur. *Refrigeratio.* *Quies.* *Deligatio artus.*

Addatis aliam cauſam refrigerationem: quoniam in exulceratis membris, vel vulneratis partibus manant humiditates innatæ inſigniter cum ſanie, & ſic membrum refrigeratur. Addatis quarto conſtrictionem vaſorum. obſtruuntur ſæpe vaſa ab aliquo humore, de neceſſitate refrigerantur artus; quia non trãſmittitur ſpiritus, & ſanguis fouens facultatem nutrientem. præterea diſtributionis cauſa extenuantur membra; quia refrigeratum eſt membrum, & hinc eſt, quod caret facultate attrahente. diſtribuitur autem *Vlcus, & vulnus.* *Obſtructio*

alimentum, aut quia tranſmittitur, aut quia attrahitur. ſecũdo etiam impeditur diſtributio huiuſmodi, quoniam per longam deligationem aliquando vaſa compacta, & exſiccata fuere. & facta inepta ad diſtributionem: igitur potiſſima & prima cauſa maciei eſt diſtributionis impedimentum: iam vero properemus ad ſigna.

Signa maciei naturalis in aliquo membro nota ſunt: ſigna maciei præternaturalis cognoſcuntur cognitis cauſis emaciationis, & ideo non eſt neceſſe, vt in reb. ita notis diutius immoremur, ergo ad præſagium properemus.

Debemus autem, obſeruare quoties proponitur membrum macie confectum, an ſanabile ſit, nec ne. cognoſcimus autem hoc, facto experimento Gal. pulcherrimo, vt accipiamus aquam calentem, tepidamve. ſi cito rubrum redditur membrũ, citam ſperemus ſanationem: ſi non cito, ſed tarde rubrum redditur, at tollitur in molem, tunc difficilis curatio erit: ſi nunquam rubeſcit, non tollitur in molem, non ſperate curationem, quia non ſuccedet, nunquam emollietur, vel replebitur pars.

Curatio autem conſiſtit in robore addito, & ſanguinis attractione ad locum, vt non diſcutiatur. quatuor autem ſunt, quæ robur addunt parti, & quatuor ſunt, quæ attrahunt ſanguinem. primum locum ad dandum robur obtinet fricatio moderata. & quomodo? fricatio calefacit partem; calefaciendo attrahit ſpiritum, & ſanguinem, ſpiritus & ſanguis, cum calido robur addunt parti, robur autem concoctionẽ facit: ſed poſſumus fricare artus, vel nudis manibus, vel cum oleo, quale eſt amygdalinum, vel maturatum oliuarum. Præterea fricatio ſemper debet ab origine membri ſuperiori incipere, vt trahatur magna copia ſpirituum. fricatio debet eſſe longa, obliqua, & tranſuerſalis; quoniam *Perfuſio ex aqua.* omnes fibræ, omnes pori aperiuntur, & calefiunt. Hæc fricatio moderata ſit. finis fricationis eſt donec membrum plenum, & rubrum reddatur. ſecundum locum habet perfuſio ex aqua ſimpliciſſima, vel hydrelei, vel olei ſimpliciſſimi, & puriſſimi: aqua præſtans: hydreleon præſtantius; quia replet, humectat, & nõ ſinit egredi: aqua non ſit frigida, nec feruens, ſed media inter has. perfuſio ſemper tendat circa extremum membri, incipiendo ab origine eius. terminus perfuſionis eſt, quum videmus turgidum, vel rubens membrum. *Motus.* Tertiũ eſt motus partis. exerceatur pars, ſed Auic. lib. 1. fen. 3. doctr. 2. c. 11. notat, quod quum volumus exercere membrum, exerceamus naturali, & conſueto exercitio, obambulatio eſt motus cruris, micatio brachij, & ſic de ſimili exercitatio ſit moderata: *Medicamentum locale.* finis eſt, donec intumeſcat. Vltimum eſt medicamentum appoſitum loco, quod habeat *Olea.* vim calefaciendi, & eſt ideus, quo vtimur in vniuerſo corpore. ſunt medicamenta lenia dicta, vt oleum ex euphorbio, ex caſtoreo, vel ol. coſtinum, vel vulpinum, vel lil. alb. cũ arom. vel irinum. ſi volumus robuſtius, deuenimus ad picationẽ, quę admittitur libẽtius *Picatio.* ab ægrotantibus in ſingularib. artub. ego vſus ſum ſemper fœlici ſucceſſu hac picatione, vt non opus fuerit venire ad validiora, ſed ſi ad robuſtiora oporteat deſcendere, venito *Dropaces.* ad dropaces dictos. terminus medicamenti eſt rubificatio, vel turgiditas: quum ſumus in termino quid agẽdũ? detegere debemus membrũ, & vngere oleo, vel ſeſam. vel amyg. dulciũ, & dimittere naturæ. ſi hyeme, tegamus lana, vel panno calido. ſi æſtate, relinquatur intectum. at hoc non eſt ſatis, ſed oportet documentum obſeruare Auic. qui monet nos, vt aduertamus, an tumor ille, quem excitamus ſit bonus, vel malus, ſi malus, ſuccedit apoſtema, vel morbus: ſi bonus, non ſuccedet. Quomodo cognoſcemus, quod rubor ſit bonus? primum, quia non diu durabit, nec increſcet ablato medicamento. ſi creſcit, eſt rubor, qui fit per tranſmiſſionẽ ſanguinis extra venas, & ſic inflammatio orietur, aut eryſip. ſecundo cognoſcimus ex vaſis, quoties videmus, quod impoſito medicamẽto, ita repleuerimus locum, vt venæ intumuerint, videre, an aliquot venæ, quæ prius non apparebant, appareant, tunc ſuſpectum eſt medicamentum. præterea, ſi remanent turgidæ, tunc omnia ſunt dimittenda, & potius præcauere debemus, quæ imminent, & impedire fluxionem. ſi hæc non fiant, tunc non ſolum robur dare debemus parti, ſed etiã ſanguinem attrahere ad partem; & eadem, quæ faciunt ad robur, faciunt ad attrahendũ ſan-*Deligatio 3. com. de off. med. com. tex. 32.* guinem. ſed vnum eſt, quod proponitur ab Hipp. loco dicto, & eſt deligatio. & in hoc admirandus Hipp. qui deligatione impinguat, & demacrat artus. ſi vos habetis manum extenuatam, & vultis replere: monet Gal. in com. dicto vt ligemus vniuerſum membrum, *In deligatione obſeruanda.* & incipere à parte ſana circa originem membri debeamus, ſed arctior, & ſtrictior ſit in principio, & laxior ſit in parte emaciata deligatio ipſa. ſi in æſtate fuerit, nihil ferme deligamus partem emaciatam: hyeme aliquãtiſper tegamus ratione frigoris, ſtringamus autem partem ſanam in principio. aliud eſt præceptum in deligatione, ſi eſſet totũ membrum extenuatum, non poſſumus iuuare per deligationem. notat Gal. aduertendum eſſe, quæ ſint partes: quæ ſunt vnius, & eiuſdem generis, & ſunt crura inter ſe, & brachia inter ſe, venæ quæ currunt ad vnum, habent idem confinium, & eandem originem, cum

venis

venis alterius. & ita, ſi emaciatum fuerit totum brachium, ligabimus brachium ſanum incipiendo à digitis manus exprimendo ſanguinem, & ſic fluet ad partem maciatam. ſed expreſſio hæc non debet eſſe doloroſa, ne fiat attractio, vel inflammatio ad partem ſanam. Hæc ſunt ſeruanda pro replendo membro emaciato: ſuppoſito; quod corpus abundet bono ſanguine; & ideo bene mundatum ſit; vt ſubminiſtretur bona materia; ſin minus, loco impinguationis nos inducemus morbos.

De quibuſdam partibus natura tenuibus incraſſandis atque magnificandis. Cap. VIII.

IN hoc tractationis genere non ſolum arte emaciatæ partes continentur, ſed & quæ natura breuiores, & tenuiores ſunt effectæ: continentur quoque & partes decurtatæ aliquo caſu, vel ægritudine, vel ſectione, & vulnere, qui omnes affectus cum pendeant à diminuta quantitate infra id, quòd eſt ſecundum naturam; ideo curationem aggredi debeo. partes ſupra modum auctæ lædentes actionem, requirunt eandem curationis rationem, quia ſupra naturam ſunt. ſed primum de tenuibus partibus, atque breuibus à naturæ defectu genitis, non demaciatis, agamus. inter quæ primum locum obtinet coles, vel pudendum, quod ita breue eſt, vt turpitudinem non leuem faciat in compoſitione corporis humani. Hoc non tractant Recentiores, quia honeſtius factum genus hominum non videtur nudum, vt antiquitus, quando in paleſtra, & balneis continuo inuicem videbantur. Verum hæ partes, cum iam tectæ ferantur, turpitudo ceſſit loco, & ideo de hac non tractare debemus, neque enim videtur pertinere ad Medicum, qui ornat, ſed ad eum, qui curat. At quia hæc prætermittuntur à practicis, ideo ego de magnificatione colis aliquid tradam. ſi pulchritudo requiritur, pro pulchritudine tradam. ſin minus cum Auic. me excuſatum habeant ſeueri iſti, & tetrici viri, qui dum vult docere modum magnificandi colem, cum turpe videatur Medico de his agere, reſpondet huic obiectioni, quòd tanta eſt neceſſitas conſeruationis ſpeciei, quòd obſcœnorum etiam habenda eſt cura. nam niſi pudendum conſtringatur à vulua, voluptate non afficitur mulier, non emittit ſemen, nec fit conceptus, ideo arte craſſum faciendum membrum hoc. Ego moneo parentes, vt ſtudeant in ætate infantili, vt magnificetur membrum puerorum: magnum etenim inutile nunquam erit, & ſi fuerit inutile hoc rariſſime accidet, quum enim nimis longum erit, ſolet vterum contundere, & os matricis, & impedire generationem. nimis autem breue, aut ſemper, aut frequentius incommodum erit. de magnificando igitur membro agamus. in hoc autem duo obſeruanda ſunt, & quod poſſumus producere pudendum, & quod poſſumus craſſius reddere. producimus, quum facimus in longum creſcere: augemus vero, ſi efficiamus multam & frequentem extenſionem. non enim augetur augmento pinguedinis, & carnis, ſed oportet, vt nerui cauitas fiat maior, nam quoties cauitas ampla facta fuerit, & protenditur membrum, & adſint vapores, ac ſpiritus, creſcit. primum autem loquamur de longitudine. Hoc poteſt fieri ſi impedimenta auferantur: inter impedimenta eſt trenum, vel canis nimis conſtrictus pudendi. canem vocamus partem illam, quam filellum vulgo appellant, qui ligat præputium in parte inferna cum glande iuxta canalem. qui habent canem decurtatum, non poſſunt in longum producere pudendum, quoniam facit dolorem canis ille, & ſic non poteſt diu conſiſtere tenſum pudendum, & impeditur eius incrementum: nam cauſa magnitudinis pudendi eſt frequens eius diſtenſio; vnde incumbentes Veneri, & continuo tenſum habentes priapum, longum habent, & magnum. ideo ſecemus per tranſuerſum canem; alterum eſt, vt obſeruemus loca neruorum. in dorſo pudendi ſunt nerui in dextro, & ſiniſtro latere (vt vidiſtis in anatome) quoniam neruoſus eſt priapus, oportet videre an nerui ſint tenſi, an aliquæ chordæ tenſæ ſint, vel percipiamus aliquot grana vt grana milij: & ſi hoc eſt; ſunt ganglia non doloroſa in neruis, & veluti nodi impedientes neruos. In hoc caſu auferenda tenſio, laxandi ſunt nerui, per emollientia, & laxantia, vt ol. amygd. dulcium, vel communi maturo. facit & ad productionem aliud. vt aliquando nos efficiamus, vt tumore aliquo præter naturam laboret pudendum. poteſt autem intumere, vel ratione ſpirituum, & non erit præter naturam, poteſt vel tumore præter naturali tumere. & ideo ad illa acria confugere debemus. pueri per ludicrum ſolent vti his medicamentis. Antiqui ſolebant inungere glandem, vel præputium lacte ex volubili latifolio, quod ſmilacem lenem appellamus,

De longitudine pudendi.

De longitudine colis.

Ad tenſionẽ neruorum.

Lac ſmilacis lenis.

De Præputij breuitate corrigenda. Cap. IX.

QVANDOQVE aliquis accipit vulnus in naſo, qui ſecatus facit turpitudinem maximam;vt accidit anno elapſo cuidā Pedemontano,cui à latronibus decurtata fuit apex naſi,docent Medici ratione pulchritudinis ſanare. pariter ob frigus decurtantur aures, ne videantur hęc iure decurtata;oportet iterū reſtituere. aliquando pars labij ſuperioris in medio diuiſa eſt,& leporarij dicuntur pueri,ideo iungendæ illæ partes; pariter Antiqui (vt dixi) cū nudati incederēt in palęſtra,& ablatio pręputij eſſet valde infamis; ideo ſolliciti erant de tegenda glande; quare primū de hac reſtitutione tractemus,deinde de alijs. in pręputio tractando notare debetis,an natura factū, vel arte ſit:ſecundo an valde,vel parū breue ſit. Ita,ſi parum fuerit decurtatū,leni ratione producemus:ſi valde,opus erit maiori actione,& tandē chirurgica. Solemus enim medicamentis,deligationib.& chirurgica actione producere. Sed notate,ꝙ quāuis hoc faciat ad pulchritudinē,facit tamen etiam ad generationē,& ad voluptatem maiorē. ratio eſt, quoniā naturaliter lubrica non eſt illa pars,quæ non habet præputiū,& requiritur lubricitas inſignis in venere,& cū maior adſit voluptas,mulier emittit ſemē,& materiā opportunā pro formatione fœtus,& pro generatione mēbranarum. Si autē quæratur,cur Deus altiſſimus in populo electo inſtituit,vt auferretur præputiū, cauſæ ſunt æternæ,& poſitæ in mente Altiſſimi,quas non oportet dicere in profanis ſcholis: (fortaſſe id iuſſit Deus, quoniā,ſi,vt dictum eſt, præputiū veneris voluptatem adauget,reſectū minuit, Deus populū ſuum dilectum,& caſtū, & à venereis voluptatibus,quantū fieri poterat,abſtemium querebat,vt non ita delectationib.illis allectum Creatoris cultū negligeret. & ad hoc fortaſſe eximius ille Theologus Moſes reſpiciens, Puellam ſanxiuit pro virgine ductam, ſi corrupta fuerit,lapidib.obrui,aut corruptā concremari,& ſi quis eam non inuitā vitiauerit, vterq; extremo ſupplicio afficiatur. Adulterio,inceſto,ſodomiticeq; fœditati capitalē pęnam lex irrogabat. Quinetiam ad idem reſpiciebat promulgatum illud inſtitutum,ne qua mulier belli tēpore attingat virile inſtrumentū,neque vir muliebre. & hoc eſt,quod dicit Ariſt. eſſe in prouerbio,legum diuinarum lucem non habens,quæ ad hoc dirigebātur,vt populus ſuus abſtineret à venereis, quoniā corpora noſtra hebetat,refrigerat, imbecillia reddit,atq; corrumpit. quod autē præputium in cauſa ſit, vt maiorē ſentiant fœminæ delectationē, indicio ſunt Iudeæ,Turcæ, ac Mauritanæ, & infideles mulieres, quæ libentius mancipijs Chriſtianis, quàm domiuis retectis ſe ſubijcere patiſtur, & volunt.) ſi ergo curtū ſit præputium,quid agendum? Galenus docet per membranulā cartaceam. Faciebat enim hoc modo : producebat præputium ad anteriora, quantum fieri poterat (& hic locus à nullo notatur,quia fortaſſe non intellectus eſt) attractū obuoluebat membranula cartacea ſtricta cum gummi circa pellem, & faciebat ſiccare membranulam , & ita nō poterat recurrere; ideo neceſſarium erat,vt produceretur ad partem anteriorem,

Quare Deus ordinauit Hebræis vt reſecarent præputium.

In 20. ſect. prob 2.

14. Meth. 16

Ratio curandi Galeni.

Verum notandum eſt , ꝙ dum volumus apponere iſtā membranam per tranſuerſum, quia cedit nimis pręputiū,non poteſt applicari. præterea neceſſe eſt mingere,ideo oportebat relinquere canalem. Gal. fiſtulā ponebat in parte anteriori, ſiccata membrana, remouebat fiſtulā,& ſic membranula ad duos,& tres,& quatuor dies relinquebatur. membranula autē ſit tenuis ex carta,ego volo,vt capiatis cartam coriaceam,& videte an adſit filamentum,vos ex illa cartulā tenuiſſimam auferatis, qua nihil tenuius. librarij capiunt cartā pecorinam ex ea parte,qua erat pilus , & euellunt membranulam tenuem, traſparentem,veluti cryſtallū,& hanc conglutinant ſupra cartam impreſſam fractam, & ſic apparent literæ,& fractum reſtituitur. Galenus hanc vocat fibram cartaceā,hæc eſt,de qua loquitur: mollis eſt,& robuſta. Alij ſolebant producere hoc modo: accipiebant fiſtulam, apponebant ad glandem,& ſupra fiſtulā trahebant præputium,& alligabant, & imponebant medicamentū ex chapſia, quod rubrum redderet præputium : tamen hoc habet incōmodum : quia deligatio illa doloroſa eſt; ſuccedunt aliquando gangrenæ, ideo placet ratio Gal. & ego illa vtor; quamuis credam,quod toto vitæ meæ curriculo non tractarim bis, aut ter hanc rem . Præterea alia ratione producitur pudendum dicta à Gal. ibidem, à Paulo lib. 6. c. 53. ab Auicenna etiam, vt per ſectionem producamus præputium. & vti ſolent interna,& externa ſectione. trahimus præputium vi ad exteriora,poſtea ſecamus circulariter , & vna ſectio ſpatio vnius , vel duorum digitorum ab alia diſtat , poſtea linimenta parti ſectæ applicamus. ſed ego poſſum teſtari,quòd nūquam ſecui,neque reperi aliquem ſtultum,qui voluerit pati hunc cruciatum. præterea videtur in media parte,vbi facta eſt ſectio,decurtatum: ideo notate,quòd ſectio fienda prope teſtes, prope ſcrotum,

Incōmoda.

Ratio curandi aliorum.

3. Ratio curandi.

primo

primo vt ſcarificatio fiat,& tegatur;præterea,vt cutis à prima origine ſcarificata prolongaretur. in interna parte ſcarificabant præputium circa coronam: ſed oportet applicare linteolum molle,quo impediatur,ne glans cum preputio coaleſcat,ſed madidum ſit primum albo oui,poſtea vino auſtero, vt obducatur cicatrice. Hæc igitur ſint dicta, quo ad preputij productionẽ: quam rati ſunt qui affectant,tum quia doloroſa eſt,aut nimis faſtidioſa ratio curandi,tum etiam,quia etiam quod natura in hoc deficiat, præſtat tamen,eo quod, qui habent glandem detectam, rariſſimè lue Gallica inficiuntur, quia craſſa & dura cutis acri expoſita reddita eſt, & ideo excoriationem, aut virulentiæ illius ingreſſum facile non admittit. modo ad cæterorum membrorum reſtitutionem tranſeamus.

De Naſi regeneratione, labiorum,atque aurium. Cap. X.

RELIQVAS autem partes quomodo coniungemus? Multi tentant reſtitutionẽ naſi per generationem carnis.in Calabria adeſſe aiunt Medicos,qui denuo regignunt nares. & modus hic eſt:ſcarificãt cutim in brachio,in qua ſeruari iubent nates immotas,donec agglutinentur cum brachio: poſtea ſecant carnẽ ex brachijs, & efformant nares quibuſdã ferramentis,& laminis ferreis,& ſic ſenſim, & ſenſim faciunt imponendo iterum, atq; iterum, donec efformetur naſus. Negotiũ hoc eſt aliquando triũ menſium, aliquando ſex,aliquãdo anni integri: ego teneo,ꝙ maximus eſt cruciatus,& vellem totũ amittere naſum potius,quàm hunc ſubire laborẽ.moneo,vt potius vtãtur fictitio naſo,quàm iſthæc ſubire tormẽta; nam ex perſonata materia fit naſus, qui gumbi apponitur.ſi autẽ amputatio ſit parua,non ſimus ſolliciti,monet Galenus,vt ſcarificemus partes laterales,vt producatur cutis,& cõſuamus,& agglutinemus. Ita de labio ſcarificate, & auferte ſuperficiem, & agglutineris; quia ſanabitur: tanta enim eſt mollicies in pueris vt labia vniri poſſint. ſic de aurium defectu pauco dicendum. at,ſi defectus magnus eſſet, oporteret vti fictitia aure; nam non eſſet tanta pellis circumcirca,vt poſſemus efficere aurem integram. Hæc ſunt ſatis. & quoniam multi ſunt morbi, qui accidunt mulieribus ratione partus, & faciunt ad pulchritudinem; ideo de his agamus.

De Mammillarum amplificatione. Cap. XI.

SOLENT nimis diſplicere,atq; frequenter accidit aliquando cũ noxa ſatis inſigni, mammillæ nimis tenues. mores ciuitatũ varij ſunt.in aliquot enim locis paruitatẽ affectant mulieres;quia modeſtiores ſunt;alibi quadratũ habitum affectãtes,impletas,& pingues deſiderant. præterea copioſum colligunt lac pro alimento pueri,quę magnę ſunt,graciles egeſtate laborant; ergo non tantũ ratione pulchritudinis, quantũ ratione fętus, Medici tractant de amplificatione mammillarum. Omnia autẽ facientia turgere, ad hoc deſeruiunt. quare vſus balnei frequens,& diu oportunus eſt: caliditas enim,& æſtus multũ facit ad inflammandas mammillas. ſi tractãtur,leuiter manib.tanguntur,copioſum attrahunt ſanguinem.ſed picatio,dropax,ſinapiſmi,vnctiones, & omnia à me tractata oportuna ſunt, dũmodo nos expleamus vniuerſum bono ſanguine per optimum exhibitũ alimentum. ſed quoties affectatis amplas mammillas,non habeant cingula,& anguſta pericardia,ſed pendeant mammę,& veſtes latiſſimę ſint. præterea non ſuſpendantur,quia non poterunt produci. De colore autem,& mollitie earum, dicam poſtea.

De Papillis. Cap. XII.

AD hoc etiam pertinet papillarum tractatio;aliquę non habent,aliquę habẽt nimis paruas. hoc turpe eſt,& ad fętũ incommodum: ego non quæro magnitudinẽ vaccinam, ſed moderatam. puer non poteſt ſugere lac, ſi tenuis eſt papilla. cui difficili ſuctioni lactis concretio in mammillis ſubſequitur,& ęgritudo.quomodo aũt reſtituuntur papillę? omnibus illis,quæ calefaciunt,& rubore ſuffundunt partẽ: balnea, tractatio papillæ præſtantes ſunt, pudendum etiã virile,& fęmineum harũ tractatione proritantur. tractẽtur ergo mammillæ contractu non ſolũ fęminarum, ſed adoleſcentulorum,ſi cum honeſtate id fieri poſſit. pariter ſi vngantur oleis. ſi vtamur

dropaci-

dropacibus,& picentur,idē aſſequi poterimus. ſed chirurgico opere idē obtinere poſſu-
mus:cucurbitula ſ.anguſtiſſimi oris:quæ per aliquot tēporis ſpatium papillæ imponitur.
alij recipiunt calices glandiū,quæ habent in ſumma copulā,calefaciunt,& apponunt;ſed
ſi multū extrahere volumus,huiuſmodi calice non poſſumus: vtimur tamen in minimis
mām̄illis. Mulieres aliquot inuenere inſtrumentū oportuniſſimum,quo vtūtur;quando
volunt ſeipſas lactare,& emūgere,ſi non habent puerū,aut puellam. Inuentum eſt inſtru-
mentū vitreum ad ſimilitudinē cucurbitulæ,quod habet roſtrum, quo roſtro ſugunt lac:
hoc inſtrm̄ oportunum eſt ad productionem papillæ. alij accipiunt fiſtulam ex arundine
purā,mundant,expurgant,& apponūt papillæ,ex ore ſugūt ab altero cauo fiſtulæ. huiuſ-
modi ſolent vti multi. Ego verò vtor fiſtula plūbea,quæ ſit eius amplitudinis,quantæ ma
gnitudinis requirimus papillā. & iſta ab vno latere aperta eſt,ab altero paruū foramē ad-
eſt. poſtea applico huiuſmodi fiſtulā in parte perforata,& oppoſita ſugo per foramē par
uum.cū papilla iam ingreſſa eſt,ego primū lingua,poſtea digito,& cera claudo paruū fo
ramen, & ſic per ſuctū ingreditur facile pupilla in fiſtulā, & ſuo pondere ſpacio triū,aut
quatuor dierū producitur. ſed ſit optimè lenis fiſtula,ne habeat angulos ſecātes. tempus
producendarū mammillarū non eſt,quū rimoſæ, vel vlceratæ ſunt,non quādo adeſt lac.
ſed expectetis occaſionē, in qua non turgeant lacte, & aggredimi curationem,& ſucce-
det. Hæc pertinent ad partes extenuatas,natura, vel arte, vel morbo aliquo conſumptas.

De Partibus craſſis extenuandis. Cap. XIII.

VIDEAMVS quomodo partes craſſas attenuare debeamus. ali-
quādo tumet pes,vel manus, & nō poſſunt ſanari. aliquando mā-
millæ creſcunt præter modū,aliquando teſtes nimiū augentur,&
nimis ſalaces,& ad cantum ineptos reddunt pueros. de his modo
agamus. Quoties mulieres laborant huiuſmodi craſſitiebus,hoc
fit fluxu alicuius materiæ; ideo opus eſt maxima diligentia. &,ſi
quod eſt difficile, eſt affectio iſthæc: etenim cōmunis eſt opinio,
quod ſymptomata venientia ad partus, quando male expurgatæ
mulieres,difficilia ſunt curatu. Primum ergo expurgandū totum
corpus. præterea prouocandi ſunt menſes plurimi. quę faciūt ad hoc nota ſunt omnibus.
expurgato vniuerſo,& prouocatis menſibus, deueniendū ad locum affectum: & primū
retrahamus ſanguinē ad aliam partem;deinde repellamus vel inſtrumentis,vel alio inge
nio. ſi manus ſit tumida,debemus fricare manum oppoſitam, & trahere totū ſanguinem
illuc,& deligare. hac ratione reuellimus. prętereа debemus exprimere ſanguinem à par- *Reuulſio.*
te tumida,faſcia incipiente ab extrema parte quæ ſenſim,& ſenſim ſtringat validè, ne ta-
men fiat dolor,ſed vſque ad principium,vbi eſt pars ſana, faſcia ſit potiùs laxa,quàm ſtri-
cta. Hoc non ſatis eſt: debemus venire ad medicamenta idem facientia: & ſunt,quæ ha- *Medicamen*
bent vim exſiccandi,vel cum caliditate,vel cum frigiditate. vt plurimum tamen ſint fri- *ta.*
gida, & ſicca. Quæ autem ſit materia horum medicamentorum, ego dicam, quum tra-
ctabo de extenuationibus mammillarum. Quare de mammillis tractemus.

De Mammillarum extenuatione. Cap. XIV.

SOLENT præter modum creſcere mammillæ, & turpitudinem
afferunt,ſed maiorem in virginibus;nam,niſi virgines tenues ha-
beant mammillas, ſuſpectā habent virginitatem,quæ etenim fœ-
minæ factæ ſunt, ob incaleſcentiā venereā maiores habent mā-
millas;ideo nos has tenues facere debemus arte,& induſtria. Prę-
terea illis,quæ pepererunt, pulchriores ſunt mām̄illæ rotundæ &
paruæ,quàm craſſæ,& magnæ,vaccinas referentes. Amplæ fiunt *Cauſa incre-*
ex vſu copioſo balnei,ex contactu frequenti virorum. Addatis, ꝙ *menti mam-*
ſolent creſcere ob laxam veſtium appoſitionem. vſus vini copioſi atq; potentis idē præ- *mill.*
ſtat, ad hoc facit pendens ille ſitus, paratur genus edulij ex vino dulci, ſaccharo, vitellis
ouorum,&c. quod dicitur Zampiglioni. Hoc auget,& impinguat mammas. lactatio fre-
quens,atque Veneris vſus idem efficiunt. ſi paruas volumus, & rotundas reddere, debe-
mus cauſas,quæ faciunt eas magnas,reſecare. Victus ratio ſit ſiccans: conſtringantur ve- *Curatio.*
ſtes,ſuſpendantur: producantur menſtrua,quantum fieri poteſt:non accedant ad balnea.
ſed neceſſe eſt,& ad alia veniamus: ſolemus ſtringere mammillas vel medicamentis,vel *Medicamen*
opere chirurgico. Medicamenta ſunt duorum generum, vel quæ agunt manifeſtis qua- *ta.*

litatibus

litatibus adſtringendo, ſiccando, & reſrigerando, vel quæ tota ſubſtantia faciunt. quorum rationem reddere ignoramus, tamen effectus manifeſtus eſt. Et ego vidi miraculum ſpacio vnius noctis, & tandẽ operatione chirurgica. & primum medica materia hæc ſit. nolo emplaſtra compoſita explicare, ſed tantũ materiam propriam, qua ego, & alij vtuntur. *Sicca & calidæ.* inter ſiccantia cum calefactione primum eſt ærugo æris: ſecũdo eſt alumen, abrotanum, cuminum, ſulphur viuum, cœpæ liliorum alborum. ex hac materia, admixtis frigidis, ſolemus parare illitiones, decocta, & emplaſtra. at emplaſtra bona ſunt, quia multũ, & diu agunt: debetis enim applicare medicamentum, & non mouere niſi de tertia in tertiam *Sicca & frigida.* diem: quoniam quanto minus agitatur, tanto citius attenuatur mammilla. Inter medicamenta adſtringentia, ſiccantia, & reſrigerantia ego do principatum cretæ, quæ colligitur ex cultrariorum rotis. vel capiatis gemina fruſta molæ, & fricetis ſimul. ſecundo in loco *E ferro.* ſunt omnia ex ferro, ſcoria, ſquama, & limatura ferri, & quamuis rubigo ferri calida ſit, tamen ſi abluatur, præſtans eſt medicamentum. addo cretam argillatam, rubricam ſinopicam, quæ dicitur bolus Orientalis; & rubrica omnis, cetuſſa, lithargyrium idem facit. *Plantæ.* inter plantas laudatur hyoſciamus: & ſi accipiamus lac, vel aquã ſtillatitiam, vel ſuccum foliorum: ſolanum omne, cicuta, pſyllium, gallæ immaturæ, lolij farina præſtantiſſima eſt, cito, & valde facit. lentiſcinum oleum, & omnis materia ex lentiſco, & terebintho, cortices granatorum, ſemina lentis exuſta, plantago: ſed opium præſtantiſſimum eſt. verum nullis ex dictis cedunt cochleæ ipſæ communes, limaces dictæ, quas contundamus, & cum melle, & radicibus conſolidæ maioris viridibus miſceamus, & de tertio in tertium ponamus, & non mutetur medicamentum, niſi per ſe cadat. ſed alia ſunt, quæ à to- *A tota ſubſtantia.* ta ſubſtantia id agere creduntur. & eſt ſanguis teſticuli porcini, vt recitat Auicennas. prçterea ſanguis ericij terreſtris habet magnam vim. adiungatur ſanguis teſtudinis. his ego non vſus ſum in hac re, quoniam ſuperioribus multum egi, & multum fido. at inter ea, quæ à tota ſubſtantia agunt, vetula me docuit vnum, quod menſtruum virginum maximè extenuat illinendo eo mammillas, manente aperta, & detecta papilla, & imbuatur bis, & ter. vetula volebat, quod ille ſanguis eſſet primus virginis: ego expertus ſum pri- *Deligatio.* ma, ſecunda, tertia, & centeſima fere vice. Chirurgica ſunt deligationes: & ad hoc, vt fiant rotundæ, & tenues, opus eſt, vt ponatis linteamina exhibentia talem formam rotundam; ideo impoſito emplaſtro, ſtrophiala ex panno, vel linteo ponatis, quæ rotundam dent figuram. alia chirurgica actio fit per ſectionem.

Sectio. Hoc autem facimus in viris, in quibus creſcunt mammillæ, vt in fęminis, & colligitur lac, vel humiditas lactea. ideo confugiamus ad ea, quæ diximus medicamenta, & ligationes. ſed, ſi hoc non eſſet ſatis, Paulus lib. 6. à quo omnes ſumpſere, docet modum, & monet, vt nos in parte ſuperiori, vel inferiori faciamus lunarem ſectionem circa originem mammillæ; poſtea excoriemus cutim præcedẽtem circa mammillam, & auferamus pinguedinem. Albucaſis monet, quòd ſi facta excoriatione propter fluxum ſanguinis non poſſumus auferre pinguedinem, vt medicamento cauſtico vtamur: poſtea glutinatorio medicamento ſanemus. Sed, ſi huiuſmodi magnitudo nimia fuerit, debemus facere duas ſectiones lunares concurrentes ſimul, ſed vna ſit minor altera, & concurrant ad eoſdem apices. Domini neſcio an ego appellem beſtiam eum, qui voluerit hunc cruciatum, ego mallem mammillas, quæ cadum magnitudine ſuperãt, quàm impias pati ſectiones iſtas. tamen probatur actio hæc à Græcis, & ab Arabica ſchola. in melancholicos incidimus ſæpe, qui volunt haſce ſectiones; in iſtis ſecate, vt ſui morbi pœnas luant.

De Teſtium extenuatione. *Cap. XV.*

QVAE dixi in mammillis, hæc eadem in teſtibus nimis craſſis applicanda, quia faciunt adoleſcentes nimis turpes, ſalaces, & ineptos ad cantum. chirurgica opera fugienda; non enim ferro tractanda ſunt loca illa. ſed ſi aliquod eſſet, id deligatio eſſet, vt teſtes ſuſpenſi ſeruentur, vt ſint in otio, languidi, & frigidiores fiant. ſum ego iſtius ſententiæ, ſed nunquam veni ad eorum extenuationem, niſi quum craſſati ſunt præter naturam. Verum credo, quod ſanguis teſtis ſuis multum faceret. Inter communia, quæ faciunt ad pulchritudinem continetur vniuerſi corporis color, atque partium. ego primum de colore vniuerſo malo, & de omni infectione tractabo, veluti de lentigine, liuoribus, nigredine, & alijs maculis inficientibus cutim. poſtea aſcendam ad caput, & pediculis bellum inferam, & cætera neceſſaria pertractabo.

FINIS TRACTATVS SECVNDI.

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS,

Medici, ac Philoſophi præclariſsimi.

EXPOSITIO IN LIBRVM GALENI DE OSSIB.

Tertij Tomi Tractatus Tertius.

De libri inſcriptione, & cuius ſit. Cap. Primum.

GALENVS de oſſibus ad tyrones. *Ita inſcribitur hic liber, quem explicandum ſuſcepimus: & ſi recte munus noſtrum agere, & perficere volumus, opus eſt vt nullum ex his capitibus prætermittamus, quæ ad ipſius facilem cognitionem pertinent. Neque hic neceſſarium exiſtimo oſtendere hunc librum eſſe Galeni, cum de hoc nulla ſit controuerſia. Nam Galenus teſtatur ſuum eſſe, & ſibi eum vendicat, cum proferat, qua tempeſtate & ætate eum ſcripſerit: ſcripſit enim illum ante 35. ætatis ſuæ annum, vt ipſe perhibet, de libris proprijs, cap. 2. præterea ſermonis Græci ratio quoque teſtatur.*

Cuius artificis ſit pertractare de hoc libro. Caput II.

CVIVS libri de oſſibus pertractatio non ad quemlibet artificem attinet, ſed ad vnum tantum, non certè Aſtrologo, aut Geometræ, aut Arithmetico, aut Muſico attinet, cum in ſuis ſcientijs nihil huiuſmodi tradatur: pariter nec Logico, nec primo Philoſopho: eſſet enim veluti ὄνος πρὸς λύραν, nec medico attinet, ſed potius Anatomico dicto primo & per ſe attinet hic tractatus, vt inquit Galenus in 1. de admin. anat. cap. 2. vbi ait ad illum ſpectare, legere hunc librum, quia anatomicus eſt, & vt videat & conſpiciat, omnia oſſa quæ in hoc lib. ponuntur: præterea vltimo ad diſſectionem accedat. In hoc enim lib. per oſſium diuiſionem omnes qualitates ipſorum ſenſu percipiendæ ante oculos ponuntur ab anatomico, vt eſt ipſorum numerus, ſitus, conformatio, conſiſtentia: quæ omnia cum ſenſu fuerint percepta, ſunt in cauſa, vt philoſophus facilius cauſas immutationum & differentias inquirat: medicus autem illa tanquam probata & declarata, ſuſcipit ab anatomico. Ergo anatomicus erit artifex ille, cui attinebit pertractatio huius libri, & cum hoc non poſſit aſſequi ſine aliquo habitu, ideo declarandum eſt quis ſit hic habitus.

Digitized by Google

Quid ſit Anatome. *Cap. II.*

Ἀνατομὴ, vt à voce primo incipiamus, vox Græca eſt, quæ idem cum reſectione aut diſſectione vocibus Latinis ſignificat. Duo autem hæc vox apud authores, præcipuè apud Galenum, pluri-mis in locis ſignificare videtur, & actionem ipſam ſcilicet, qua animal ſecamus, & aliquando non partialem illam diuiſionem, ſed artem quandam communem, vel habitum, qui theoremata & concluſiones habet, quæ reddunt hominem talem, vt optime inſtructus anatomicus dici poſſit. Antiquiores quidam, vt au-thor illius libri, in quo definitiones medicæ continentur, ita de-finit: Anatome eſt abditarum partium ſpeculatio. Hæc definitio, etſi ſit approbata à re-centioribus, tamen eſt inepta, quia non continet omnia, quæ ſunt neceſſaria ad hanc ar-tem. Si enim ſimpliciter eſt ſpeculatio tota, ergo illi qui ſecant corpora & particulas, non erunt dicendi anatomici, cum ſectio non ſit ſpeculatio. Secundo etiam vox ipſa indicat ad hanc pertinere actionem ipſam ſecandi.

Nam vocatur diſſectio: & hic valde miror de quibuſdam recentioribus, qui dixerint ἀνατομὴν vocari, quia non ſit ſectio, ſed veluti reſectio, quaſi noua & iterata ſectio, poſt illam factam cultris, hæc ſequatur, quæ rationibus, verbis ac contemplatione exequa-tur, & voluerit, quod per verbum ἀνατομὴν, vel ἀνατέμνειν, ſignificetur iterata ſectio, quæ fiat ore, vt illa oris probatio ſit inſtar alterius ſectionis. Nec me latet definitio authoris illius libri, qui εἰσαγωγὴ, vel ἰατρός, inſcribitur, qui in cap. 11. dicit, anatomen propriè eſſe τῶν ἐσωμάτων μετὰ λόγου ἀ. ἀπόδειξιν. Hæc quoque definitio mihi eſt ſuſpecta. Ratio eſt, quia non tantum internas, verum etiam externas partes ſæpe incidimus, vt cuticulam, cutim, vn-gues, & radices pilorum.

Author ipſe dicit; quòd hæc definitio ampliore & latiore ſignificatione ſe quoque extendat ad externas partes: & ſubiungit, magis propriè ad internas: ſed ego dice-rem, quòd æqualiter ſe debet extendere, tam ad externas, quàm ad internas. Dein-de additur illud, quod eſt explicatio cum ſermone μετὰ λόγου. Neſcio videre, cur hoc requiratur: cum multi ſolo vſu, induſtria, atque lectione hanc artem didicerint, abſ-que ſermone, vel literis. Tertio, ſi hoc eſſet verum, tunc nec ars, nec ſcientia eſſet, ſed potius quædam actio, quam aut prudentia, aut hæc ars, vel illa reſpiceret, ac in ip-ſam ordinata eſſet. Nam τέχνη differt ab arte, vt res quæ in exercitatione eſt, ab ipſa exercitatione.

Quare melior definitio explicanda eſt, & mea ſententia talis: Anatome eſt ars, vel habitus animi, quo optima cum θεωρίᾳ, id eſt ſpeculatione, omnes vel minutiſſimas cor-poris internas, ac externas particulas diuidere poſſumus: ob id, vt quæ ſenſu in his par-tibus cognoſcenda ſunt, verè pateant: dum voco artem cum ſpeculatione agentem, oſtendo ineſſe quædam theoremata communia, quæ nos ad operationem rectè ducunt, quale eſt hoc primo: Quæ non connata ſunt facilè ac leuiter diuidi: Secundo, quæ con-nata ſunt, difficillimè, niſi maxima adhibita diligentia diuidenda eſſe: Tertio, nihil la-cerandum: Quarto, quod ſummè eſt neceſſarium, & difficile: vt ſciamus quæ ſit vna pars, quæ verò plures. Ne plures partes ſimul iunctas, conſtituamus vnam eſſe, nec ex vna plures faciamus: Quinto, quis ſit ordo in diſſectione obſeruandus: poſſumus enim vario modo incipere, & mutare ordinem: aut enim habemus rationem dignitatis, & tunc incipimus à dignioribus, vt à corde, à cerebro: aut dirigimus ordinem ad diutur-nitatem materiæ, & incipimus ab ijs partibus, quæ citius pereunt, & putreſcunt: aut re-ſpicimus collocationem & ſitum partium, vt quando extimas prius ſecamus, ſeruato ordine vſque ad intimas: aut ſpectamus vſum toti corpori exhibitum, & tunc à durio-ribus incipit ars, vtpote ea quæ totum corpus fulciunt. Sexto loco, vt cognoſcamus quibus inſtrumentis nunc hæc particula, nunc illa ſit diuidenda: cui adhibenda opera miniſtri, cui minimè. Septimo, vt cognoſcamus, quæ particulæ ſint diuidendæ, & inſpi-ciendæ in viuis animantibus, quæ verò in mortuis, & qua ratione: quædam enim partes etiam mortuæ omnia integra reſeruant: quædam verò vel nihil, vel parum admodum re-tinent illius, quod ſenſu eſt percipiendum. Hæc atque ſimilia communiora præcepta, artem ipſam conſtituentia, ad πρᾶξιν nos ducunt. Addidi in definitione vltimam parti-culam, vt quæ ſenſu ſunt cognoſcenda rectè pateant: quia in anatome nihil niſi quod ſenſu patet, percipiendum venit.

Quæ ve-

Quæ veniant cognoſcenda in anatome, atque de eius inuentione. Cap. III.

PRIMO enim in anatome oportet cognoſcere motum cuiuſq; membri, ſicut extenſionem & retractionem, vt puta digiti, annuitionem & renuitionem capitis, manus circungirationem. Secundo, oportet ſcire numerum partium, & quot ſint muſculi mouentes quodlibet membrum, vt an ſint quatuor mouentes brachium, an vnus vel plures. Tertio, magnitudo venit cognoſcenda, & quod de muſculis dico, de reliquis omnibus partibus intelligēdum eſt. Quarto conformatio & figura, an ſit teres muſculus, rotundus, longus, vel quadratus, cauus, plenus & ſimilia. Quinto conſiſtentia, an ſit durus vel mollis. Sexto, color eſt obſeruandus, quidam enim muſculi ſunt rubicundi: quidam liuidi, alij argentei, alij nigri, alij lactei, alij prorſus niuei. Septimo compoſitio eſt animaduertenda, an ſcilicet ſit ſimplex, vel compoſitus, an conſtet carne, & ligamento, vel ex carne, ligamento, vena & neruo: quæ omnia ſolent corpus muſculi couſtituere.

Octauo, addamus ſitum, an muſculus ſit ſuperiot, vel inferior, vel medius, an muſculus caput medium vel finem illic ſitum habeat. Vltimo eſt appellatio, quam tanquam per accidens addere poſſem. Quæ omnia narrata ſi vera ſunt, prout narrauimus, patet quod libri de vſu partium non pertinent ad anaromen: pertinent quidem, verum non primo, & per ſe: quia multa poſſunt pertinere ad aliquid per accidens, ſed non per ſe, verum libri illi pertinent potius ad philoſophiam naturalem: quia in his Galenus deſcribit vſum, cauſam & rationem motus, quæ omnia potius ſunt Philoſophi.

Sed quia rarò partem ipſam in illis deſcribit, hac ratione videntur pertinere ad anatomen, ſicut tractatio de affectionibus ad medicinam: vnde doctiſſimi ac excellentiſſimi Medici, qui ante me anatomen explicauerunt, cum de partium vſu multa dixerint, vt Philoſophi naturales potius, quàm vt anatomici id fecerunt.

Ijs modo adijciendum eſſet, vnde & quo tempore ſit orta anatome, & quis primus fuerit qui in hanc artem inſtituerit, ſed hoc præſtare non poſſum: quia nullus certè horum quos hactenus legere potui, deſcripſit eius originem: occaſio tamen inuentionis eſt manifeſta. Nam inquit Plato in Theetæto, ſub perſona Socratis, quod philoſophiæ origo atque cauſa eſt admiratio, *θαυμασία*: pariter dico, admirationem hanc artem peperiſſe. Nam Philoſophi videntes diuerſos motus animantium, vt gyros ſerpentum, manuum, ac linguę circumgytationem, cogitarunt hoc prouenire ab intrinſecis animalis partibus. Ideo diſſecuerunt corpora, vt cauſas horum motuum ſcrutarentur. Secundo puto hanc etiam cauſam fuiſſe, quod voluerunt inuenire cauſas paſſionum & variorum affectuum animi: & in hoc eſt authoritas Hippocratis, in epiſtola ad Damagetum & alios, vbi refert, quòd Democritus ille, qui erat Abderita (Abdera vel Polyſtilo Thraciæ ciuitas maritima, quæ hodie, ſi Sophiano credimus, *Aleaca lamata* vocatur) amplum ſuum patrimonium amicis diuidens, in lucos ſe contulit, vt illic philoſopharetur, & ibi ſcripſit varia de philoſophia, reliquos verò homines irridebat. Ideo illi cachinantem ipſum, inſanire putabant: Sed ipſe diſſectionę animalium varios ſcrutabatur motus. Tandem dum de inſania ſcriberet, offendit eum Hippoc. viditque illum inueſtigantem interiorem inſaniæ cauſam. Cogitauit enim eam neceſſario fieri, vel à re naturali, vel à re prętor naturam, & concluſit, quòd ab excremento potius fieret. Ideo multa animalia ſecabat, & inquirebat ductus melancholiæ, & flauæ bilis. Hinc conſtat, quòd Philoſophi, vt indagarent affectus animi, interiores etiam cauſas variorum motuum, cæperunt ſecare animalia.

(*)

De anatomes ſubiecto, quod ſit, & quæ animalia ſint apta pro diſſectione, & qui authores de ipſa pertractarint. Cap. IV.

SVBIECTVM huius artis eſt quælibet particula corporis animalis, quod ſentiat, ac progrediatur, quæ aut propter connexionem, aut ſitum minimè ſenſu cognoſci poſſit. Ab hoc ſubiecto, poſtea plures differentiæ ortæ ſunt. Nam alia anatome eſt animalium brutorum: alia verò hominum: alia viuorum: alia cadauerum: alia oſſium tantum: alia muſculorum tantum: alia neruoſarum partium: alia venarum, atque arteriarum: alia viſcerum, atque his inſeruientium particularum.

Ordo autem inter ipſa animalia talis eſt, quod vnumquodque pro ſui hiſtoria ſit ſecandum. At pro hominis partibus ſecandis, ſex ſunt genera corporum apta, vt Galenus in 6. de admin. anat. cap. 3. & lib. 4. cap. 2. primum, vt à remotioribus incipiamus, & minimè præ cæteris ſimile eſt genus illorum animalium, quæ ruminant, vt ſunt cameli, oues, boues, & huiuſmodi: lepus etiam ruminat, vt Leuitici 11. Secundo loco eſt eorum, quæ μονόνυχα, ſeu μώνυχα dicũtur, ideſt, quæ ſolidam vngulam habent, vt equorum genus, aſinorum, quæ minus differunt ab homine, quàm priora. Tertio loco eſt genus porcorum, atque ſuum: quæ magis proximè ad hominem accedunt. Quarto loco eſt genus illorum, quæ καρχαρόδοντα vocantur, ideſt, quæ ſerratos habent dentes, vt canes, leones, lupi, & huiuſmodi genus. Alia ſunt maiora, vt vrſi & iam dicta, alia minora, vt cati, muſtellæ, mures. Quinto loco ſunt animalia, quæ propter ſimilitudinem ſimiæ dictæ ſunt, ex quibus primum locum tenent, quæ ſine cauda ſedent, & facies latas habent, ſicut homines, deinde ſunt λύγκες, σάτυρα, κυνοκέφαλοι. Sexto & vltimo eſt ipſum cadauer humanũ. Inſtrumenta non multa requiruntur ad exequendam hanc artem, ſunt enim ſcalpelli obtuſi, & acuti, laminæ, inſpecilla, acus, filum tenuius, craſſiuſque, ſerra.

Multa alia poſſent enumerari, ſed non neceſſaria. Authores ante Galenum fuerunt Hippocrates, Herophilus, Diocles, Polybus, Eraſiſtratus, Marinus, Lycus: ex quibus multi male dixerunt. Acceſſit poſtea Galenus, qui longe melius iſtis pertractauit de hac materia. Recentiores dimiſſis Theophilo, Oribaſio, & Arabibus chirurgis, fuerunt Mundinus, Carpus, Andernacus, Carolus Stephanus, & tandem Veſalius, qui optimè omnium ſcripſit de hac materia. Vſus autem ipſius anatomes eſt, vt Medicis ac Philoſophis ad inueſtigandas actionum ac morborum cauſas inſeruiat.

De huius libri ſubiecto, & quid ſit σκελετὸς, & vnde dicatur. Cap. V.

CVM enim ablata, aut delibata, ſiue abſumpta eſt tota caro corporis humani, ſic & abſumptæ & ablatæ ſunt omnes reliquę corporis partes molles. Ea pars tota, quæ remanet oſſea ſimul compacta, à Græcis σκελετὸν dicitur. Vnde σκελετὸς appellatur, quando ſimul compingimus oſſa. Item σκελετοὶ dicuntur, quæ ſunt in ſepulchris, quando eliquantur carnes & humidum, tamen oſſa ligamentis cohærent. Sic corpora latronum ſuſpenſa, quibus exeſa eſt caro & inteſtina ab auibus, σκελετὰ dicuntur. Quia σκέλλειν & σκελετεύειν ſignificat ſiccare. Et cum in hoc libro nihil aliud pertractetur, præterquam ea quæ faciunt ad cognitionem naturæ, conformationis, figuræ, ſitus, & reliqua contingentia circa ſubſtantiam oſſium, ideo dicendum erit, quòd σκελετὸς, ſiue omnium oſſium compactio, erit ſubiectum huius libri, quem præ manibus habemus.

Quo loco ſit diſponendus hic liber inter Anatomicos, atque de eius vſu, ac diuiſione. Cap. VI.

HIS ſic declaratis, videamus iam, quo loco diſponendus hic liber de oſſibus, inter libros anatomicos: ad quod reſpondet Galenus ipſe primo de admin. anat. quod ſcilicet debet reponi in primo loco, quod ratione etiam confirmatur per ſimilitudinem: oſſa enim ſimilia ſunt camacis. Nam κάμακες ſunt, quę totum tentoriũ ſuſtinent, & illud ad earum formã configurant. Si enim ſunt quadratæ, tunc exterior tentorij figura eſt quadrata, ſi rotundæ ſunt, forma quoque tentorij eſt rotunda: ſimile quoque eſt munus oſſium: ſunt enim veluti parietes domus, & quaſi camacæ tentoriorum, cum ad ipſorum figuram figuretur quoque totum corpus: quoniam ſi os cranei eſt oblongũ, & cerebri figura eſt oblonga, ſi craneum rotundum, & cerebrum eſt rotũdum. Cùm ergo ſuſtineant totũ corpus & totam molem, & ad ipſorum figuram reliqua omnia conformentur, neceſſe etiã eſt, vt primum locũ merito hic liber teneat, cuius ſcopus & ſubiectum (vt diximus) eſt σκελετὸν, quod cõtinet in ſe & minutiſſima oſſa & maxima. Ideo oportet, vt doceat nos Galenus qualitates, quæ in quolibet oſſe reperiuntur, ſic & numerũ, figuram, conſiſtentiam, &c. Vſus autem huius libri, qui proponitur, eſt, vt inſeruiat Philoſophis ad inquiſitionem generationis oſſium, & cauſarũ paſſionis in oſſibus.

Secundo, vt ſeruiat Medicis, quo poſſint ad id quod ſecundum ſanitatem eſt, oſſa laxata vel fracta reſtituere, vt inquit Galenus, in primo huius libri. Quoniam nos diuidimus in duas partes hunc librum, in primam quidem, in qua prolegomena, & quæ procœmium ſpectant, colliguntur. In hac enim parte Galenus neceſſitatem cognitionis explicat, & dicit quid ſit os, quod ſit magnum aut paruum, quæ ſint partes definitionis: articulationis multas ſpecies, atque coniunctionem oſſium & nerui ſignificata. In ſecunda parte, oſſa enumerat per capita, & vnumquodque exponit. Et ſi volumus, quòd res medicinæ optimè inſeruiat, oportet cognoſcere quale ſit os. Nam dixit Galenus in primo cõmentario lib. de articulis, quod methodus medica, primo procedit à natura particulę affectæ, vt cognoſcat formam & quantitatem: ſecundo vt inueſtiget omnes affectiones, naturales & præter naturam: tertio, vt ſciat ordinem ſanationum: & vltimo, ſigna quibus ſanitatem & mortem prædicimus. Cùm ergo talis ſit ordo in re medica, vt primum natura particulæ cognoſcatur, oportet primum naturam oſſis explicare, quia hoc prodeſt, ad differentiam conſtituendam.

De Oſsium natura. Cap. VII.

NATVRA ergo oſſium cognoſcetur ex ſcientia cauſarum ipſorum, quæ variæ ſunt: aliæ enim ſunt veluti materia: aliæ veluti forma: alia vt efficiens & generans: alia vt finis. Incipiendo à materia, eſt ſciendum, duplicem ex Ariſt. & Galeno apparere oſſium materiam: aliam ſcilicet, quæ ſit materia in generatione, dum gignuntur oſſa: alteram quæ ſit materia extra generationem: quoniam oſſa & quælibet pars corporis, dum viuimus, ſenſim ob calorem, & laborem, attritionemq; exſiccatur: ideo oportet inuenire materiam, ex qua partes deperditæ reparentur: ergo altera materia requiritur. De prima autem materia varia eſt ſententia antiquorum.

Nam Polybus in libro de genitura, dixit partem ſeminis duram eſſe materiam, ex qua fiant oſſa, quam ſententiam videtur imitatus Galenus, in lib. de ſemine, cap. 8. qui pariter dixit, quòd craſſior, duriorq; pars ſeminis erat illa, quæ exſiccata tandem, in oſſa formabatur. Ariſtoteles lib. 2. de gene. animal. cap. 4. dicebat excrementum ſeminis, vel partem excrementoſam eſſe materiem, ex qua in generatione oſſa perficiuntur, vel ſeminale excrementum: vtitur enim vtraque voce, ſed idem eſt excrementum: ſeminale & pars ſeminis craſſa: nam ex parte tenuiori ſeminis carnes generantur: ex dura verò cornua, vngues, oſſa, nerui, & ſimilia.

Quod & Hippoc. ſententia probatur, quia in explicandis oſſibus nihil prætermiſit, nec à ſcopo aberrauit. Sed in lib. de carnibus, addit conditionem valde neceſſariam oſſibus, ſine qua nihil cognoſcimus, ſcilicet vt ſit pars terrea ſeminis, ac pinguis.

Hæc enim eſt materia oſſium in generatione. Cum inquit terream, conſentit cum Ariſtot. & Polybo: hæc enim pars terrena eſt craſſa & dura pars ſeminis: & excrementum ſeminale: Sed dum ait pingue, rem magis certam proponit: Et quod hoc ſit neceſſarium, eſt certo tenendum. Opus enim eſt vt illa pars ſeminis terrea, aut ſit cruſta penitus, aut terrea ſicca, ſcilicet, aut terrea humida. Si terrea humida, humiditas hæc, aut eſt viſcoſa, aut pinguis.

Nam humiditas in terreo arguit, vel viſcoſitatem, vel pinguedinem. Videndum modo eſt, an ex qualibet illarum generetur os. Si dicimus ex terreo exuſto & veluti in cinerem redacto, certum eſt quod non: quoniam in generatione, nihil quatenus ſiccum & exuſtum, requiritur: ſed ex eo fit generatio alicuius, in quo eſt humidum: quia quicquid in generationem animalium concurrit, humidum eſt. Cum ergo pars fuerit exuſta, non concurret ad generationem: agens enim eſt calidum quod in ſe colligit humiditatem. Si dicamus quod ex terreo ſicciore: dico quod ex hac materia generantur pili, cornua & ſimilia: Cum pili (vt inquit Gal. præcipuè in primo de temperamentis, nec non multis alijs in locis) ſint ſicciores oſſibus, & conſtant parte terrea ſicca excrementorum & veluti fuliginoſa: quia, inquit, ſicut fuligines in camino concreſcunt in illã nigredinem, ſic fumi in corpore concreſcunt in pilos. Neque ex terreo glutinoſo conſtãt oſſa, alioquin eſſet eadem materia illis cum membranis, neruis, & ligamentis, quæ conſtant ex parte terrea viſcoſa ſeminis, tamen oſſa non habent ſimilitudinem cum vllo horum, nec differunt ſecundum magis & minus ab his: ſed ſecundum totam ſpeciem. Ergo nec ex hac materia generantur oſſa.

Datur & alia materia quæ partim eſt pinguis terrea, & partim glutinoſa; ex qua fiunt cartilagines: quæ cùm habeant pinguedinem, ſunt ſimiles oſſibus: ſi vero glutinoſam partem ſpectemus, differunt ab oſſibus ſecundum magis & minus, vt inquit Ariſtot. quia cartilagines habent minus viſcoſæ ſubſtantiæ, in oſſibus vero plurima eſt. Ergo ſi oſſa non fiunt ex terreo exuſto, non ex terreo ſicciore, non ex terreo pingui ſimul & viſcoſo: relinquitur vt ſolum generentur ex parte pingui, & natura ſua terrea. Altera materia eſt poſt generationem, qua reparantur deperditæ oſſium particulæ, quę poteſt duplex poni, vt inquit Galenus 3. de facult. natur. cap. 15. & 6. method. cap. 5. Hæcque alia eſt propinqua, alia remota: remota materia, qua nutriuntur oſſa, eſt ſanguinis pars craſſior & veluti excrementoſa, quemadmodum etiam colligemus ex Ariſt. 2. de p. ani. c. 6.

Nam partes duriores nutriuntur parte craſſa ſanguinis, quæ relinquitur & negligitur ab omnibus partib. tenuioribus. Altera eſt materia propinqua, in qua requiritur tranſmutatio agentis & oſſis nutriendi, & eſt medulla quæ in oſſibus continetur, vt Galenus appellauit infinitis in locis medullam alimentum oſſium. Ariſtoteles videtur hanc cognoſcere, & reſpuit eam vt inutilem, in 2. de part. animal. cap. 6. vbi dicit medullam non eſſe alimentum oſſium. Rationes autem quibus probatur medullam non eſſe alimentum oſſium, multæ ſunt: Prima quidem eſt hæc: Medulla eſt oſſium excrementum, & ſi excrementum, ergo contrarium. Nam excrementum, & illa pars cuius eſt excrementum, ſunt contraria, & niſi adeſſet illa contrarietas, non expellerentur excrementa. Ergo ſi ſit contraria, non nutrientur ex illa oſſa, ſed nutrientur ex ſimili. Secunda ratio eſt, oſſa & quælibet pars corporis ex proportionali parte ſanguinis, & cuiuſcunque humoris nutriuntur: at cum oſſa ſint ſicca, requiritur, vt ſicca proportionali parte humoris nutriantur: ſed medulla calida eſt & humida: ergo non eſt proportionalis oſſibus, neque ex ea nutriuntur oſſa, tanquam ex parte diuerſa & diſtanti: Tertia ratio eſt. Si oſſa nutriuntur medulla, tunc requireretur maxima copia materiæ, quæ nutriret, quando maxima fit abſumptio. Nam maxima abſumptio requirit maximam materiæ copiam: ſicut in puerulis, cum creſcunt, maxima fit abſumptio: quia multum reſoluitur, & abſumitur. Ergo etiam multa indicatur materia: ſed in puerulis nulla reperitur medulla, oſſa enim eorum ſunt plena ſanguine, nihilque quod medulloſum ſit reperitur: ergo indicium eſt, quod non nutriuntur medulla.

Quarta ratio, medulla in ijs animalibus, quæ penitus excrementoſa ſunt, copioſiſſima abundat: quare per analogiam dicemus, medullam pariter eſſe excrementum: frigidiora enim animantia habent plurimam copiam medullæ & pinguedinis, ſed calida & viuaciora animalia, vel illam non habent; vel eam admodum paucam. Nam leo eſt animal calidiſſimum, nullis excrementis ferè redundans, in illius oſſibus nulla reperitur medulla. Hinc cognoſcimus, medullam potius eſſe excrementum, nec aptam nutritioni oſsium. Sed quoniam vt medicus profiteor, & pro medicis hunc librum interpretor: non erit abſurdum, ſi ſolutionem quoque medicam referam, ſalua pacę Ariſtotelis: quamuis ipſe non credat medullam eſſe materiam oſſium.

Tamen

Tamen cum Galeno conſentio, quod ex ea tanquam ex propinqua materia, nutriantur oſſa. Sed primum rationes allatas diſſoluam, deinde noſtram opinionem rationibus confirmabo. Primum argumentum erat: medulla eſt excrementum, ergo contrarium, ergo ex ipſa non nutriuntur oſſa. At hoc negandum eſt, quod primum proponitur, ſcilicet, quod medulla ſit excrementum. Dico non eſſe excrementum, ratio eſt: quoniam ſi eſſet excrementum, illud pateretur, quod & reliqua excrementorum genera patiuntur. Nam cum ſint contraria rei, hoc patiuntur, vt ſi diutius contineantur, tandem putreſcant, & morbo afficiunt. Conſtat hoc in ſemine, quod ſi retineatur, putreſcit, & inflammantur teſtes, & moriuntur, ſicut ſi ſemen contineatur in vtero, morbum inducit. Sed nulla via eſt per quam videatur excerni huiuſmodi excrementum, ſcilicet medulla: ergo hac de cauſa diutius continebitur in oſſe: quod ſi eſſet excrementum, corrumperetur & morbo afficeret hominem: verum cum non habeat locum, per quem excernatur, non eſt excrementum. Sed ſi quis dicat, quod reſoluitur inſenſibiliter. Contra hoc dico: humidius excrementum habet proprios meatus, per quos excernitur, ergo & craſſius. Sed humidius & tenuius excrementum eſt ſudor, & ſudor habet poros & meatus cutis, qui apparent: Sic & vrina, quæ eſt tenuiſſimum ſanguinis excrementum, habet meatus manifeſtiſſimos & proprios per quos excernitur: Ergo illos magis deberet habere craſſius excrementum: niſi vellemus excrementum poſſe manere in loco, abſque corruptione: niſi præterea vellemus comprobare, quod ait Plato & Hippocrates, vt Galenus in commentario fragmentoſo, quod ſcripſit in Timæum Platonis commento 5. inquit, quod antiquiores ſpinalem medullam genitalem appellarunt, quia ex illa inſtillaret ſemen in teſtes, & quod ſemen eſſet excrementum medullæ, & excerneretur per teſtes. Sed hoc eſt falſum, & contra omnes medicos.

Ad ſecundum, quod tale eſt. Omne quod nutritur, nutritur ex parte proportionali: oſſa ſunt ſicca, medulla vero calida, & humida: ergo medulla non eſt proportionalis oſſibus, nec oſſa ex ipſa nutriuntur.

Ad hoc dico, quod verum eſt in maſſa tota ſanguinis, quod oſſa nutriuntur ea parte proportionali ſanguinis, quæ eſt craſſior, & ſicca: tamen adiungit ibi Galenus, quod pars, quæ debet nutriri ex materia remotiore, habet opus vt introducantur in ea materia qualitates, quibus diſtat à parte nutrienda: verbi gratia, differt ſanguis colore ab oſſe, ergo color immutandus eſt, & alterandus, hoc fit per concoctionem, quia ſanguis craſſus concoquitur & patitur à calido, quod eſt humidum, ergo oportet vt materia elaborata à calido & humido, ſapiat naturam efficientis: ideo neceſſe eſt vt melancholica materia elaborata à calido & humido, aliquam ſimilitudinem caliditatis, & humiditatis habeat: cum autem abſumitur humiditas, quæ habet proportionale calidum, conſumitur & pariter calidum illud.

Quia pars craſſior ſanguinis debet primum fieri candidior, & recipere qualitates: ſed hoc non fit niſi à calido: calidum agens eſt pariter & humidum: ideo ſui ſimilitudinem relinquit, vt appareat veſtigium caliditatis, & humiditatis: Ideo per accidens medulla differt, & non eſt proportionalis, per ſe autem eſt materia ſubiecta, & proprium alimentum oſſium: ſed eſt calida & humida, propter veſtigium caloris agentis, & humiditatis: ſed tandem cum abſumitur humiditas, ſimul cum humiditate abſumpta, euaneſcit illa caliditas, & ſic remanet materia frigida & ſicca, & ſimilis oſſibus.

Ad tertium argumentum quod dicit, vbi fit copioſa nutritio & reſolutio, ibi requiritur materia multa: & in pueris fit copioſa nutritio: ergo etiam requiritur materia copioſa: ſed in puerilis non eſt medulla: ergo medulla non eſt materia ex qua nutriuntur oſſa. Ad hoc dico, quod in puerulis reperitur copioſa medulla. Et copioſior (data pro portione) quam in reliquis ætatibus. Oh illa materia eſt ſanguis, & non medulla: dico quod eſt medulla ſanguinea, & ſanguinis colore infecta: cum enim viderent ruborem illum in oſſibus teneriorum animalium, putarunt eſſe ſanguinem concretum: ſed non eſt ſanguis, ſed medulla, quæ tantum differt colore: & ratio eſt, quia omnes particulæ in animante recens nato, ſapiunt naturam generationis, ſcilicet caliditatis, & humiditatis. Cum igitur ſapiant naturam generationis, oportet etiam vt ſapiant naturam humoris, ex quo genitæ ſunt. Cum ergo animalia recens nata, ſapiant naturam caliditatis, & humiditatis, quæ eſt materia generationis. Inde eſt, quod pueri ſunt rubicundi in facie, tanquam carbones accenſi: ideo videntur oſſa rubra, & alterant prius ſanguinem in medullam, & poſtea medullam in ſuam naturam: & cum nondum ſit facta illa mutatio, vt in medulla, ideo retinent illum colorem: non tamen eſt ita rubens, vt ſanguis: vnde dico quod adeſt maxima alimenti copia, ſed quia paruam adhuc recepit mutationem, ideo oſſa videntur magis rubra.

Ad

Ergo iſte ſpiritus proponitur efficiens cauſa omnium partium. Hippocrates tamen in eo libro quem in ſcripſit de cartibus, non ſpiritum, ſed calidum naturale poſuit efficientem cauſam formationis partium, quod calidum immortale dixit, quo poſſumus diuinare & præſagire.

Cui conſentiens Ariſtot. in ſecundo de generatio. animalium, capitulo quarto, dixit, calorem naturalem eſſe cauſam efficientem oſſium. At Galenus, in primo de facultatibus naturalibus, capitulo ſexto, dixit, vim vel poteſtatem formatricem, & generatricem, eſſe cauſam efficientem oſſium, quam oſſificam appellat. & quamuis iſta diuerſa appareant: tamen in eundem ſcopum reſpiciunt, nec inter ſe differunt: cum enim dicimus ſpiritum innatum eſſe cauſam, intelligemus tanquam inſtrumentum, quo facultas & particula vna cum facultate vtitur, ad agendum: quia cum inſpirat & expirat, vim illam conſeruat & auget, & eſt inſtrumentum. Cum dicimus calorem: idem eſt cum opinione Galeni. nam facultas & oſſifica generatrix, cum non habeat aliam eſſentiam, niſi calidum optime contemperatum. ex reliquis qualitatibus, in temperamentum optimum & compoſitum, intelligimus quod temperamentum illud debet per facultatem agere. Idem eſt de calore: ergo ſiue dicamus facultatem quæ in optimo calido temperato conſiſtit, ſiue à calore, ſiue ſpiritum aut facultatem agentem proprio inſtrumento, ſcilicet ſpiritu, eſſe cauſam efficientem generationis, ſemper idem videmur dicere.

Supereſt modo vt d camus de forma oſſium, quæ quidem nil aliud eſt quam durum robur & vis oſſium. Quo robore, potentia naturali, omnia quæ ſunt mollia in corpore, poſſint fulcire & ſuſtentare. Hoc eſt veluti forma, vt ſit vis & robur conſtans, quo poſſint omnes partes molliores ſuſtentare. Nam cum ignoremus propriam formam, hanc explicando intelligimus. Quando formam ignoramus, oportet in medicina ad facultatem accedere: finis vero oſſium talis & cuius cauſa oſſa facta ſunt, vt Ariſtot. ſecundo de part. anima. 9. vt ſcilicet partes omnes molliores & humidæ fulciantur: hic finis eſt, & cuius gratia oſſa facta ſunt, vt partes humidæ, & molliores ſuſtineantur: quod confirmatur à Galeno multis in locis.

Adiungitur alter finis, qui potius eſt vtilitas & vſus dicendus, quam proprie finis, cuius cauſa oſſa fiant: qui talis à Galeno proponitur, in 16. de vſu part. capit. 2. vt ſcilicet ſint propugnaculum & veluti murus mollium partium corporis, non ſolum vt fulciant, ſed etiam ſint veluti defenſio: vt oſſa Capitis ſunt veluti galea & propugnaculum ne offendatur cerebrum à rebus extrinſecis, quæ duriores ſunt. Cui ſubſcripſit Ariſtot. 2. de part. animal. capit. 9. cum dicit, parta eſſe oſſa conſeruandi gratia, vt poſſint conſeruare partes molliores, & dat exemplum: pectus oſſibus clauditur ob viſcera intima, ſcilicet vt cor & pulmones muniantur ab extrinſecis iniurijs. Finis autem vltimus proponitur à Galeno primo de vſu partium, capit. 12. dum ait oſſa facta eſſe ob ſtabiliorem motum, vt certius ſcilicet animalia progrederentur, & alios motus voluntarios peragerent. Igitur facta ſunt oſſa, vt ſuffulciant mollia, vt mollia poſſint moueri, & progrediendo & alia genera motuum perficiendo. Ergo hic eſt vltimus finis, quia mollia ſunt ſuſtinenda ad hoc vt poſſint moueri. Nam ſi oſſa abeſſent, non flecteremus manus, non neruos, & fibras: itaque ob illam certitudinem motus, natura ſuffulſit oſſibus carpos & reliquas partes molles. Ariſtot. videtur venuſte aliud adiungere, cuius gratia ſuffulta ſint mollia oſſibus: in ſecundo de part. animal. cap. 8. vbi ait, oſſa facta ob molliores partes, vt carnem, ſed carnem ob ſenſum tactus: vnde colligimus ea cauſa molliora ſuffulcire, ob ſenſum tactus, qui eſt veluti vltimus finis, cuius gratia ſuffulciantur molliores partes, à durioribus. Habetis ergo oſſium materialem cauſam, & efficientem formam, & finem, nec non multiplicem vſum, ex quibus omnibus conſtituere orationem poſſumus, quæ erit definitio talis.

Os eſt pars ſimilaris corporis animalis, ex terreo pingui à calore genita, vt ad ſenſum & motum toto corpori inſeruiat fulciendo (& per ſenſum intelligo ſenſum tactus.) Ex hac mea ſententia penitus natura, vis, facultas, & vſus oſſium conſtat, nihilque aliud adiungitur, niſi quę ſint affectiones naturales oſſium, quæ præternaturales, & vnde ipſorum oſſium differentiæ ſumantur.

De

De affectionibus naturalibus, & præternaturalibus oſsium.
Cap. VIII.

AFFECTIONES naturales, id eſt quæ vt plurimum in quolibet oſſe reperiuntur, ſunt durities quædam. In re medica erit hoc vobis maximo vſui: quia cum videbitis os capitis detractum ſiue nudatum, & appareat quædam pinguedo ſplendeſcens: tunc naturaliter ſe habet os, ſi vero ſit durities cum ariditate, præternaturaliter ſe habet: ergo durities cum pinguedine, erit affectio naturalis altera. Secunda eſt albedo cum rubore illo admixto: nam oportet vt ſint alba, ſed cum minimo rubore: ſi enim eſſent penitus candida, vt dentes, præternaturaliter affecta eſſent: ſic ſi nimis etiam ſint rubicunda, vt quæ patiuntur inflammationem. Ideo in medicina, vt videbitis, quædam oſſa candida, vel rubra, præter naturam erunt affecta. Tertio oportet, vt ſint priuata ſenſu tactus, vt ſunt reliqua oſſa, exceptis dentibus, qui aliqua ex parte ſentiunt: non tamen omnem qualitatem, ſed calidum & frigidum: ergo cum oſſa non ſentiunt, ſe habent naturaliter. Quarto inter qualitates & affectiones naturales, oportet, vt habeant meatus opportunos tranſmittendi alimenti. Cum ergo illi meatus aut non ſunt manifeſti, aut non adſunt, tunc afficiuntur præternaturam. Quinto oſſa fere omnia habent ex ſui natura, circa capita, cartilaginoſam ſubſtantiam, quæ ob motum facta eſt, vt Ariſtot. 2. de part. animal. cap. 9. pariter & Galenus 11. de vſu partium, cap. 18. oſſa quælibet circa capita (etſi non omnia, plurima tamen) habent cruſtam cartilaginoſam, quæ eſt ob motum facta. Ergo naturalis affectio eſt, vt habeant hanc cruſtam: ſi vero hac priuentur, habebunt ſe præter naturam. Addatis & aliam, ſcilicet membranam, quæ perioſtion dicitur, qua vt plurimum omnia oſſa veſtiuntur: excipiuntur tantum dentes, & vltimum ſiue ſupremum os capitis, ſcilicet, quod exterius tantum περικρανίῳ tegitur: interius vero nulla membrana tegitur: reliqua omnia oſſa, ſiue magna, ſiue parua, habent hanc affectionem, vt membrana tegantur: oſſa etiam habent hanc qualitatem propriam, vt priuentur facultate coaleſcentiæ. Nam ante decimumquartum annum, oſſa coaleſcere poſſunt: tranſacto decimoquarto, non amplius coaleſcunt: in quamplurimis ante ſeptimum: quandoque infra triennium: aliquando ſecundo, tertio, vel quarto menſe deperditur facultas hæc coaleſcendi, ita vt ſi frangantur oſſa, non poſſint amplius coaleſcere. Vltimo loco eſt addenda hæc affectio, ſcilicet concinna & apta coarctatio, & coniunctio membrorum: qua ſi deſtituuntur, ſiunt affectiones præter naturam. Ergo iam habemus affectiones naturales, ex quibus facile cognoſcimus affectiones præternaturales, & erunt tot, quot ſunt naturales. Nam ſi fuerint arida, ſunt affecta oſſa præter naturam, præterea ſi deſit albedo, & fiat maxima rubedo, erunt affecta præter naturam, poſtea fractura eſt præter naturam, contuſio etiam vt poſtea patebit, vbi agemus de vlceribus, cum aderit tempus opportunum, tunc omnes ſpecies ſolutionis continuitatis trademus. Sic luxatio & inflammatio, ſed improprie: eſt enim quaſi ebullitio oſſium: non quod vere inflammentur: & non eſt penitus ſideratio. Quandoque etiam deſtituuntur calore, vt non nutriantur, nec augeantur. præterea aliquando patiuntur & cariem, quando oſſa carie, & quaſi rubigine abſumuntur: ſic quando os conteritur. præterea mutatus color, eſt affectio præter naturam: ſic meatus intercepti: cruſtæ cartilaginoſæ amiſſio: tunicæ ablatio, quæ περιόστιον dicitur, & ambit oſſa: durities ablata, vel pori oſſei, vel cauitas. Præterea calli, quibus conglutinantur fracta oſſa. Quia oſſa poſt 14. annum fracta, non connaſcuntur, ſed obducuntur callo: vt Galenus, in 6. method. cap. 5. inquit, quod natura ab alimento, quo nutriuntur oſſa, gignit materiam oſſeam, quæ callus dicitur, qui conglutinat os fractum, & quamuis ſit affectus præter naturam: tamen quia eſt factus à natura, non quidem generante, ſed reficiente, non eſt penitus præter naturam: & præcipue loquor de callo apud vertebras, ita vt non poſſint circumuoluere caput. Quidam putant hoc eſſe ob ligamenta: quidam ob neruos mouentes. Sed ego obſeruaui hoc euenire, quia oſſa multa & mala nutritione obducuntur callo oſſeo, qui agglutinat vertebras, & vidi primam, ſecundam, & tertiam ceruicis vertebram ita coniunctas, vt viderentur vna, & tamen erat forma vtriuſque integra, & nihil erat medium, niſi callus, qui agglutinauerat vertebras. Sed plurimum tamen vidi primam vertebram coniunctam caluariæ, non ita crebro reliquas. Quia ſi prima vertebra capiti eſt annexa, non poſſunt annuere, nec renuere:

Digitized by Google

nuere. reliquæ tamen vertebræ poſſunt moueri. Quibus ſic determinatis, cum omnia oſſa non conſtent eadem figura, vt facile eſt obſeruare, ideo de oſſium differentijs eſt dicendum.

De differentijs oſsium. Cap. IX.

SCIENDVM eſt, quod oſſium differentiæ, aliæ ſunt quæ quidem reperiuntur in oſſibus natura ſua conſtantibus, id eſt nihil præter naturam affectis. Poſſumus enim reperire os, natura ſua conſtans, & tamen poterit habere qualitates varias, quibus diſferat ab altero oſſe: Ideo dico, has eſſe differentias oſſium, vt tamen non ſint præter naturam affecta. Quædam aliæ differentiæ ſunt repertæ in oſſibus, ſed præter naturam affectis. Rurſus illæ differentiæ quæ ſunt in oſſibus natura conſtantibus, aliæ oriuntur ab his, quæ cuilibet oſſi à natura inſunt: aliæ oriuntur à rebus quæ non ſunt oſſa, ſed oſſibus eueniunt.

Itaque naturalium differentiarum aliæ ortum habent ab intimis oſſium: aliæ ab his, quæ cum non ſint oſſa, oſſibus tamen eueniunt. Enumerabimus ergo primo ea, quæ faciunt, vt oſſa inter ſe differant: nam quædam horum ſunt maximi momenti. Prima ergo proponatur generatio (& mirum videbitur) qua naturalia oſſa à naturalibus differunt. Quædam enim ſunt oſſa, quæ gignuntur dum gignitur animal, quædam quæ gignuntur poſt generationem animalis.

Quæ gignuntur, dum animal gignitur, ſunt quædam oſſa capitis, tibia maior, & minor, cubitus, & ſimilia. Hæc gignuntur, dum gignitur animal: quæ vero non gignuntur cum generatione animalis; ſunt omnia oſſa carpi, & omnia pedij, etſi non omnia, tamen pleraque. Sic quoque, & dentes, vt plurimum. Oritur etiam differentia, non ſolum ab abſoluta generatione: ſed etiam à perfecta, & imperfecta generatione: quædam enim oſſa gignuntur perfecta, & integerrima in generatione animalis, quædam non integra. Nam nullum os, niſi quod eſt minimum, generatur perfectum, in corpore humano: & hæc ſunt tria oſſa, quæ ſunt in cauitate aurium: illa ſola perfecta ſunt à natura in generatione animalis: reliqua omnia imperfectiſſima: nam alijs appendix, alijs proceſſus, alijs aliud quid deeſt: ſic quibus generantur dentes in generatione, illi dentes ſunt imperfecti, ſed illa tria oſſa perfecta gignuntur à natura.

Ideo præter poſitionem, & vſum differunt: differunt etiam, quia perfecta ſunt in generatione, reliqua omnia imperfectiſſima. Iam hic eſſet locus reddendi rationem, quare illa, & non reliqua perfecta ſint facta in generatione: verum ad opportuniorem occaſionem relego. Similiter reddenda eſſet ratio, cur tria ſint hæc oſſa in auribus, cum ab alijs tantum duo numerentur: alterum, ſcilicet quod incudis habet figuram, alterum quod malleoli: nos tamen addimus tertium, quod ſimile eſt illi ferro, quod ab ephippio dependet, in quo quieſcit pes, quod vulgo dicitur ſtaffa; Latini vocant ſtapedem. Nam repetitur hoc os tertium coniunctum cum illis duobus, quod etiam eſt integerrimum in generatione: ſed & huius ratio, & diſcurſus in ſuum locum ſeruabitur.

Tertius chorus differentiarum oritur a ſenſu: quædam enim ſunt oſſa, quæ nullum penitus ſenſum habent; vt oſſa capitis, manuum, tibiarum, femorum, & reliqua fere omnia, exceptis dentibus. Nam dentes ſentiunt frigidiſſimam aquam, & aerem, & calidiſſimum humorem, & corpus. Et ego expertus ſum in meipſo, an aliquid aliud ſentirem, & tetigi meos dentes ignito ferro, & ſenſi maximum cruciatum: & ſimiliter frigus etiam percepi: ſed non potui ſentire corpus, aut aliquam rem: & quamuis ſentiamus ferrum additum, tamen hoc eſt per accidens, vt dicemus poſtea.

Quarto loco eſt differentia à conſiſtentia ſumpta: quædam enim oſſa, ratione conſiſtentiæ, ſunt duriſſima: vt oſſa petroſa circa caput: quædam ſunt molliora.

Quinta differentia ſumitur à magnitudine: quoniam quædam parua, vel minora, vt prædicta aurium, & oſſa carpi, & ſimilia: quædam maiora, vt calcanei, & reliqua oſſa.

Sexto, differunt ratione coalitus, cum non omnia ſimul coaleſcant: ſed quædam, vt maxilla inferior, quæ conſtat ex duabus partibus, eandem habent vim coaleſcentiæ, vt geminæ partes vniantur, vt vnicum tantum os videatur. Præterea ſunt quædam quæ coaleſcunt vltra ſexageſimum annum, qualia ſunt oſſa capitis, quæ ſæpe ita vniuntur, vt futuræ propter vetuſtatem aboleantur, vt ſuo loco audietis.

Septima oſſium differentia ſumitur à partibus: quoniam quædam horum habent proceſſus,

ceſſus,

Digitized by Google

ceſſus, quædam non: alia habent ceruices, quædam non: alia habent capita & ſpinas, & alias partes, quibus deſtituuntur alia oſſa: ideo etiam à partibus ſumuntur differentiæ.

Octauo differunt oſſa iuxta figuram: quoniam quædam rotunda, quædam planiora, alia acuta, alia obtuſa: quædam cubo ſimilia, quædam alteri inſtrumento, vt ſcuto vel ſimili rei, veluti cymbæ. Hæ ſunt differentiæ, quæ ſequuntur naturam oſſium. Sumuntur modo etiam differentiæ ab alijs, quæ adueniunt oſſibus: quædam ergo oſſa habent cartilagines in extremo: quædam non: cubiti, humeri, femoris oſſa habent obductam cartilaginem: ſed oſſa capitis, & cranei, in partibus in quibus ſunt ſuturæ, non habent cartilagines: differunt ergo nono in hoc oſſa inter ſe.

Decimo differunt inter ſe nexu: nam quædam connectuntur interueniente medio: quædam ſine medio: cum medio aut carnoſo, aut neruoſo, aut ligamentoſo: quædam vniuntur aut per diarthroſin, aut ſynarthroſin, aut reliquis generibus articulorum, quibus oſſa coniuncta differunt.

Differunt vndecimo, ob ambientem tunicam: quædam enim oſſa habent tunicam circumquaque: quædam altera tantum ex parte: quædam vero nullam habent: os enim femoris vtrinque circumdatum eſt membrana, quæ περιόστεον dicitur: oſſa capitis ſaltem altera ex parte obducuntur membrana, quæ περικράνιον dicitur. Quædam vero oſſa nullam habent tunicam: velut dentes: nam dentes nulla ex parte habent membranam: ideo differunt ab oſſibus capitis. Nam etſi oſſa capitis aliqua ex parte habeant membranam, tamen non habent vtrinque.

Duodecimo ſumitur differentia à contentis: nam in oſſibus quibuſdam medulla eſt copioſa, in alijs pauca, in quibuſdam pauciſſima, vt non appareat. In oſſibus femorum eſt copioſa medulla: in oſſibus carpi, eſt pauciſſima. ſed in oſſibus aurium, & in illo oſſe exiſtente in angulis oculorum, nulla penitus apparet medullæ nota: quamuis ex neceſſitate aliqua adſit, tamen non apparet eius aliquod veſtigium.

Sumitur & oſſium differentia decimo tertio à ſitu ipſorum: alia enim ſunt in parte ſuperiori, alia inferiori: & ſub hac differentia videtur ingredi ea, quæ ſumitur ab ordine: quamuis reuera differat, cum hic ordo non intelligatur ſecundum ipſorum ſitum, ſed ſecundum ordinem docendi: proponunt enim anatomici & docent aliud primo, aliud ſecundo, vt in oſſibus carpi, quæ ita differunt inter ſe, vt nec figura nec magnitudine notemus differentiam, ſed ordine tantum. Aliud enim horum eſt primum: aliud ſecundum. primum appellatum eſt incenſum à Veſalio. Ergo ordo eſt in cauſa, vt differant oſſa. nam primum non eſt ſecundum, ſecundum non eſt tertium: & nulla differentia manifeſtior eſt quam quæ eſt in ordine: & ſic hæc erit decimaquarta differentia.

Decimoquinto, differunt oſſa per motum; nam quædam oſſa non mouentur, vt quæ craneum conſtituunt; quædam valido motu mouentur, vt oſſa manuum, cubitorum, & partium inferiorum; quædam vero ſenſim mouentur, vt coſtæ; & hæ ſunt differentiæ oſſium, quæ ſe habent ſecundum naturam.

Succedunt modo illa loca, quæ ſunt cauſæ differentiarum in oſſibus, præter naturam affectis; qualia ſunt morbi, & ſanitatis, qualia ſunt damni, & vtilitatis, Nam oſſa differunt, quia quædam citius capiuntur à morbo; quædam vero tardius; oſſa enim tibiarum & femorum contuſa, facile patiuntur. Ita quoque calcaneus; os item cubiti, clauiculæque. Differunt & ſanatione cita, vel tarda; oſſa enim digitorum in vigintiquinque diebus reſtituuntur; ſed reliqua oſſa, vt tibiarum, in quadraginta dierum ſpatio coaleſcunt. Sic quædam oſſa præter naturam affecta, patiuntur ſquamas; nam oſſa mollia facilius, oſſa vero dura difficilius patiuntur ſquamam. A damno ſumuntur differentiæ; ſi enim clauiculę diſrumpantur, cum paruo damno reſtituuntur; ſed oſſa tibiarum, & ſimilia, non niſi cum maximo damno, poſſunt reſtitui, & hæc de differentijs oſſium.

Quod

Quod neceſſaria ſit medico cognitio eorum quæ contingunt circa oſſa, & quæ ea ſint, cum textus Galeni expoſitione.

Cap. X.

DEterminatis oſſium differentijs, oportet modo recenſere ea, quæ ſolent contingere circa oſſa, & quæ de neceſſitate debet medicus cognoſcere. Hæc autem Galenus proponit eſſe quinque: & primum, quod enarrat, eſt neceſſitas, & vſus cognoſcēdorum oſſium. Secundò tradit diuiſionem, pariter etiam quæ ſint partes oſſium explicat, & quædam etiam nomina interpretatur, in ſecunda parte. Tertiò articulationem, motionumque oſſiū per articulos, tum ſpecies, tum differentias enumerat. Quarto loco, & penultimo, quandam ſpeciem coniunctionis explicat, quæ *συμφυσις* vocatur, ideſt, coalitus, cuius poſtea coalitus ſpecies, & differentias enumerat. Quintò, & vltimo neruoſæ ſubſtantię triplicem ſpeciem tradit: nam quid neruus, & medicis, & anatomicis ſignificet, explicat. De his ergo ſermonem prius inſtituamus, primaque ſit pars. *Quoniam ex oſſibus ſingula.*

Eſt vna propoſitio, quod medicus de neceſſitate debet cognoſcere, qualia ſint & quā multiplicem habeant ſtructuram inter ſe oſſa, & hoc eſt, vt poſſit ſcire, quis ſit habitus naturalis, omnium partium, ſcilicet oſſium: ſicut quando franguntur, & læduntur oſſa, poſſit ea reſtituere in ſuum locum. Hæc eſt cauſa cur collocatio, ſubſtantia, figura, & coarticulatio ſit cognoſcenda, vt ſcilicet medicus poſſit reſtituere, quod luxatum eſt, & coniungere quod fractum eſt.

Et quamuis Gal. proponat hanc cauſam, ſcilicet luxationem & fracturam: non tamen exiſtimemus, has ſolum eſſe cauſas: quoniam aliæ ſunt cauſæ, quibus neceſſarium eſt, vt medicus ſciat ſtructuram oſſium: non ſolum, ſcilicet, vt reſtituantur oſſa, aut luxata, aut fracta, medicus debet cognoſcere: ſed etiam ob formam, figurationem, & habitum naturalium partium corporis, quæ molliores ſunt. Quoniam enim ad figuram oſſium conformantur reliquæ partes, hac ratione cognoſcenda ſunt oſſa, vt cognoſcamus partium molliorum figuram. Exempli gratia: quando apparent aliqui tumores, in corporis humani partibus, ſæpe numero ſunt tales, vt nos decipiant, niſi quantitatem oſſium cognoſcamus. Quandoque ēt tabeſcit corpus, vt promineant genua & articuli, vt poſſemus exiſtimare eſſe tumores, cum tamen non ſint præter naturam, ſed ſint naturales, propter ſubiecta oſſa. Ergo præter reſtitutionem fractorum, & luxatorum oſsium, eſt etiam hic vſus, vt poſsimus cognoſcere, quādo partes molliores tumeant, an etiam oſsa tumeant.

Sed poſsit quis dicere: nequaquam eſſe neceſſarium medico cognoſcere oſſa, ob reſtitutionem fractorum oſsium, quia hoc potius pertinet ad miniſtrum medici: Sed præterquam quod ratione poſſet confirmari, quod ad medicum ſpectet, ſat erit authoritas Hippocratis, qui in 2. de fracturis, in principio ſtatim inquit, medico neceſſariā eſſe cognitionem oſsium, vt poſsit optimè oſſa & extendere, & luxata, & fracta reſtituere. Ideo pertinet ad medicum: & apparet quod oſſa cognoſcenda ſunt, vt poſsimus luxata, & fracta reſtituere.

Quo fit] aduertendum malè eſſe tranſlatum: non enim legimus [*quo fit*] quia nulla eſt conſequentia, ſed legendum: *Nam cui ignotum eſt*:] Manifeſtum eſt enim quod cognoſcenda eſt à medico quælibet articulatio oſsis, vt poſsit reſtituere, & ratio eſt: quoniam in arte medica ſemper id quod natura conſtat, ante oculos eſt ponendum. Nam reſtitutio eſt quę ſpectat ad id, quod eſt ſecundum naturam, & ideo debemus taliter legere, ſcilicet *nam cui ignotum eſt*:] ideſt, niſi cognoſcat quis habitum partium naturalium, neque intelliget vbi à ſua natura diſtrahantur: itemque nec morborum *curationem aſſequi poterit*.] Scopus medici eſt vt curet ægrum: ſi ſanandus eſt æger, oportet prius cognoſcere corpus ipſius: non cognoſcet autem illud, niſi habeat in promptu affectiones partium naturales & non naturales. Hæc eſt prima pars, in qua vſus & neceſsitas cognoſcendorum oſsium traditur, ſcilicet vt poſsit ſanare, & reſtituere oſſa.

Sunt autem oſſa] hic venit caſtigandus textus: dicit (*ſunt autem oſſa ex omnibus partibus duriſſima*) vel vltima dictio ſic corrigatur: *& maximè arida.*] In hac parte ſecunda Galen. diffinit aliqua ratione oſſa, dicens primo, quid in ſe ſit os: ſecundo, diffinit oſſa magna & parua: Nam magni momenti eſt, an diffiniat, vel tantum diuidat. Nam ſi tantum diuideret, nō poſſet vindicari ab errore: ſed diffinit & parua & magna oſſa, & partes oſsium,

primo paruum, ſecundo magnum, tertio partes oſſium: ita vt huiuſmodi pars conſtet definitionibus tribus: definitio oſſis eſt ſumpta à forma & conſiſtentia, quia dicit eſt pars duriſſima, & maxime arida & terreſtris: Sed in contrarium ratio eſt, quoniam Galen. in 1. lib. de temperamentis, cum enumerat temperamenta & qualitatem vltimam, quæ reſultat ex mixtis plurimis in corpore, dicit quod ligamentis ſint terreſtriores cartilaginibus oſſa, oſſibus pilos. Cum ergo illic Galen. dicat, quod pili ſint terreſtriores, cur dicit hic oſſa talia eſſe? Aduertendum eſt, quod pili ſunt partes excrementoſæ, quæ non conſtituunt corpus neceſſario: & ideo hic addit: *Et vt dicam.*] Nulla ergo eſt contradictio, cum pili ſint partes excrementoſæ, ſed oſſa partes primariæ, quæ primo conſtituunt & formant corpus humanum. Ideo inter partes conſtituentes corpus, oſſa aridiſſima ſunt: inter partes vero excrementoſas pili. *Hæc tanquam fundamenta quædam.*] Finis oſſium eſt, vt ſuſtentent machinam corpoream, & partes accipiant figuram ab ipſis. Nam pars recipit formam & illi aſſimilatur, quam oſſa habent. *Ex oſſibus quædam.*] Explicata definitione oſſium, ſequitur definitio magnorum & paruorum oſſium: & quamuis videatur tradere magna & parua oſſa, per diuiſionem: non tamen credatis eſſe tantum diuiſionem: alioqui eſſet in errore, cum non omnia oſſa grandia, quatenus grandia, opportunè explicet.

Nam quædam magna oſſa non habent cauitatem, nec medullam congeſtam: vt oſſa coxarum, nec etiam alia quæ ponuntur. Ideo oportet conſtituere definitionem, quid ſit os magnum. *Oſſa magna quæ ampliter concaua, & medulloſa.*] Ideſt, vt habeant amplam cauitatem & magnam medullam: ergo colligimus, magnum os, non tantum eſſe, quod quantitatem magnam poſſidet, ſed & habet cauitatem magnam, & copioſam medullam: alioqui erraret: quia oſſa ſcapularum ſunt oſſa magna, ſed quia non habent cauitatem amplam, nec copioſam medullam, non propriè magna dicentur. *Quædam parua.*] Oſſa parua apud Galenum ſunt, quæ non habent magnitudinem, nec cauitatem exquiſitam, nec medullam copioſam: quare malè reprehenditur Gal. à quibuſdam, quod quædam oſſa ſunt quantitate parua, quæ habent cauitatem & medullam. Dico, quod illa ſunt quidem parua, quantitate, ſed quia deſunt reliquæ conditiones, potius ſunt mediocria, quia Galen. hic deſcribit paruum os. Nam magna ſunt, quæ habent magnam quantitatem, cauitatem & medullam: parua quantitate non habent cauitatem, nec medullam, quæ manifeſta ſit. Ideo dicendum eſt, os, quod non eſt tale, nec paruum, nec magnum eſt, vt oſſa digitorum, & pedum, & manuum. Et quamuis dicerent, quod parua ſint, quia quantitate parua conſtant: tamen quia habent cauitatem exquiſitam, & medullam ſatis copioſam, mediocria potius ſunt dicenda: neque malè dixit, quoniam, vt dico, parua non ſolum intelligo, quæ habent quantitatem paruam: ſed etiam paruam cauitatem & paucam vel nullam medullam.

Inde oſſa, quæ licet quantitate ſint magna, non tamen habent reliquas conditiones, erunt mediocria; quia mediocriter ſe habent ad conditiones: quoniam vel vnam conditionem habent, & reliquas duas non habent: vel habent duas conditiones, & non habent vltimam, quædam enim ſunt, quæ habent quantitatem paruam: ſed cauitatem magnam, & medullam multam: quædam quantitatem magnam, cauitatem vero, & medullam, aut nullam aut minimam. Sed dices: ergo Gal. eſt mentitus, qui prætermiſit hæc oſſa mediocria. Dico, quod Gal. fuit ſimia Hipp. & illum omnibus numeris exprimit. Nam ſicut Hipp. quandoque prætermittit, quæ poſſumus intelligere: ita & Gal. nam Gal. in 2. de tuenda ſanitate, de frictionibus, dicit, quod Hipp. 3. de officio medici text. 23. enumerans frictiones extremas, mediocres prætermiſit, cum ex his pateant: ibi dicit Gal. quod hoc prætermiſſum eſt ab Hippoc. quia facilè poteſt ſubintelligi: qui enim nouit duram, & mollem frictionem, nouit & mediocrem. Ita quoque Galenus tantum magnorum oſſium naturam deſcribit, ſic & paruorum, vt inde poſſimus cognoſcere mediocrium naturam. Quia ex illis qualitatibus & conditionibus quædam ſaltem inſunt, quæ hoc modo ſe habent: *Grandibus magna ex parte in extremo.*] Explicatis oſſibus magnis & paruis, enumerat partes oſſium, quæ partes ſunt tantum tres natura diſtantes inter ſe: aut enim eſt pars maxima, aut eſt pars, quæ appendix appellatur, aut pars quæ proceſſus dicitur, tantum hæ tres ſunt partes oſſium. Nam pars vnaquæque oſſis, aut eſt pars media, aut maxima, aut eſt pars procedens ab oſſe, aut eſt pars adueniens, aut coniuncta oſſi. Quia quodlibet os, & eius particula, aut eſt os primarium, à natura factum, ſiue pars primaria, aut eſt pars adiuncta oſsi à natura, aut eſt pars orta & extuberans ab oſſe, & hoc dicebat Galenus, quod oſsibus magnis, magna ex parte adduntur appendices. Ex quibus verbis poſſet quis colligere, ſi vellemus ſaltem verba obſeruare, quod oſsibus tantum magnis adſint appendices. Nam quidam accuſant Galenum, quod tantum

grandia

grandia & magna dixerit habere appendices, cum tamen & mediocria illas habeant, ſicut oſſa digitorum in manibus & pedibus,& iſta oſſa ſunt potius parua, aut mediocria.

Tamen videtur Galen. aſſerere, in oſſibus magnis tantum appendices reperiri. Dico, quòd Galenus non ait, quòd ſolum in magnis, ſed dicit magna: non autem dicit ſola vel tantum: ſed ſolum profert, id quod eſt. Nam magna oſſa, in extrema ſui parte, habent appendices: confirmatur exemplo, quia caput ſuperius humeri habet appendicem: ſic in cubito, radio, & femore, quæ ſunt magna oſſa. Galenus, cum dicit in humero ſuperius, addatis vos & inferius. Nam licet multi ignorent hoc, ego tamen oſtendam oculata fide in cubito, non tantum in inferiori, ſed etiam in ſuperiori eſſe appendicem; ſicut in femore & tibia ſurſum & deorſum adeſt appendix. *Maxilla inferior medulloſa eſt.*] Reſpondit & tacitæ obiectioni, alioqui videretur præter rem loqui. Cur eſt ſermo de maxilla? Dixerat oſſa magna eſſe, quæ ampla ſunt, habentia cauitatem manifeſtam & multam medullam; & hæc etiam habent appendices: ſed maxilla inferior eſt os magnum, cauum, & medullam habens, tamen ei non adeſt appendix. Aduerte, inquit, licet non habeat appendicem: tamen partes maxillæ funguntur appendicis munere, ideſt, partes primariæ ipſius maxillæ ſunt appendices. Galen. 11. de vſu part. c. 18. fuit in ea opinione, quòd oſſa habent appendices, hac ratione, vt eſſent opercula cauitatum oſſium. Ideo cum hoc adſit in maxilla, vt adſit cauitas, & in cauitate medulla, neceſſe erat vt adeſſet operculum: ſed dicit, quòd non adeſt operculum, quia partes maxillæ ita ſunt coniunctæ, vt vna ſit operculum alterius.

Fingatur, quòd ſit olla quæ apponatur igni, ſi non adſit operculum, & apponamus aliam ollam ſupra hanc, tunc erit inſtar operculi. Nam ſiue ſit magnum operculum, ſiue deſtinatum ad hoc, ſiue non, tamē eſt operculum; quia operculum ab operiendo dicitur. Sic quoque in maxilla inferiori, vna pars eſt operculum alterius, cum vtraque fungatur parte ſubiecti corporis, & etiam operculi. *Maxilla inferior*] deeſt hic particula μὲν, quidem: vt dicatur, maxilla quidem inferior medulloſa eſt, ſed eius pars extrema per ſymphyſim vnitur in medio, quemadmodum appendices ſuis oſſibus in extremo.

Sed dicet quis, cur Galenus dicit, quòd ex duabus partibus conſtet, cùm hoc non ſit: quia in homine non apparet, ſed tantum in brutis. Sciendum, quòd in omni generatione, maxilla re vera conſtat ex duobus oſſibus, ſed in adultis ſaltem ex vna. Quia iſta coaleſcunt, vt extinguatur linea, ſed dum gignitur, conſtat duabus partibus. Nam habeo maxillam trium dierum pueruli nati, & etiam trimeſtris, & habent maxillæ iſtæ duas partes diſtinctas.

Dicebant etiam quidam, quòd Galenus ignorauit vſum appendicum: quia dicit, quòd ſint operculi loco; cum multa ſint oſſa, quæ habent appendices: tamen non habent cauitatem, quæ contineat medullam, vt in ſcapula, & ſimilibus. Ideo vana eſt hæc ſententia Galeni. Primo dicam, quæ ſit Galeni ſententia, & quis vſus eius: Gal. vt quis poteſt optimè legere, in vndecimo de vſu part. cap. 18. inquit, quòd artuum oſſa habent appendices. Dico, quòd illic loquitur ſaltem de oſſibus artuum, quæ ſunt magna oſſa, in quibus ſunt veluti opercula, & non peccat in hoc, cum non dicat primario, vel non, ſaltem profert ſimpliciter vtilitatem: Quia poſſumus dicere, quòd præter alios vſus, hic ſit vnus. Quāuis etiam mea ſententia, hæc non ſit adæquata cauſa appendicum, & certa: quia in magnis oſſibus ſæpe oſſis cauitas clauditur, abſq; appendice, ſcilicet non interuentu ipſius. Rectiores ergo ob hanc difficultatem dimittunt vſum tanquam difficilis inuentionis explicationiſq;: tamen à me fortaſſe explicabitur, ſi non, ſaltem dicam meam opinionem. Dico, quòd nullum ex oſſibus paruis, (exceptis illis minimis aurium) in generatione gignitur os integrum, ſed omnia vel ſunt cartilagines, vel oſſa cartilaginoſa. Sic appendix nulla eſt oſſea, ſed ſemper cartilaginea; & hoc obſeruaui, quòd in generatione nulla appendix eſt os, & nullum os paruum eſt oſſeum, ſed ſubſtantia cartilaginoſa. Secundo obſeruaui, quòd terminus omnium ligamētorum, eſt terminus appendicis: illucuſq; enim deferuntur termini ligamentorum in articulis, quo proferuntur termini in appendicibus, vt in digitis manuum & pedum.

Si appendix ad medium os perueniat, pertingit eo etiam ligamentum; ſed ſi appendix eſt breuis, etiam ipſum ligamentum breue eſt: vnde cum hoc inuenerim, dico quòd ob ligamentum & copulationem oſſium, datæ ſunt appendices. Primo ergo ratione copulationis, deinde propter coniunctionem articulorum. Nam cum ligamenta non poſſent ex ſui natura copulari, hinc natura oppoſuit appendices cartilaginoſas, quibus ligamenta iungerentur, tanquam corporibus medijs inter ipſa & oſſa: & ideo propter articulorum coniunctionem, appendices factæ ſunt: ſecundo factæ ſunt, quoniam non tanta eſt materia, nec tantum alimentum in vtero, ex quo integra oſſa perficiantur,

Ideo cum adeſſet & materia cartilaginis, & materia oſſis, quæ erat materia oſſium, in medio veluti in centro fuit locata.

Nam natura agit ſicut & vniuerſum: Homo enim μικρόκοσμος dicitur, quia in eo eædem operationes & collocationes partium ſeruantur, quæ in magno mundo. Nam vt in toto vniuerſo duriſſimum, & maximè graue in medio collocatur, & quod leuius eſt, in ſuperficie: Sic quoque in generatione animalis, quod durum & terreum eſt, ponitur in medio eiuſdem partis. Ideo oſſa ſicut collocantur in medio crure, & in medio cubito; ita in quolibet oſſe partes molliores ſunt in extremo poſitæ. Ideo quadam neceſſitate, cum non ſufficiens eſſet materia oſſium ea, pro toto oſſe poſuit molliorem materiam in extremo. Sed exquiſitior vſus eſt colligatio, quia cum natura vult coniungere durum molli, ſemper medium corpus interponit, quod mediocriter ſe habet ad vtrunque.

Sic natura, vt liget chordas muſculis, apponit membranam & cartilaginem, quæ ſunt media: vt ergo copularet ligamenta, & ea figeret oſſibus, ex quibus optimè coniungerentur articuli, opus fuit vt conflaret materiam, quæ haberet proportionem ad ligamentum. Nam ſi penitus oſſeum fuiſſet, non adfuiſſet proportio, & non potuiſſet arctè formari nexus. Ideo in extremo cuiuſque partis oſſium, in quibus eſt ligamentum, ſemper poſuit ſubſtantiam cartilaginoſam, & ſunt appendices. Nam os conſtat ex parte viſcida & lenta: Sed cartilago ex media materia admixta pinguedine cum terreno, ratione lentoris eſt ſimilis ligamento, ratione pinguedinis & ſiccitatis oſſibus, ita vt in oſſibus in parte extrema reperiantur.

Ergo appendices ſunt factæ, aut vt operculа, aut vt partes molliores, in ſuperficie partis collocatæ, tanquam quoddam medium, vel (quod magis credo) vt natura poſſet arctius colligare articulos & conſtituere corpus. Sed hic poteſt & addi tertius vſus, non ſpernendus. Cum enim infans in vtero ſit veluti in globum conuolutus, ad hoc vt melius poſſet conuolui & complicari, natura in extremitatibus oſſium appoſuit cartilagineas appendices: quod manifeſtiſſime apparet: quia cum eſt extra vterum infans, & partes iam duriores ſunt factæ, non poteſt amplius veluti in globum redigi, nec in tam anguſto loco locari.

Nec propter hoc in aliquo fuit manca natura: quia animal non egebat illis partibus perfectis, ſtatim cum eſſet in lucem editum, & præſertim homo. Sed quibus neceſſario egebat, eas ſtatim extra vterum obtinuit: vnde cum pueris eſſet neceſſarius & viſus & auditus & guſtus: ideo hæc inſtrumenta dedit illis perfecta natura, ſicut adultis: ideo perfectè vident, quia perfectos oculos habent, audiunt, & ideo habent oſſicula illa in auribus perfecta, ſic & maxillam inferiorem perfectam, vt poſſint lac ſugere. Sed quia infans non ſtatim egebat validis motibus, hinc non fuit abſonum formare cartilagineas appendices, in extremitatibus oſsium. *Maxilla inferior &c. Sed ex eius extremis.*] Reſpondet tacitè obiectioni. *Per ſymphyſim quaſi.*] quia ſymphyſis & coalitus idem ſunt. *Quæ in acutum tendit.*] Hæc dictio non eſt in textu Græco: Sic eſt legendum: *Supra in duos proceſſus, videlicet in coronem & ceruicem tantum deſinit.*] Cum enim vertendi ſunt authores ex Græco in Latinum, debemus reddere verbum verbo: Sed vbi eſt obſcuritas vel alluſio, ex Quintiliani præcepto, ſi nihil poſſumus detrahere, debemus addere: quia etiam minimæ particulę plurimum faciunt ad ſenſum, vt eſt μὲν, γάρ, & huiuſmodi. Cum itaque non ſint neceſſariæ iſtæ voces, ſunt delendæ.

Et poſtquam Gal. de ſymphyſi vel coalitu maxillæ inferioris dixit, inquit, quòd habet geminos proceſſus, alterum acutum qui κορώνη dicitur, & alterum qui collum vel ceruix maxillæ vocatur. *Apophyſis quaſi quoque proceſſus.*] Galenus dicit, quæ ſit differentia inter proceſſum & appendicem, & ἀπόφυσιν, καὶ ἐπίφυσιν. Sed hic eſt maxima difficultas, quia interpretes Græcorum non conſentiunt: præterea etiam, quia plures voces quàm iſtę traditæ ſunt ab authoribus. Sciatis apud Græcos eſſe has voces ἐπίφυσις & ἀπόφυσις: quarum mentionem factam, ſæpe inuenietis in libris de vſu partium, & de admin. anato. quæ ſignificant partes oſsium inuicem differentes.

Has voces Latini reddiderunt proceſſum & appendicem: proceſſus eſt vox Corn. Celſi lib. 8. cap. 1. omnes enim partes oſsium protuberantes, & in altũ aſcendentes ſemper appellat proceſſus, quemadmodum & illi qui interpretantur Græcos. Sed appendix non eſt vox, neque apud Celſum, neque apud Plinium accepta pro parte oſsis, ſed propriè appendix eſt quęlibet parua pars quę appẽditur, & coniungitur ædificio vel alteri parti, quæ eſt maior: vnde appendicem dicebant ædificium minimum, quod appenditur toti ædificio. Sed qui interpretati ſunt Galenum, appẽdicem ἐπίφυσιν vocant, ſicut ἀπόφυσιν proceſſum. Et ἐπίφυσις dicitur, à φύεσθαι, quod apud Græcos eſt naſci, vnde ἐπιφύεσθαι oriri, vel naſci, quaſi quoddam extraneum ſupraponitur. Ideo ἐπίφυσις eſt pars ſuperimpoſita oſsi, &

dicitur

Digitized by Google

dicitur appendix. Contra verò ἀπὸ ſignificat ab: ergo ἀποφύεσθαι aboriri ſignificat, quaſi ex viſceribus oſſis germinat. Ideo illud quod erumpit & germinat eſt ἀπόφυσις: veluti quod ex centro erumpit & procedit: ideo etiam proceſſus appellatur.

In qua re non paruus eſt error Gazæ, quamuis alioqui fuerit doctiſſimus vir. Nam vtitur bis & pluries uoce appendicis, tamen improprie & præter vſum, quo vtuntur illi qui tranſtulerunt Gal. Nam ipſe appendices vocat proceſſus, ſcilicet quaſdam partes in piſcibus & auibus circa ventriculum. Sed ſunt potius proceſſus quàm appendices, quia Ariſt. vocat ἐκφύσεις & ἀποφύσεις in 3. de partibus animal. cap. 14. pariter & lib. 17. de hiſtor. animal. vlt. cap. loquens de ventriculis, inquit, quòd ventres alij habent partes procidentes, quæ non poſſunt appellari abſolutè ventres, ſed ſunt canaliculi qui oriuntur à ventriculo, quaſi quod oriantur, quia ἐκφύεσθαι eſt prorumpere ex corpore illo, ideo ſignificant procidentes partes, ſed tamen Gaza tranſtulit appendices. Non autem ſic legitur apud Celſum virum Latiniſſimum, poſſum enim hoc dicere, quòd inter Latinos antiquiſſimos debet connumerari, cum reliqui ſint barbari: ipſe enim Celſus appellat partes prorumpentes ex toto corpore, proceſſus. Ergo Gaza melius debebat vertere, ſed modo redeamus ad rem. ἐπίφυσις eſt appēdix, ἀπόφυσις proceſſus. Dicebat Gal. quid intelligit per ἐπίφυσιν, ſcilicet partem, quæ connaſcitur toti oſſi, quaſi quod ſeparatum à ſui natura, tamen à natura coniungente cum alio fit vnum, ἀπόφυσις eſt quidem pars oſſis, ſed ab oſſe ipſo orta: ἐπίφυσις eſt os per ſe, & adiungitur toti oſſi, poteſtque ſeparari ab oſſe, & dicitur appendix. Contra partes quæ procedunt ab oſſe, & non poſſunt auelli, ſed ſunt partes in generatione, dicuntur proceſſus, & ἀποφύσεις. Proceſſus nunquam diſtinguitur vllo tempore, ſed ſemper eſt pars coniuncta oſſi, appendices verò aliquando diſtinguuntur, & ſunt veluti additæ. Tertio loco eſt aduertendum, quòd præter has duas voces, reperitur etiam apud Hipp. 2. de fract. tex. 37. vox quæ διάφυσις dicitur: vnde animaduertendum eſt, quòd hæc vox differt à prædictis duabus vocibus. Qua voce, vt reor, male vtitur Gal. (quòd pace huius doctiſſimi viri dixerim) maleque ipſam interpretatur: Nam loquens de tibia inquit eam circa caput ſuperius habere διάφυσιν: quam vocem ipſe Gal. interpretatur, ligamentum cartilaginoſum in articulo illo. At credo ego Galenum in errore eſſe. nam loquitur Hippocrates de oſſibus, non de ligamentis, & διάφυσις eſt pars oſſis. Alio tamen in loco rectè Gal. dixit, ſed non fuit ſui memor.

Non dico hoc petulantiæ gratia, quia veneror Galenum, ſed propter veritatem, in 5. de adm. anato. cap. 3. interpretans vocem iſtam dicit, quòd διάφυσις eſt quodque corpus, quod ex ſua natura, medium intercedit, inter duo corpora. Corpus quod intercedit, & eſt veluti medium inter duo alia corpora, eſt διάφυσις: Cum ergo habeamus in capite tibiæ ſuperiori partem oſſeam, quæ intercedit inter duo capita femoris inferiora, hæc vox dicitur διάφυσις. *Fortaſſe autem ſine declaratione.*} Hoc non eſt in textu Græco. Ita enim eſt legendum: *Ne dum hæc enarramus obſcuriora reddantur, nominibus his vtentes vel ſeries continuata doctrinæ interrumpatur, &c.* Proponit Gal. quid acturus ſit, ſcilicet, quod vult interpretari voces, quæ ignotæ & non explicatæ faciunt difficultatem. *Sed meo iudicio.*} Hæc eſt tertia pars, in qua omnes ſpecies articulationum explicat, & quomodo appellentur, & vnde differentiæ & ſpecies ſumantur tradit. Sed ego non conſentio cum Galeno, nec cum Veſalio.

Ideo quæſo, vt optimè obſeruetis diuiſionem Galeni, quia poſtea tradam meam, vt poſſitis iudicare, an aliquid adiungam. Nam infra dabo diuiſionem in tabulis deſcriptam, quam poteritis & vos deſcribere, vt poſſitis cum reliquis locis Galeni & Hippocratis conferre. Nam hic Galenus diuidit ſpecies articulationum, & incipit à parte, quæ tamen vltima eſſe deberet.

De articulationum ſpeciebus. *Cap. XI.*

HVMANI corporis oſſium inuicem cohærentium.} Declarat primò quid ſit σκελετός; Græci dicunt & ὁ σκελετός, & τὸ σκελετὸν in maſculino & neutro compactionem oſſium. Addatis ex Galeno primo de adminiſtra. anato. cap. 2. Nam ibi fere eadem tradit: & dicit, quòd antiqui inſcribebant ſuos libellos non ſolum περὶ τοῦ σκελετοῦ, verum etiam περὶ τῆς ὀστεολογίας. *Modus autem quo oſſa componuntur.*} Diximus σκελετὸν eſſe compactionem oſſium: & habuiſtis ſuperius quid ſit ſceleros, ideſt, exſiccatum. Compactio autem oſſium eſt duplex: quædam quæ dicitur articulus, quædam quæ ſymphyſis: hæc vox, articuli, idem ſonat Latina & Græca.

exactam illam vocum ſignificationem. Sat eſt, vt qui volunt diſcere, ſciant, quid per quodque nomen ſignificetur, ſed non eſt inſiſtendum nominibus. Ideo videtur, quòd illos accuſet, non quia non verum dixerint, quòd *ἄρθρον* dicitur pars rotunda oſſium, ſed quia perſiſtunt in *ἀκριβολογίᾳ* vocis, cum tamen non ſit magni momenti: ideo non accuſat ſententiam, ſed pertinaciam illorum. Hic tamen optimè facit, quia monet, hanc vocem vt plurimum ſignificare caput rotundum. *Articuli autem differentiæ.*] Cum poſuerit geminam coniunctionem naturalem, diſtinguit articulum, & proponit ſuas ſpecies, & differentias: & primo eſt motus, vnde ſumitur differentia. Nam alius articulus habet motum manifeſtum, & exquiſitum, alius autem nullum aut non exquiſitum. Illa autem ſpecies articuli, quæ habet motum manifeſtum, dicitur *διάρθρωσις*: ſed quæ non habet exquiſitum motum, dicitur *συνάρθρωσις*. *Articuli differentiæ.*} Notate vocem differentiæ, quia Galenus vtitur nomine differentiæ pro ſpecie, & contra, nomine ſpeciei, pro differentia. Nam illæ, quas ponit, ſunt ſpecies. Differentiæ verò propriè ſunt, motus manifeſtus, vel non manifeſtus. Ideo per differentias legimus ſpecies, quæ conſtituuntur & differunt per motum. *Neque validum.*} Non legitur validum, ſed magnum. *Difficilem.*} Non quod motus ſit difficilis, ſed quod captu ſit difficilis. Quando motus non percipitur, tunc dicitur *συνάρθρωσις*, vt in oſſibus carpi, quæ leuiter mouentur, vt difficulter videatur motus.

Sicut etiam in pedio ita leuiter mouentur oſſa, vt difficillimè appareat motus. *Diarthroſeos triplex ſpecies.*] Oriuntur aliæ ſpecies: differentiæ ſunt, proportio & analogia. Prima differentia articuli erat motus: altera differentia, motus dearticulationis eſt proportio. Quando eſt diuerſa analogia, vt quando alterum os valde eſt cauum, alterum valde prominens. Item proportionem habet cardo maſculus, cum cardine fœmina. Itaque tres ſpecies *διαρθρώσεως* differunt ratione proportionis.

Sed antequam referat differentias, quibus conſtituuntur iſtæ ſpecies, addit interpretationem vocum, & quòd non fuerint in vſu apud antiquos. *Sic enim à recentioribus.*] Quia antiqui non vtebantur varijs vocibus, non dicit, quòd non fuerint nota antiquis, vt habet Latinus textus: ſed quod non fuerint in vſu. *Verum τὸ ἐναρθροῦσθαι, καὶ τὸ ἀρθρῶδες*] ideſt, ad modum enarthroſis componi, & ad modum arthrodiæ componi. Præterea vtebantur alijs vocibus, & arthrodia, & ginglymo, & veluti cardine coniunctum. Et quamuis Galenus dicat, quòd ſaltem iſtæ voces fuerunt apud antiquos: tamen etiam in Hippocr. 34. tertij de articulis reperimus, non ſolum has, ſed etiam alias, vt *γιγγλυμοῦσθαι*, ideſt, per ginglymum coniungi: ſicut vertebræ coniunguntur, ita quod & *γιγγλυμοειδῶς συμβάλλειν* & *γιγγλυμοῦσθαι* fuerint voces antiquorum, ſed tempore Galeni fuerunt illæ, quas ipſe poſuit, vt eſt *ἐνάρθρωσις, ἀρθρωδία, γίγγλυμος*: & caſtigate textum, quia dicit: *Si ad euidentiorem doctrinam nomina confingamus, &c.*] ideſt ab his vocibus, quæ iam poſitę ſunt, non à ſubiectis rebus, ideſt à vocibus, quibus vſi ſunt antiqui *ἐνάρθρωσις*, ideſt inarticulatio: & *ἀνάρθρωσις*, ideſt leuis articulatio: & *γίγγλυμος*, ideſt oſſium inuicem coniunctio. *Ἐνάρθρωσις* eſt, cum excipiens admodum eſt cauum, & caput quod inſeritur eſt longum.

Hæc ſpecies eſt, quando talis eſt harmonia, vt ex duobus oſſibus ſimul iunctis, alterum admodum ſit longum, & exertum, alterum verò valde cauum: tunc quando caput ingreditur in cauum, appellatur ratione coniunctionis, articulus: ratione motus, *διάρθρωσις*: ratione proportionis, *ἐνάρθρωσις*, ideſt inarticulatio: & huiuſmodi coniunctio motus & proportio eſt inter femur & tibiam. *Arthrodia verò.*] Declarat quid ſit *ἀρθρωδία*, & dicit, quòd eſt talis articulatio, vt ingrediantur ſe mutuo duo oſſa gemina. Ita vt alterius caput non ſit valde productum, ſed depreſſum. Sic quoque vt cauum alterius non admodum ſit exculptum, ſed leuiter tantum.

Talis eſt in pede & in humero. Nam ſi conſpicimus coniunctionem inter primum os tarſi, & primum pollicis in pede, eſt caput non admodum protuberans, nec cauum admodum exculptum.

Sic in ſcapula nō eſt valde exculpta cauitas, nec caput humeri admodum productum, ſicut eſt in femore: ideo dicitur lenis articulatio. *Quod craſſius eſt, orbiculatum caput.*] Quoniam Galenus in explicatione *ἐναρθρώσεως*, & arthrodiæ, vſus eſt voce capitis, & dixit caput productum & depreſſum, hac ratione accepta occaſione explicat, quid per caput intelligat, nempe quod *κεφαλὴ* vel *κεφάλαιον* dicitur. Inquit ergo Galenus, quod per caput intelligimus partem extremam oſſium vltra ceruicem. Quare ſi ceruix fuerit multum producta, & caput erit productum: Si ceruix anguſta & breuis, & caput: ſed dicitur depreſſum & anguſtum.

Ideo quodlibet extremum rotundum, eſt caput: ſed dicitur depreſſum aut productum, ratione ceruicis. Et quid ſit ceruix etiam docet: nam ceruices ſunt tenues proceſſus

oſſium, id eſt, ſi os eſt latum & in extremo attenuatur, dicitur ceruix; & quod ponitur in extremo ceruicis, dicitur caput, vt in ſummitate os femoris eſt latum, & ceruix eſt tenuior pars eius, & pars protuberans in ipſo extremo, dicitur caput. Sumpta ſimilitudine à toto corpore. Quia corpus ad humeros eſt latum; ſed ceruix & fauces ſunt partes graciliores: deinde pars vltima protuberans & rotunda eſt caput. Sic quoque eſt in ipſis oſſibus. Et ſciatis quod quandoque res exacte reſpondet, quandoque non ita: ideo etiam quædam capita ſunt exquiſitiora, quædam verò dicuntur capita, quia ſunt extrema, non quod habeant omnimodam ſimilitudinem cum capite totius corporis.

Sicut illud in femore os, & maxilla inferior quæ habet geminum proceſſum. Et quia in vna parte eſt latior quam in alia: Ideo pars tenuior dicitur ceruix, poſtea extrema pars craſſior & orbiculata dicitur caput. Hæc ſunt ſaltem duo oſſa, quibus exquiſite reſpondet hæc deſcriptio. *Cum vero in mucronem.*) Non eſt legendum in mucronem, ſed in acutum finem. Quamuis etiam mucro eſt acutus, ſed melius eſt dicere, in acutum extremum, id eſt, quando proceſſus deſinit in acutum extremum, tunc non dicitur ceruix, ſed κορώνη & κόρωνον: ſumta ſimilitudine à roſtro cornicis. Nam vt cornicis vel corui roſtrum deſinit in acutum: ita & proceſſus oſſium in acutum deſinit: in exemplo ſit inferior maxilla, quæ habet geminum proceſſum: vnum qui deſinit in caput, & alterum qui in acutum: & hic dicitur κορώνη. Et non ſolum dicitur κορώνη ob ſimilitudinem roſtri cornicis, ſed etiam à ſimilitudine extremorum arcus, quæ κορῶναι dicuntur. Arcus enim habet in extremo quaſi fiſſuras & ſculpturas, quæ gerunt ſimilitudinem cum roſtro corui. Ideo cum maxilla inferior habeat proceſſum productum in acutum, vt ſit talis, ideo cum dicitur κορώνη à ſimilitudine partium arcus, in quibus ſunt ſculpturæ, quæ continent funes: ergo aut ſimilitudine roſtri, aut ratione arcus dicũtur κορωνίδες vel κόρωνα.

Nam Gal. in tertio de fracturis quinquageſimo quarto, & ſecundo de articulis quarto, aſſerit; quod κορώνη vel κόρωνον appellatur huiuſmodi proceſſus in acutum. *Ex cauis capitula excipientibus.*) Definito quid ſit ceruix, quid caput, quid κορώνη, quid depreſſum & productum caput, oſtendit quod cauitates aliæ ſunt exculptæ & admodum profundæ, aliæ vero leues & veluti ſuperficies. Quæ profundæ ſunt (inquit Galenus) à medicis dicuntur κοτυληδόνας: Nam κοτύλη propriè eſt menſura, quæ erat menſura humidorum: vt Galenus in ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, & ſecundum loca.

Cum igitur ſit menſura caua, & oſſa habeant cauitates, ideo κοτύλη hæc cauitas dicitur; cuius exemplum eſt in coxa, & nulla reperitur exquiſitior quam in huiuſmodi parte, quamuis etiam in oſſe σκαφοειδὲς in pede ſatis ſit exculpta; ſi autem paucior & leuior ſit cauitas, non κοτύλη, ſed γλήνη appellatur, quod apud Græcos ſignificat cauitatem, quæ reperitur circa oculos clauſis palpebris, quæ cauitas formatur à ſupercilijs & ſuperiori maxilla, ſed quia cauitas non eſt admodum exculpta, ideo etiam γλήνη dicitur; talis reperitur in lato ſcapularum oſſe, quæ non eſt admodum exculpta.

Aliquando Hippocrates cõfundit has voces, vt in primo de articulis, 21 Nam loquens Hippocrates de ſcapulis, dicit eas habere κοτύλην, id eſt cauitatẽ magnã, vnde colligimus, quod aut falſum dixerit, aut abutatur nomine; & quod falſum dicat, non eſt tenendum.

Dicamus potius; quod conſiderit voces has. κοτύλη itaque aliquando exculptam cauitatem, aliquando lenem ſignificat, vt Hippocrates loco citato, in quo κοτύλαι dicuntur lenes cauitates. *Tertia διαρθρώσεως ſpecies.*] Antequam ad alias ſpecies deſcendamus, opus eſt, vt videamus an ſint aliæ voces, quibus vtantur anatomici. Habuiſtis quid ſit proceſſus, &c. Reperitur modo apud Hippocratem vox κόνδυλοι, qua extremum oſſium explicatur. quæ quid ſignificet, ex Galeno non poteſt cognoſci: ratio eſt, quoniam Galenus à recentioribus reprehenditur; qui in 11. de vſu partium capit. 18. loquens de extremis oſſium inquit; quod artuum extremæ partes aliquando capita, aliquando ἐπιφύσεις, aliquando κόνδυλοι appellantur.

Nam extremas partes appellat his tribus nominibus, in quo coarguitur, cum tres has voces confundat. Nam non quodlibet caput eſt κόνδυλος, nec ἐπίφυσις; ideo opus eſt, vt dicamus pro Galeno; quod loquutus ſit tantum de capitibus magnorum oſſium, id eſt, illorum quæ artus magnos conſtituunt, aliter non vindicabitur ab errore. Nam ſi intelligimus de oſſibus magnis, idem eſt ἐπίφυσις & caput. Nam nullum eſt os magnum artuum maiorum quod non habet caput & ἐπίφυσιν, vt eſt in femore, in humero, & tibia: Ideo in oſſibus magnis, & ſupra & infra ſunt appendices, & partes extremæ; ſed plurima ſunt oſſa parua, in quibus hoc non eſt.

Itaque oportet intelligere Gal. de magnis oſſibus. Præterea de κονδύλῳ non dicit, quòd κόνδυλος caput & ἐπίφυσις concurrant. Nam multa habent κόνδυλον, ſed non ἐπίφυσιν & caput.

Quamuis

Digitized by Google

Quamuis κόνδυλος eſt ſpecies capitis, ſed aut rectè dicit Gal. aut non: κόνδυλος ex Galen. primo de motu muſculorum nono, depreſſum caput ſignificat: nam inquit Gal. quod, quemadmodum cauitates dicuntur exculptæ, ſic & capita exculpta, ſicut cauitates lenes, ſic & capita depreſſa, quæ dicuntur κόνδυλοι à Græcis. κόνδυλος ergo eſt caput depreſſum, tamen Gal. in lib. de fracturis & de articulis, vt in primo de fracturis vlt. ſimiliter tertio de fractu. quarto interpretans Hippoc. appellat κονδύλους non capita depreſſa, ſed capita gemina, ita vt κόνδυλος ſit caput geminum, in extremo oſſe collocatum. Quam ſententiam veriſſimam eſſe credo, & ex mente Hippocratis, qui in primo lib. de art. 17. appellat extremitates digitorum κονδύλους, quæ habent capita gemina. Nam loquens de reſtitutione humeri in ſuum locum, dicit, quod debemus inſerere manum, & condylis digitorum inijcere os in ſuum locum.

Iam ergo videmus, quod condyli ſunt partes extremæ digitorum, in quibus ſunt capita gemina: credo itaque, quod condylos eſt caput geminum in extremo, licet diuerſum dicat in alio loco. κόνδυλος ergo vt plurimum eſt caput geminum ſimul iunctum, vt in femore, in parte inferiore, in qua potius eſt geminum caput. Sic humerus in parte inferiore habet gemina capita.

Adiungitur βαθμὶς, quæ apud Hippocratem aliquando ſignificat cauitates geminas, quæ reperiuntur in humero: nam in oſſe humeri, in parte inferiore, eſt cauitas vna in anteriori ſede, & altera in poſteriore: quas appellat Hippocrates, tertio de fractu. 54. βαθμίδας, & etiam in primo de fracturis 10. Quamuis poſtea apud Hippocratem βαθμὶς quamlibet cauitatem ſignificet. Ideo βαθμὶς aliquando geminam cauitatem, quæ eſt in humero in parte inferiore: aliquando autem vnamquamque cauitatem ſignificat. Adiungitur, & ἄμβων & ὀφρὺς & ἴτυς: quæ etiam ſunt voces ſignificantes partes oſſium. Ἄμβων ſupercilium ollæ ſignificat: ideo, quando adeſt cauitas, quę habet ſupercilium magnum & altum, appellatur ἄμβων, vt Gal. in primo de admin. anat. ὀφρὺς etiam idem ſignificat: ἴτυς ſignificat partem extremam ſcutorum, quæ eſt lenis vmbo, cum datur cauitas non admodum exculpta, quæ habet margines lenes, illi non appellantur ἄμβωνες & ὀφρύς, ſed ἴτυες, ideſt lenia ſupercilia & depreſſa: qualia ſunt in cauitate ſcapulæ: ideo, quando reperiuntur hæ duæ voces priores, ἄμβωνες & ὀφρύες, intelligendum eſt ſupercilium eleuatum. Cum vero legitur ἴτυες, eſt margo & pars circularis, parum eminens. *Tertia diarthroſeos ſpecies.*] Requiritur maxima conſideratio: Prima dearticulationis ſpecies erat ἐνάρθρωσις: altera, ἀρθρωδία: tertia, γίγγλυμος. inquit quod γίγγλυμος eſt, quando os partim excipit & partim excipitur, quando oſſa ſeſe inuicem ingredientia, ita iunguntur, vt alterum in alterius cauitatem ingrediatur, vt eſt in cubiti articulo, qui habet prominentes partes etiam & cauas: ſic in humero pars eſt prominens & cauitas in parte anteriore & poſteriore, & ita iunguntur, vt vtrunque ingrediatur in partes coniugis: partes prominentes vnius in cauam alterius: & rurſus alterius cauitas recipiat caput huius. Præterea ex ſententia Galeni, non ſolum eſt γίγγλυμος hoc modo, ſed etiam quando idem recipit & recipitur, ratione diuerſorum oſſium, vt vertebra recipit proceſſus ſuperioris, & recipitur rurſus à cauis inferioris, vt Hippoc. 3. de art. 34. vbi ait vertebras coniungi per γίγγλυμος. Nam vna recipit proceſſus ſuperioris, & recipitur ab inferiore.

Primum ad intelligentiam quid ſit γίγγλυμος, debetis obſeruare, quod apud Hippoc. eſt gemina vox γιγγλυμώδης, & γιγγλυμοειδὴς συμβάλλειν: & reperiuntur κιγκλισμὸς & κίγκλισις. Nam κιγκλισμὸς primo de art. 66. eſt vox deducta ἀπὸ τοῦ κίγκλου. Nam κίγκλος, eſt auis familiaris in illis regionib. quæ motacilla dicitur, nunc vulgo *codatremula*, & Iynx apud Theocritum in φαρμακ. vocatur, qui dixit, ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα: ideſt, Motacilla retrahe virum, &c. Et κιγκλισμὸς eſt motus ſimilis caudæ iſtius auis.

Quia ſicut auis illa mouet leniter caudam: ita & aliquando os oſſi iunctum ita leniter mouetur, ergo γίγγλυμος ſignificat cardinem & clauum qui circumuertitur in forib. Sed de huiuſmodi cardinibus habetis apud Vitruuium, lib. 14. cap. 6. vnum obſeruate quod cardines temporibus antiquorum gemini erant, alter fœmina, alter maſculus, quemadmodum habemus apud Vitruuium, lib. 9. de horologijs, vbi docet facere horologium, in quo ſit cardo maſculus, & cardo fœmina.

Cardo maſculus intelligitur hoc modo: quia eſt clauus ferreus qui ingreditur in ſinũ, & cauitatem alterius: Cauitas vero quæ excipit dicitur cardo fœmina: Nam fingatis tympana vel aſſeres compactos, quibus appoſitum ſit in extrema parte corpus ferreum, quaſi axis, & in inferiori ſint cauitates ferreæ, quas ingrediantur capita prominentia: ita, quod ſit ſpiculum in ſuperiori & inferiori parte, vt ita circumuoluatur tympanum. Cum ita oſſa iuncta fuerint hac ratione, tunc articulatio dicetur γίγγλυμος: & in cardinibus duo ſunt. Nam ſi ſaltem cardo mas eſſet, non circumuolueretur. Sic quoque oportet vt

Google

tet vt oſſa habeant duplicem prominentiam, & duplicem cauitatem. Dicimus ergo ad cardines iungendos, requiri maſculum & fęminam infima parte; ſic etiam maſculum & fœminam in ſuperiori. Sic articulatio erit verè γίγγλυμον, non quia recipitur, non autem recipit. Ideo non videtur ratio, quare Galen. hoc addiderit; nam ſecundum cardines antiquorum, non ita eſt: in cubito eſt κόνδυλος, ſiue caput geminum, quod facit geminam coniunctionem.

Sed magis eſt hoc euidens in vertebris, quæ non eodem in loco iunguntur; ſed habent proceſſum in vna parte, & alterum in alia, & iungitur cum inferiori vertebra, diuerſis in locis, non in vno loco. Et hanc ſententiam habeo ex Cornelio Celſo lib. 8. cap. 1. qui loquens de coniunctione malæ vel maxillæ cum capite, dicit iungi veluti cardines: tamen iungitur duobus in locis, & coniunctio non eſt vna, nec recipit & recipitur, ſed ſaltem recipitur. Ergo oportet vt in γιγγλύμῳ ſit ratio veri cardinis, vt coniunctio fiat duobus in locis, & vnum tantum recipiat & aliud recipiatur, vt in vertebris & in cubito, & in maxilla inferiori; quare dicatis γίγγλυμον eſſe, quando vnus cardo maſculus recipitur in vna fœminea cauitate, & alter ſuperior in altera. Ratio autem Galeni, quod hæc ſit, quia præter cardines antiquorum ortum eſt aliud genus cardinum, vt in feneſtris apothecarum: ſicut cum accipimus laminam, & flectimus, & clauo coniungimus in medio cum altera; & ſic partes vnius recipiunt & recipiuntur. Et fortaſſe hoc voluit hic Galenus, quia poſtquam os cubiti habet partes prominentes, habet etiam cauitates, quæ recipiunt ad ſimilitudinem cardinum, quos nunc dixi: ſed hæc ſententia non ſatis mihi probatur: alioqui oporteret dicere, quòd in qualibet coniunctione eſt γίγγλυμος, vt in digitis, & ſic quodlibet os coniungeretur per ginglymon, ergo potius prior ſententia eſt tenenda. Συναρθρώσεως quoque, inquit Galenus, triplex eſt analogia & proportio, quæ reperitur inter oſſa in συναρθρώσει: Alia enim eſt ſutura, alia harmonia, tertia γόμφωσις. Sutura (ῥαφὴ) eſt coniunctio oſſium cum minimo motu, aut non manifeſto, in qua coniunguntur oſſa; quemadmodum illa, qua conſuuntur, vt coria & pannus. Nam cum pannus ſuperponitur panno & corium corio, tunc apparent inæqualitates; eadem inæqualitas apparet in extremis oſſium capitis. Quæ oſſa ita iunguntur, vt videantur per ſuturam coniungi, & non ſolum hæc dicitur ῥαφὴ, ſed etiam σύνταξις πριονοειδὴς, ideſt, ad ſimilitudinem duarum ſerrarum. Nam ſerræ habent ſpicula, quæ non ſunt recta, ſed potius inclinant, vt habeant altera ex parte perpendicularem lineam: alteram verò partem inclinantem. Nam non vbique recta inclinant. Si ergo ſumimus geminas ſerras, & ſimul iungimus ſpicula, tunc optimè iunguntur, quia dentes vnius ingrediuntur in cauitates alterius. Ideo cum oſſa hoc modo coniunguntur, dicitur compoſitio ſerrata, σύνταξις πριονοειδὴς; ſed reperiuntur oſſa, quæ non coniunguntur in modum pannorum conſutorum, nec ad modum ſerrarum oppoſitarum, ſed habent tertium genus, quod σύνταξις εἰς ὄνυχα dicitur, ideſt commiſſura in vnguem facta, vt inquit Celſus. Et vt ſciatis quid ſit commiſſura in vnguem, dicit Gal. quòd quādo aliquod gibbum productum & rotundum, vt vngues, habet ſuum analogicum cauum, tunc eſt talis compoſitio: contemplamini vngues proprios & pelliculam, quæ eſt circa vngues orbicularem, quæ rediuia dicitur: vnde curare rediuiam, eſt curare rem, quæ non ſit magni momenti, quia, quando in otio ſumus, curamus rediuias, & curamus vngues: ideo ſi reſpiciatis rediuiam, & principium vnguium, videtis proportionem, ita vt circularis ſit vnguis & rediuia. Itaque cum recipiens reſpondet recepto, tunc dicitur coniunctio per rediuiam, ſiue commiſſura in vnguem facta. Hæ ergo ſunt ſpecies συναρθρώσεως. Prima ῥαφὴ, ideſt ſutura, ad modum pannorum, vel coriorum facta. ſecunda, commiſſura in vnguem facta. tertia ſerrata. & ab Ariſt. Gal. & Hippoc. etiam ῥαφὴ, ſiue ſit compoſitio in vnguem facta, ſiue conſutis pannis ſimilis, ſiue ſerrata: tamen nulla adiecta differentia ῥαφαὶ dicuntur, ſicut & in 8. lib. cap. primo, ſecundo, & tertio, ſuturæ dicuntur à Celſo, nulla alia adiecta differentia. *Harmonia verò oſſium ſtructura*] Dicebam primam ſpeciem συναρθρώσεως eſſe ſuturam, quæ diſtinguebatur in tres ſpecies. Iam ſuccedit altera ſpecies, quæ ἁρμονία vocatur: quæ quidem harmonia ita fit, quando oſſa coniunguntur per ſimplicem lineam. Et quando inquit Galen. dico per ſimplicem lineam, intelligatis rectam aut circularem. Nam non opus eſt, vt ſemper ſit recta, dummodo non ſit compoſita, ſed ſimplex & vnica linea, nec plures ſimplices, aut circulares, licet & reliquæ compoſitiones poſſunt dici ἁρμονίαι: quia maximè facit ad copulationem analogia & proportio, quæ eſt harmonia, in qua conueniunt, & rectè componuntur oſſa. Ideo omnes aliæ compoſitiones, ſiue articuli, ſiue συμφύσεις, omnes appellantur harmoniæ. quæ quidem ſymphyſis, vt dixi, eſt oſſium coniunctio & coalitus ablato eorum motu. Cur autem illa ſola dicatur Harmonia, ratio eſt, quoniam inter oſſa, quæ hoc modo coniunguntur, magis apparet adamuſſim hæc coniunctio. Nam cum aliud os habeat lineam ſimpli-

ſimpliciſſimam,& recipiens eandem in ſuperficiem,tunc huiuſmodi iunctura magis harmonia dicitur, quàm quæ eſt inæqualis.

Si quando ergo eſt linea recta, quæ coniungit oſſa tanquam duas regulas, & amuſſes, tunc eſt magis concinna hæc coniunctio: & hac ratione etiam hæc potius dicitur harmonia quàm reliquæ, quamuis aliqua ex parte in omnibus reperiatur. Huiuſmodi coniunctio maniſeſtè apparet inter oſſa narium. Nam gemina oſſa in naribus coniunguntur vnica linea: ſimiliter in oſſibus temporum, reperitur talis harmonia. Nam oſſa temporum quæ in ſquamam deſinunt, finiunt in lineam circularem, & coniunguntur cum ſubiectis oſſibus per lineam ſimplicem licet circularem. *Gomphoſis eſt cum inſtar claui*] ideſt, in vtroque genere videtur conſiſtere hæc ſpecies, quamuis poſſit idem ſignificare; ſed clariora ſunt verba Græca.

Nam Gal. dicit, ἐπαμφοτερίζει δέ πως ἀδηλῶν. Nam ἐπαμφοτερίζω, eſt ab vtroque exercitu militari. tertia itaque ſpecies ſynarthroſis eſt, quando os eſt veluti clauus & recipiens habet cauitatem, & foramen, quo recipitur huiuſmodi clauus: & ita dicitur γόμφωσις. ſed quia nullum reperitur os infixum quod moueatur; ideo videtur quòd ſub ſymphyſi potius quàm ſub articulo contineatur; quia in articulo eſt motus maniſeſtus. Ideo coniunctio illa videtur potius quadrare coalitui. Obiectioni huic reſpondit, quòd ad coalitum requiritur, vt ſit ſimplex coniunctio, & vt non moueantur. Ideo dentes licet non ex duob. oſſibus connaſcantur, ideſt licet non connaſcantur ſuis alueolis: tamen, quia non mouentur, dicitur hæc ſpecies coalitus. Nam in coalitu requiritur vt non adſit motus: præterea ut ita iungantur, vt duo oſſa fiant vnum. Et hac ratione habetis omnes ſpecies articuli, διάρθρωσιν & συνάρθρωσιν. Ideo Gal. aſſumit aliud caput, quod eſt de ſymphyſi. Et diſtinguit ſpecies coalitus, & differentia ſumitur à corpore coaleſcente, & dicit quando coniunguntur oſſa; aut coniunguntur propria ſubſtantia, ideſt, quòd inter duo oſſa non cadit medium, ſed partes vnius coniunguntur partibus alterius tenuioribus; atq; hæc eſt vera σύμφυσις. Neque hunc coalitum faciunt, niſi partes oſſeæ molliores & fungoſiores, atque rariores: exemplum eſt in maxilla inferiore. Nam circa mentum duo oſſa maxillæ per σύμφυσιν iunguntur. Prętereà hoc apparet in appēdicibus, quę iunguntur ſuis oſſibus. Altera differentia eſt corpus medium diuerſi generis intercedens, quando oſſa nō per proprium corpus, ſed per alienam ſubſtantiā iunguntur: & illa eſt vel caro, ſiue σάρξ: vel neruus, νεῦρον: vel cartilago, χόνδρος. His tribus medijs iunguntur oſſa in συμφύσει; quia ſi per carnem iunguntur oſſa, tunc dicitur συσσάρκωσις à recentioribus, tempore Gal. vel concarnatio (vt ita dicam) vel iunctura quę fit mediante carne. Alia συννεύρωσις, quæ fit mediante neruo. tertia συγχόνδρωσις, ideſt concartilaginatio. quæ ſunt vocabula barbara, & ficta. Et quamuis hoc dicat Gal. tamen ſciatis me non habere exemplum. Nam Gal. authoritate ſua, ponit diuiſionem & nomina: ſed quibus locis reperiantur, non pouit. Ego non reperio, qua parte fiat coalitus mediante carne: ſi volo dicere, quòd in dentibus (nam dentes, vt ſcitis, agglutinātur ſuis alueolis: & gluten medium eſt carnicula circunfuſa dentibus, qua adnectuntur dentes) eſt συσσάρκωσις, hoc non licet; quia talis coniunctio oſſiū ponitur inter articulos, ergo non inter coalitus. Prętereà reſpondit obiectioni Gal. quare non inter coalitus, ſed inter articulos cōnumeretur. Ego tamen, vt dixi, non reperio ſimplicem coniunctionem oſſium naturalem per carnem: ſed nec neruoſam coniunctionem reperio: non enim reperi oſſa per neruum coniungi, neque per cartilaginem. Ideo mihi cum Veſalio videtur, quòd non valeat hæc diuiſio; quia nunquam vidi tales coniunctiones.

Et ego obſeruaui diligenter loca cartilaginum, neruorum & carnis; tamen nunquam reperi oſſa coniuncta per hæc tria media; & hæc adnotaui dubitationis cauſa, non vt explodam Gal. *Tria itaq; vti diximus.*] In hac parte ita eſt diues Gal. vt nihil ſit reſolutius. Nam non ſolum explicat ſpecies articulorum, & quid ſint oſſa magna, & parua, & quis vſus. Sed quia fecit mentionem neruorum, & ligamentorum, & frequens ſit vſus. Ideo docet etiam quæ ſint ſpecies & ſignificationes neruorum. Et vt audiuiſtis, Galen. ſæpe ſpecies & differentias confundit; quia ſpecies appellat differentias, & differentias ſpecies, ſed hoc non eſt magni momenti. Nerui ſunt triplices, quemadmodum & triplex eſt illorum origo. Nam alij oriuntur à cerebro, & ſpinali medulla, alia ab oſſibus: tertio loco, nerui oriuntur à partibus carnoſis, & muſculis. Et vt habent diuerſam originem; ſic quoque diuerſum munus habent. Nam qui oriuntur à ſpinali medulla, & à cerebro, inſeruiunt actionibus voluntarijs, & animalibus, quatenus volunt moueri, vel aliud agere. Qui oriuntur ab oſſibus, inſeruiunt etiam motui, & coniunctioni oſſium. Tertio, qui oriuntur à partibus carnoſis, & à muſculis, inſeruiunt coniunctioni & diſtenſioni artuum. Cum ergo varia ſit origo, & varia actio neruorum; ideo etiam variè appellantur. Nerui enim qui à cerebro & medulla ſpinali oriuntur, dicuntur nerui voluntarij. Qui ab oſ-

ſibus,

Digitized by Google

ſibus,dicuntur nerui ligamentales,vel ligamenta. Qui verò à muſculis,τένοντες, tendines vel chordæ . Sed quoniam Galenus, vt audiuiſtis , diſtinguit coarticulationes , aſſumpta prima differentia à motu , deinde ab analogia , & proportione , & (vt audiſtis) ego dixi hanc eſſe diuiſionem,quę non ſatisfacit.ideo aliam eſſe inueſtigandam,quia nec illa Veſalij ſatis mihi probatur,quamuis minus offendit,quàm illa Gal.Inſtitui & m: eam,in qua talem ordinem ſeruaui,vt inciperem diuiſionem & coniunctionẽ ab illis ſpeciebus,quarum differentiæ reſpiciunt eſſentiam & ſubſtantiam articulationis . Nam tres ſunt differentiæ, quæ magis ſunt manifeſtæ, quibus differunt coniunctiones : alia enim ſumitur à medio ; alia à forma & analogia : tertia à cauſis, à fine,& à motu. Ideo non videtur opportunum à motu inſtituere diuiſionem. Quia motus eſt finis. Nam ſi voluerimus incipere à motu, multa ſequentur incommoda , opus erit vt centies idem repetamus . Ideo à medio potius erit inchoanda diuiſio. Nam oſſa iunguntur vel propria , vel aliena ſubſtantia. Quæ propria, ita iunguntur , vt vel aliquod remaneat veſtigium , quod duo ſint oſſa,vel nullum remanet. Quando ex duobus fit vnum : vel fit à generante natura, vt in maxilla inferiori, vt appendices cum ſuis oſſibus, aliquando fit non à natura generante, ſed reſtituente, quod ſuit amiſſum ; vt in fracturis,vbi per callum ex pluribus partibus fit vna. Tertio κατακχετικῶς natura coniungit,vt quando prima vertebra cum capite coniungitur,vel ſi prima ſecundæ vertebræ copulatur . Similiter quando radius cubito ita coniungitur,vt videatur vnum os,& hæc tota ſpecies coniunctionis σύμφυσις dicitur. Aut remanet aliquod veſtigium, quod duo ſint oſſa, & hoc ita remanens facit coniunctionem aut per ſe, aut per accidens, hoc eſt, aut iunguntur oſſa ſua ſubſtantia per ſe, ideſt vt nullum intercedat adminiculum alterius oſſis,vel partis: & ſic in modum ſuturæ tripliciter, aut ad ſimilitudinem pannorum,aut duarum ſerrarum oppoſitarum, aut commiſſuræ in vnguem factę,quæ σύμπηξις εἰς ὄνυχα dicitur : aut ad modum claui,& dicitur γόμφωσις : alia verò iunguntur per accidens,vt oſſa natium,quæ ita adhærent ſubiectis oſſibus,vt ſi hęc adimantur, ſubito concidant, &c.

OSSIVM DIVISIO EX GALENO.

- *Oſſium compoſitio uel coniũctio, ideſt, σύνθεσις, alia*
  - differẽtia eſt iuxtapoſitio vel motus aliquis — *Articulus ἄρθρον*
    - differẽtia eſt motus non manifeſtus — *Coarticulatio συνάρθρωσις* — dĩa eſt proportio
      - *Sutura, ῥαφὴ, vt inter oſſa capitis.*
      - *Harmonia, ἁρμονία, vt in oſſibus narium.*
      - *γόμφωσις, & (vt vtar voce noua) concla[u]atio.*
    - differẽtia eſt motus manifeſtus — *Dearticulatio διάρθρωσις* — Analogia — differentia eſt varia
      - *Inarticulatio, ἐναρθρώσις, vt inter coxã & femur.*
      - *Lenis dearticulatio, ἀρθρωδία, vt inter humerum, & latum ſcapularum os.*
      - *Cardo γίγγλυμος*
        - *Inter duo oſſa tantum, vt inter cubitum & humerum.*
        - *Inter tria oſſa , vt in vertebris.*
  - differẽtia eſt vnio vel motus nullus — *Coalitus σύμφυσις*
    - *Coalitus quo ſuomet corpore , & ſubſtantia laxiore , & fungoſiore , oſſa iunguntur : & fiunt vnum tantum os , vt in maxilla.*
    - *Coalitus quo oſſa aliena ſubſtãtia vniuntur, & hic coalitus eſt , vel*
      - *differentia eſt χόνδρος, cartilago.* — *συγχόνδρωσις.*
      - *differentia eſt νεῦρον, neruus.* — *συννεύρωσις.*
      - *differentia eſt σάρξ, caro.* — *συσσάρκωσις.*

De capitis

Digitized by Google

De Capitis oßibus, & primo quid cognoſcendum ſit circa ea. Cap. XIII.

CAPITIS *os quòd caluaria appelletur.*} In hoc capite Galenus tria inſtituit peragenda: & vt tria proponit, ita & tres partes poſſidere hoc caput dicendum eſt: primum enim quod agit, eſt explicatio formæ, & figuræ capitis totius, necnon ſuturarum, quæ ſunt propriæ figuræ capitis: figuræ ergo ac formæ capitis explanatio, ſimiliter & ſuturarum, quæ propriæ ſunt capiti, hoc primum eſt, quod inſtituitur à Galeno. Alterum eſt explanatio ſuturarum, quę communes ſunt capiti, & reliquis oſſibus, tum malarum, tum oſſium inferiorum capitis. In vltima parte, quod eſt tertium in ordine, eſt enumeratio oſſium, quæ verè & legitimè efformant caput, & per caput, aliquando intelligimus non ſolum partem ſuperiorem capitis, ſed totum aggregatum ex facie, mento, & vertice: aliquando verò per caput intelligimus totum, quod eſt ſupra faciem, ſupra malas inferiores, & ſuperiores. Cum ergo Gal. loquitur de figura capitis, loquitur de parte ſuperiore: ſic quoque, quando loquitur de ſuturis. Tertio, cum dicimus Galen. enumerare oſſa propria capitis: intelligimus loqui de illis oſſibus, quæ efformant partem ſuperiorem. Sed antequam ad verba Gal. deueniamus, videndum eſt, quid nobis cognoſcendum ſit circa oſſa, quæ caput efformant. Primum quod cognoſcendum venit, eſt ipſa ſubſtantia. Quæ quidem talis eſt, vt ſit oſſea. Caput ergo, vel teſta, vel caluaria conſtat ex ſubſtantia (vt noſtis) oſſea. Verum aliud adiungendum eſt, cuiuſmodi ſit ſubſtantia oſſea: an ſit denſa, an rara admodum, & cauernoſa: an alio modo ſe habeat: præterea an ſit craſſa multum, vel tenuis. Dico totam caluariam ita figuratam ſiue formatam, vt ſubſtantia ſit fungoſior, laxiorque. Nam exceptis extremis ſuperficiebus: altera inferiore, altera ſuperiore, reliqua ſubſtantia eſt fungoſior, & cauernulis plena, & ſcatens; & hoc docuit Ariſt. 2. de partibus animalium, & Galenus 9. de vſu partium, & 8. pluribus varijsque in locis. Inquiunt iſti authores, & præcipuè Ariſtot. quòd cerebrum eſt aqueum & humidum: & producit multos vapores, vt ergo iſti vapores poſſent egredi, ideo rarum eſt factum corpus caluariæ. Galenus tertius (mea ſententia) adiungit, quòd non ſolum, ratione ſubſtantiæ cerebri, factum ſit rarum, ſed quia ſit tectum impoſitum toti domui. Nam caput in ſuperiore parte eſt locatum, eſtq; veluti culmen domus: ſicut enim ad tectum domus omnes fumi, & halitus aſcendunt: ſimiliter ab omnibus venis & arterijs ſurſum feruntur vapores, qui petunt caput. Vnde niſi caput eſſet præditum laxa ſubſtantia, non poſſent exhalare huiuſmodi fuligines; vnde naſcerentur vertigines, & alia genera morborum. Contra, ſi denſum huiuſmodi corpus factum fuiſſet, cum ſit craſſum (nam κράνιον eſt craſſum) certè nimis ponderoſum fuiſſet. Nam natura potuiſſet conficere, ex denſa ſubſtantia & tenui, vel ex denſa & craſſa, & rara: ſi fuiſſet tenuis & denſa, facillimè fracta fuiſſet, & perueniſſet frigus ad cerebrum. Nec facta eſt tennis & rara, quia nimium fuiſſet flacceſcens; aut facta eſſet craſſa & denſa, ſed tunc tantum pondus adfuiſſet, vt difficillimè poſſemus ſuſpicere: tunc enim proni incederemus, ſicut beluæ, & cœlum non videremus; ſicut inquit Ouidius:

> *Os homini ſublime dedit, cœlumque videre*
> *Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.*

Igitur facta eſt rara & craſſa: ob ſecuritatem, facta eſt craſſa caluaria: ob leuitatem, facta eſt rara, & veluti ſpongioſa. Neque credatis eundem ordinem craſſitudinis, & tenuitatis, mollitiei, & conſiſtentiæ naturam vbique ſeruare: ſed variat.

Hic autem facta eſt ſatis craſſa, fortis, & etiam leuis: & hoc erat primum cognoſcendum. Alterum eſt figura caluariæ, cui quidem figuræ eadem ſemper debet eſſe conditio, quæ ſemper habetur ante oculos à natura. Natura enim ſemper proſpicit, vt pars agere poſſit id, quod debet, ſecundo etiam vt tuta ſit ab omnibus periculis. Primo ergo curat natura, vt pars agat ſuum officium. Secundo, vt ſit tuta ab incommodis. Sic caput, vt poſſet facere officium ſuum ob figuram (quia eſt tanquam ſpecula, in qua poſiti ſint ſpeculatores, qui circunquaque proſpiciunt & obſeruant) factum eſt rotundæ figuræ, vt facilius poſſet in omnes partes circumuerti & proſpicere, ſed hoc parui eſt momenti. Maioris momenti eſt naturæ prouidentia, vt tuto poſſit agere partes. Caput enim ponitur in ſuperiore ſede, & ideo primum eſt, quòd exponitur periculo. Si concidimus, cadimus primum in caput; ſi aliquid ex alto decidit, primum decidit in caput: ſi petimus inimicum, primum petimus in caput: ideo cum caluaria ſit ſubiecta omnibus periculis, ne facilis

eſſet imperus, & facile exciperet ictus, facta eſt ci rcularis. Nam ſi eſſet plana, facile exciperentur ictus. Ideo propter [illegible] vt facilius euitaremus pericula facta eſt circularis. Et quia inter circulares figuras, quædam eſt adamuſſim circularis, quædam verò cõpreſſę ſphęræ ſimilis. Ideo natura non fecit penitus caluariam circularem, ſed potius vt ſphæram depreſſam; quoniam à cerebro, quod continetur in caluaria, oriuntur plurima germina neruorum, ſeruata ſerie: prima enim ſunt in primo ordine; ſecunda in ſecundo; & ſic de reliquis. Ideo cum inter neruos detur ordo localis, neceſſario ſequitur, vt ſit productio & iter, in quo conſtituantur nerui, & vt ſit veluti longitudo corporis, vnde oriuntur nerui. Cum ergo cerebrum requirat longitudinem, ideo factum eſt oblongum.

Addatis, quòd in caluaria duo ſunt, ſcilicet cerebrum ipſum, & παρεγκεφαλὶς, ideſt cerebellum. Cum ergo ſimul ponantur, efficitur hæc longitudo. eſt ergo craſſior, ob fortitudinem, eſt rara, ob fuligines, eſt & rotunda, vt à periculis ſit tutior. Vltimo eſt oblonga, vt ortus neruorum eſſet opportunus, & vt cerebrum, & cerebellum locaretur. Situs etiã caluariæ obſeruandus eſt, an in medio ſceleto, an in infimo, an ſit in ſuperiore. Quod in ſuperiore collocetur, omnes norunt. Sed cur hoc factum ſit, omnes forte non norunt. Locatum eſt ergo in partibus ſuperioribus cerebrum, vt omnes fere authores dicunt, ratione oculorum. Oculi ergo ſunt in cauſa, vt caluaria ſit in ſummo corpore: ratio eſt, vt ipſos tueamur, vt ipſi ſecuri ſint ſemper ab omnibus incommodis: & vt ſuo munere tuto fungantur. Cum enim pericula immineant, & à longe incidant, opus eſt vt videamus ex omni parte, quæ poſſunt lædere. Ideo poſuit natura veluti ſpeculatores oculos. Inquit enim Galenus, vultis videre oculos ex neceſſitate, vt ſpeculatores poſitos eſſe in ſummo; & etiam cerebrum propter ipſos, aduertite in cancris & cruſtaceis animalibus; quæ cum habeant caput depreſſum, & non poſſint illud attollere, natura poſuit in ipſis oculos ſupra proceſſus: vt poſſent exercere & contrahere oculos, veluti ſi eſſent ſpeculatores, qui extollerentur ſupra perticam, vel haſtam, vt poſſint ſpeculari. Sicut etiam quãdoque ſupra humeros in turba eleuamus ſocios, vt poſſint à longinquo proſpicere. Sic quoque oculi elati ſunt in parte ſuperiore. Sed quia requirebant neruos viſorios, vt organa opportuna, quæ non eſſent nimis longa, vt citius fieret viſio, ſtatim natura appoſuit ipſum frontem, ſcilicet cerebrum; ideo natura poſuit cerebrum in ſuperiori parte propter oculos. Sed quia ſubſtantia cerebri eſt mollis, & oculi molles; ideo opus erat propugnaculo duro, quod κράνιον à Græcis dicitur ratione iſta (vt inquit Galenus) vt eſſet veluti κράνος, ideſt, veluti quædam galea. Nam κράνιον dicitur totum illud aggregatum, quia eſt veluti κράνος, ideſt galea: & ideo ab Auicenna, in prima primi, clypeus cerebri dicitur. Cum ergo ibi poſitum ſit cerebrum & oculi locati, ideo etiam illa ſubſtantia oſſea illic eſt collocata. Quartum, quòd cognoſcendum eſt, ſunt quædam paſſiones caluariæ, quæ quidem tales ſunt, an ſit integerrima ſubſtantia ſua, an verò ex pluribus, an ex vna conſtet. Altera an ſit integra & nulla habeat foramina, aut cauitates paruas. Tertio quot ſint partes ex quibus conſtet. Vltimo an detur capitis aliqua figuratio & formatio præter naturam. Et ad primum de ipſis partibus componentibus: dicimus, caput conſtare ex pluribus partibus, quæ quidem coniunguntur coniunctionibus, quæ ſuturæ appellantur. Habet ergo caluaria huiuſmodi coniunctiones varias, quæ appellantur ſuturæ; de quibus iam dictum eſt aliquid. Additæque ſunt ſuturæ iſtæ variis de cauſis. Prima cauſa eſt, quia erat ſubſtantiæ raræ, vt ſcilicet fuligines poſſent facilius exhalare & egredi. Secunda cauſa eſt, vt poſſit membrana durior cerebri egredi, & coniungi cum περικρανίῳ. nam circa caput eſt membrana, quæ περικράνιον dicitur, ab Arabibus *Almocat*, vel *Almocatin*: quæ coniungitur cum membrana duriore, quæ cingit cerebrum, de qua alio loco dicetur. vt ergo poſſint iungi huiuſmodi membranæ, natura disiunxit caluariam per ſuturas, per quas tranſit ligamentum medium, quod coniungit huiuſmodi membranas. Præterea etiam vt quædam vaſa per illas egrederentur. Nam ex membrana dura exiliunt duo vaſa, quæ egrediuntur ad partes exteriores, & dicuntur venæ puppis: vt ergo daretur huiuſmodi meatus, & tranſitus his vaſis, ideo factæ ſunt ſuturæ. Præterea etiam neceſſariæ ſunt ſuturę, ne durior membrana comprimeret cerebrum. Et ſi ſpeculatemur diligentem actionem naturæ, certè neceſſe eſſet, vt etiam nos in ciuilibus actionibus eſſemus ſimilis naturæ.

Natura, in conſtituendo capite, fecit id, quod faciunt illi, qui aulæa extendunt, & non habent clauos. nam qui extendunt pannos per murum, & non habent clauos, quid faciunt? quærunt rimam & imponunt lignum, & iniiciunt partem aliquam lini, & ita ſuſpendunt. Ita etiam natura fecit has rimas, vt ſuſpenderet duriorem membranam cerebri. Nam ſi iſta membrana attigiſſet cerebrum, plurimum læſiſſet. Ideo ne comprimeret & grauaret cerebrum, ſuſpenſa eſt: vt ſuſpenderetur, factæ ſunt ſuturæ.

Quinto,

Digitized by Google

Quinto, cum περικράνιον eſſet generandum, & duceret originem à membrana duriore: ideo neceſſarius erat meatus, per quem egrederetur membrana. Sexta cauſa eſt (& hanc obſeruate) ne capite percuſſo in vna parte, fractura ſequeretur in alteram partem: nam ſi percuſſum fuiſſet caput in parte anteriori, excitaretur fiſſura vel rima, quæ tenderet vſque ad poſteriorem partem, niſi diſtingueretur per ſuturas: præterea percuſſa, vel con tuſa parte anteriore, fracta fuiſſet poſterior: quemadmodum apparet in vaſis vitreis: & quilibet poteſt experiri, ſi aſſumat phialam vitream vacuam, & percutiat leniter & ſenſim in parte anteriore, tandem frangetur in oppoſita parte: ratio eſt, quia per ictum acquiritur impetus motus & agitatio partium: acquiritur enim impetus in parte percuſſa, & per continuationem partium, communicatur toti corpori, & tandem parti oppoſitę: & non ſolum per vnam partem, ſed etiam per aliam: vnde geminæ concuſſiones concur runt in parte oppoſita: & ideo frangitur, quia vt pars anterior acquirit ictum, ita oppoſita geminum & duplicem. Quod etiam apparet in pila vitrea, vt in cryſtallo appoſito ad Solem, cui in parte poſteriori corpus cremabile appoſitum comburitur, ſiue accenditur, vel etiam ſi ponatur vitrum plenum aqua ad Solem, tunc egreditur veluti pyramidalis figura quæ ſi apponatur parti cremabili, accenditur. Nam multiplices ſpecies luminis, quæ loco, non ſpecie differunt, vniuntur in centro, à lumine hoc, ita coniuncto corpus cremabile accenditur. Sic quoque leuis percuſſio non poſſet hoc efficere. Sed duplicato illo ictu, frangitur: qua & per vnam, & per alteram partem permutatur, & agitatur. Iunctis illis duabus agitationibus frangitur in parte oppoſita.

Ne igitur hoc fieret, Natura conſtituit caluariam ex pluribus partibus: & hoc modo cum non ſit integrum os, non poteſt ita communicari ictus oppoſitæ parti: hic magna eſt difficultas. Nam Celſus lib. 8. cap. 8. teſtatur aliquando percuti caput in vna parte, & frangi in oppoſita: & hoc decipit medicos. Soranus idem teſtatur, & affert exemplum phialæ: præterea Hippocrates in lib. 6. de vulneribus capitis, inquit, quòd peſſimum omnium vulnerum & periculoſiſſimum eſt, quando percutitur caput in altera par te, & frangitur os in oppoſita: tunc neſcit medicus cui parti applicet medicamenta: hoc teſtantur doctiſſimi viri. Præterea Galenus non videtur poſuiſſe hunc vſum ſuturarum, quem ego nuper poſui. Contra Paulus in ſexto lib. cap. 90, inquit, quòd nequaquam frangitur caluaria in parte oppoſita, ſicut vitreum vas. Et adeſt Galenus, qui dicit, quòd non frangitur ob ſuturas. Quid igitur dicendum? Dico re vera quamuis viderim multa capita fracta, contuſa, & vulnerata: & vidi ſæpe non geminos aut tres, ſed centum qui percuſſi fuerunt in parte anteriori, & nihil paſſi ſunt in ea parte anteriore: tamen mortuo homine & aperto cranio, repertum eſt pus in parte oppoſita. Ego centies vidi, & obſeruaui hoc.

Hæc res videtur conſentire cum Celſo & Sorano: & quæſiui diligenter an eſſet fractum os, & nunquam vidi fractum, niſi in vno, qui ictus erat ab equo, qui vngue petijt dextram partem, & ſiniſtra erat contuſa. Sed hic erat ſuſpicio, quod pars contuſa fuiſſet à ſolo. Cùm igitur obſeruauerim & nunquam viderim fractum os, non poſſum atteſtari, quod huiuſmodi fractura fiat in oppoſita parte. Sed dicet quis, vnde ergo pus? vnde corruptio in parte poſteriore? Dicam ſententiam meam. Paulus reſpondet, quòd à caſu hoc ſit, quando ſcilicet in vtraque parte fuit percuſſus; ſed caſus non ſit ita cuidens. Ego verò credo in hac re hanc eſſe veram & adæquatam cauſam. Sciendum enim quòd ſæpe humidius eſt cerebrum, aliquando minus humidum: æſtiuis enim temporibus cerebrum minus turget, & minus eſt humidum. Hyeme verò econtra; & præſertim quibus luna, & ambiens aer ſit humidior. Ideo quando cerebrum non eſt bene plenum, ſed relinquitur ſpatium medium inter caluariam & cerebrum; & inter partes laterales: & ſunt vaſa quæ pertingunt ad meningas. Cum ergo hoc ſit, vellem vt ἀντιτύπωσιν quis obſeruaret, quæ eſt inter clauum & lignum. Si enim clauum infigatis in parte extrema ligni, & percutiatis malleo partem ſupremam oppoſitam, tunc ingredietur clauus in lignum: & hoc eſt quia per reflexionem impetus fit, vt clauus non progrediatur, ſed magis ingrediatur in lignum: vnde etiam pila quando inuenit obſtaculum, dum mittitur, reſilit; quia reflectitur motus.

Similiter cum clauus infixus in altero capite ligni, ſi lignum in oppoſito per longitudinem capite acquirat ictum, & impetum ab aliquo percutiente, tum clauus magis ingreditur in lignum. Si quis accipiat ſcutellam, in cuius medio ponat pilam, & teneat manu, & percutiat partem inferiorem ſcutellæ: pila merito ratione ictus deberet egredi: & tamen recurrit ad partem oppoſitam, ſcilicet ad partem percuſſam, ita vt ſi ego percutiam ab vna parte, cum non poſſit procedere, reſilit in partem percuſſam: ſic quoque cum percutitur caput, & vacuum ſit cranium; tunc reflectitur ictus,

& vaſa in parte poſteriori dilacerantur, laceratis vaſis, effunditur ſanguis, qui putreſcit, & ita generatur inflammatio,& efficitur pus. Dicerem ergo non frangi os in parte poſteriore. Ad id,quod ſanies fiat,dico eſſe ob ἀντιτύπησιν. Ad Celſum & Paulum:potius illos accuſarem,quàm defenderem. Cùm autem Hippocrates bonus ſenex nunquam errauerit, niſi admodum raro, hic bene eſt intelligendus: quia non dicit quòd frangatur os in oppoſita parte, ſed dicit in alia parte: differt autem alia pars ab oppoſita parte. Nam ſi frons frangatur in media parte, franguntur & vicinæ partes: non tamen oppoſita pars. Quia cum oſſa ſint circularia, & dura, cum quadam mollitie, hinc ſequitur,vt percuſſa parte media,molles illæ partes frangantur, vt ſi fiat ſemicirculus ex cera,ita vt relinquatur cauum in medio, tunc ſi comprimatis partem hanc mediam, fient quaſi rimæ, quæ tendunt ad extremum. Sic quoque in craneo pars percuſſa non rumpitur,ſed partes extremæ rimas patiuntur. Sic dico ad Hippocr. quòd fractura non ſit in parte oppoſita, ſed rimæ tendunt ad partes extremas corporis percuſſi.

Eſt modo ſeptimus vſus ſuturarum,vt medicamenta appoſita in parte exteriore ingrediantur in intimas,vt inquit Galenus 13.metho.cap.22. Nam niſi eſſent ſuturæ,medicamenta applicita exterius non ingrederentur interius. Vltimus vſus eſt ex prima primi Auicennæ: qui talis eſt. Quoniam natura non poterat formare omnes partes oſſeas capitis æquales:quia opus erat,vt aliæ eſſent craſſiores,aliæ tenuiores,quędam varia figura formarentur: ne igitur vnicum os haberet tantã varietatem,fecit potius diuerſas partes. Reliquum modo eſt vt videamus,an caluaria ſit integerrima ſubſtãtia (quamuis diſſoluta ſuturis) an verò habeat meatus,& foramina per quæ egrediantur corpora. Nam ſciendum,quòd quædam venæ debent permeare ad ſubſtantiam cerebri: ideo ſunt foramina, quæ ſunt via & iter venis & arterijs. Et ſuo loco fuſius pertractabo, quæ ſint venæ & arteriæ,quæ ingrediantur in caluariam. Et quia in capite continetur cerebrum,ab illo prodit ſpinalis medulla,& multa paria neruorum:vt igitur egredi poſſent huiuſmodi corpora,ideo natura perforauit ſubſtantiam caluariæ. Itaque præter ſuturas habet etiam plurima foramina, præcipuè per quæ purgantur fuligines & halitus. Tamen non vt cribrum natura perforauit oſſa iſta, alioqui inæquales fuiſſent partes interiores & exteriores, & tunc multum paſſæ fuiſſent membranæ. Ne ergo, ob inæqualitatem ſuperficiei læderentur membranę,facta ſunt foramina,vt ſuturæ, per quas expurgantur fuligines. *Quod os capitis caluaria appelletur.*} Inquit, audiuiſtis in ſuperioribus caluariam appellari os capitis,quę vox eſt Latina: κρανίον verò Gręca,quia eſt κράνος,ideſt galea & clypeus impoſitus cerebro. Caluaria dicitur à Celſo. Vnde calui dicuntur,qui habent caput ſine pilis, vt videatur os nudum. Inquit ergo Galenus: *Diximus quid ſit caluaria,& quot habeat ſuturas. Quæ autem ſint ſuturæ, & figura naturalis vel non naturalis, nondum eſt dictum, ſed nunc dicitur.*} Cùm velit docere quot ſint oſſa, & quot ſuturæ, quoniam iſtæ ſuturæ ratione figuræ capitis variant: ideo habeatis pro anatomica regula apud Galenum & Veſalium, quod figura capitis eſt cauſa ſuturarum, & mutata figura, mutantur etiam ſuturæ. Quia ſicut mutatur figura, ita mutantur & ſuturæ: quæ regula maximè probatur à Galeno & Veſalio. Sed ego dicam meam ſententiam. Non video hanc neceſſitatem, vt mutata figura, mutentur ipſæ ſuturæ, ita vt ſi deperdatur proceſſus poſterior, deperdatur & ſutura poſterior: ſed ego vidi quod ſæpe perijt aliqua pars capitis: tamen aderant omnes ſuturæ: & hoc argumentum eſt demonſtratiuum: Si eminentiæ in figuris ſunt cauſæ ſuturarum, ergo vbi non erunt eminentiæ, ibi neque erunt ſuturæ: ſed tamen hoc eſt falſum. Ergo & falſum quod eminentię in figuris ſint cauſæ ſuturarum. Sed de hoc fuſius agemus ſuo loco. Inquit Galenus, quod capitis figura eſt cauſa, quod numerus ſuturarum variatur, & hoc non ſolum dicit in hoc libro de oſſibus, ſed etiam in libro de anatomicis ſectionibus, & de vſu partium, & Veſalius & Hippocrates etiam videntur hoc tenuiſſe. Ego fui Florentiæ, vbi colliguntur omnia oſſa, ex hoſpitali ſanctæ Mariæ, & congeſta ſunt ab hinc centum annis, & tot ſunt vt ſit mirum dictu: omnia volui euertere: & fui Florentiæ, per aliquot menſes, & ſemper euolui illa oſſa: tamen nunquam inueni, quod mutata figura mutarentur etiam ſuturæ: ſic Ferrariæ eſt locus vbi eſt aceruus oſſium ſuſpenſorum, ſic Piſis & Mutinæ: tamen nunquam vidi: forte quod ipſi viderunt, & ego non. *Capitis naturalis figura.*} Figura eſt,vt ſit rotunda, non integra, ſed compreſſa,& figura oblongæ ſphęræ: vnde colligimus,quod in capite tali naturali, ſint naturaliter etiam locatæ ſuturæ. *Acuminato vertice.*} In Græco codice aliter legitur, quod alia figura capitis eſt, quæ φοξὸς appellatur. Nam ſi legimus, acuminato capite, falſum eſt. Nam φοξὸς non eſt acumen,licet φλὸξ eſt flamma,ſiue pyra accenſa,quę φοξὰ dicitur: Vnde Homerus de Therſite dicebat, φοξὸς ἔην κεφαλήν. φοξὸς igitur intelligebatur apud Homerum ὀξυκέφαλος, ideſt, qui habet caput acutum. Sed apud Galenum, φοξὸς ſimpliciter eſt caput deformatum.

Nam

Nam dicit Galenus, quòd figura capitis alia eſt naturalis, alia quæ φοξὴ dicitur: & poſtea conſtituit tres vel quatuor ſpecies: & dicit, quòd alia eſt oblonga, alia quæ perdit proceſſum anteriorem, alia quæ poſteriorem: & ideo inter ſpecies φοξοῦ enumerat etiam rotundum caput. Ergo φοξὸς nihil aliud ſignificat, niſi deprauatum, non autem acutum, vt etiam in nono de vſu partium, cap. decimoſeptimo, & infra vbi agit de figuris capitis. *Quod ſecundum naturam.*} Docet quæ ſit naturalis figura capitis, & dicit, quod debet habere partem anteriorem prominentem, & etiam poſteriorem. Ideo debet eſſe depreſſum caput ad latera, & prominens in aliis partibus. Et requiritur triplex ſutura, alia in parte anteriore, alia in poſteriore: tertia eſt, quæ oritur à parte poſteriore, & vergit ad anteriorem vſque, ita vt ſint geminæ tranſuerſæ, alia recta ad *Anteriorem coronalem.* Poſtquam dixit tres eſſe ſuturas, dicit, quòd anterior eſt coronalis, στεφανιαία: aut quia habet ſimilitudinem coronæ, aut quia à veteribus illic ferebantur coronæ, non vt ſunt coronæ quibus vtuntur Imperatores & Reges, quæ iungunt totum caput; ſed propriè vbi mulieres imponunt ſtrophia crinium. Nam ſemper gerunt coronam in illis partibus, & reliquæ partes eminent, præſertim anterior, vt pars nuda latitudine quatuor digitorum, & hoc eſt valde tutum: quia appoſito illis ſtrophio partes interiores fouentur. Quæ à mulieribus habentur valde laxæ, & præſertim in Etruria, vbi mulieres quandoque chirothecam apponunt, vt tegant partem illam ne lædatur ab aere. Alia ſutura eſt, quæ dicitur λαμβδοειδὴς, ob ſimilitudinem literæ Græcæ. Nam geminæ ſunt lineæ, quæ ducuntur in angulum acutum. () Apud Auicennam *Edore* eſt ſutura, & *Derezi* corona. Vnde *Adoredereʒi* ſutura coronalis, *Adore laude* eſt Sutura λαμβδοειδὴς. Tertia eſt ſutura, quæ dicitur recta, vel ſagittalis, vel virgalis. Auicenna appellat illam nerualem & ſagittalem. Et ita tres illę ſuturæ conſtituunt H Græcorum, vel H Latinorum. *Naturalis caluarię.*} Inquit talis eſt figura capitis naturalis, & talis collocatio. Sed capitis præter naturam qualis figura, talis etiam ſuturæ. Si non ſit prominentia poſterior, aboletur poſterior ſutura. Si frontis prominentia, aboletur & frontis ſiue anterioris partis capitis ſutura, & remanet illa ſutura in qua eſt prominentia. Nam ſi perit ſutura anterior, tunc reliquæ duæ conſtituunt literam T, ſic quoque ſi poſterior perit. Sed ſi recta ſemper manet, & illa quidem cum tranſuerſa, decuſſationem vel X literam conſtituit. Gal. in nono de vſu partium, 17. φοξὸν appellat penitus ſphęricum & rotundum caput: ideo non ſignificat acutum, ſed deprauatum. Nunquam ergo perit ſagittalis ſutura, nec quæ per tranſuerſum eſt: ſed anterior & poſterior: Galenus nono de vſu partium 17. inquit, quòd nos poſſumus adiungere quartam partem deprauati capitis, qua omnes prominentes partes tranſponerētur, ita vt eſſet depreſſum ante & retro, & promineret ad latera. Sed eſt imaginarium hoc, quia nunquam reperitur tale caput. Et adiungit Galenus, hoc eſſe potius monſtrum ſi reperiretur, quàm naturale. Et ideo Hippocrates præcipuè in lib. de vulneribus capitis, ſaltem enumerat tres ſpecies figurarum capitis præter naturam, & quartam omiſit. Inquit Galenus, vt quæ non reperitur. Sed Veſalius cōtra ait, quòd Hippocrates 4. ſpeciem ponat, & quod viderit Venetiis, atque relatum ſit à quodam etiam, qui vidit in Liguria Ianuæ tale caput. Sed hoc ego non poſſum affirmare, vel negare, quia non vidi tale: & credo, quòd ſi reperitur vix viuere poſſet. Verùm Hippocrates de locis loquitur de figuris capitis, & in lib. de vulnerib. capit. & in lib. de locis in homine, & in lib. qui inſcribitur de aere, aquis & locis, & nuſquam alibi. Quia bis totum Hippocratem ideo perlegi. Sed in lib. nuper citato, loquens de hac re, dicit quòd ſunt quędam regiones, in quibus homines delectantur acuminato capite, quos μακροκεφάλους appellat: & dicit, quòd quædā eſt regio, in qua, cum ortus eſt puer, comprimunt caput in acutum, deinde faſcias apponunt, & ita cōſeruant, donec in acutum procedat: & illi poſtea dicuntur μακροκέφαλοι: dicitq; quòd hoc primum arte fiebat, deinde natura conſuetudine docta per ſe fecit talia. Et niſi Hippocrates ibi loquatur de hac re, non ſcio alium locum vbi agat de hac quarta ſpecie, niſi hæc ſit quarta ſpecies, quando caput protuberat in acutum: ſed illud habens latera prominentia non obſeruaui. Pręter has tres ſuturas, ſunt & alię ſuturæ in partibus capitis ad latera, ad ſquamę ſimilitudinem, quę potius alio nomine ſunt appellandę quam ſuturæ. Quia ſunt veluti ſuperimpoſitæ ſquamæ in piſcibus. Quoniam piſces, vt ſcitis, habent tergus coopertum ſquamis: quarum vna ſupra aliam ponitur. Et hoc fit potius per ſuprapoſitionem, quàm per coniunctionem. Ideo potius ſquamoſę agglutinationes dicūtur, quàm ſuturę. Et dicit Veſalius lib. 1. de ſuturis, quòd nec Hippocrates nec alius ex antiquis illas appellauit ſuturas: Idem confirmat Galenus, lib. 9. de vſu partium, cap. 17. quòd nullus ex antiquis appellauerit ſuturas, ſed agglutinationes. Hippocrates tamen (quia mihi licet dicere veritatem) in lib. de locis in homine appellat has ῥαφὰς, ſuturas. Ideo neſcio quare hoc dicant Galen. & Veſalius, niſi forte Gal. non legerit illum locum Hippocratis, vel quod

liber non ſit Hippocratis. Ego neſcio, phraſis bene eſt ipſius Hippocratis: ergo & liber erit dicendus ſuus. Auicenna has agglutinationes appellat corticales ſuturas. Sed quæreret modo aliquis, an quo ad ſuturas ſit aliqua differentia inter marem & fœminam. Ad quod Ariſtoteles lib. 5. de hiſtoria animalium 7. & 2. de partibus eorundem ſeptimo, inquit, Mas habet circa caput plures ſuturas, quàm fœminæ, quæ ſententia recepta eſt ab omnibus Peripateticis: ratio autem huius eſt, quoniam magis halituoſum, & calidum eſt cerebrum marium.

Ideo, quamuis vtrorumque cerebrum ſit frigidum & aqueum: tamen, quia plures vapores aſcendunt ad caput maris, requiruntur etiam plures lineæ, per quas exhalent vapores. Sicut vbi maior focus, requiritur amplior locus pro fumi exhalatione, quia & maior copia fuliginum adeſt. Sicut in magnatum domibus ac coquinis præſertim, in quibus quia fiunt magni foci, ampli quoque ibi ſunt camini, pro receptione maioris quantitatis fumi, & fuliginum, atque pro eorundem exhalatione. Sed quamuis hęc ratio probabilis ſit, repugnat tamen ſenſui. Nam ad ſenſum patet, quod non differant caluariæ fœminarum à caluarijs virorum. Quia quinque ſunt ſemper ſuturæ vbique. Præterea adeſt & authoritas Galeni, Veſalij, & aliorum, qui diligentiores fuerunt: qui nullam faciunt differentiam, aut diſſimilitudinem in caluaria fœminarum, aut marium. Huic rei adiungendum eſt tanquam corollarium, falſam eſſe vulgi opinionem dicentis, quod fœminarum capita habent ſuturam ſagittalem, quæ tendit ad frontem. Imò cum effodiuntur ſepulcra, in quibus ſint capita mortuorum, ſi caſu reperiatur caluaria cum ſutura vſque ad ſupercilium: tunc dicunt eſſe caput fœminæ: cum tamen non ſit aliquod diſcrimen, quo ad hoc, inter caput maris & fœminæ. Nam etiam caluariæ virorum reperiuntur, quæ quandoque habent ſuturam, ad medium ſupercilium. Redeundo modo ad hoc, an ſuturæ aliquando deperdantur, vel aliquæ, vel omnes: Ariſtoteles 3. de hiſtor. animal. cap. 7. dicit, quòd ſuis temporibus repertum eſt cranium, quod nullam habuit ſuturam. Ideo aliquando omnes penitus abolentur & extinguuntur. Hanc ſententiam præterea confirmat Herodotus, qui dicit in Syria reperiri caluarias, quæ nullas habent ſuturas. Poſtea Cornelius Celſus, qui maioris eſt momenti, lib. 8. cap. 1. loquens de ſuturis, inquit, quòd in æſtuoſis regionibus, ſub cœlo calidiſſimo, reperiantur capita ſine ſuturis. Vnde arguit Celſus illa capita eſſe firmiſſima, & quod vix dolent. Quæ ſententia partim eſt vera, partim falſa. Si enim intelligimus de affectibus, qui habent dolorem à cauſa interna, tunc tantum abeſt vt non doleant, vt magis doleant cum plurimæ reperiantur affectiones, quæ oriuntur à vaporibus & fuligine retenta. Si verò intelligimus, de doloribus qui oriri poſſunt vel à mora ſub Sole, vel à frigiditate ambientis aeris, ſua ſententia eſt veriſſima. Quia cum non adſint ſuturæ, non datur tranſpiratio aeris externi calidioris aut frigidioris. Ideo intelligenda eſt ſententia Celſi de doloribus, qui proueniunt à cauſa extrinſeca. Et quamuis Herodotus afferat, quòd in Syria talia capita reperiantur: non tamen exiſtimandum in noſtris regionibus non reperiri. Ego non reperi quatuor, vel ſex, ſed plurimas caluarias, quæ deſtitutę erant omnibus ſuturis. Vidi etiam quaſdam, quibus deerat coronalis: aliquas, quibus deerat vna ex reliquis ſuturis. Vidi etiam aliquot, quibus deerant omnes tam anteriores, quàm poſteriores, & laterales. Ideo non venit probanda ſententia Ariſtotelis, quòd ſaltem ſuo tempore vnum caput tale ſit repertum. Quia ego plurima vidi. Sed nullum reperi caput tenerum vel puerile, in quo non fuerint omnes ſuturæ, In ſenum præcipuè caluarijs nullas reperi. Sed quomodo tu internoſcis? facile eſt, quia caluariæ infantum ſunt paruæ, & caluariæ iuuenum & adultorum ſunt magnæ. Quia cum iuuenes ad decimumquintum annum deueniunt, producitur caput ad eam magnitudinem, ad quam poteſt produci. Si tunc moriuntur, poſſumus etiam internoſcere eorum capita à caluarijs ſenum. Sed nulla eſt certior differentia, quam differentia ſumpta à craſſitudine oſſis. Nam ſi eſt craſſities oſſis magna, caput eſt ſenis: ſi verò tenuior, eſt iunioris. Sed difficultas eſt diſtinguere caluariam fœminæ à caluaria iuuenis. Nam vtraque eſt tenuis: non ita implet manus, vt caluaria ſenis. Si ergo reperiuntur caluariæ, quæ ſunt craſſiſſimæ, tunc iudicamus eſſe ſenum: ſed vnum obſeruaui, quòd ſi ſemel reperi tranſuerſales ſuturas abolitas, centies reperi alias non abolitas: ita quod plurimæ erant, quibus anterior, ſuperior, & poſterior perijt, ſed temporales non. Nam ſunt vltimæ quæ pereunt. Neque vnquam vidi, quòd temporales perierint abſque perditione aliarum. Addendum & hoc eſt, quòd in capite prominenti ſagittalis ſutura quandoque peruenit ad ſupercilium in maribus & etiam in fœminis, & aliquando ſecat totum os frontis: aliquando media ex parte: plurimæ tamen caluariæ ſunt, in quibus peruenit ad ſupercilium. Nec differunt, quia ſint maris aut fœminæ. Et hæc ſagittalis ſutura in pueris ſemper diuidit os frontis, & in his etiam, qui ſimam habent

bent

Digitized by Google

bent & compreſſam faciem, in quibus etiam iam ſenibus permanet. Patitur hoc etiam ſagittalis in pueris. nam aliquando ſecat partem oſſis occipitis:quia quandoque non ſolum peruenit ad ſuturam λαμβδοειδῆ, verum etiam ſecat dimidiam partem oſſis: ſed hoc ſaltem in puerulis. Et hæc dicta ſint, quantum ad differentiam ſuturarum & figurarum caluariæ, quibus adiungatis, quod omnes coniunctiones vt plurimum capitis, quæ ſuturæ ſunt in exteriori parte, in interna videntur harmoniæ. Nam in exteriori ſuperficie videntur ſuturæ: ſed in interiori parte potius per ἁρμονίαν vel lineam coniunguntur. Redeundo modo ad primum propoſitum, quare, ſcilicet natura fecerit temporales ſuturas, ad ſimilitudinem ſquamæ, & non ſicut reliquas ſuturas: plurimæ ac variæ proponuntur cauſæ: vna tamen eſt vera. In partibus enim lateralibus, natura voluit conſtituere organum auditorium: voluit pariter collocare muſculos temporales, qui ſunt maximi ſenſus, & facilime patiuntur: ita vt ſi leniter percutiantur, ſtatim ſequitur conuulſio, & ita vt vno percuſſo, ſuus coniunx quoque patiatur. Nam maximus illic eſt ſenſus. Cum ergo natura propoſuiſſet, in partibus lateralibus, collocare organum auditus & muſculos illos: opus erat vt collocaret etiam illic os cauum, quod exciperet inſeruientia organa ſenſui auditus.

Præterea ob muſculos opus erat, vt cauitates exculperet in partibus, quibus tuti eſſent muſculi, vnde cauitates illæ eſſent, tanquam propugnaculum ipſis muſculis. Cum ergo ad tot vſus inſeruiant partes iſtæ: Ideo ſi natura voluiſſet, & propugnaculum illud, & partem etiam oſſis, quæ coniungitur cum illo, craſſam facere, tunc cauitas & ſculptura illa fuiſſet deperdita, præterea nimis grauatum eſſet caput. Quia ſi totum os fuiſſet craſſum, nimium pondus adfuiſſet. Cum igitur natura nihil agat fruſtra, hac ratione aſſumpſit magnam portionem oſſis ad formandum organum auditorium, & illud ad propugnaculum temporalium muſculorum: tenuis autem ob cauitatem, quæ non egebat craſſitudine: ergo craſſa oſſa facta ſunt à natura, quoniam ſi nimis tenuia eſſent, facile fuiſſent fracta: Si vero fuiſſent craſſiora, tunc nimis fuiſſent ponderoſa. Ideo natura fecit illa craſſa, ſed rata, & non tam ſolida, ſicut in reliquis partibus capitis, quia in reliquis multum patimur: multa enim ex alto in caput proſiliunt in eius parte ſuperiori. In poſteriori etiam hoſtis nos impetit: ideo pars etiam poſterior eſt ſolidior. Pueri ſæpe incidunt in frontem: nulla enim eſt dies in qua non bis vel ter concidant, hinc eſt, quod videmus frontem puerorum ſemper maculatam, & pertuſam: & ideo, anterior pars eſt craſſior: ſed non ita à partibus lateralibus imminent pericula: quia brachia ſunt illa, quæ ſupponimus. Sic ſi aliquid occurrit periculi, poſſumus proſpicere facie inuerſa: ideo illic ſaltem eſt os tenue, quod tuetur cerebrum, ſed non eſt denſum. Quia quantitatem oſſis natura tranſmittit ad formandum auditorium, & oſſa temporum reliqua facta ſunt tenuia. Si hoc verum eſt, addo quod ex neceſſitate opus erat, quod hæc oſſa ita per ſquamas coniungerentur. Ratio eſt, quoniam huiuſmodi os deſinit in lineam, non in ſuperficiem: quemadmodum reliqua oſſa. Nam ſubſtantia vnius oſſis in lineam deſinit: alterius vero in ſuperficiem.

Hic autem, cum vnum os eſſet tenuiſſimum, oportebat, vt ſupponeretur alteri, ſicut ſi duæ chartæ inuicem coniungerentur, ſi debent inuicem agglutinari, neceſſe eſt, quod vna ſupponatur alteri ob earum tenuitatem. Sic etiam coacta fuit natura ob hanc cauſam, ſcilicet tenuitatis illorum oſſium, inuicem cohærere, veluti ſi fuiſſent chartæ. Sed quam tenuis eſt pars illa? Nam (quod pulcerrimum eſt) non ſolum requirit coniunctionem, & id quod neceſſarium eſt, ſed etiam maximam ſymphoniam, & concordantiam inter partes. Sed quia fuiſſet turpe adiungere partem craſſam tenui, ſicut ſi chartam iungatis ligno: craſſo iungitis quidem, ſed ſi inſeratis, erit maxima inæqualitas & turpitudo. Ideo natura attenuauit partem vnam, vt alteram concinne, & apte adiungeret: & non fecit ſuturam, quia partes erant nimis tenues: & hæc eſt vera & immediata cauſa. Tenuitatis vero cauſa eſt, quia tanta craſſitudo, non requirebatur in parte laterali. ergo ſuturæ iſtæ, quamuis ad collocationem ſquamarum factæ ſint, tamen habent eaſdem rationes & cauſas, quas habent & reliquæ capitis ſuturæ, & ob eaſdem factæ ſunt. Et cauſa potiſſima, & principaliſſima ſuturarum in capite eſt, vt generaretur περικράνιον: reliquæ vero cauſæ, ſunt quidem cauſæ veræ, ſed non potiſſimæ. Neceſſarium enim erat, quod generaretur pericranion: quod quidem generatur ex duriore cerebri membrana: hoc autem fieri non potuiſſet, niſi mediantibus ſuturis. Si ergo iſtæ temporales ſuturæ habent eandem cauſam, quam habent reliquæ ſuturæ, ſi nihil differunt: ergo deperdita prominentia perdetur & ſutura. Sed hic nulla eſt prominentia, ergo non deberent adeſſe neque ſuturæ. Apparet igitur quod ſuturæ non ſunt factæ ob prominentias. Ergo licet caput ſit rotundiſſimum, oportet tamen vt fiat & generetur

peri-

peticranion, & ſuſpendatur dura mater. Præterea licet ſint ſquamiformes, tamen etiam ſunt vt ſuturæ. Ideo poſſumus dicere, quod ex vna ſint ſquamoſæ & ex altera ſuturæ: & hæc de quinque ſuturis à Galeno poſitis. Sed recentiores adiungunt ſextam, quam dicunt propriam eſſe caluariæ ſuturam, nec communem, quæ reperitur in interiore parte caluariæ, de qua dicam in ſequentibus: quam tamen ego credo eſſe tertiam, communem capiti & maxillæ ſuperiori ſcilicet: non autem propriam caluariæ.

Quia iſta ſutura diſtinguit os, quod eſt ſimile cribro, ab oſſe frontis: ideo credo non eſſe propriam capiti, ſed communem maxillæ ſuperiori, & aliqua ex parte coniunguntur cum fronte: differunt autem inuicem ſutura & diſcriminatio, & ideo etiam puto eſſe communem. Enarratis iam quinque coniunctionibus & ſuturis, quæ ſunt propriæ oſſibus conſtituentibus caput, quod cerebrum continet, reliquum eſt, vt de communibus coniunctionibus vel ſuturis videamus. Quæ à Gal. duæ tantum proponuntur: mea vero ſententia tres poſſunt numerari: Prima proponitur à Gal. quæ incipit in parte inferiori capitis, & aſcendens ad partes, circa tempora rurſus deſcendit, & deſcribit os medium, inter oſſa capitis, quod quidem os, cum habeat ſimilitudinem cunei interpoſiti inter maxillæ ſuperioris oſſa & capitis, dicitur σφηνοειδὴς. Altera ſutura eſt, quæ incipit ab angulis exterioribus oculorum, & deſcendens iterum fertur ad cauitates ſuperiores, atque vnitur circa ſupercilium. His tertiam communem adnumerauimus, quæ diſtinguit oſſa capitis ab oſſibus malarum, & diſtinguit os ſpongioſum ab oſſibus capitis. Diximus, quod in parte poſteriore eſt ſutura λαμβδοειδὴς, & os quod deſcribitur ab illa ſutura deſcendit, ſed quod in lateribus eſt, eſt veluti additamentum. Nam a lambdoide & eius lateribus oriuntur additamenta, quæ perueniunt vſque ad baſim capitis, & vniuntur linea, à qua incipit ſutura communis. *Hanc ipſam primum*] id eſt, linea iſta tranſuerſa eſt prior ſutura communis cum oſſibus capitis, & cuneiformis. In quo vnum eſt obſeruandum, quod ſæpenumero poſſet quis decipi in capite ſenioris: Nam in pueris & decem & viginti etiam annorum & ſupra, apparet hæc linea: ſed ſecundum magis & minus. Quia in pueris eſt manifeſta, ſed in adultioribus ſenſim ac ſenſim deperditur ac extinguitur: & non poſſunt ſeparari illa oſſa, quia in ſenibus nunquam apparet illa linea, & copulatio ita eſt arcta, vt ex duobus oſſibus fiat vnum; repetitur tamen vt plurimum etiam in adultis, ſed in ſenioribus non, quia coaleſcunt. *Rurſum enim vtrinque*] Id eſt, ibi eſt initium ipſius. nam aſcendit linea media vtrinque, & peruenit ad caua temporum: vbi cum ſint plura loca, aſcendit vſque ad quendam terminum: eo enim vſque aſcendit, donec perueniat ad terminum coronalis ſuturæ: *Inde etiam rurſus deorſum*] Cum aſcendit ad ſummum, reflectit, & iterum deſcendit: & recuruatur ad partes anteriores, ac defertur ad dentes poſtremos. Fingamus vinculum vel coronam, quæ efficiat circulum: aſſumamus pro exemplo illam mulierum, quæ conſtat ex varijs oſſibus paruis, qui bus numerum ſalutationis angelicæ, atque orationis dominicæ, mulieres obſeruant, atque vt hæc corona, dupliciter ſuſpenſa à temporibus, ita ſe habet huiuſmodi ſutura (═) Sic hæc ſutura eſt vna linea & veluti circularis, quæ flectitur, & incipit circa baſim, & amplectitur os, & conſtituit illam ſuturam, quæ dicitur communis, quæ diſtinguit oſſa capitis ab oſſibus cuneiformis, & cuneiformis ab oſſibus maxillarum, vel maxillæ ſuperioris. Non eſt omnino communis capiti, ſed ea quæ aſcendit, eſt communis capiti & cuneiformi: & quæ deſcendit, eſt communis cuneiformi & maxillæ ſuperiori. Dicitur autem cuneiforme, quia eſt veluti cuneus interiectus oſſa inter capitis & maxillę ſuperioris: in vtroque latere, in hoc oſſe ſunt proceſſus alati, cum cauitatibus. Adiungit Galenus, quod eſt obſeruandum, quod huiuſmodi os habet geminos proceſſus in partibus circa palatum, qui tales ſunt, vt habeant ſimilitudinem; cum alis veſpertilionum: in quibus adiungit, quod eſt notandum, adeſſe cauitatem, quæ cauitas eſt obſeruanda: quoniam inde oriuntur gemini muſculi, qui lateſcentes appellantur: quia lateant in illis cauitatibus. Et hoc os aliquando etiam baſilare dicitur. *Alia autem capitis ſutura.*] Adiungit aliam ſuturam, quæ diſtinguit oſſa capitis ab oſſibus malarum, quæ geminum habet principium: alterum in parte dextra: alterum in ſiniſtra; & eius locus eſt, vbi coniungitur cum coronali; & poſitio eius eſt orta à cauo temporum; aſcendit ad oculos, & coniungitur in ſupercilio medio. Circa hanc ſuturam vnum eſt obſeruandum, quod illa ſutura aliquo modo communis eſt cuneiformi; quamuis Galenus dicit, quod tantum diſtinguit oſſa malarum ab oſſibus capitis; ſed etiam eſt communis cuneiformi in cauitate oculi. Sed dicitur tantum diſtinguere oſſa malarum ab oſſibus capitis, quia plurima pars eius hoc facit. His ſuturis addenda eſt tertia, quæ à Veſalio ſexta propria capitis dicitur, quæ diſtinguit os frontis ab illo, quod proprium eſt malarum, quod cribroſum & ſpongioſum dicitur; & eſt os maxillæ ſuperioris. Multa hic pretermiſſa

miſſa ſunt à Galeno, quæ ſunt obſeruanda: Primum eſt, quod non ſit vniforme, ſed conſtat ex centum oſſibus diſſimilibus & paruis. nam ſunt proceſſus alati: cornua membranæ oſſeæ, & formæ multæ, à quibus formis multiplicibus factum eſt, vt ab antiquioribus πολύμορφον dictum ſit, id eſt, multiforme. His duobus nominibus dicitur à medicis, & ab anatomicis. Alterum obſeruandum eſt, quod conſtat huiuſmodi os, non ea vna, nec ex vnitis partibus: ſed aliquando gignitur ex tribus partibus, vt manifeſte apparet in cuneiformi oſſe pueri, ita quod videantur tria oſſa diſtincta, quæ poſtea vniuntur & fiunt vnum os tantum. Tertium obſeruandum eſt, quod differt hoc os in teneris & adultioribus. quia in tenerioribus circa baſim & principium eſt ſolidum, denſum, & vnitum: in adultis eſt vacuum, & ita vacuum, vt ſint duo meatus ampli, & caui; ita vt recipiant digitum maiorem. & hoc eſt obſeruandum maximi momenti. Nam Galen. nono, De vſu partium, capitulo tertio, pariter etiam in 11. c. 19. loquens de huiuſmodi oſſe dicebat, quod huiuſmodi os ponitur circa baſim capitis, cumque collocatum ſit in baſi, & veluti illo nitatur totum caput, requirebatur, vt eſſet denſum, & durum. ideo factum eſt durum, & denſum, vt eſſet baſis, quæ ſententia primo arguitur à Veſalio, & vſu patet. Nam in ea parte tantum abeſt, vt denſum ſit & ſolidum, vt habeat cauitates geminas & amplas, quæ oculata fide patent & videri poſſunt, cum tales ſint vt ferme digitus maximus in has ingrediatur, ſed hoc parui eſt momenti, maioris momenti eſt, cur in pueris ſit denſum; in adultis & ſenioribus vero ſit exculptum: rationes huius multæ ſunt: ſed ego obſeruaui ſemper in actionibus naturæ, vt neutiquam adiungat materiam parti, cui non eſt neceſſaria, & ſi poteſt pauca materia explere id, quod neceſſarium eſt, vtitur illa pauca. Nam ſi ageret materia multa, nimis aggrauarentur virtutes, quod patet in huiuſmodi oſſe. Opus erat vt, ſi totum caput creſceret & augeretur, æqualiter, & ſecundum proportionem, ſecundum omnes eius partes, oſſa temporum augerentur, & ſic cuneiforme.

Ergo ſi debebat augeri, debebat etiam extendi, & ita aucto oſſe, grauior facta eſſet pars illa. Quid fecit natura, quæ volebat augere hoc os, & illud extendere, quemadmodum & reliqua, & non adiungere materiam? fecit, vt illi, qui ex parua materia vitri magnam phialam conficiunt: ſic natura, vt extenderet omnia oſſa, & etiam hoc, cum nollet adiungere aliam materiam, opus fuit, vt extenderet & faceret illud amplum & magnum ex eadem materia. Ideo credo, hac ratione factum, vt in adultis hoc os ſit cauum exculptumque: in tenerioribus autem denſum.

Tertium adiungitur, quod in illo oſſe ſunt vtrinque quinque foramina, pariter ſunt ſedes exculptæ, & alij meatus non perforati. De foraminibus dico, quod ſunt vtrinque quinque, & loquor de euidentibus: primum, vel prius foramen eſt exculptum circulare à natura, vt eſſet iter tutiſſimum neruorum opticorum, qui perueniunt ad oculos. Circa quod foramen eſt obſeruandum, quod in parte ſuperiori non eſt penitus circulare: ſed habet veluti minutiſſimum angulum, qui factus eſt, vt poſſit meare cum neruo vena minima, ad partes oculi.

Secundum foramen, quod dicebat Galenus eſſe minus priori: quia eſt maximum ex illis, quę ſunt in oculo. Hoc falſum eſt in homine, quia maximum eſt quoad longitudinem, tamen non eſt rotundum: ſecundum ergo iſtud foramen factum eſt, primo, vt poſſit permeare alter neruus ſecundi paris neruorum per oſſa ad muſculos oculorum: ſecundo, vt portio minor tertij paris neruorum deueniret ad oculum, & diſſeminaretur ad cutim frontis, muſculos malarum & etiam narium: tertio, vt ramus arteriæ ſoporariæ poſſet peruenire ad oculum: quarto, vt vena in partibus interioribus, intra os aſcenderet. Nam à vena temporum maiori, cum eſt in partibus interioribus oculi, diſſeminatur ramus, qui ingreditur in cauitatem capitis, quæ vaſa colliguntur ſimul, & tranſeunt per hoc foramen: quinto, vt humiditates aqueæ, quæ exeunt à cerebro, & colliguntur in glandulam, poſſint deuenire ad oculos, vnde fiunt lachrymæ & partes humidæ: & iſti ſunt quinque vſus ſecundi foraminis.

Tertium foramen, vel par foraminum (cum ſint quinque vtrinque, & quod dicitur de vno, dicitur & de ſuo compari) per quod, cum ſit paruum, tranſmittitur ramus minor quinti paris neruorum. Nam iuxta par neruorum, quod inſeruit auditui, oritur germen minimum, quod aſcendit ad anteriores partes, & meat per iſta foramina, & peruenit ad muſculos temporales, & illos qui lateſcunt in ore.

Quartum foramen, quod quidem ſatis magnum eſt & rotundum, per quod tranſmittuntur gemina vaſa, duo paria neruorum, ſcilicet tertium & quartum par neruorum venientium à cerebro. Nam per vtrumque foramen tranſmittuntur gemini nerui: alter ex tertio pari: alter ex quarto.

Illud,

Illud, quod ex tertio peruenit, ad linguam & illius tunicam facit, venit ad dentes, & facit vt ſentiant, & etiam ad labia, quibus ſenſum exhibet: ramus autē qui venit ex quarto pari, tunicam palati format.

Quintum foramen eſt admodum paruum, & recipit quoque paruum corpus, quod foramen implet vena, quæ deſcendit à iugulari interna: per iugulum enim feruntur geminæ venæ, quæ iugulares dicuntur, dextra & ſiniſtra, & aſcendunt ad caput, quæ diſtinguuntur: quia altera eſt externa, altera interna. Iugularis interna eſt, de qua loquor in præſenti, quæ & recta dicitur: ab hac recta & profunda oritur vena, quæ aſcendit ad caput: & per quintum foramen cuneiformis ingreditur in caluariam, & ingreditur ſubſtantiam prioris membranæ.

Vltimum obſeruandum, in hoc oſſe cuneiformi ſinus ſunt & cauitates, quibus ſculpitur huiuſmodi os: quorum ſinus ſuperior & prior eſt, qui exhibet ſedem coniunctioni vaſorum, ſiue neruorum viſoriorum. Nam nerui viſorij coniunguntur, cum orti fuerint à cerebro, & vnum fiunt: pars quæ iungitur habet ſedem in iſto ſinu, & hic eſt primus ſinus. Alius ſinus magnus, in quo natura collocauit glandulam, quæ eſt veluti ſpongia, & ſugit à ventriculis & canalibus cerebri totam pituitam: hic eſt ſinus in quo deſinit peluis, & retiformis complexus, de quo Galenus & alij loquuti ſunt. Ab hoc ſinu oriuntur gemini canales, hinc inde, quorum ſuperiores perueniunt ad ſecundum foramen, quod dixi magnum eſſe, per quod inſtillat lachryma in oculum, per inferiores deſtillat in rimam, quæ eſt inter oſſa capitis petroſa, ſincipitis & cuneiformis, per quam rimam deſtillat pituita in palatum: in quo obſeruanda eſt calumnia, qua afficiunt Galenum, quod ſcilicet Galeno octauo de vſu partium, & in 9. loquens de meatibus, qui purgant cerebrum, inquit, quod meatus quidam venit ad nares, qui purgat cerebrum & recipit phlegma: Alter peruenit ad palatum, & inde etiam phlegma purgatur, & inquit quod meatus poſterior, qui eſt in glande, peruenit ad os cuneiforme, quod eſt perforatum vt cribrum, vnde accuſant Galenum, quod dixerit cuneiforme eſſe perforatum, vt cribrum, quod falſum eſt. Et ſi volumus reuera obſeruare hoc os, videbimus nullam adeſſe cribri figuram, & Galenum potius confundere os cribroſum cum cuneiformi. Sed ſi poſtea volumus ſano modo intelligere ea, quæ dixit Galenus, non ſunt intelligenda de oſſe cribrato, nec debemus intelligere cuneiforme perforatum eſſe, vt cribrum: ſed intellexit Galenus de rima. Nam in illa parte iungitur os cuneiforme cum oſſibus ſincipitis & temporum, vt videatur quaſi cribrum: ideo loquitur de rimis, quæ ſunt vt cribrum ad baſim capitis: aliter non ſcirem defendere Galenum. Nec eſt ſui tam immemor Galenus, vt in vna pagina loquatur de oſſe κοσκινοειδεῖ, ideſt, facto ad ſimilitudinem cribri, & poſtea dicat cuneiforme, vt cribrum: ideo, ob hanc cauſam, debemus interpretari rimas, per quas veluti per cribrum, ſtillat pituita, vel phlegma.

Succedunt modo alia oſſa, de quibus breuiter dicam, quia cum codex Galeni ſit ſatis breuis, nec habeat multas mendas, non proſequar verba, ſed per paraphraſim explanabo. Conſtitutis ſuturis, ſuccedit, vt colligamus ſex ad ſummum oſſa capitis propria: duo in ſuperiorib. partibus, quæ ſincipitis oſſa à medicis dicuntur: alia duo oſſa, circa tempora, quę mendoſa à barbaris dicuntur, & temporalia à medicis: quintum eſt os, in parte occipitis: ſextum & vltimum eſt os frontis. Oportet modo videre, quibus ſuturis deſcribantur hæc oſſa: deinde, quæ ſit figura: tertio, quę ſubſtantia & craſſitudo: inquit enim Galenus, quod oſſa ſincipitis, ſiue verticis, terminentur primo, ſutura coronali; ſecundo, à lambdoide: tertio, à ſuturis temporum ſquamiformibus; quarto, à media; ideo prima eſt coronalis, ſecunda ſagittalis, geminæ temporales, & quinta lambdois, iſti ſunt termini oſſium ſincipitis. Addamus quod ſint quadrilatera, & habeant quadratam figuram, & ita formatum eſt vtrunque os, non eſt quidem æquilaterum, tamen habet quatuor latera: ideo oſſa ſincipitis, præterquam quod terminantur ſuturis, habent etiam quadratam figuram: Tertio eſt durities, quæ duobus modis poteſt proponi; primo, quatenus dura ſunt, quo ad ſe: ſecundo, quatenus ſunt dura, reſpectu aliorum: & hoc vltimo modo inter omnia oſſa craſſa, quadrilatera infirmiſſima ſunt, & tenuiora ſunt oſſibus capitis & etiam oſſe frontis: & per oſſa ſincipitis, intelligatis ea, quæ parituria à barbaris dicuntur: Ponebatur & os occipitis, in quo ſunt etiam quædam obſeruanda: primo, à quibus ſuturis deſcribatur: & de hoc dicit Galenus, quod deſcribitur à duabus ſuturis tantum: prima lambdoides, cum ſuis additamentis; ſecunda linea tranſuerſalis, in baſi capitis, quæ eſt principium ſuturæ communis. Ideo ferme à lambdoide à ſuis additamentis & parua linea tranſuerſa terminatur, figuram huius oſſis non explicat Galenus: notandum tamen, quod Mathematici laudant, vt Euclides & Campanus figuram diangulam, quæ conſtat ex duabus lineis circularibus, quæ deſinunt in acu-

tum;

tum : ad huius ſimilitudinem eſt hoc os occipitis. Nam in media diangula eſt ſpatium latum : & deſinit in acutum : ſic formatur huiuſmodi os, & ſi vultis ad aliquam figuram, dicetur eſſe figuræ rhombi. Quæ eſt durities huius oſſis? Inquit Galenus, quod hoc os eſt craſſiſſimum, & ita craſſum, vt excedat craſſitie, non ſolum os ſincipitis, ſed etiam frontis. Ideo os quod eſt magis craſſum, & durum, eſt os occipitis : os minime durum, eſt os ſincipitis, quod medio modo ſe habet, eſt os frontis : præterea hoc os occipitis, habet foramen magnum, per quod egreditur ſpinalis medulla. Succedit modo os frontis, quod quidem inæqualem habet figuram & deſcribitur duabus ſuturis : altera communi quæ incipit à temporibus & deſcendit ad cauum & egreditur ac vnitur in ſupercilio, quamuis poſſemus addere tertiam communem, qua ſeiungitur ab oſſe ſpongioſo. Et multiforme hoc os habet multas cauitates, & variam figuram : non eſt circulare nec etiam planum : ſubſtantia autem ipſius media inter duritiem oſſis ſincipitis & occipitis, & natura optime prouidit : quia magis imminent pericula, in partibus poſterioribus : ideo poſterius os fecit durius : præterea, non ſemper ſumus expoſiti periculis externis anterius : quia poſſumus proſpicere ; ideo os frontis medium eſt in duritie. Vltimo, veniunt oſſa temporum conſideranda, quæ deſcribuntur ab additamentis lambdoidis, circa baſim, & à propria ſutura ſquamiformi, & a ſutura communi, quæ cuneiforme diſtinguit ab oſſibus capitis, ergo & à ſquamiformi, & ab additamentis lambdoidis & à ſutura communi terminatur. Cuius figura eſt triangula : videtur enim habere figuram triangularem : trianguli tamen craſſioris.

Nam adeſt vertex trianguli, poſtea deſcendit vtrinque linea, quæ terminat partes laterales, & adiungitur baſis in parte inferiori : Ideo eſt veluti triangula figura : licet non ſit exacte triangulum. Subſtantia eius eſt multiplex : ideo inquit Galenus quod iſta oſſa conſtent ex pluribus partibus : vna eſt petroſa : quia habet ſimilitudinem petræ habet & partes quæ procedunt : alter enim proceſſus mammillaris eſt, qui μαστοειδὴς dicitur, alter vero στυλοειδὴς, id eſt columnaris, & quia eſt ſimilis calamo ſcriptorio, dicitur γραφοειδὴς, βελονοειδὴς etiam, quia ſimilis eſt acui : præterea etiam dicitur πλῆκτρον, quia ſimilis eſt calcari galli. Mammillaris dicitur, quia habet ſimilitudinem papillæ, à quo pendent chordæ muſculorum mouentium caput, qui à clauicula & oſſe pectoris oriuntur : & ab illis oriuntur chordæ, quæ appendunt maxillam inferiorem. Habent & hæc oſſa alium proceſſum, qui conſtituit mediam partem oſſis iugalis. vltimo eſt eius pars, quæ efformat tempora. Ideo cum multiforme ſit hoc os, non poſſumus dicere, quod ſit craſſius, vel tenuius.

Nam habet partes diuerſas, & rotundas, & prominentes, vt non poſſit ei adſcribi determinata forma. De foraminibus, & meatibus in his oſſibus, dicit Galenus in fine capitis, ſed deſunt multa, & ob hanc cauſam iterum ea percurram, ſeruans eundem ordinem, quem ſeruauit Galenus. A sincipitis oſſibus igitur incipiam, quod quadrilatera ſunt, & tenuiora alijs, ac infirmiſſima : verum in his vnum eſt obſeruandum, quod habent canales quoſdam & lineas inſculptas circumquaque, quæ vt ſinus factæ ſunt à natura ob venam : ſcitis enim, dum loquerer de foraminibus cuneiformis, dicebam, in vltima parte eſſe foramen paruum, per quod aſcendit vena ad caluariam, quæ oriebatur à iugulari interna, & deueniebat in caluariam : quæ cum ſit gemina : altera à parte dextra : altera à ſiniſtra, quæ diſſeminantur in duriorem membranam, & quia membrana durior eſt ſatis tenuis, opus fuit, vt haberet inſculptum ſinum : ideo requirebatur iſte ſinus : exempli gratia, ſi aſſumamus pannum tenuem, & volumus perforare & inſculpere meatus, tunc inæqualis erit poſterior pars.

Sic in iſta membrana, in parte exteriore, ſunt inæquales ſuperficies : quia intus exculptus eſt canalis, & ſic veſtigium ſinum apparet, in extrema parte, & ſuperficie : cum ergo ſit amplexata hæc vena à membrana, opus erat, vt natura prouideret, & inſculperet ſinum in oſſa, in quem collocaretur inæqualis ſuperficies membranæ : ob hanc cauſam, ſcilicet ob diſſeminationem venæ, inſculpſit natura has cauitates. Obſeruandum eſt, & circa hæc eadem oſſa ſincipitis, quod in ſua generatione ſunt mendoſa, ſiue manca, & circa verticem deficiunt, à quantitate ſua, & formant veluti hiatum, quem Arabes zeudech vocant : à noſtris dicitur fontanella, quæ in pueris patet. Nam in vertice puerorum pulſat pellis capitis, & reperitur fouea, quæ eſt iſta fontanella, quia oſſa ſincipitis mendoſa ſunt, & nondum adeo creuerunt, vt poſſint tegere totum cerebrum. Ideo relinquitur puteus, & oritur ex imperfectione oſſium, & cum pulſat dura membrana, mouetur & pericraneon & cutis. His modo ſuccedit occiput figura rombi, ſubſtantia craſſa, terminatur & ſutura lambdoide, ac ſuis additamentis, & tranſuerſa linea : eſtque addendum, quod præter foramen, per quod medulla ſpinæ tranſmittitur, obſeruandi ſunt

ſinus,

ſinus, maximi momenti:ideo præter foramen hoc,habet duo alia magna,per quæ tranſmittitur ſeptimum par neruorum, quod vltimo in loco oritur in cerebro, & tranſmittitur, per hæc foramina. Sed præter hæc ſunt alia duo cognoſcenda, per quæ venæ, & arteriæ, quæ veniunt per proceſſus tranſuerſos vertebrarum ceruicis, tranſmittuntur. Nam ceruix habet vertebras, quarum proceſſus ſunt perforati, & per eos aſcendunt vena & arteria, ab vtroque latere. Iſta vaſa aſcendunt ad caput, & ingrediuntur caluariam, per iſta foramina, quæ dixi. Sed ſinus etiam debemus obſeruare, qui ſunt ſiti, in parte poſteriore occipitis: duo ſuperiores qui facti ſunt ob cerebrum, quod quidem cum ſit geminum, diſtinguitur linea recta, & in poſterioribus parribus habet geminas partes protuberantes. Ideo natura inſculpſir geminum ſinum, vt huiuſmodi partes protuberantes collocarentur. Sunt & alij duo recti & tranſuerſi ſinus. ob duriorem membranam facti: nam dura membrana, in parte poſteriori, habet duos ſinus ampliſſimos, vt aliquando ingrediatur digitus paruus, aliquando minores; huiuſmodi ſinus cum contineant ſanguinem, qui aptus eſt nutritioni & ſpirituoſus, tuberant, & ſunt tumidi. Ideo ſuperficies membranæ cedit, cum hoc fiat, neceſſe erat, vt adeſſet ſinus in oſſe, in quo reconderentur; & ideo natura inſculpſit in oſſe geminum ſinum; alterum in parte ſiniſtra, alterum in dextra; intra hos ſunt alii maximi ſinus gemini, qui ob cerebellum facti ſunt, quod habet geminas partes protuberantes. Habemus ergo foramen maximum & cauitates & ſinus ſuperiores & inferiores. Sed aliud addendum eſt, quod non eodem modo, nec eadem ratione gignitur à natura; nec tale eſt in adultis, quale in pueris. Nam in pueris vt plurimũ conſtat quatuor oſſibus, vel paribus, & ligantur cartilagine, quæ cũ eſt extra vterum, durior fit, & in os conuertitur; præterea, nunquam reperi os integrũ in pueris, & aliquando inueni illud ita diſſectum, vt ex quinque partibus conſtaret in generatione, propter ſuturam rectam: quæ quandoque diuidit occiput per medium: Nam vnum os magnum eſt ſuperius, alterum ſub foramine ſpinalis medullæ inferius, & duo ad latera iſtius foraminis: & ſic ſunt quatuor partes: niſi, vt dixi, magnum os ſuperius diuidatur à ſutura recta, ſic, vt fiant quinque: præter hoc obſeruandi ſunt proceſſus, quibus nectitur caput cum vertebris ceruicis. Succedit modo os frontis, quod dicebat Galenus terminari ſutura coronali, & communi, quæ diuidit caput à maxilla ſuperiori: nec aliud dixit: ſed alia ſunt adiungenda, præterquam quod eſt craſſum. De figura eius ſcilicet quæ ſit: de qua non habeo, quid dicam, quia eſt multiplex, & ſi dico eſſe ſimile vni, poſſum etiam aſſimilare alteri: Tantum dicam, quod in pueris ſemper geminũ eſt.

Nunquam ex vna parte conſtat in pueris; ergo non integrũ, quamuis aliquando non videatur ſutura recta, quæ peruenit ad frontem mediam. Ego ſemper reperi os frontis geminum in pueris: rariſſime in adultis ex duabus partibus conſtat. Præterea obſeruandæ ſunt partes, quæ ſuprapoſitæ ſunt oculis inæquales: ſicut aliquando apparet, in nubium globo, vel in globo picto: vbi apparent corpora inæqualia, vnum ſupra aliud poſitum: ita quoque ſupra oculos videntur cauitates & prominentiæ, vt videantur globi ſuperpoſiti, & illæ prominentiæ factæ ſunt, ob inæqualitatem cerebri. cum enim cerebrum præcipuè ſit in partibus anterioribus, oportebat, vt hæc oſſa formarentur ad figuram cerebri, quia cerebrum indigebat hac figura oſſis. Nam cerebrum oblongum eſt, & inæquale: ideo etiam oportebat, vt talis eſſet figura oſſium, ſed nec hoc magni eſt momenti, maioris momenti eſt, quod prætermiſſum eſt à Galeno & ab omnibus alijs.

Nam ego non legi apud Gal. quod ſupra oculos dentur cauitates: præterea & ſupra ſupercilia, gemini ſinus caui, cum tamen ita pateant, vt eminus cognoſcantur: Et tamen nulla ſit mentio illorum, apud Galenum, Theophilum & Oribaſium. Ideo de his ſinibus eſt dicendum. Veſalius diligentiſſimus optime illos nouit: & geminos eſſe teſtatus eſt, in medio ſupercilio reperiri, & ſupra oculos; ſed quis eſset vſus, non eſt teſtatus. Et quod mihi videtur primum, referam hiſtoriam, & eliciam vſum: Sciendum eſt, quod pueris non ſunt huiuſmodi cauitates, & foramina: nec veſtigium, & ſignum cauitatis.

Sed in adultis omnibus reperitur huiuſmodi foramen: præterquam quod aliquando caluariæ reperiuntur, in quibus parent; tamen, vt caluariæ deſtructæ, in hac parte, non habent foramina, & ſi habent, ea minima habent; præterea in ſimis faciebus, & depreſſis, quæ habent cauitatem ſupra ſupercilia, & vocem habent non expeditam; in his nunquam ſunt iſti ſinus.

Circa quos obſeruaui, quod in quibus diuiſa eſt frons, vel in teneris, vel in alijs ſimis non reperiuntur, vt plurimum huiuſmodi ſinus. De forma eſt obſeruandum, quod vt plurimum ſunt gemini: Iſti ſinus non habent foramen, in ſuperioribus partibus, quod perueniat in cauitatem capitis, ſed apparet foramen, quod deſinit in nares, in quibus

ſinibus

ſinibus nunquam aliquid reperi, niſi viridem membranam, qua ſeparantur huiuſmodi ſinus in parte interna, quę membrana illinit totũ ſinum: nec reperi, quod adeſſet aliquod corpus medium, nec ſuccus, nec ſanguis, præter prædictam membranam viridem. Idem in cauitatibus malarum reperi. Cauſæ poſſunt plures afferri: ſi optimè obſeruabitur in ſimis; & qui male loquuntur, cum non habeant iſtos ſinus, dicerem ego, quod facti ſunt, ob vocem, vt ſcilicet canora eſſet vox: ſciendum eſt enim, quòd in theatris antiquis, ab infimis partibus, erant meatus: in fine horum collocabant vaſa ænea, quorum ratione redderetur vox in ſuperioribus. Nam cum aſcendebat ſtrepitus vocis ad vaſa ænea, fiebat echo, & augebatur vox: Sic quoque, ſi habemus nares amplas, cum fiat ſtrepitus vocis in palato, ob gurgulionem, ſi pars ſtrepitus diſpergitur in nares amplas, fit vt magna reddatur vox: ſed ſi non adſint huiuſmodi cauitates, fit breuior, & minor vox: forte, quòd talis eſt vſus, ſed eſt probabilis, poſſem addere aliam rationem, quæ eſt formatio, quod natura ob extenſionem fecit hos ſinus. Nam poteſt apparere in pueris: quia omnes pueri ſunt ſimi, hinc eſt, quòd vt plurimum diſplicent nobis facies puellorum. Sed quare ita offendant nos facies ipſorum, aliqui dixerunt, quòd ſit ob colorem rubrum, qui nobis diſpliceat. Sed hæc non eſt cauſa, quia vigeſimo die ſtatim diſcedit iſte color, & candidiores fiunt: ſed potius diſplicent, quia ſimi ſunt, non habent patulam, & extenſam faciem, ſed frontem compreſſam in illa parte. Vnde etiam diſplicent homines, qui habent frontem prominentem: nam maieſtas faciei eſt patula frons; ideo ſi ſunt ſimi, habent partem illam ſine ſinibus. Ideo, vt extenderetur facies, & patens fieret, natura parauit illos ſinus: quia, cum voluerit partem prominentem facere, & attollere, adiungit materiam in medio. Nam ſi aliquis haberet domum, & immineret periculum, & vellet attollere, tunc dimiſſo vſu funiũ, ſupponeret trabem: ſic natura, ſi volebat attollere partem illam ad partes poſteriores, opus erat, vt per laminam oſſeam hoc faceret: ideo cum partẽ depreſſam attollit, relinquitur ſpatiũ explendum. Sed quia non erat neceſſaria quantitas oſſis, ideo inflauit, & reddidit cauam: quia non erat neceſſaria grauitas & pondus. Idcirco eſt eadem, quę de cuneiformi, quod inflabatur ad iuſtam magnitudinem, abſque alia materia addita: ſic ergo vt frons attolleretur, factus eſt iſte ſinus. Tertia cauſa eſt ab hiſtoria, & vſus eſt probabilior: ratio eſt cerebrũ ipſum vt poſſit facilius purgari, & quia cerebrum purgatur ab attracto aere, & præſertim qui infectus eſt vaporoſo corpore: ſi nõ adeſſent huiuſmodi cauitates, quæ reciperent aerem, non poſſet cerebrum affectum redigi ad ſtatum naturalem. Ideo ſunt cauernæ, & cauitates illæ in quibus ſeruantur huiuſmodi alterati aeres: nam quando cerebrum præter naturam nimis humidum eſt, geſtamus pomum & calefacimus aerem muſco, & ambra: & odor defertur ad cauitatem, & poſtea tranſit ad cerebrum, & niſi aer illic contineretur, potius non præſtaret hoc.

Nam ſi aliquis obſeruet, dum percipit naribus odorem, perdurat aliquando per integrum diem: & ego aliquando vix percepi mulieres, vel homines molles, qui geſtant odores, & poſtea cum diſceſſi, etiam veſperi percepi illum odorem: & credo, quòd hoc ſit, quia aer contentus in cauitatibus illis, afficitur ab aere inſpirato, qui diutius illic permanet, nec facile tollitur, & ſenſim poſtea tranſit, ad cerebrum, & illud alterat: ideo vt facilius alteraretur huiuſmodi aer, & conuerteretur in naturalem ſtatum: propterea habent iſti ſinus foramina, quæ perueniunt ad nares. iſtæ cauſæ ſunt probabiles, & meliores non reperi: vnde etiam Veſalius prætermiſit eorum vſum. & hæc de oſſe frontis.

Sequitur, vt dicamus de oſſibus temporum, quę iam diximus habere varios proceſſus.

Sed huiuſmodi oſſa habent etiam tria foramina manifeſtiſſima. Alterum, per quod arteria ſoporaria magna ingreditur in cauitatem cerebri. Alterum magnum, in quo auditorius eſt meatus, pariter meatus, in quem ingreditur neruus à quinto pari: qui facit auditum: tertio habent foramen paruum, & veluti cœcum, quod in hominibus vix patet: ſed in canibus, & lupis ſunt manifeſta iſta foramina. quibus addenda quarta cauitas, quæ eſt circa os iugale, in quam inſeritur maxilla inferior.

Sed & aliud magis obſeruandum eſt: quòd in cauitate illa eſt ſinus, in quo ſunt tria oſſicula, quæ habent hanc conditionem, vt ſint chariſſima naturæ; & non ſunt oſſa tam perfecta, in generato corpore, atque hæc tria. nam omnia reliqua oſſa ſunt imperfecta; ſola iſta tria ſunt perfectiſſima. Huius perfectionis cauſam reddam, & ſciendum, quòd tria ſunt, & non plura nec pauciora; nam Iacobus Carpus anatomicus, proponit ſaltem duo eſſe iſta oſſa, quem ſequutus eſt Veſalius: alterum, quod eſt inferius, in inferiore parte, habet formam incudis: alterum ſupraponitur, & habet formam malleoli rotundi; vnde incus & malleolus ſunt dicta; & ita iunguntur, vt poſſint dimoueri à membrana, cui alligantur; præter hæc duo, addatis tertium, quod ſtapedem appello. Nam ſtapes eſt organum, quod ab ephippio dependet; habet enim ſella geminum ferrum pendens ab vtroq;

latere alterum, quod ſtapedem appellant Latini; ideo appello ſtapedem hoc os, cum habeat maximam ſimilitudinem cum tali ferro: propterea ſemper ſtapedem appellaui, & collocatur hoc os, in maxillæ ſuperiori parte, quia pediculus vel pars extrema malleoli, inhæret in hoc oſſe, veluti pes locatus in ſtapede. Vſus verò iſtorum oſſium, non proponitur ab alijs, ego credo vſum eſſe talem, qualis eſt chordæ, quæ tympano apponitur. Nam tympanum in vna parte habet membranam, quæ pulſatur: in alia verò parte, præter membranam aliam, eſt chorda vel fides, quæ eſt gemina, & eſt in cauſa, vt ſtrepitus maior fiat & reſonans. Nam ſi auferatur hæc chorda, tympanum non reddit centeſimam partem ſoni, ſed ſi adeſt, multum ſonat. Nam cum percutiatur ſuperior membrana, ab aere concluſo, agitatur membrana inferior; & fit ἀντιτύπησις, & repercuſſio à fide vel chorda, & ſic fit maximus ſonus. Sic quoque natura, in media aure, poſuit tenuiſſimam membranam, quæ agitata ab inſito aere auri, reddit ſonum. Ideo appoſita ſunt iſta oſſicula veluti fides, quæ repercutientia membranam augeant ſtrepitum & ſonum: præter hæc obſeruandum, quòd in meatu auditorio, eſt appenſus annulus rotundus, de quo ſuo loco dicam.

De oſſe iugali. Cap. XIII.

TEMPORIS muſculo præpoſitum eſt os.] Enumeratis capitis oſſibus, ſuccedit pars oſſea circa caput, quæ ſeiungit capitis oſſa à malis, circa quæ oſſa pauca ſunt dicenda, cum etiam per ſe facillima ſint, & paucis partibus conſtent. Circa verba Gal. vnum eſt obſeruandum: reliqua clara ſunt: cum enim dicit, quòd tranſuerſam ſuturam habet, non debemus legere tranſuerſam, ſed obliquam, λοξήν. Circa hanc partem hæc primum obſeruanda ſunt, quæ ſit appellatio, quod ex partibus conſtet, quæ ſit figura, & formatio. Quarto & vltimo, quis vſus. Sciendum eſt, quòd huiuſmodi particula ζύγωμα à Græcis dicitur, à Celſo os iugale, teſte Polluce, etiam καρκῖνον dicitur, quia habet ſimilitudinem chelarum cancri. Nam ſi conſpicimus hoc os, in parte dextra & ſiniſtra, ſunt quaſi gemini pedes cancri: caput ipſum autem eſt veluti corpus cancri. Circa vocem Latinam, Gaza male loquitur: nam vbi Ariſt. in 3. de hiſtor. animal. 7. nominat ζυγώματα, Gaza vertit iugulare, ſingulariter: ſed κλεῖδες ſunt oſſa ad iugulum, ideſt, clauiculæ, quas Gaza male appellat iugales. Iunguntur autem hæc oſſa ad tempora, & faciunt connexum, quaſi ſuturam: ſubſtantia eſt, quod hoc os nullam habet cauitatem, nullam etiam habet medullam; eſt durum, & ſolidum maximè; nullam vt dixi habet medullam, vel quam minimam. Vſus eius oſſis eſt multiplex, qui partim ex nomine patet, partim à nobis eſt repertus. Os iugale dicitur, quaſi ζυγῶδες à Græcis, ſed qua ratione? credo hanc eſſe, quam excipimus ex verbis Hippocratis, ſecundo de articulis, ſecundo: vbi Galenus exponit, & dicit, quòd ζυγῶδες, vel ζύγωμα dicitur, quia iungit oſſa maxillæ ſuperioris, cum oſſibus capitis. Iungit ergo oſſa capitis cum malis, & hinc patet eius vſus. Et non ſolum docet hoc nomen, verum etiam ſimilitudo. Nam ζύγωμα eſt inſtrumentum, quod imponitur ceruicibus boum, & equorum, vt plauſtrum trahant, & appellatur iugum.

Cum ergo habeant ſimilitudinem cum iugo, appellantur hæc oſſa iugalia. Muſculi etiam his ſubijciuntur, veluti boues, vel inſtar ceruicis boum. Ergo alter vſus, vt inquit Galenus in 10. de vſu part. eſt, vt ſit veluti propugnaculum muſculis temporalibus. Nam diximus, à partibus ſuperioribus, ad maxillam deſcendere muſculos, qui maximè ſunt neruoſi: qui quia maximi ſunt operis, & multum agunt, egent propugnaculo, ne per caſum concutiantur, & collidantur. Ideo natura fecit hoc os, tanquam propugnaculum muſculorum. Tertius vſus eſt ob muſculos maſticatorios: ſunt enim vtrobique malarum gemini muſculi, μασητῆρες dicuntur: à quibuſdam, maſticatores, eo quod ſunt opifices maſticationis; nam mandimus, & atterimus fruges huiuſmodi muſculorum ope; ideo quia illi muſculi non poterant aliunde commodius oriri, opus erat nouo principio; ideo formauit natura huiuſmodi oſſa: à quibus ortum ducerent iſti muſculi, & deſinerent in maxillam: Ideo coniunctio oſſium capitis, & malarum, dicitur eſſe primus vſus huius oſſis; ſecundus verò, propugnaculum muſculorum temporalium. Tertius vſus eſt, occaſio principij muſculorum maſticatoriorum. Et hæc breuiter de oſſe iugali dicta ſint, quia conſtat ex paucis partibus, & quia non eſt multiplicis vſus, præter id quod verba Galeni clara ſint.

De oſsibus maxillæ ſuperioris. Cap. XIV.

D*E ſuturis, quæ ſuperiorem maxillam.*] Etiam hoc caput certè clarum eſt, excepta vna particula, nec multa eget explicatione: ideo tanquam paraphraſtes, dicam paulatim ea, quæ Gal. explicat. Sed antequam ad id, quod Gal. dicit deueniam, vnum eſt obſeruandum, quod pars quæ γένυς dicitur, eſt, quæ mala dicitur. Maxillam enim ſuperiorem Celſus malam vocat: inferiorem ſemper maxillam. Nam malarum nomen ſuperiori, & inferiori maxillæ eſt proprium, quia inferior eſt quaſi ſimilitudo ſuperioris: ideo dicitur maxilla, quaſi parua mala: ergo γένυες ſunt malæ. Quamuis Ariſtoteles aliquando in lib. de hiſt. animal. σιαγόνας vocat, quæ propriæ ſunt maxillæ ſuum, vel porcorum: ſed Ariſtoteles quamlibet malam ſuperiorem σιαγόνα dicit, & mala eſt à medio ſupercilio, vſque ad buccam: quæ multiplex & varia eſt: non enim conſtat ex vnico oſſe, ſed ex pluribus.

Habet multas cauitates plenas, & vacuas: in ſe dentes continet & alia. Dixi multiplicem eadem ratione, quæ eſt cauſa multitudinis partium, præcipuè oſſium. Plures ſunt cauſæ, quare natura ex pluribus oſſibus vnum format. Prima eſt motus ipſe, vt poſſet ipſa mouere. Secunda eſt tranſitus. Tertiò eſt perſpiratio. Quarta eſt diſſimilitudo. Quinta & vltima eſt δυσπάθεια. Motus eſt primus ſcopus, quare natura ex plurib. particulis vnam partem formát. Nam cum vellet, vt ſcilicet moueremus manum, fecit eam ex pluribus oſſibus. Nam ſi conſtaret ex vna parte tantum, non potuiſſet quis eam mouere. Secunda eſt tranſitus, cum enim vellet præbere tranſitum alicui particulæ, requirebatur, vt ex duabus partibus faceret vnam.

Sicut fecit oſſa ſincipitis ex duabus partibus vt durior membrana egrederetur, & faceret pericranion. Tertius ſcopus & cauſa eſt, perſpiratio, vt alia intra, alia extra truderentur: ſicut vapores. Quartus ſcopus eſt, propter diſſimilitudinem: quia quædam pars eſt tenuis, quædam craſſa. Vt ergo tenues partes iungerentur cum craſſis, & cauſæ fierent, opus fuit pluribus particulis: Sicut eſt vas magnum, in quo lauamus pedes, quod ex pluribus conſtituitur partibus: ſic cum opus eſſet pluribus meatibus, fecit ex multis partibus. Quintus ſcopus eſt δυσπάθειαν, ne facilè membra, vel partes læderentur: primo ob hoc ſi frangeremus partẽ vnam, poſſet rumpi & findi altera: aut ne per ἀντιτύπου altera oppoſita læderetur. Ad hæc omnia reſpexit natura, in formanda hac parte, vt membrana poſſet ingredi, & egredi, & tegere maxillam: ideo fecit ex pluribus partib. item ne facilè læderetur. item vt venæ, & nerui egrederentur. præterea propter dyſpathiam, ne fracta vna parte frangeretur & altera: excipitur tantum motus: nam non mouetur, vt teſtatur Hipp. & experientia: ſuperior enim mala nequaquam mouetur, ne tantillum quidem, & propter varietatem ex pluribus conſtat partibus. Addit Galenus (quod eſt notandum) in maxilla ſuperiore eſſe cauitates, quæ ſunt vacuæ. Circa quod eſt obſeruandum dictum Galeni in 11. de vſu partium cap. ferè vltimo: qui inquit maxillas ſuperiores non habere medullam: quia non mouentur. Et ſciendum, quod in maxilla inferiori eſt medulla & cauitas. Et Galenus erat in ea ſententia, quod cauitatem habeat, propter leuitatem, hoc eſt verum; quia à natura excauantur, vt ſint leuia, quod dicit, ſed quod adeſt copioſa medulla, quia ſunt caua: medulla non facit ad hanc rem. quia non quælibet pars caua impletur medulla. nam maxilla ſuperior eſt caua, tamen non habet medullã: non quia nõ erat caua, ſed quia non erat neceſſarium. Nam cauitates in malis adultorum tantum reperiuntur, non in pueris: ſicut in cuneiforme, & in oſſa frontis. Nam natura cum vult extendere, & non addere materiam, inflat & facit vt illæ partes ſint leuiores, alioqui prona facie incederemus; nam niſi fuiſſet talis, nimis ponderoſa eſſet pars iſta: Ideo vt mala eſſet leuior, natura fecit cauitates quæ nulla ſubſtantia explentur. Modo venit obſeruandum quibus partibus conſtet maxilla hæc ſuperior. Galenus inquit ad ſummum eſſe quindecim partes, & oſſa quæ efformant maxillam iſtam & quoſdam teſtatur, qui dicunt eſſe tantum octo, ita vt quandoque ſint octo, quandoque quindecim. In libro 11. de vſu partium capite vltimo enumerat tantum nouem oſſa malarum, ita vt ex ſententia Galeni ſint & octo, & 15. & 9. Author præterea ἰατροὶ ideſt, medici inquit etiam eſſe duodecim, cum quo conſentit & Veſalius; ita vt teſtetur duodecim eſſe oſſa, quibus mala ſuperior formatur; ſat ſit ergo nobis, quod Galenus ſibi non conſtat in enumerãdis eius partibus, & reddit rationem in libris de hac re ſcriptis.

Quas vt enumeret & doceat primo, in initio capitis, dicit,quid per nomen ſuturæ intelligat: Nam ſupra dixit, quod *ἁρμονία* eſt coniunctio, qua iunguntur oſſa per lineam rectam, & cum in maxilla,ſint omnes coniunctiones,harmoniæ,& tamen eas appellat ſuturas: ideo reſpondet tacitæ obiectioni,reddens rationem: Et dicit,quod reperiuntur quædam harmoniæ, per lineam rectam, quæ in intima parte ſunt ſuturæ, & habent annexam qualitatem ſuturæ, quæ cum ſit in malis, eſt in cauſa quod appellentur ſuturæ. Poſtea cum velit deſcribere oſſa malarum inquit: *Prima autem ſub oſſe iugali.* Et obſeruandum, quod deſcriptio Galeni eſt falſa in homine, cane, & omnibus animalib. Aut quod codex eſt penitus corruptus: aut quia ipſe ignorauit; falſa eſt in lupis,vrſis, leonibus,& reliquis. Ego lineis deſignaui partem capitis humani, & ſimiæ, vt melius hoc poſſet intelligi: ſed lineæ in homine non reſpondent lineis in alijs animalibus. Et dicit Galenus quod ſutura incipit à partibus malarum, & iungitur ſub oſſe iugali cum ſutura communi cuneiformi & malis,& cum venit ad latera,aſcendit ad ambitum inferiorem oculi,& tripartita eſt. Altera pars,aſcendit per partes exteriores oculi, ad medium ſupercilium. Altera pars ſecunda, aſcendit in cauum oculi, & amplectitur angulum internum oculi, & deſinit in illam ſuturam,vel lineam,quæ communis eſt capiti,ac maxillæ. Eſt & tertia, quæ poſtea, per cauitatem inferiorem oculi, etiam coniungitur cum illa, quæ eſt communis capiti & malis: ita vt illæ ſuturæ conſtituant tria oſſa. In qua deſcriptione Galeni eſt obſeruandum,quod Codex Latinus non eſt malus, ſed Veſalius non intelligit & confundit tertium Galeni cum ſuo primo, & ſuum tertium conſtituit, quod eſt pars oſſis ſpongioſi,vel colatorij; in quo non conſentio ego cum Veſalio.

Sed Veſalius eſt excuſandus, cum non habuerit codicem Græcum Galeni; nondum enim erat impreſſus ille libellus, dum ſcriberet ſuum opus. Ideo obſeruandum, quod inquit Gal. *Et illi quoque:* ſcilicet angulo,non illi ſuturæ,vt inquit Veſalius: Ita,vt ſententia ſit, quod ſecunda ſutura ingreditur cauitatem oculi, & amplectitur angulum internum oculi, & non ſolum amplectitur angulum, ſed etiam foramen maximum in illo quinto angulo,quod eſt maximum inter illa foramina, quæ ſunt ſub his duabus ſuturis: *Quo fit, vt terna.* Cum deſignauerit ſuturas, colligit & dicit,quod in vtraque parte malarum ſunt tria oſſa; primum circa oculum exteriorem oculi, ſecundum quod eſt in cauitate oculi, & tertium in angulo interno: ideo ſunt ſex vtrinque collecta. Quidam putauerunt, hæc tria eſſe vnum, ita quod geminas ſuturas, quibus diſtinguuntur, non aduerterunt: Sed Galen.ſex conſtituit. Præterea, non ſolum ſunt ſex oſſa, ſed etiam adiunguntur duo magna: quorum alterum eſt in parte ſiniſtra, alterum in dextra, in quibus figuntur omnes dentes,exceptis inciſorijs. Vnum os terminatur ſutura,quæ à latere ab iugali prouenit: & altera ſutura,quæ à medio ſupercilio iuxta nares deſcendit, inter caninos dentes, & inciſorios: & alia etiam ſutura, quæ palatum diuidit: atque illa etiam,quæ extremum dentem ambit, & cum ſphenoidis ſutura conuenit. In ſequenti capite Galenus addit duo oſſa naſi, vnde erunt hucuſque decem: præterea ſunt duo, in quibus inciſorij dentes inſunt: poſtea adiungit in palato alia duo, quæ omnia ſi colligamus, erunt quatuordecim. Nam in qualibet eſt vnum, in angulo externo: alterum in cauitate oculi: tertium in angulo interno: quartum & maximum, in quo inſunt dentes: quintum,in quo inciſorij gemini: ſextum,os alterum naſi: vltimum circa palatum, quod eſt ſeptimum,& totidem in alio latere: ita quod ſunt quatuordecim. Addamus & cuneiforme,& erunt quindecim oſſa malarũ: poterunt etiã octo dici, ſi ex duob. vnum faciamus: ſi nos volumus adiungere oſſa communia, quæ aſcribuntur capiti & maxillæ ſuperiori,erunt tredecim: ſi vero propria tantum numerabimus, erunt ſaltem decem: quinque in vtraque parte,quæ efficiunt malam. Eſt in cauitate narium os magnũ, quod diuidit nares: cartilagineum in generatione,poſtea fit oſſeum: ſic hoc adiungitur & cuneiforme, & etiam tertium poſitum à Veſalio, quod eſt pars alterius oſſis, tunc erunt tredecim: Nam in parte anteriore eſt colatoriũ,quod *ἠθμοειδὲς* dicitur, vt Gal.in octauo de viu par.& in decimo appellatur *σπογγοειδὲς*. Cuius oſſis pars prouenit in cauum oculi: quam partẽ Veſalius dixit eſſe tertium maxillæ ſuperioris: ſed falſum eſt; quia os illud, eſt multiplicis formæ: pars alia eſt ſpongioſa: & alterius partis ratione eſt colatorium, quod eſt,vt cribrum. Et eſt os integrum, licet conſtituerit tria Veſalius, & inſeruit capiti, odoratui, vitæ, & expulſioni excrementorum, deinde & oculis: præterea etiam eſt ſpongioſum, vt contineat aerem diutius, vt poſſit aſcendere in ventriculos cerebri, & concoqui,atque ſpiritus alere: præterea,vt ſi fuerit infectus aliquo medicamento inſeruiente cerebro, ibi diutius retentus, magis agat vis illa medicata. Decem ergo ſunt oſſa, propria maxillæ ſuperioris: primũ eſt ad tempora,iugalis partem conſtituens: ſecundũ eſt,dentes caninos continens:in quo eſt foramen,per quod tertium par neruorũ tranſit:

&

Digitized by Google

& hæc eſt mea ſententia, & ſecundum videtur, quia & ordo, & magnitudo id poſtulat. Tertium os eſt in angulo interno oculi, quod eſt ſecundum Veſalij: quartum eſt in palato, ad foramina naſi: quintum eſt proprium narium, quod quinque vtrinque conſtituant decem. Addatur modo vndecimum, interſepiens nares: duodecimum ſpongioſum, & decimum tertium ſphenoides, & ſic erunt tredecim.

De dentibus. Cap. XV.

DENTES *in oſſium numero habendi ſunt.*] Inſunt malis quædam partes, quæ quidē duriſſimæ ſunt corporis noſtri partes, & illis iunguntur, quæ à noſtris medicis, tam antiquioribus quam recentiorib. nec non hiſtoricis dentes vocatæ ſunt, quos Greci ὀδόντας vocant. Nam ὀδόντες à Grecis vocantur dentes, qui quidem ſunt inter oſſa connumerandi. Quidam enim ſunt, qui ex ſententia Galeni negarunt, dentes eſſe oſſa, tamen tum Ariſt. tum reliqui philoſophi, & medici, dentes eſſe oſſa conſentiunt: propterea & nos inter oſſa connumerabimus. Sunt quidem oſſa, ſed præter reliqua aliquid magis paſſa: nam hoc patiuntur, vt ſint duriora reliquis oſſibus: præterea vt habeant ſenſum, in hoc enim à reliquis oſſibus differunt, quia habent ſenſum, quod præter experientiam confirmat authoritas Galeni pluribus in locis, & Ariſtot. ſententia in trigeſimaquarta ſectione problematum ſecundo & tertio.

In quibus quęrit, cur dentes citius ſentiant frigiditatem quàm caro? & contra cur caro citius ſentiat & doleat, ob caliditatem, quam dentes? Ex quo gemino problemate ſupponit dentes habere ſenſum frigiditatis, & caliditatis. Ita vt ſi apponitur aliquid quod ſit calidum, vel frigidum, diſtinguant exactiſſime inter qualitates iſtorum corporum. Et quamuis dixerim, quod ſentiant dentes, ſentiantque quodammodo qualitates tangibiles: non ob id eius ſum ſententiæ, quod ſentiant omnes qualitates ſenſus tactus: nam, quod molle, & durum eſt, non ſentiunt, nec percipiunt: & affecti à duro, & molli, non ſentiunt, nec dolent. Hinc ſequitur, ſi frangantur, & comminuantur & limentur, nunquam vlla inſequitur dolorifica affectio: immò, nec comminutionem, aut diuiſionem ſentiunt, quod in me expertus ſum. Nam, quamuis à pluribus interrogauerim, cum fregerint dentes, an percipiant dolorem, & dixerint mihi non dolere: tamen ipſe volui ſentire, & limaui meos dentes, & fregi particulam, vt experirer; & nunquam, ex corroſione & comminutione, dolorem percepi: vnde collegi, quod nunquam à ſolutione continui, quatenus ſolutio eſt continui, poſſit prouenire dolor dentium. In dentibus ſunt inſtrumenta ſenſus, ſunt nerui, qui ſunt apti ad ſenſum mollium, durorum, calidorum, & frigidorum: tamen cum organum ſubiectum non poſſit emolliri, & denſari, quamuis ſoluatur continuum, non dolent: ideo non poteſt ſolutio continui, quatenus ſolutio continui, facere dolorem in dentibus, ſed potius intenſa qualitas, quæ eſt intenſa ſupra id, ad quod intenditur, vel poteſt intendi organum, quod ſentit. Cum igitur dentes ſint oſſa, & differant duritie à reliquis oſſibus & pariter ob ſenſationem: differunt etiam alia ratione, quæ profertur ab Ariſtotele, 2. De generatione anim. c. 4. qui loquens de generatione oſſium inquit, quod oſſa non gignuntur ex eadem materia, ex qua oſſa in generatione. Diximus enim ex ſententia Ariſt. quod oſſa fiunt, in generatione, ab excremento ſeminali. Ab hac eadem materia non gignuntur dentes, vt inquit Ariſtoteles, ſed potius, ex oſſe: quamuis non ſint oſſibus continui, quæ ſententia non ſatis clara eſt, magis manifeſta redditur ab Hippocrate, in lib. De carnibus, nam ibi, dum inueſtigat, quæ ſit materia propria dentium, dicit quod ex parte pingui, & craſſa ſeminis, non gignuntur, ſed cum genitæ ſunt malæ ſuperiores, & inferiores, illæ in vtero gignunt & efformant alimentum viſcoſum, & craſſum, & pingue: ex quo alimento poſtea à formatrice virtute gignuntur dentes. ideo non ex parte ſeminis, ſed à materia præparata à malis. nam à calido innato, huiuſmodi materia craſſa & pinguis peracta & genita, in ſubſtantiā oſſeam induratur ac ſiccatur, & adiuncta forma, vi virtutis formatricis, fiunt dentes. Hinc ſequitur, duriſſimas eſſe partes corporis. Nam in ſemine licet ſint partes craſſiores, & duriores: tamen non ita craſſæ ſunt illæ particulæ, vt ſatis ſit, ad generationem duriſſimi corporis, cum ſint in ſemine, & ſemen ſit præparatum à vaſis, circa teſtes, quæ ſunt mollia: Sed materia dentium, non præparata eſt a ſubſtantia neruoſa, ſed duriſſima ſcilicet oſſea. Ideo facillimè ex materia iſta præparata ab oſsibus gignitur os duriſſimum.

Nam ex materia non dura, generata in neruis, fiunt oſſa: ſed ex hac materia, generata ab oſſibus, fit aliud corpus maximè durum, ſcilicet dens, & vt triplex eſt alimentum, ita triplex eſt etiam generatio: quomodo triplex alimentum? ſciendum eſt, quod aliud eſt alimentum animalis, quod recipitur in vtero matris. Nam venæ deſcendunt ad vterum: ab vtero ad vmbilicum, ab vmbilico ad hepar, & venas, vnde aſſumitur totum animalis alimentum: hocque alimentum gignitur ex ſanguine puro, delato ad partes corporis.

Alterum & ſecundum alimentum, quod ſpecie differt, eſt alimentum ex lacte: nam pueri ſugunt lac, ſiue ſugunt vbera, & ſic aſſumtum vertitur in alimentum.

Tertium alimentum, ſolidius eſt ex ſolidiori, & minus parato cibo. nam quando peruenimus ad ætatem, habemus duriores malas, vt poſſimus conterere cibum: tunc paramus alimentum ſolidius, ac validius. Sicut ergo triplex eſt alimentum, ſic triplex eſt generatio dentium: alij enim in vtero gignuntur ex alimento parato ex oſſibus: alij ex alimento parato ex lacte: alij gignuntur ex alimento parato ex cibo rudiore: &, vt hæc tria genera alimentorum differunt ratione duritiei, roboris & craſſitiei (& cauſſa cur dentes puerorum cadant & naſcantur, non eſt niſi ratione alimentorum) ſic quoque differunt dentes.

Nam dentes, facti ex alimento, ex lacte, vel ſanguine, ſunt molliores, non durant, facilè concidunt & eruuntur: qui contra ex ſolidiore alimento gignuntur, vt à ſeptimo vſque ad decimum quartum annum, ſunt ſolidiſſimi, diuturniores, & durant, niſi quandoque afficiantur, & ſemper creſcunt. Omnes ergo dentes, qui ex illo teneriori alimento gignuntur, vt plurimum omnes concidunt; & quomodo concidunt? Eſt obſeruandum, quod omnes dentes, in teneris animantibus, conſtant ex duabus particulis, non vt in adultis, in quibus quilibet dens habet vnicam partem, ſed conſtat ex duabus: nam vna pars eſt veluti radix: altera vero pars eſt veluti ſuperpoſita. Omnes dentes puerorum conſtant ex duabus his partibus; pars ſuperior ex molliori conſtat alimento, & non duro: ſed radix, quæ ſuccedit conſtat ex ſolidiori. Ideò omnes partes, & dentes etiam, qui fiunt ex alimento teneriori, concidunt. Nam poſſunt dentes duobus modis cadere: alio modo, vt radix ipſa tollatur: ſi cadat radix, non creſcunt iterum: & expertus ſum centies, quando caſu ab ineptis mulierculis, vel artificibus auellitur radix, vna cum dentibus, nunquam iterum creſcunt. Nam pars quæ ex craſſiori alimento genita erat euellitur, & non amplius creſcit: & hac ratione, remanent cauitates in malis dentium. ideo hoc optime eſt notandum, quando auellimus dentes, in pueris, ſunt frangendi: nam mulierculæ apponunt filum & extrahunt: ſed ſunt frangendi. Nec eſt, quod dubitetis, de fractura maxillæ: nam tenera eſt illa pars dentis, vt facilè auellatur. Ideo ſemper in pueris dentes per tranſuerſum ſunt auellendi, vt radix maneat in alueolo, diſtincta à dente. Et omne genus dentium & anteriorum, & poſteriorum renaſcitur: & etiam molares, quamuis Ariſtoteles in ſecundo de hiſtor. animal. capite primo dicat: quod molares, in nullo genere animantium renaſcuntur, nec cadunt: ſed hoc eſt falſiſſimum, quia vidi & auulſi dentes maxillares, qui renati ſunt, & vedico, non vnum, aut alterum, vel tertium, ſed centeſimum: & proferam teſtimonium certiſſimum. Eſt Piſis Simon Portius qui habet filium, cui ego auulſi tres, vel quatuor dentes maxillares, & creuerunt alij eiuſdem roboris & fortitudinis. Ideo raro quidem concidunt per ſe, & rarius quam anteriores: tamen decidunt & renaſcuntur, præſertim intra ſeptimum & decimum quartum annum. Præterea dentes ſemper creſcunt: exemplo eſt hoc, quando aliquis patitur morbum circa dentem, vt cogatur eum euellere: ſi obſeruabitur dens oppoſitus, ſemper apparebit creſcere, ita vt ingrediatur in cauitatem, & alueolum auulſi dentis.

Et certè niſi creſcerent dentes, non diu conficeremus fruges; nam ſemper dentes atteruntur in mandendo. ideo, niſi ſuccreſcerent, non poſſemus mandere. Hæcque ſint dicta de generatione dentium, quibus addamus, quod vſus eorum eſt multiplex, & hic quadruplex proponitur ab Ariſt. in tertio de partibus anim. cap. 11. atque in 2. capite 4. quorum vſuum hic eſt primus, & maximè opportunus, proprius hominibus (volo enim primum proponere peculiarem vſum in hominibus, quia præditi ſunt ratione) eſt dearticulatio vocis, & prolatio literarum. Nam niſi haberemus dentes, & apte locatos, non poſſemus varia elementa proferre: nam edentulus ſemper mancus eſt, nec r, nec l, nec s, nec x, nec z, poteſt efferre: quoniam deſunt organa ſtridula, quibus ſonus literarum explicatur. ergo primus eorum vſus eſt, vt poſſimus varia elementa proferre, eſt ſecundus vſus, qui non eſt etiam minimus, & eſt reliquis animalibus communis, vt poſſimus præparare nobis cibum, & victum: ideo natura fecit dentes, quod eſt commune animantibus, brutis & hominibus. tertius vſus eſt defenſio; nam apparent quamplurima animalia, quæ non habent arma, & niſi haberent dentes, non poſſent ſe defendere: ideo dentes

ſunt

ſunt veluti arma parata: hoc etiam apparet in hominibus, & in pueris, cum ignorent vſum armorum,& non habeant gladium,vel alia arma: ſi quis eos offendit,ſtatim apprehendunt dentibus & mordent, veluti docti à natura vſum dentium. Vltimus vſus factus à natura καταχρηστικῶς, ideſt impropriè, vt dentibus poſſint offendere alia animalia, & ob rapinam, vt leo,lupus,canis,& alia huiuſmodi,niſi haberent hunc vſum,non poſſent offendere: ideo vt poſſent offendere, & rapere, natura varios dentes fecit.

Neque credendum eſt,dentes conſtare vnica differentia,ita quòd omnes ſint eiuſdem generis: alij enim quamuis plurimi ſint,tamen ita ſunt coniuncti,vt vnus videantur: alij verò ſunt multiplices.nam referunt hiſtorici, repertos eſſe homines,vnum dentem tantum ſupra, & alterum infra habentes, ita quòd ἕρκος ὀδόντων ab Homero dicitur, ideſt, ſeptum dentium.quod non fuit ex pluribus oſſibus,vt Pyrrhus Epirotarum rex: Euryphyes Cyrenæus: Euryptolemus Cypriorum rex, ex Iulio Polluce. Ideo differunt dentes, aut quia vnicus eſt infra, & ſupra, vel quia multi. Altera oritur differentia dentium ab hoc, quod à quibuſdam animalibus habentur, in vtraque mala,tum ſuperiore,tum inferiore: quædam verò ſunt animalia,quæ tantum habent dentes in inferiore maxilla, vt cornigera, ſed in ſuperiore illos non habent ob cornua. ideo in quibuſdam animalibus dentes tantum ſunt in inferiore maxilla. Eſt & alia differentia,eo quod vel duplici ordine conſtituuntur, vel ſimplici: in homine duplici ordine conſtituti ſunt, in ſuperiore ſcilicet, altero in inferiore, iure reliquo. Sed Ariſt. ſecundo de hiſtor.animal. cap.1. dicit, quòd in noſtro orbe nullum eſt animal, quod non habeat ſimplicem ordinem dentium: etſi poſtea dicat Manticoram (quod animal in India eſt,vt inquit Creſias) habere triplicem ordinem dentium. Ego obſeruaui, quod viperæ in aquis dulcioribus, quæ appellantur Maſſchæ habent duplicem ſeriem dentium, in ſuperiore maxilla, interiorem ſcilicet,& exteriorem: & maxillæ inferioris ordo ingreditur inter ordines geminos ſuperioris. Præterea plurimi etiam piſces habent plures dentium ordines, ſed ordines non ſunt bene diſpoſiti: verum viperini referunt optimum ordinem.

Ideo debemus intelligere Ariſt.quòd raro animantia habent geminum ordinem: ſed quod omnino non reperiantur,hoc eſt falſum:alij ſunt dentes exerti:alij non:alij ſerrati, vt inferiores inſerantur in ſuperiores: alij verò ſunt vniti, vt nequicquam recipiant reliquum ordinem. Serrati quidem ſunt dentes canum, luporum, leonum, & reliquorum animantium, quæ rapacia ſunt. His adiungamus differentias in homine: alij ſunt inciſorij,qui locantur in parte anteriore: alij canini,quia habent ſimilitudinem dentium canum: alij appellantur maxillares; qui quia molarum ſimilitudinem habent; ideo & molares dicuntur,quoniam atterunt fruges: his adiungunt alij dentes,qui genuini dicuntur, qui circa vigeſimum annum proueniunt in vltimo tempore: & quia creſcunt cum ſapientia, vel quando homo incipit ſapere, vocantur κραντῆρες ab Ariſt. 2. de hiſtor.animal. cap.4. ab Hippocr. in lib. de carnib. σωφρονιστῆρες, ideſt dentes ſapientiæ; quoniam duobus temporibus naſcuntur dentes, aut tranſacta tertia ſeptimana, aut perfecta prima ſeptimana. Nam à Philoſophis ætas per ſeptimanas ordinatur ac diſtinguitur,& conſtituitur vita ex decem ſeptimanis,ex decade ſeptimanarum. Ita quòd ſeptuageſimus annus,primus eſt ætatis terminus;& vt prima ſeptimana perfecta noui oriuntur dentes,& veteres decidunt; ſic tranſacto primo curriculo vitæ, noua ſeptimana incipitur. Ita quod in ſeptuageſimo ſeptimo anno,natura imitata primam ætatem ſimiliter generat dentes;ideo Ariſt. dicit, quòd octogeſimo anno genuini dentes aliquando proueniunt.

Sic quoque tranſacto vigeſimo anno, (nam tunc iuuenis incipit ſapere, & in ſeptimo repueraſcit.) Ideo cum vigeſimo, prudentioris ætatis, anno oriuntur dentes, dicuntur σωφρονιστῆρες, ideſt, qui naſcuntur cum ætate, in qua incipit homo ſapere: alia dentium differentia eſt, quod quidam ſunt vnica conſtantes radice: quidam verò plures habent radices,duas,tres,vel quatuor,vt apparet in dentibus hominum, vel differunt etiam,quia aliqui ſunt integerrimi; aliqui verò diſſecti & diuiſi. nam habeo caput ex delphine, in quo videntur dentes per medium diſſecti,& vnus geminus videatur: ſed in homine ſimpliciſſimus eſt integer & coniunctus; & hæc de dentibus. Nihil modo ſupereſt,niſi vna ſententia Galeni,propter hiſtoriam dentium,in hoc capite. Nam quidam dixerunt,dentes non eſſe oſſa; ſed probat illos eſſe oſſa,à ſufficienti partium corporis enumeratione: nam ſi non ſunt oſſa,ergo non ſunt partes corporis; quod non eſt dicendum. Nam partes corporis,aut ſunt caro, aut pinguedo, aut glandulæ, aut nerui, aut venæ, aut oſſa,aut cartilagines,aut ligamenta,aut arteriæ,aut pili, aut vngues. Nec aliqua ex his eſt ſuperflua, nec aliqua alia reperitur, quæ non ex his conſtet. Si hoc eſt verum, & dentes non ſint caro,nec vllum aliud iam dictorum: ergo nulla pars corporis ſunt; cum ergo de his nullo loco tractetur,non inter oſſa,nec inter alias partes corporis,ergo non ſunt partes,

aut ſunt

aut ſunt partes per ſe; ſed cum habeant ſimilitudinem cum oſſibus, & ſubſtantia ſimiles: ergo reponendi ſunt inter oſſa: & ſic probat Galenus, ac dicit, quòd conſtituuntur gemino ordine, inferiori & ſuperiori, & quod in quolibet ordine ſexdecim ſunt dentes. Ergo in ſuperiori parte ſexdecim naturaliter, & in inferiore totidem: diſtinguiturque. Nam in parte anteriore conſtituuntur quatuor dentes, & à Celſo appellantur dentes priores in lib. 8. & teſtatur, quod Græci appellent τομικοὺς, vel τμητικοὺς: ſed vocat Galenus τομεῖς, ideſt, incidentes: nam dicit inciſores ſunt, veluti cultri & acies gladiorum. Exemplo ſunt pueri, qui cum habent pomum, & volunt diuidere, non confugiunt ad gladium; ſed dentibus diuidunt: veluti, quod à natura ſit datus culter. Ideo inciſores ſunt quatuor vtrinque, & non ſolum dicuntur τομεῖς, ſed etiam διχαστῆρας, & γελασίνους, ideſt, dentes riſus. Nam ſi videmus aliquem, qui oſtendat dentes, dicimus eum ridere: vnde ortum eſt prouerbium, riſus Sardonicus; nam ex illa herba conuellitur totum corpus, & conuelluntur etiam labia, ita vt appareant dentes iſti γελάσιοι, vel γελασῖνοι. alij ſunt duo canini, quia ſunt acuti, & ſimillimi dentibus canum. Poſt hos ſex, ſunt alij decem: quinque in vtraque parte; qui dicuntur maxillares γόμφιοι, & μύλαι, ideſt molæ, quibus vtimur ad molendum cibum; & quandoque ſunt quinque, quandoque quatuor: nam ſæpe ſunt homines, qui quatuordecim tantum dentes habent in parte ſuperiore, & totidem in inferiore: quatuor inciſores, duos caninos, & octo molares, quatuor vtrinque. Aliquando verò ſunt ſex vtrinque; ſed in homine nunquam vidi: nam in canibus ſunt & ſex & ſeptem & octo; ſed in homine tantum quatuor, vel quinque. In quibus maxillaribus, eſt obſeruanda radix ῥίζα, pars plena, & pars quæ tegitur gingiuis: pars inferior quæ tegitur gingiuis, ὑφόλμιον dicitur à Iulio Polluce; ſed pars plana dicitur τράπεζα, ideſt menſa, quia veluti ſupra menſam collocantur cibi. Sed circa radices obſeruandum, quòd reliqui canini omnes dentes vna radice conſtant, & longa admodum; & inquit Celſus, quando dens eſt breuis, quod radix eius eſt etiam breuis, & contra quando eſt longus dens, radix etiam eſt longa, pariter in anterioribus & molaribus; nam molares ſunt inæquales, & curui & reflexi; ideo inæqualis eſt radix; quæ aliquando ſimplici, aliquando duplici, triplici, vel quadruplici conſtat radice. Nam inferioris maxillæ dentes, ſemper pauciores habent radices, quàm ſuperiores; & ſi inferiores habent duas radices, ſuperiores habent tres; ſi inferiores tres, ſuperiores aliquando quatuor. Circa quod Veſalius idem teſtatur, & ego aſſentio, quòd in ſuperiore maxilla aliquando ſunt dentes cum quatuor radicibus. Nam volui ſaccos plenos dentium; ſed nunquam reperi, quod conſtaret aliquis ex quatuor radicibus, ſed bene ex triplici radice, & tertia habebat principiũ diuiſionis, & hoc teſtatur Galenus, & Veſalius, & ego etiam cõſentio. Ergo trigintaduo ſunt dentes, vt inquit Galenus; quatuor inciſorij, duo canini, & decem maxillares, hincinde quinque; aliqui ex duabus, aliqui ex tribus & quatuor conſtant radicibus; & reddita eſt etiam ratio, cur vnuſquiſque ſic appelletur. Præterea ſunt cauitates, quibus inſeruntur dentes: & dicit Galenus, quòd conſtant ex oſſiculis minutis; quæ cum habent ſimilitudinem præſepiorum, dicuntur φάτνια; circa quæ præſepia, maximè admiratur naturam Galenus 11. de vſu partium, & prædicat veluti miraculum, ac dicit, quòd nunquam reperit, quod aliquis clauus infixus parieti, tam optimè quadret ſuo foramini, atque natura coniunxit dentes illis cauitatibus; nam ita copulat, vt ne capillus quidem ingrediatur inter dentes, & cauitatem; & illæ cauitates βόθρια dicuntur.

De maxilla inferiore. *Cap. XVI.*

VT pars, quę caput appellatur, integra ſit, perfectiusque tractetur, nihil ſupereſt, niſi vnum, quod quidem in inferiore eius parte collocatur: a noſtris medicis maxilla inferior vocata. Quamuis Celſus tantum maxillam appellet, vt malarum nomine donet ſuperiorem; ſed inferiorem, maxillam appellat in ſingulari. Cuius maxillæ is vſus eſt, vt adiuuet nos ad comeſtionem; nam niſi eam haberemus, non viueremus, non adiuncto alio adiuuamento: ideo, vt poſſemus præparare cibos ad nutritionem, tradita eſt hominibus maxilla inferior; præterea inſeruit loquelæ; nam aperimus palatum, & claudimus ope huius partis: eſt alius vſus, qui communis eſt dentibus, ſcilicet ob defenſionem, & offenſionem; nam aperta maxilla, aperitur rictus & strictus ſtringitur; ſententia eſt Galeni, partem hanc ex duabus conſtare partibus, vel ex duobus oſſibus; quamuis Celſus lib. 8. cap. 1. vnicam & integram dicat maxillam, & veluti vni-

cum

Digitized by Google

cum os conſtituat: ratio autem huius certa eſt; nam Celſus conſpiciebat maxillas adultorum, in quibus maxilla ex vna parte conſtat,& vnicum os videtur:hac ratione vnicum appellat os,& vnicam dixit maxillam. Sed cum Galenus,mea ſententia,ad homines non reſpexerit, ſed ad bruta, canes, oues, boues, leones, & lupos: & maxilla in his conſtet, ex duabus partibus: præterea cum cognouiſſet, maxillam à natura in vtero generari ex duobus oſſibus: ideo teſtatus eſt maxillam ex duabus conſtare partibus: itaque intelligamus ſententiam Celſi & Veſalij,de adultis,& Galeni ſententiam capiamus de animantibus,& de hominibus puerulis: ſed adultorum maxilla integra & vnica eſt. In hac maxilla multa reperiuntur, quæ & in ſuperiore. Inſunt enim dentes eodem numero,& eadem ſerie collocati,inſunt alueoli,& præſepiola,quæ in ſuperiorum reperiuntur. Aliud eſt obſeruandum, quod circa partes poſteriores adduntur gemini proceſſus, qui κορωνίδες, vel cornices dicuntur: quia ſunt ſimiles roſtro cornicum.

Cauſa hæc affertur à Galeno: quoniam muſculi temporales inſeruiunt maſticationi, & deſcendunt à temporibus ad partes inferiores,& opus eſt,vt geminæ quaſi chordæ,inſerantur in maxillam, & vt daretur huius inſertionis occaſio, ideo natura conſtituit geminum proceſſum,hinc inde locatum,vt inſereretur muſculus temporalis. Nam deſcendit à temporibus,& ingreditur cauitatem iugalis:poſt hos proceſſus acutos,ſunt alij duo proceſſus,qui ſunt veluti condylomata, duo vel κόνδυλοι: quamuis ille verterit *rotundo tuberculo*,ſed debemus aliter vertere,ſcilicet *circulus, qui habet ſimilitudinem cum condylis*. Condyli autem ſunt articuli digitorum, qui habent geminum caput: ſed maxillæ inferioris os, non habet rotundum caput: ſed quod eſt condyli forma,quod factum eſt,vt inſereretur in cauitatem illam oſſium temporalium, circa baſim capitis ſub proceſſu mammillari, & eius motus ex ſententia Celſi,eſt cardinalis,ſcilicet fit cardinis modo: eſt ergo ceruix obſeruanda,& aſperitas in inferioribus partibus, quæ facta eſt, vt in hac parte infererentur facilius muſculi lateſcentes in ore, qui oriuntur ab alatis proceſſibus cuneiformis,& inſeruntur in hanc aſperitatem inferiorem circa mentum, vt retrahant maxillam deorſum. Sunt etiam obſeruanda foramina,in maxilla inferiore: quæ magni ſunt momenti, & prætermittuntur à Galeno, quæ gemina ſunt in internis partibus, & gemina in externis: In internis,ſunt gemina magna,aliud in parte dextra,aliud in ſiniſtra,quæ talem habent vſum,vt per illa ingrediantur rami tertij paris neruorum.

Nam hęc foramina recipiunt tertium par neruorum, quod peruenit ad radices dentium: & cuilibet denti adminiſtrat vnum neruulum,& non ſolum neruum,ſed & venam & arteriam,quæ præbent alimentum maxillæ,& dentibus. In externis partibus ſunt alia duo foramina,alterum in dextra,alterum in ſiniſtra parte,per quę foramina egrediuntur nerui. Non ſunt facta,vt aliquid ingrederetur,ſed vt egrederetur: nam nerui à tertio pari deſcendentes, ingreſſi per poſteriora,ſiue interiora foramina, emittunt vtrinque portionem neruorum, per foramina exteriora, ad labium inferius: vt ſenſum & motum ei exhibeant. Hæc eſt conformatio, & vſus maxillæ inferioris: & quia verba Galeni clara ſunt,ea non interpretor. Saltem hoc conſtet,quòd ex ſententia Galeni,maxilla inferior, ex duobus oſſibus conſtituatur. Et intelligendus eſt Galenus de brutis animalibus,& de puerulis, in quibus conſtat ex duabus partibus: & iungitur cartilagine. Sed hæc ſententia falſa eſt in maxilla adulti hominis, & ſimiæ caudatæ, & aliorum. Ergo in brutis tantum, & in puerulis intelligendum eſt. In hominibus verò & ſimijs eſt falſum: Galenus autem de foraminibus nihil dixit.

De ſpina, & quæ obſeruanda de vertebris. *Cap. XVII.*

SVB capite collocatur primo pars, quæ quidem à Græcis ῥάχις appellatur,qua integerrimum dorſum humanum formatur: quæ,vt dixi, ſub capite collocatur, & ῥάχις dicitur à Galeno, & alijs, & etiam ab Ariſtotele tertio de hiſtor.animal.cap.7.vbi ῥάχιν vocat: quamuis in primo de hiſtor.animal. cap.15. vtatur etiam hac voce ῥάχις, & in hoc loco ſignificat non totam ſpinam, ſed partem eius. Nam ſpina dorſi,diſtinguitur in collum,dorſum,& lumbos. Nos tamen Galenum imitati, & Medicos, totam ſpinam ῥάχιν appellamus. Celſus appellat ſpinam: ideo & nos cum eo ſpinam, Latina voce, appellabimus: quamuis hæc vox ſpina ſit accepta in alia ſignificatione à Plinio, 11.hiſtor.cap.17. vbi appellat ſpinam, tantum partem, quam ῥάχιν Ariſtoteles vocat, ſed cum Celſo, ſpinam,totam partē appellabimus. Quidam vero per ῥάχιν interpretati ſunt dorſum: ideo

& nos

& nos dorſum poſſumus appellare.& quemadmodum videmus in his,quæ arte cõſtant, ſi habeant plures partes compoſitas, ſemper conſtituitur ab architectonico aliqua pars, quæ habet rationem fundamenti & ſuſtentaculi, & primum in hac ſtructura, arte facta, veluti in domo,quæ conſtat ex parietibus,tectis,trabibus,& huiuſmodi partibus,ſemper inter parietes & trabes conſtituitur vna maxima pars,quę ſit robuſtiſſima,& fundamentum,cui aliæ innituntur: ſic quoque parietes, quibus alij innituntur: exemplo ſit nauis. nam,circa fundum eius, apponitur trabs maxima, quæ carina dicitur: cui carinæ omnia tranſtra, ligna, & aſſeres affiguntur. Natura igitur, ne videretur arte inferior, & indoctior, in componendis animalibus, conſtituit quandam partem, quæ eſſet veluti carina, fundamentum & principium omnium aliarum partium.

Sicut enim arteriarum fundamentum poſuit cor: & venarum (ex ſententia Galeni) conſtituit hepar: ſic quoque in generatione oſſium,vt inquit Galenus 2.de vſu partium cap.9.fecit dorſum,vel ſpinam: vt eſſet veluti principium, fundamentum, & carina omnium oſſium. Hac ergo ratione facta eſt hæc pars,vt eſſet principium. Ideo etiam natura fecit oblongum,& rotundum. Et ſi natura vnicum tantum inrentum,ante oculos habuiſſet, hanc partem duriſſimam & ſolidam conſtituiſſet. Quia ideo facta hæc eſt pars à natura, vt homo incederet rectus: alioqui nec homo creſceret, neque hæc pars eſſet principium: ſed non ſolum ob hunc finem fecit,vt recti incederemus: verum etiam habuit alium ſcopum,qui talis erat, vt exhiberet medullæ ſpinali viam & iter. Nam ſciendum,ex 11.de vſu partium, medullam ſpinalem eſſe veluti alterum principium,ſicut cerebrum, à qua triginta, vel vigintinouem paria neruorum oriuntur. Ideo cum deberet deſcendere ſpinalis medulla, debuit etiam habere huiuſmodi propugnaculum, vt eſſet via, & iter tutum, per quod mearent huiuſmodi nerui. Ideo antiqui Græci, cum perforatam conſpicerent hanc partem, appellauerunt ἱερὰν σύριγγα, ideſt, fiſtulam ſacram: ſacram quidem, quia continet principem partem: fiſtulam, quia eſt veluti fiſtularis, per quam ducitur huiuſmodi ſubſtantia. Reſpexit in alium quoque ſcopum natura,vt inquit Ariſtoteles in 8.de part.animal.qui talis eſt: quoniam opus erat,vt homo moueretur,& flecteretur anterius, verſus pedes, & in alias partes. Ideo neceſſe eſt, vt non ſit rigida illa pars,& integra: propterea non ex vno,ſed ex pluribus oſſibus conſtat, vt poſſimus flecti circa pedes.

Quarto loco adiungitur à Galeno 12. de vſu part. probat hanc ſententiam Hippocr. in 3.de artic. textu 47. qui dum loquitur de luxatione dorſi, inquit: ſi vna tantum vertebra luxetur,ſuccedunt ſymptomata:ſed ſi plures luxentur,non ita: nam in circulo ex pluribus partibus,inferiores partes non ita patiuntur: quia digiti, ſi eſſent perforati,& traijceretur filum,ac flecterentur, non ita paterentur: ſicut ſi eſſent vnum corpus integrum. Ideo natura fecit dorſum,non ex vna,duabus, vel tribus particulis,quia tunc ex flexione dira orta fuiſſent ſymptomata: ſed fecit,ex vigintiquatuor partibus,& paruis: ne violentia aliqua afficeretur medulla. Ergo ſpina non eſt integra, ob motum, & conſtat non ex duabus, vel tribus partibus magnis, ſed ex pluribus partibus, & illis quidem paruis, alioqui laceraretur ſpinalis medulla. Vertebræ ergo σπόνδυλοι dicuntur à Galeno,& vnaquęque pars σπόνδυλος dicitur. quamuis ab Ariſtotele multis in locis σφόνδυλος appellatur: ab Homero Iliados ξ pag. 159. verſ. 22. vocatur ἀστράγαλος: nam hoc patet ex illo lib. vbi ait, τὸν ῥ' ἔβαλεν κεφαλῆς τε καὶ αὐχένος ἐν συνεοχμῷ νείατον ἀστράγαλον, &c. A Galeno ergo dicuntur σπόνδυλοι, ab Ariſtotele σφόνδυλοι, à poetis ἀστράγαλοι. Celſus autem appellat vertebras, Latinè. Sed Plin. in hiſt. cap.27. non vertebras, ſed oſſa orbiculata, & vertebrata appellat. Hæ partes non ſunt pares, & æquales, nam ſuperiores non ſunt eiuſdem magnitudinis cum inferioribus, & quanto magis deſcendunt, tanto fiunt latiores. Cuius actionis mira eſt cauſa: nam iuſtiſſima eſt natura,& iuſtitiæ munus eſt,vt maius ſubſternatur minori: tunc enim ſeruatur iuſtitiæ ordo: cum id quod maius eſt, & validius, deſert & ſuſtinet, id quod minus eſt,& imbecillius. Hæc ergo eſt proportio iſtarum partium: cui accedit, quod ſpina,non eſt æqualiter perforata: nam in inferiori parte eſt anguſtior, in ſuperiori verò latior. Ratio huius fuit craſſities,& magnitudo medullæ ſpinalis. Nam medulla ſpinalis deſcendit à ſuperiore ad inferius,& ab ea formantur nerui: ergo,cum eſt in parte ſuperiore,eſt copioſiſſima,& nondum abſumpta in neruos: ſed quanto magis deſcendit, tanto magis abſumitur in neruos, & fit gracilior. Ideo etiam in partibus inferioribus partes oſſeæ ſunt craſſiores, & minus exculptæ.

Contra verò, in partibus ſuperioribus minus craſſæ, & magis exculptæ. Vltimo obſeruandum: quod cum medulla ſpinalis producat neruos, natura adiunxit plura foramina in partibus dextris,& ſiniſtris vertebrarum,per quę nerui poſſent progredi ad omnes partes corporis. Et non ſolum per ſpecies generationis neruorum, ſed etiã tutelam

medullæ

medullæ ſpinalis,adiunxit in poſteriore parte proceſſus,qui efformant lineā,quæ ἄκανθα, ideſt,ſpina dicta eſt. Cuius particulæ generationis cauſa eſt,quoniam fiſtula erat tenuis, in parte poſteriori, & deſtituta carne. Ideo ſi aliquis impetiuiſſet aliqua re dura partem illam,facile eam fregiſſet: quare,vt eſſent robuſtiores,& non ita facile paterentur vertebræ,natura appoſuit hoc propugnaculum: & cuilibet iſtarum partium, natura adiunxit cartilagines, (cartilago enim eſt corpus, quod non facile laceratur, nec frangitur) ideo iſtius partis vſus eſt,vt fiat robuſtius totum dorſum. Præterea,non ſolum in parte poſteriore natura addidit propugnaculum: ſed etiam circa latera, & proceſſus tranſuerſales appellantur, qui tribus de cauſis facti ſunt, partim ob ortum muſculorum.

Nam ab illis lateralibus partibus oriuntur muſculi flectentes caput, dorſum & crura: ſecunda ratio eſt,vt coſtæ adhærerent illis proceſſibus:nam coſtæ non formarent thoracem, niſi haberent partem ſubiectam, in qua firmarentur. Tertius & vltimus vſus eſt,vt per proceſſus ferrentur venæ, & arteriæ, per foramina dum aſcendunt: Is ergo eſt vſus proceſſuum. nam ſunt aſcendentes, & deſcendentes proceſſus, qui fuerunt in cauſa, vt muniretur hæc fiſtula à parte poſteriore. In anterioribus partibus ſunt oſſa craſſa,& rotunda,quæ conſeruant partes locatas in interioribus partibus: vt venas,arterias,& ſimilia,quæ aſcendunt. Hæ ſunt partes, ex quibus conſtat ſpina dorſi: Præterea connectuntur vertebræ inter ſe validiſſime, per corpora, & proceſſus: præterea & ligamentis,quæ ſex ſunt numero: primum eſt ligamentum conſtans ex cartilagine & neruo: & ideo νευροχονδρώδης dicitur: ſecundum eſt tunica, quæ ab anterioribus complectitur ſpinam: tertium eſt,quo vniuntur proceſſus tranſuerſales: quartum eſt,quo vniuntur partes ſpinæ poſteriores: quintum eſt, quo vniuntur proceſſus aſcendentes deſcendentibus: ſextum eſt,quod eſt ortum à parte inferiore vnius vertebræ,& venit ad partem ſuperiorem alterius. his adiungamus, quòd quælibet vertebra, in generatione, ex pluribus conſtat partibus; nam habet corpus & partes poſteriores,ex duobus oſſibus; nam hęc tria ſunt, quæ conſtituunt vertebras,& iunguntur cartilagine;quæ poſtea in os conuertitur:& hoc eſt verum in omnibus vertebris, excepta ſecunda ceruicis, quæ præter tres partes communes, habet etiam vnum dentem. Iam modo relinquitur diuiſio totius ſpinæ, proponenda ex ſententia Galeni & Medicorum: & proponere, quæ ſint obſeruanda in vnaqualibet eius parte. *Spina ex vertebris quatuor & viginti.*} In hoc ſeptimo cap. Gal. de ſpina primo proponit, quòd conſtat ex vigintiquatuor oſſibus, quæ vertebræ appellantur: taliſq; eſt ordo,vt plurimum,vt ſemper ſint vigintiquatuor: quamuis Gal.adiungat, quòd huiuſmodi numerus poteſt immutari, & variari: nam aliquando ſunt pauciores vertebræ, aliquando copioſiores. Quam rem in hominibus obſeruaui; nunquam vidi in homine plures vertebras, quàm vigintiquatuor, nec vnquam pauciores. Multa obſeruaui animalia, quæ non ſolum vigintiquatuor, ſed & vigintiocto, & triginta habebant vertebras. Sed in hominibus, ſi dantur, eſt præter naturam; & dorſum immutatur, quemadmodum dicebat Galenus de capite,quod φύσει appellatur: nam integerrima,& naturalis figura capitis ad oblongæ ſphęræ eſt ſimilitudinem; ſi hæc figura mutatur, fit ϖαρὰ, ideſt præter naturam. Ideo dicendum eſt de hoc numero; nam ad hoc, quod conſtet ſecundum naturam,debet habere vigintiquatuor vertebras;& ſi mutatur hic numerus,eſt pręter naturam. Obſeruaui quidem aliquando,vertebras fuiſſe connatas; tamen apparebat veſtigium, quod prius duæ fuerint. Adiungit Galen. ſecundo loco, quod totum dorſum diſtinguitur in quatuor partes: in ſupremam, & ea eſt, quæ collum, vel ceruix dicitur; quæ quidem ſtatim ſub capite collocatur; hæc à Galeno αὐχὴν & τράχηλος appellatur. Immo,in fine huius capitis dicit,nihil referre ſiue αὐχένα, ſiue τράχηλον appellemus. Ergo ſuprema pars eſt ceruix: ſecunda pars huic ſuccedens, quæ νῶτος (ideſt dorſum) dicitur, quæ incipit à fine colli,& deſinit ad lumbos; & tam longa eſt,quantus eſt thorax, in quo habet ſedem cor,quod eſt veluti rex,inter partes vitales. Ideo quanta eſt longitudo thoracis, quem barbari caſſam vocant; tanta eſt etiam hæc ſecunda pars, quæ νῶτον dicitur, vel dorſum; aliquando verò à Galeno,vt in lib.de vſu partium μετάφρενον appellatur. Poſt hanc partem ſuccedit tertia,quæ ὀσφὺς καὶ ἰξὺς dicitur, & lumbi. Vltima pars eſt,quæ continet os ſacrum,de quo infra. Quatuor ſunt ergo partes, circa quas vnum eſt obſeruandum, quot ſcilicet ex partibus quælibet pars natura conſtet. Dicit Galenus, quòd ſuperior,ſcilicet ceruix, conſtat ex ſeptem particulis, ſcilicet vertebris; ſecunda ſcilicet dorſum conſtat ex 12. lumbi ſcilicet tertia pars,conſtat ex quinque. Circa numerum vertebrarum dorſi,non eſt cur diſputemus,an ſint duodecim,vel octo. Nam quot ſunt coſtæ, tot ſunt dorſi vertebræ; & hoc eſt certè tenendum: Ariſtoteles enim volebat,quod vertebræ eſſent octo tantum; an modo ſint reuera octo, vel duodecim, vel plures vel pauciores, non diſputabimus hic.

De ver-

De vertebris ceruicis. *Cap. XVIII.*

E*X vertebris colli.*} Adeſt hic *Aa* particula, quæ ſuperflua eſt, ſcilicet, *Inter ſe:* tamen maioris intelligentiæ gratia poteſt apponi; nam conſtat ex Galeno, & vſus etiam docet, quod vertebræ iungantur inter ſe. Antequam videamus quot ſint partes ceruicis, quomodolibet ligentur, & quis ſit numerus: primo eſt conſtituendus vſus ceruicis, cum multa ſint animalia, quæ non habent collum, vel ceruicem, vt piſces: tamen habent ſpinam, & dorſum, à quo oriuntur ſpinæ rectæ, & obliquæ, tranſuerſales ſuperiores, & inferiores. Sciendum ergo, quòd animantia, quæ non habent pulmonem, non donantur etiam ceruice; nam hoc eſt axioma, quod animantia, quę non habent pulmonem, non habent etiam ceruicem. Quæ eſt cauſa? Pulmones non ſunt cauſa ceruicis, ſed quod inſequitur ad pulmones, ſcilicet inſpiratio; nam inſpiratio, & etiam vox, ſunt cauſa pulmonis; quia, niſi indigeremus reſpiratione, & voce, non indigeremus quoque organis à natura conſtitutis ad has operationes obeundas: Nam pulmones ſunt veluti gemini folles aerem attrahentes; & aſpera arteria veluti canna, per quam fit attractio aeris. Cum ergo pulmonibus conceſſa ſit à natura hæc aſpera arteria, dediſſetq; pulmonib. debitam ſedem vt has operationes; ſcilicet inſpirationis & expirationis, poſſent obire, ideo etiam natura fabricauit, & aſperæ arteriæ locum, & debitam ſedem, quæ eſt ceruix, vel collum, cui adhæret: cum per ſe perſiſtere non poſſet; quæ cum longa ſit, natura fabricauit quoque longam ceruicem, & oſſeam, vt poſſet illam tueri, & ſuſtinere. Ideo nullum animal habet collum, quod non habeat pulmonem, & organũ perueniens ad pulmonem, ſcilicet aſperam arteriam; quæ, vt dictum eſt, cum ſit longa, dura; ideo requirebat ſuſtentaculum, cui adhęreret, & hoc factum eſt oſſeum, ac ceruix dicitur. Atque hic primus vſus eſt conſtitutus ab Ariſtot. 4. de part. animal. cap. 10. pariter & à Gal. 9. de vſu partium, cap. 1. & hic veriſſimus eſt vſus. Nam ob vocem, & organum reſpirationis, aſperam arteriam, factum eſt collum. Nec credendum, naturam egentem conſilij, vt ob vnam cauſam tantum conſtituat aliquam partem in corpore; nam reſpiciens in quãcunque partem, ſemper habet plures cauſas, & ſcopos ante oculos: Ideo pręter hunc primum vſum collum quoque eſt, manuum loco, in animantibus; vt in bobus, equis, canibus, ouibus, & alijs multiplicibus animalibus, quæ quidem ſunt deſtituta manibus.

Cum ergo non poſſent apponere pabulum ori, opus erat à terra accipere; quod quidem fieri non poſſet, niſi ceruicem longam haberent, ſicut arcus; nam cameli, & dromadarij habent crura longiſſima; ideo etiam collũ ſimiliter longum: Item ciconię, & grues, cum habeant longiſſima crura, opus erat etiam, vt colla haberent longiſſima, vt poſſent ore terram attingere, & capere pabulum. Eſt & tertius vſus, poſitus à Galeno, eodem in loco, vbi quærit cur natura non ſtatim appoſuit caput humero, ſed interpoſuit aliam partem; quoniam, inquit, requirebatur, vt mouerentur partes circa brachia; & opus erat, vt haberent principium motus, ſupra ſe, à cerebro, à quo prouenit omnis facultas motus. Cum ergo poſuerit humeros, oportebat habere ſupra humeros, à quo orirentur nerui & principium motus. Ideo natura fabricauit ceruicem, aptam partem, in qua ex medulla ſpinali orirentur nerui, inſtrumenta motus brachiorum. Quartus vſus ceruicis, & non parui momenti, eſt ob multiplicem capitis motum, & ob hanc etiam cauſam, datum eſt collum ita articulatum hominibus. Nam quamuis homines non aſſumant pabulũ à terra; tamen oportebat eos habere collum productum, ob motum multiplicem. Nam ſi adhæreret caput humeris in homine, non poſſet annuere, nec renuere, nec flectere caput ante, & retro, niſi moto toto corpore; ideo vt immoto corpore poſſemus flectere caput & ad latera, & ad alias poſitiones, fabricatũ eſt collum: cuius quidẽ colli, ſeptem dicimus eſſe vertebras, & Galenus vult reddere rationem, cur ſint ſeptem; ſed non videtur attingere ſcopum; nec ego quoque verè ſcio cauſam, quare natura ſeptem vertebras fecerit ceruicis: Galenus profert hanc cauſam, quod ex tot vertebris fecit, quia tot erant neceſſariæ; nam tanta magnitudo, & longitudo requirebatur; ſed reuera non reddit veram & immediatam cauſam; quia quiſque rudis hoc ſciret proferre; ſed cur non ſolummodo ex ſex vertebris, verum potius ęx ſeptem fecit natura, nonne potuiſſet, ex ſex minoribus conſtituere lumbos natura, & collum ex ſex tantum? Ego certè cauſam ignoro. Dicit Gal. quoniam aſpera arteria erat tam longa; quò iuſtè poſſet aerem immittere in pulmonem, & vt per illam, addita larynge, poſſemus loqui, ideo natura fecit ceruicem ex ſeptem partibus, vt eſſet iuſtum ſpatium, nec maius, nec minus. Quia ſi minus longum

eſſet,

eſſet,tunc relinqueretur ſpatium vacuum inter laryngem & fauces. Si verò nimis breuis fuiſſet ceruix,tunc larynx per ſuperiora extaret. Deus,& natura ſcit veram cauſam; ego neſcio. *Neque id quidem.*] In hac parte Galenus docet, quod prima & ſecunda vertebra iungantur ſimul:& quod reliquæ non ita iungantur,ſicut illæ,docetq; modum & inquit (quod etiam in lib. duodecimo & tertiodecimo, de vſu partium docet, & alijs in locis) quod aliqui fuerunt in errore, qui putabant vertebrarum partes anteriores, per cartilagines iungi;ſed hoc falſum eſt: & credidit Gal.medullam ſpinalem habere tres tunicas: duas quidem,quas habet cerebrum,duriorem ſcilicet & teneriorem meningem; poſtea & tertiam,quæ eſt neruoſa & dura,& facta ne mollis & durior membrana frangantur; & vult Galenus, quod tertia tunica producat ligamenta mucoſa, quæ ligent corpora vertebrarum; quæ ſententia admodum eſt probabilis: & quod hæc tunica faciat ad coniunctionem,præcipuè in internis,poſſumus concedere;ſed quod ſit tertia,non concedimus. Nam quod Galen. appellat tertiam tunicam, eſt περιόστεον. nam omnia oſſa habent membranam neruoſam, quæ illis hæret: in capite eſt περικράνιον: Hæc reperitur in vertebris, in exteriore parte,& in interiore cauitate ſpinæ; ſed quod ſit ligamentum vertebrarum, hoc non concedo. Et eſt falſa opinio antiquorum, vt Herophili, Marini, Lyci, & Eraſiſtrati. Nam hi ſecabant homines mortuos & viuos,vnde fuerunt in cauſa,vt in deſpectu eſſet anatome,vt etiam apparet ex Celſo. Ideo illi,vt viderunt corpora, ita deſcripſerunt & reliquerunt ſcriptum, corpora vertebrarum coniungi per cartilaginem: non tamen abſolutè eſt cartilago,ſed νευροχονδρώδης,ideſt,ſubſtantia ex cartilagine & neruo. Ideo corpora vertebrarum,non cartilagine, ſed tertio ligamento iunguntur. Hæc in prima parte agit Galenus. *Cum autem ſit capitis duplex motus.*] Eſt altera pars, in qua docet, quod duplex eſt motus proprius capitis: alter quo annuimus,& alter quo renuimus,vt Plinius in epiſtolis,motum capitis ad partem poſteriorem,appellat renutum: ſed quando ad anteriorem mouetur,eſt motus annuitionis: Quem vſum habent multi homines, præcipuè Thraces & Græci:quando enim volunt affirmare,flectunt caput in anteriorem partem: ſed quando negant, flectunt caput in poſteriorem. Nos potius negando, caput ad latera mouemus. Alter motus capitis,eſt motus ad latera,quando obliquè mouemus caput, ad latus dextrum & ſiniſtrum:Hos motus dixit fieri,ratione primæ & ſecundæ vertebræ: ita quod motus renutus & annutus fit ſupra ſecundam vertebram: ſed motus, quo ducimus caput ad latera, fit ſupra primam. Quæ ſententia eſt falſa in homine: nam non annuimus,& renuimus ſuper ſecundam vertebram,quia adeſt impedimentum. In canibus quidem hoc verum eſt;ſed non in hominibus & ſimijs. Et non eſt mirum,quod hoc dicat Galenus,quia iuuenis ſcripſit hunc librum, & etiam de anatom.administr. qui tandem exuſti ſunt,vnà cum bibliotheca; poſtea ſcripſit librum de vſu partium; ſed vltimo, cum eſſet ſenior,iterum ſcripſit librum de anatom. ſectionib. in quibus eſt mirus & perfectus. In illis teſtatur,quod annuimus & renuimus ſupra ſecundam vertebram. In quo obſeruandum,quod Græcus codex eſt mendoſus,& ille qui tranſtulit verbum verbo reddidit, & reliquit difficultatem: dicit κἂν ὑπορίχῃ. hoc verbum videtur ſubiunctiuum; ſed puto ſcribendum per ω, & pro κἂν ponendum ἄλλως ἄν. ita vt legatur, ἄλλως ἂν ὑπορύηκοι ideſt aliter poſſet prolabi caput in partem anteriorem;nam muſculi trahunt anterius,& etiam ſuo pondere labitur in anteriorem partem; ideo eſt proceſſus quidam poſterior,qui retinet: ſic ergo eſt intelligendum, & pro κἂν ὑπορίχῃ legendum eſt, ἄλλως ἂν ὑπορύηκοι. Eſt ergo falſa hæc ſententia Galeni, quoniam ſupra primam vertebram annuimus & renuimus: Motus autem ad latera non eſt proprius motus capitis. Sed eſt obſeruandum ex Galeno,quod prima vertebra, quæ tenuior eſt & latior, ſupra ſecundam eſt collocata, & ſubſternitur capiti, atque eſt cauſa motus ad latera.

Secunda verò vertebra eſt cauſa motus recti; in qua obſeruauit Galenus, quod adeſt tuberculum,quod πυρηνοειδὲς appellatur. Hic obſeruandus error illorum, qui vertunt cuſpidis modo; nam potius habet ſimilitudinem nuclei oliuaris. Nam πυρὴν eſt corpus habens ſimilitudinem nuclei oliuaris, à Galeno hic ὀδοντοειδὲς dicitur.

Ab Hippocrate appellatur tota hæc vertebra;dens:locus autem,quamuis variè proponitur, eſt tamen in ſecundo epidemiorum,ſect.2. de ſuffocatione: proponit enim quandam ſpeciem,cuius eſt cauſa hæc vertebra integra, quam dentem vocat; ſed particulam illam non appellat dentem; quia acuta ſit, vt dens; ſed quia ſimilis ſit denti. Eſt aliud nomen, quia μύρον κωνοειδὴς appellatur, quod habeat coni figuram. Nam κῶνος eſt nux pinea, vt Galenus in quarto de adminiſtrationibus anatom. Hæc de prima vertebra, ſupra quam ſit motus capitis; ſed caput mouetur triplici motu: duobus proprijs,& vno communi; nec plures habet motus: proprij motus ſunt, quibus annuimus, & renuimus, & circumducimus caput,& hi ſunt motus proprij: primus eſt,quo annuimus,& renuimus.

Digitized by Google

Secundus,quo ducimus in gyrum : tertius motus, qui communis dicitur, ſic appellatur, quoniam ſi volumus flectere caput ad latera,non flectitur per ſe, ſed cum omnibus vertebris ceruicis. Hic autem eſt motus communis,non proprius. Si enim volumus flectere caput ad latera, ſemper flectuntur vertebræ ceruicis , & omnes vertebræ concurrunt, in hoc motu ; ſed prior eſt proprius ; quia fit ſupra primam vertebram tantum : & alter ſupra ſecundam , qui fit in gyrum ; nam in tabula noſtra eſt poſita quædam ſpecies motus,quæ τροχοειδὴς appellatur, quia fit in modum rotæ ; quia pars vna eſt, vt rota, altera vt axis,talis eſt coniunctio inter ſecundam & primam vertebram. Ideo,cum ad motum primæ mouetur ſecunda, dicitur & eſt motus in gyrum. Iulius Pollux dicit,quod prima eſt ἐπιστροφεὺς, & ſecunda ἄξων, quaſi quod prima habeat rationem rotæ : altera verò ſubiecta, ideſt ſecunda habet rationem axis. Iam reliquum eſt modo, vt nonnulla conſideremus circa has omnes ceruicis vertebras. Et de prima inquit Galenus , quod ſit ampla & tenuis : eius verba ſunt hæc : *Summa vertebra latiſſima tenuiſſimaque* , ideſt prima vertebra eſt latiſſima , reliquæ ſunt quodammodo anguſtiores ; præterea eſt tenuiſſima , & (quod eſt obſeruandum) in generatione conſtat ex duabus partibus ; reliquæ verò vertebrę ex tribus ; & iunguntur appendicibus ligamentoſis. Sed prima ex duabus, & ſecunda ex quatuor oſſibus conſtat,quæ iunguntur & fiunt vna. Secunda eſt minus lata,craſſior, & magis anguſta ; quæ ſuccedunt pariter ſunt anguſtiores. Quæ eſt huius ratio ? Hæc redditur à Galeno, inquit,quod eſt proportio & analogia cum medulla. Nam dorſum factum eſt cauum ob ſpinalem medullam,vt ea poſſet deſcendere: ſi ergo craſſa eſt medulla,pariter cauum in vertebris eſt multum ; ſi tenuis & gracilis,pariter eſt anguſtum foramen: cum ergo craſſior eſt medulla in principio ſui, merito prima vertebra latiſſimum habet foramen . Cum autem ſemper anguſtior fiat , pariter & tertia , & quæ ſequuntur anguſtius cauum habent. *Quorum vnumquodque.*] ideſt, eſt commune omnibus vertebris, vt habeant cauitatem , & ſuperior ſit ſemper magis caua inferioribus .

Atque id in vertebris omnibus commune.] Dixit ſimillimas eſſe vertebras ceruicis non ſolùm in cauitate, ſed etiam in proceſſibus tranſuerſis. Nam omnes ceruicis vertebræ habent proceſſus tranſuerſos aſcendentes , & deſcendentes , & ſpinam eandem . . Sed vnum in prima vertebra eſt obſeruandum,quod dicit Galenus in ſequenti capite ; quod iſta vertebra habet proceſſus aſcendentes, & deſcendentes, cauos, & exculptos . Sed reliquæ habent aſcendentes , rotundos , & eminentes : deſcendentes verò inſculptos & cauos .

Poſteriorem proceſſum.] Adiungitur vertebris pars quæ ſpina dicitur. quæ eſt proceſſus in partibus poſterioribus locatus. Inquit,quod omnes vertebræ habent eo modo,& figura conſtantem ſpinam,excepta prima. Nam in illa nulla reperitur ſpina,omnia habet æqualiter , tantum deeſt proceſſus in parte poſteriore . In anteriore tamen habet minimum proceſſum . Sed quæ eſt ratio ? nonne etiam debebat eſſe propugnaculum medullæ in hac parte ? Multiplex eſt huius ratio. Prima eſt Galeni. Nam ſi addidiſſet ſpinam natura, cum eſſent oriundi muſculi ex ſecunda,vel tertia vertebra,qui inſeruntur in occipitium, & in poſteriorem partem caput flectunt , illos laceraſſet . Ideo ne lacerarentur iſti muſculi , prima vertebra deſtituta eſt ſpina .

Præterea ab illa parte oritur quartum par muſculorum ad poſteriores partes caput trahentium ; vt ergo illi ſubijcerentur capiti , deſtituta eſt ſpina . Præterea tranſtulit veluti ſpinam in anteriorem partem , cui inhæret caput ; quando illud flectimus in anteriorem partem ex ſententia Galeni. *Ex cæteris omnibus.*] Circa proceſſus tranſuerſos vnum eſt obſeruandum , quod omnibus vertebris ceruicis hoc eſt peculiare , vt habeant proceſſus tranſuerſos omnes perforatos. Reliquæ verò vertebræ lumborum, ſcilicet atque dorſi non habent proceſſum lateralem perforatum. Qua ratione ? Non addit rationem Galenus. Sed illa eſt cauſa , vt paretur iter tutum venis & arterijs aſcendentibus circa latera ad caput . Ingrediuntur enim in hos perforatos proceſſus , & habent veluti propugnaculum. Sed vnum addit Galen. quod licet omnes ceruicis vertebræ habeant proceſſus tranſuerſos perforatos , tamen vt plurimum in ſeptima non ſunt perforati . Hoc eſt verum in ſimijs & in canibus , tamen in homine ego certè raro vidi , quod non adfuerit foramen , quod ego notaui multis exemplis , & in ſeptima vertebra adultioris, & tenerioris animalis , in qua ſunt manifeſta foramina . Sed in ſimijs & canibus , vt plurimum ſunt ſine foramine. Tertio addit,quòd laterales proceſſus non ſunt ſimplices. Sed inquit,quòd omnes fere vertebræ ceruicis habent proceſſus tranſuerſos diſſectos,tamen non omnes eodem modo . Nam prima & ſecunda habent eos leuiter bipartitos , ſed ſexta, quæ eſt penultima, habet valde bifidum proceſſum ; quia eſt inter vertebras ceruicis maxima, excepta prima .

Adiungitque quod ex his duabus partibus cuiuſque proceſſus altera eſt interna, altera eſt ex-

eſt externa. Hoc, quod adiungit, eſt, quòd huiuſmodi proceſſus interior latior eſt, quàm exterior. Nam ex partibus quæ diſtinctæ ſunt, interior eſt magis lata. Omnes itaque vertebræ ceruicis ſunt perforatæ, excepta ſeptima: in brutis tamen, non in hominibus. Præterea ſunt diſtinctæ partes, quarum alia eſt interior & maior, alia exterior & minor. Adiungit aliud, quòd non ſolum debemus notare proceſſus, ſpinam & cauitatem, ſed etiam quòd huiuſmodi vertebræ ſinus inſculptos & profundos habent, qui tales ſunt, vt perficiant foramina, per quæ ingrediuntur nerui. Nam hoc foramen eſt peruium neruis, qui egrediuntur à ſpinali medulla. Et inquit, quòd ad formandum huiuſmodi ſinum concurrunt geminę vertebræ, inferior & ſuperior, & cùm ſint inſculpti iunctis ſimul ſemicirculis, efficiunt vnum foramen. Et quęrit an maior pars ſinus ſit in inferiore vertebra, vel in ſuperiore. Inquit, quod fere omnes ceruicis vertebræ ita ſe habent, vt ſecunda exhibeat operam parem primæ, id eſt, quod talis eſt ſinus inferioris, qualis & ſuperioris, & quod ſint veluti gemini ſemicirculi, quorum alter in inferiore, alter eſt in ſuperiore vertebra, ſed maior eſt ſinus in ſuperiore, quàm in inferiore. Tamen nos dicimus, quod in ceruicis vertebris magis inſculpta eſt inferior, quàm ſuperior. In vertebris dorſi ex æquo geminę ſunt inſculptæ, ita quod æqualis eſt ſemicirculus inferioris & ſuperioris. In lumborum autem vertebris totus ſinus eſt in ſuperiore. Sed cum in vertebris ceruicis ſinus inferior ita parum excedat ſinum ſuperioris vt vix appareat. Ideo Galenus craſſiore modo & contentus explanatione hac, dixit eſſe parem ſinum. Et cum ſit leuiſſima differentia, ideo conſiſtemus in ſententia Galeni. De inferioribus autem præcipuè lumborum, cum ſit maxima differentia, dicendum eſt, quod maior pars foraminis ſit in vertebra ſuperiore: & antequam ad alia accedam, eſt obſeruandum, quod quędam pretermiſſa ſunt à Gal. de his vertebris, quæ non ſunt prætermiſſa in alijs locis.

Videmus enim Gal. numeraſſe geminos proceſſus aſcendentes, & geminos deſcẽdentes, qui ſunt quatuor in vtraque vertebra. & ſi addamus geminos tranſuerſales, erunt ſex in vtraque vertebra. Poſtea in 14. de vſu part. inquit vertebras ceruicis habere vndecim proceſſus, hic tamen paucos enumerauit. Præterea ſpina vertebrarum ceruicis multum differt à ſpina reliquarum: nam ceruicis ſpina eſt bifida, & diſtinguitur in geminas partes, ita vt gemini proceſſus ſint ſpinæ. Ideo recenſebimus, & adiungemus eos, quos prætermiſit, & erunt vndecim. ſi enim ſunt duo aſcendentes, & duo deſcendentes, erunt quatuor, duo denique in ſuperiori corporis vertebræ ſede, vtrinque ſcilicet vnus ad latus ſinus, cui incumbentis vertebræ oblongum corpus inſidet, & ſic erunt ſex: additis quatuor tranſuerſalibus, erunt decem: quibus omnibus ſi addimus ſpinam integram, erunt vndecim: ſed ſi addimus, quòd ſpina habet duos proceſſus, ſic eſſent duodecim. Addamus & hoc vltimo loco, quòd proceſſus aſcendentes & deſcendentes ita ſe habent, vt aſcendentes ſint leuiter protuberantes, & deſcendentes exculpti.

De uertebris dorſi. Cap. XXI.

IAM innotuit, quod dorſum reſpondet thoraci: ſed antequam vlterius procedam, oſtendam, quòd codex Græcus & Latinus venit corrigendus; quia vterq; corruptus eſt. præterea in principio ſunt quædam male tranſlata. *Sed ſupereſſe rarius quàm deeſſe inuenitur.*] Hoc eſt falſiſſimum. ſententia talis eſt: Diximus, ceruicem conſtare ex ſeptem vertebris, dorſum ex duodecim: ſed vnum eſt obſeruandum, quòd aliquando numerus iſtarum vertebrarum variatur. Quomodo? Aliquando ſupereſt vna, aliquando deeſt, ita quòd aliquando ſunt vndecim, & aliquando tredecim: ſed rarius ſunt tredecim, quàm quòd ſint vndecim. Sed hoc eſt falſiſſimum, ſi ita ſe habet codex: frequentiſſimè enim reperitur dorſum conſtans ex tredecim vertebris, & nunquam, vel raro, ex vndecim: nunquam enim vidi ego dorſum ex vndecim vertebris: vidi quidẽ ex tredecim coſtis, & ex tredecim vertebris, ſed rariſſimè ex vndecim; & mecum conſentit Veſalius: credo ergo verba eſſe immutanda: legimus in textu ita: καὶ τούτων δ' αὐτῶν τὸ περιμένον τὸ λειπὸν σπανιώτερον. id eſt, ſed frequentius reperitur, quod deeſt una, quàm quod ſuperſit: ſed nos debemus ita legere: καὶ τούτων δ' αὐτῶν τὸ περιττεῦον, τοῦ λείποντος σπανιώτερον. id eſt, ſed frequentius reperitur, vt deſit vna, quam quod ſuperſit: eſt etiam authoritas Galeni, in principio 8. de adminiſtrat. anatom. vbi loquens de hac materia, id eſt, de numero coſtarum thoracis inquit, ὡς ἕνδεκα ποτε τὸν ἀριθμὸν ἐκπεσούμεναι. σπανιώτατα γὰρ ὁρᾶται τρὶς καὶ δέκα τὰ πλευρά, καὶ τοῦτ' ἔστι σπανιώτερον ἕνδεκα εἶναι: id eſt, quod rariſſimè mutatur numerus: tamen rarius accidit, quòd ſint vndecim, quàm quod ſint tredecim. Iam ergo ar-

gumentor ſic. Si vertebræ dorſi ſequuntur numerum coſtarum, & tot ſint vertebræ, quot ſunt coſtę: ergo ex neceſſitate datur, ſi numerus coſtarum mutatus, etiam numerus vertebrarũ mutabitur: ſi tredecim ſunt coſtę, tredecim erunt & vertebræ; ſed rarius reperitur, quòd ſint vndecim coſtę, quàm quòd ſint tredecim: ergo etiam rarius reperiuntur vndecim vertebrę, & frequentius tredecim. *Hæ omnes ad decimam vſque.*] Hæc etiam verba ſunt male verſa, nullà fit mentio proceſſuũ aſcendentium & deſcendentium; ſed loquitur de ſpina, & tranſuerſalibus proceſſibus. Quare debemus legere ἄναντες ἀπόφυσιν. Nam vnaquæq; vertebra dorſi, habet proceſſus maiores. Hæc enim eſt ſententia, quòd vertebræ thoracis habent proceſſus trãſuerſales fermè ſimiles, & ſpinam maximam, cum reliquis ſuperioribus vertebris. Nam huiuſmodi vertebræ habent ſpinales proceſſus deſcendentes maximos, & tranſuerſales magnos. Sed quæ ratio eſt? Quia debebant illis hærere coſtæ, & ideo obſeruandum eſt; quòd huiuſmodi proceſſus, qui prætermittitur à Galeno, ob inſertionem coſtarum, habet cauitatem in externa parte, in qua inſeruntur coſtæ.

Sic in quaque vertebra eſt ſinus, qui efformat cauitatem, in quam ingrediuntur capita coſtarum. *Hæ item dorſi vertebræ.*] Sententia, quæ hic traditur à Gal. in hominibus, non eſt vera; nam eſt quidem in vertebris caninis, quod corpus ſuperioris vertebræ ingreditur in cauum inferioris. Sed, vt dixi, hoc eſt niſi in cane, & etiam in leone. Ideo hæc verba de oſſibus canum, debemus intelligere.

Hæ dorſi vertebræ vſque ad decimam.] Inquit, quòd ſpinæ vſque ad decimam vertebram, ſemper habent eundem ductum, vt quæque ſpina deorſum proſpiciat. Spina autem decimæ vertebræ, non deſcendit deorſum, ſed veluti recta manet. Reliquæ verò ſpinę vndecimæ, & duodecimę vertebrę, non rectę manent: ſed ſurſum proſpiciunt, non autem deorſum: Hæc ſententia vera eſt in hominibus. nam omnes ſpinę ad decimam vſque deſcendunt. ſed decima recta via procedit, nec aſcendit, nec deſcendit; ſed reliquæ in canibus & alijs ſurſum feruntur: in homine potius certæ manent, aut potius eſt leuis ductus deorſum. Adiungit etiam, quid obſeruandum circa proceſſus tranſuerſales, quòd iſti proceſſus ad decimam vſque deorſum deſcendunt: infra decimam quodammodo ſurſum proſpiciunt. Sed ſi obſeruentur rectè proceſſus tranſuerſales hominum in his vertebris, & via illorum; videntur retro in parte poſteriore potius ſtare medio loco, quàm quod aſcendant, vel deſcendant. Sed quomodo intelligenda ſunt verba Galeni? ſunt verba vera: ſed oportet tuberculum extremum, in tranſuerſalibus proceſſibus, obſeruare: quod, cum faciat craſſiuſculum proceſſum; in poſteriore parte, eſt cauſa quod magis ſint in inferiore parte; & cum tuberculum propendeat, ideo dicit: quòd deſcendunt iſti proceſſus; & idem eſt in ſimijs, canibus, & hominibus. *Qui infra ſurſum ſpectant*] ideſt; in vndecima & duodecima quodammodo ſurſum ſpectant. Sed obſeruandum, quòd Galenus non videtur idem dicere in 13. de vſu partium ſecundo. Nam inquit in illo loco, quòd vndecima & duodecima vertebra thoracis, non habet proceſſus tranſuerſos: quod videtur contrarium huic ſententiæ, inquit, quòd omnes habent proceſſus tranſuerſos, deorſum deſcendentes, vſque ad decimam: infra decimam, habent proceſſus aſcendentes, & ibi dicit, aliquas non habere tranſuerſos proceſſus. Hæc eſt ſententia, quod in vtroque loco vera dixit; nam ſi obſeruemus in hominibus proceſſus, qui ſunt in vndecima & duodecima vertebra, non videntur ſurſum aſcendere. ſed ſi proſpiciamus in vertebris canum, & ſimiarum, in illis nullus eſt proceſſus tranſuerſalis. Cum ergo forte aſpiceret vertebras caninas, & non haberent illos proceſſus, ideo hoc dixit: ſed, ſi videmus in corpore humano; omnes vertebræ habent proceſſus; ſed non ita magnos, tamen rectos. Sed quare decima, vndecima, & duodecima habent tranſuerſos proceſſus paruos? Natura fecit, vt villicus, qui colit viridarium, vt ſi proueniant plantæ, & longæ, & productæ, appoſuit palum, & perticam: ſi planta eſt longa, pertica quoque longa apponitur: ſi planta parua & tenuis, apponitur quoque tenuis & mollis pertica. Sic cum coſtæ ſuperiores eſſent perfectæ, opus fuit formare proceſſus, veluti palos, qui eſſent magni. Sed cum in inferioribus partibus imperfectæ, & mendoſæ coſtulæ ſint, non habebant opus proceſſibus magnis. Ideo ad ſtabiliendas coſtas magnas, natura addidit palos, vel proceſſus magnos; ſed coſtis paruis appoſuit proceſſus minimos. *Qui in decima.*] Dicit, quòd decima habet proceſſus prominentes videlicet, & aſcendentes; ſed reliquæ tantum ſuperiores prominentes, & inferiores exculptos; quod eſt verum in canibus; in illis enim decima eſt talis, ſed in hominibus eſt duodecima: & ratio eſt, vt totam compagem dorſi impingeret, & eſſet veluti clauus coniunctionis, & eſt ſicut later medius in fornice. Sicut enim fornix conſtat ex multis lateribus, & medius eſt, ad quem omnes alij reſpiciunt, ille non continet alios, ſed continetur ab alijs: ita quoque, ad hanc vertebram omnes aliæ inferiores & ſuperiores reſpiciunt, &c.

De ver-

De vertebris lumborum. Cap. XX.

VT omnia, quæ in dorſo obſeruanda ſunt, optimè obſeruentur, nihil ſupereſt, niſi vt lumborum vertebras, os ſacrum, & coccygem appellatum os explicemus. Iam enim diximus, totum dorſum diuidi in quatuor partes, ceruicem, dorſum, lumbos, & os ſacrum; quod quidem habet poſtea additam particulam paruam, quæ coccyx appellatur; de his ergo pertractandum: & primo de lumborum vertebris, in quibus fere omnia, de ſententia Galeni, obſeruanda ſunt, quæ in ſuperioribus. quæ erant capita obſeruationum in ſuperioribus? primum cauitas vertebrarum; ſecundo ſpina; tertio corpus; quarto, proceſſus aſcendentes & deſcendentes; quinto proceſſus tranſuerſales; ſexto & vltimo videndum, an adſint foramina hincinde, quibus peruiũ eſt vnumquodq; ex his oſſibus. Quæ omnia obſeruata ſunt in vertebris ſuperioribus, totidem etiam pariter obſeruanda ſunt in vertebris lumborum: præter quæ, additur & ſeptimum conſiderandum, qualis ſcilicet ſit numerus oſſium, & vt ab vltimo incipiamus: Sciendum eſt, oſſa lumborum, vt plurimum, eſſe quinque numero, adiungẽdum pariter eſt, vtrum variet numerus iſte; & quod ego obſeruaui, illud tradam. Sæpe obſeruaui, numerum vertebrarum lumborũ immutari, ea ratione, qua immutantur & vertebrę dorſi: ſi enim dorſales vertebræ tredecim fuerint, patitur numerus vertebrarum lumborum, ita, vt quatuor tantum ſint: Si autem vertebræ dorſi ſunt duodecim, quinque etiam ſunt vertebræ in lumbis conſtitutæ: ſi contra thoracis vertebræ vndecim fuerint, ſex erunt vertebræ lumborum. Hoc igitur obſeruaui, vt data immutatione vertebrarum, quæ thoracem conſtituunt, mutetur & numerus vertebrarum lumborum. Si enim omnes vertebræ ſunt vigintiquatuor, variato numero in vna parte, neceſſe eſt, vt id accedat, vel recedat alteri. naturalis igitur numerus vertebrarum lumborum eſt, vt ſint quinque. Circa autem ipſarum corpora quid eſt obſeruandum? Proponitur à Galeno, quod ſunt craſſiſſima, maximaque omnium oſſium, quæ conſtituunt ſpinam. nam oſſa, vel vertebrarum ceruicis, corpora ſunt tenuia, gracilia & parua. At iſta lumborum ſunt maxima, & craſſiſſima. Ideo circa magnitudinem, & corpus, obſeruandum eſt, quòd quando vertebræ ſunt locatæ, quæ ſunt in inferioribus partibus, maiora & craſſiora oſſa poſſident. Circa foramina, dicit Galenus, quòd oſſa inferiora habent anguſtiora foramina, & breuiores cauitates, quæ reſpondent medullæ; nam circa lumbos, medulla eſt gracilis: ideo requirebat foramina parua & anguſta. Circa proceſſus aſcendentes, & deſcendentes, & tranſuerſales eſt obſeruandũ, quòd iſti vltimi ſunt tenuiores; quamuis Gal. hic illud non proferat: tamen in 12. de vſu part. hoc teſtatur; dum enim loquitur de oſſe ſacro, dicit, quòd habet tranſuerſales proceſſus, admodum tenues, & ſubtiles, quemadmodum & vertebræ lumborum: & hoc quadrat in brutorum & hominum oſſibus. Quod autem ſurſum ſpectent, non eſt ita manifeſtum in hominum vertebris, ſed in canibus & ſimijs eſt manifeſtiſſimum. Circa ſpinam quid obſeruandum? dicit Gal. ꝙ omnes vertebrę, quæ cõſtituunt ſpinam, vſque ad decimam vertebram deſcendunt. Sed, quæ ſunt infra decimam, ſurſum ſpectant, quod eſt verum in ſimijs, ſed in homine vel ſunt rectæ, vel aliqua ex parte deorſum feruntur. Sed illa deflexio deorſum admodum eſt parua. Ideo poſſumus dicere, Gal. ſententiam veram eſſe in ſimijs, & canibus. De geminis proceſſibus aſcendentibus & deſcendentib. dicit Gal. ꝙ aſcendentes ſunt caui, atq; recipiunt deſcendentes proceſſus alterius vertebræ, quodq; proceſſus deſcendentes eiuſdem vertebræ ſunt rotundi. Ideo variant hi proceſſus ab illis, qui ſunt vertebrarum thoracis; nam illæ vertebræ thoracis habent proceſſus aſcendentes protuberantes; ſed iſtæ lumborum contrà aſcendentes habent cauos & inſculptos; ſed deſcendentes, prominentes. Sed datur ne aliquid in illis vertebris, quod ſit peculiariter obſeruandum? Dicit Gal. quòd huiuſmodi oſſa habent foramina, per quæ nutritur ipſa vertebra in partibus internis. Nam penetrant foramina, per quæ permeant ſubſtantiam oſſis. Ideo hæc foramina ſunt additamentum peculiare vertebris lumborum; & hoc eſt verum, quòd iſtę vertebrę lumborum habent hæc foramina maxima; tamen thoracis vertebræ non habent illa tam magna. nam cum iſtæ lumborum habeant corpora ampla, requirebant vias, & meatus, per quos poſſent meare venæ, ad ſubſtantiam oſſium: & hoc peculiare eſt vertebris lumborum, quod habent foramina maiora reliquis. Nam & alię habent foramina. Sed magnitudo foraminum, eſt peculiaris oſſibus lumborum. Secundum obſeruandum, ex ſententia Galeni, in huiuſmodi vertebris, eſt, quòd omnes vertebræ ſuperiores habent duos proceſſus aſcendentes, & duos

deſcendentes. Iſtæ autem lumborum habent duos proceſſus aſcendentes, & quatuor deſcendentes: hoc peculiare eſt omnibus, excepta vltima, & penultima. Nam omnes vertebræ ceruicis & dorſi fere habent tantum duos proceſſus deſcendentes; ſed vertebrę lumborum, habent quatuor deſcendentes. Priores, qui ſunt protuberantes, & inſeruntur in cauos aſcendentes, & ſunt veluti cardines dearticulationis vertebrarum: ſed reliqui proceſſus, (talis enim eſt eorum vſus) vt maximè inſculptum efficiant foramen per quod egrediuntur nerui à medulla ſpinali: nam vertebræ ſimul iunctæ efficiunt circulum, per quem egrediuntur nerui hincinde, & in ſuperioribus vertebris ex æquo & ſuperior, & inferior concurrit ad formandum hoc foramen. Sed in lumborum vertebris maior pars foraminis & ſinus eſt in ſuperiore vertebra, & formatur à deſcendente proceſſu: de quo non eſt multum diſputandum, quoniam non reperitur in homine. Nullum enim os vertebrarum humani corporis, vel durum, vel molle, & tenerum, vel grande, vel paruum, vnquam à me viſum eſt, quod habeat hos duos proceſſus. Veſalius excellentiſſimus, qui infinita plauſtra oſſium peruoluit, etiam teſtatur, ſe non vidiſſe: tamen ſententia Galeni vera eſt in ſimijs & canibus. Nam ſimiæ caudatæ, & non caudatæ, præter duos aſcendentes proceſſus, quibus articulantur cum ſuperioribus, habent etiam alios, quibus redditur ſinus valde exculptus; ſed humanæ vertebræ non habent huiuſmodi proceſſus; ideo Gal. de canibus & ſimijs intelligendus eſt. Vnum quoque notat Galen. quòd proceſſus ille non reperitur in penultima & vltima vertebra, & reperitur in vndecima & duodecima thoracis, quod certum eſt in canibus & ſimijs. Vltimo quid eſt obſeruandum? quod profertur à Galeno 13. de vſu partium, cap. 2. quòd, quemadmodum ſunt vndecim proceſſus vertebrarum ceruicis, ſeptem proceſſus vertebrarum dorſi, quod pariter nouem ſint proceſſus vertebrarum lumborum: duo ſcilicet aſcendentes, duo tranſuerſales, quatuor deſcendentes, & ſpina: & ſic erunt in totum nouem; tamen quoniam in homine ſunt proceſſus gemini inferiores, dicemus, ſaltem ſeptem eſſe reuera proceſſus vertebrarum lumborum: duo aſcendentes, duo deſcendentes, duo tranſuerſales, & ſpina.

De oſſe ſacro. *Cap. XXI.*

SICVTI *eos ipſa qui ſupra ſe ſiti ſunt recipit.*] Difficillima ſunt verba, propter ipſorum collocationem; ideo potius collocanda ſunt ſunt ſic, vt certior ſit ſenſus: *Sicuti ipſa illos, qui ſupra ſe ſunt recipit.* Os ſacrum, quod ἱερὸν ὀστοῦν dicitur, & πλατὺ, ideſt latum.. Quaſi quod ἱερὸν, eſt idem quod πλατὺ, ideſt latum & magnum: nam ἱερὸν aliquando apud Græcos ſignificat ſacrum & diuinum, quod veneratione eſt dignum: aliquando verò ἱερὸν ſignificat magnum: quemadmodum Homerus πόντον appellat ἱερὸν pro magno. Nam ſic fere omnes interpretes interpretantur, ἱερὸν πόντον, ideſt magnum & amplum pontum: aliquando ἱερὸν ſignificat execrandum & malum: nam multa ſunt exempla, quibus probatur hoc. Quam ſignificationem & Latini in hac voce imitati ſunt, vt Virg. auaritiam appellat, ſacram famem auri, ſcilicet, quòd nō ſit digna ſacris: ſed procul ab his depellenda. Hoc itaque, quod os ſacrum dicitur, poteſt dici ſacrum, & quia eſt magnum, & quia magna veneratione dignum, & quia etiam execrandum. Videamus iam quomodo dicatur ſacrum, eo quod ſit magnum: nam ſi comparemus illud ad ſpinam dorſi & eius vertebras, certè, reſpectu partium ſuprapoſitarum, eſt magnum: & ita dicitur ſacrum, ideſt magnum: & πλατὺ, ideſt latum; nam latius & maius eſt reliquis. Poteſt etiam dici ſacrum, quia requirat magnam curam & diligentiam: nam in oſſe ſacro continetur medulla ſpinalis, quæ eſt alterum cerebrum, & alter fons animæ: nam ibi conſiſtunt ſpiritus animales: inde diſſeminantur nerui, à quibus tot motus locales, & actiones, & paſſiones ſenſuum proficiſcuntur; ideo dicitur ſacrum, ideſt maximè obſeruandum & cuſtodiendum, quia ſcilicet continet partem iſtam. Nam ſi quis cadat ex alto, & inſiliat in nates, ſi concutiatur hæc pars, tunc conuelluntur omnes inferiores partes: femora, crura, digiti quoque pedum.

Ideo affectus docet, vt magnam curam habeamus iſtius partis. Poteſt etiam dici ſacrum, ideſt execrandum: & hoc mihi magis ſatisfacit: nam hęc eſt opinio cōmunis, quæ antiquis erat in conſuetudine, & noſtris etiam temporibus viget: vt illi, qui habeant hoc os magnum, & productum, caudati appellentur: & qui caudati ſunt, pro execrandis hominibus habentur, & non ſunt grati fœminis: quia non ſunt contenti vna muliere, ſed plures quærunt. Ideo caudati appellantur, qui habent productum κόκκυγα, & fęminæ ſunt

in illa opinione, quod nulla poſſit vno anno durare cum viro caudato: plura ergo habet ſignificata hoc nomen ſacrum, ſed mihi magis arridet, quod os ſacrum, denominetur ſacrum, ideſt magnum & latum, reſpectu ſuperiorum partium. Hoc os ab Arabibus dicitur Albagiazi. Quid obſeruandum eſt in hoc oſſe? Hoc docet Galen. quod ita coniungitur cum vertebris ſuprapoſitis, ſicut & vertebræ inter ſe. Nam vltima vertebra lumborum iungitur cum oſſe ſacro, ſicut ſuperior vertebra cum ipſa: Iſte eſt ſenſus verborum Galeni, quod vltima vertebra recipiat proceſſus deſcendentes ſuperioris, ſic & omnes reliquæ: obſeruandum eſt, quod ſpina, in oſſe ſacro, eſt ſimilis ſpinæ aliarum vertebrarum, ſecundum Galenum: quod quidem verum eſt in canibus & ſimijs, ſed in hominibus eſt exilis & ferè non conſpicua, immò in poſtrema parte & vltima ferè nulla eſt ſpina: quia ſenſim deſcendendo fit minor, & tandem in exiguam admodum cauitatem, & canalem deſinit, per quem egreditur particula medullæ ſpinalis, quæ in neruū deſinit inſtar caudæ. Circa proceſſus tranſuerſales oſſis ſacri obſeruandum eſt, quod ſunt grandes & patentes, ſed contrarium dixit Galen. in 12. de vſu partium, cap. 12. nam ibi inquit, quod proceſſus tranſuerſales oſſis ſacri ſunt tenues: hic autem dicit, quod ſint grandes & patentes. Sed nulla eſt contradictio: nam illic intelligit de tenuitate, quæ opponitur craſſitudini: poteſt enim corpus eſſe latum, & tamen tenue, & per magnitudinem, intelligimus magnitudinem extenſam, & ſic poteſt tamen eſſe ad profunditatem tenue: hic ergo per proceſſus magnos intelligit latos. Sed hæc verba Galeni, quamuis videantur communia, ad omnes proceſſus tranſuerſos oſſis ſacri: tamen non ſunt communia, quia de altera ſaltem parte intelligenda ſunt. Nam, cum os ſacrum conſtet ex pluribus partibus, non omnes partes habent inſculptos, & cauos proceſſus: ſed primum os ipſius tantum habet illos inſculptos, & cauos, & admodum latos proceſſus. Inferiores vero eius partes habent tenues proceſſus, & non inſculptos. Ideo quando Galen. dicit, quod habeat cauitates, & ſinus in quos inſerantur oſſa coxendicum, non eſt intelligendus de toto oſſe ſacro, ſed tantum de ſuperiore eius parte. Quando dicit de proceſſibus ſubtilibus, intelligit de partibus inferioribus oſſis ſacri, in quibus proceſsus ſunt admodum tenues. *Idipſum os ex tribus particulis.*] Quot ſint partes oſſis ſacri, nunc docet Galenus. Sed hæc deſcriptio multum differt ab oſſibus humanis: adſcribit enim illi tres partes, cum tamen ſint ſex: quibus tribus partibus, tanquam proprijs vertebris, adiungit κόκκυγα: & in 12. de vſu partium 12. cap. dicit, quod os ſacrum conſtat ex quatuor partibus: quare facit partes oſſis ſacri tres proprias: addit tamen pro quarta os coccygis. *Nerui autem quia ſpinali medulla.*] Tertiò dicit, quod os ſacrum eſt perforatum, ſed non ſicut vertebræ. Nam vertebræ à lateribus habebant foramina, per quæ meabant nerui. Sed os ſacrum habet foramina intro & extra poſita. Nam habet foramina quæ intro veniunt, & etiam quæ extra ſunt, per quæ egrediuntur nerui.

De oſse Coccyge. *Cap. XXII.*

IN IMO *lati oſſis aliud os ſubeſt.*] Inquit Galenus quod os ſacrum habet quarto loco conſtiturum os coccygis, & nil aliud eſt hoc os, quam quarta pars oſſis ſacri, vt ipſe teſtatur in libris de vſu partium. Sed vt patet ex 2. de adminiſtr. anatom. & ex hoc loco, non eſt quarta pars oſſis ſacri, ſed eſt os deſcriptum per ſe, quod appellatur os coccygis, ob ſimilitudinem quam habet.

Nam ſi cuculi roſtrum vidiſtis, quæ auis nota eſt, habens roſtrum latum, in parte ſuperiore, & tenuiſsimum in extrema, atque aduncum: Vnde ſi aſsumamus eius caput, cum roſtro, habet maximam ſimilitudinem cum oſse ſacro, & oſse coccyge ſimul iunctis. Ideo etiam apud Græcos κόκκυξ dicitur cuculus. Os iſtud habet etiam aliud nomen, quia ὀρροπύγιον à Græcis dicitur & appellatur quoque ὄρρον. Nam ὄρρος ab Ariſtophane, & Græcis dicitur pars extrema caudæ, vt ſunt caudæ caponum, qua conſtituuntur opima iuſcula. quoniam ὀρρωδῶ eſt demitto & deprimo partem illam: nam, quando timent aues, dicuntur ὀρρωδεῖν, ideſt deprimere caudam: vnde ὀρροπύγιον: nam πυγὴ ſignificat ſedem, & ὄρρος caudam. Hoc itaque os deſcribitur à Galeno, cum inquit: *In imo aliud os ſubeſt, quod ex tribus particulis conſtat.*] Hoc eſt verum in ſimia, quandoque etiam in ſimia, ex quatuor oſsibus conſtat: & hoc os habet cartilaginem copioſiorem, quam oſsa ſacri oſsis. *Nerui ex poſteriori parte exeunt.*] non ex lateribus, vt in reliquis partibus, & vertebris. De oſse ſacro ſciendum eſt, quod eius deſcriptio tradita à Galen. non conſonat re vera oſsi ſacro humano:

nam

Digitized by Google

nam os ſacrum in homine, conſtat ex ſex partibus : quoniam habet ſex oſſa, quib. compaginatur : aliquando ſaltem quinque , aliquando quatuor , ſed raro : vidi quatuor : ſed ſæpe numero reperiuntur ſacra oſſa humana , quæ tantum quinque habent partes , vel etiam ſex, & hoc os non habet tenues proceſſus,ſed craſſos & latos : habetque vtrinque quinque foramina in exterioribus partibus : & quinque in interioribus , per quæ egrediuntur decem paria neruorum , non tria paria , vt volebat Galenus . Habet proceſſus , in quibus ſunt cauitates,quæ recipiunt oſſa coxendicum, ideſt partes prominentes oſſis coxendicis : ſpina ipſius eſt exigua , & in vltimo eius oſſe eſt foramen , in quod deſinit ſpinalis medulla .

De oſſe modo coccyge, vt ad illud redeamus : eſt maximè diuerſum hoc os in homine. Et in humano coccyge nullum eſt foramen, nulla tranſmittitur medulla : immò eſt os ſolidum, & denſum,quod in generatione eſt cartilago, conſtans ex quatuor partibus. Nullum (vt dixi) in eo eſt foramen , per quod egrediatur medulla , nec foramen , per quod permeent nerui : Os coccygis in homine reſpondet caudæ in bobus , & alijs animalibus caudatis, ſed in ſimijs eſt os quoddam paruum : Nam ſi ſupponatis manum ſimiæ,non caudatæ,habet caudam minimam : in qua eſt oſſiculum paruum indiſtinctum, quod videtur ex pluribus conſtare partibus , & reſpondet coccygi humano : Itaque os ſacrum in ſimijs , & alijs reſpondet oſſi ſacro humano : & cauda in caudatis reſpondet oſſi coccygi . Sed illa eſt differentia , quod oſſa coccygis in animantibus longiora ſunt : ſed in homine breuiora, & minora .

Non enim erat neceſſaria cauda homini : ſicut & inteſtinum cæcum longè maius eſt in animantibus , quam in hominibus : tamen quia natura nulla particula hominem deſtituit, addidit & ipſi inteſtinum cæcum, ſed longè minus.

De Thorace. Cap. XXIII.

PARS illa,in qua pulmones, atque princeps pars omnium fermè partium corporis noſtri ſeruatur, à Galeno, & reliquis medicis, thorax vocata eſt:noſtri pariter thoracem eandem partem dixerunt. Quamuis aliquando Ariſtoteles , vt in primo de hiſt. animal.cap.7. 13. & alijs in locis , vt in quarto , de partibus animal. cap.10. non appellat hanc partem thoracem : ſed per θώρακα intelligit totum caudicem & truncum corporis humani : nam ibi loquens, de parte contenta ſub capite,vſque ad inguina appellat illam θώρακα,ideſt thoracem , quos etiam videtur ſequutus Hippocrates,in lib.quem inſcripſit περὶ τέχνης,ideſt,de arte.nam totum truncum videtur thoracem appellaſſe. Quod probo hoc argumento , quia dicit ibi, quod hepar eſt locatum in thorace. ſi hepar locatum eſt in thorace, pars inferior,in qua eſt hepat eſt abdomen: ergo per thoracem ſecundum Hippocratem , debemus intelligere totum truncum , & non thoracem propriè dictum,in quo tantum continentur ſpiritualia : ideo apud Platonem in Timæo,& apud Hippocratem, thorax eſt totus truncus : ſed nos,dimiſſa hac appellatione,& Platonica & Ariſtotelica, imitati Galenum thoracem appellamus partem eminentem,quæ tantam maieſtatem in viris & mulieribus præſtat , ita , vt ſi quæ mulier ſit elato pectore , illa pulchra dicitur . Hæc pars facta à natura caua & inſculpta eſt hac ratione,vt cor in ſe contineret.

Inibi enim,in ea cauitate cor eſt collocatum. Et quia cor eſt paruum , ſat erat , vt hæc amplitudo anguſta eſſet,ſed ob refrigerium cordis,cum calor eius ingens ſit,requirebatur,vt ſpiritus & aer continuè attraheretur ad cor,& illud temperaret : vt autem hoc cõmodius fieret , natura pulmones , tanquam geminos ſolles fecit , per quos attraheretur ſpiritus,qui refrigerat cor,illi communicatus . Ideo cauus factus eſt thorax, vt contineret cor : & non ſolum cauus, ſed etiam vacuus, & patens, vt vna cum corde , pulmones poſſent in eo locari. Si ergo conſtituamus, ob cor factum eſſe thoracem , requirebatur id , quod etiam in capite . Nam totum tegumentum capitis oſſeum factum eſt : ergo , cum in homine non minoris ſit momenti cor , quam cerebrum , ideo requirebat validum propugnaculum : nam cor eſt ad vitam : ſed cerebrum ad bonam , beatamque vitam.

Cum igitur cor ſit fons vitæ, neceſſario requirebatur tegumentum ſolidum , & durũ. ideo,ex integerrimo oſſe, debebat natura formare thoracem : quod ipſa feciſſet , niſi in alios ſcopos habuiſſet intentos oculos : ideo proſpexit in hunc vſum , & fecit capſulam,

Digitized by Google

& domicilium magna ex parte oſſeum; non tamen totum oſſeum. Nam ſi totum ex carne feciſſet, ſtatim compreſſa carne, compreſſum fuiſſet cor & pulmones. Si etiam totum feciſſet oſſeum, non potuiſſemus inſpirare, & expirare aerem. Nam ad motum partis illius, ſcilicet thoracis, dilatantur, & conſtringuntur pulmones. Requirebatur ergo, vt ita oſſeum eſſet, vt poſſet moueri; ideo partim ex carne, partim ex oſſe factum eſt. Pars oſſea adiuncta eſt, vt cor tueatur, & efformet cauum, ſed pars carnea addita eſt, vt poſſet conſtringi, & dilatari. Nam ad motum thoracis, mouentur pulmones: ſi igitur mouentur, & dilatantur partes, ex neceſſitate vacui, quod non poteſt dari, & pulmones ſequuntur ad dilatationem iſtius partis, pulmonibus dilatatis, de neceſſitate corpus, quod implet intercapedinem, inſequitur. Hic igitur eſt vſus thoracis & ſuarum partium, ſcilicet quod partes oſſeæ factæ ſunt ob tutelam, & efformationem caui: partes verò carneæ, admixtæ ſunt, vt poſſet iſta pars aperiri, dilatari, & conſtringi. Hæcque pars, non ex vnius generis particulis tantũ conflatur, & conficitur, ſed ex pluribus, varijsq; inter ſe: Quemadmodum Galenus, in principio huius capitis, ſtatim, docet: *Os pectoris, coſtæ*. Primum enim quod in hoc capite facit, eſt hoc (nam per capita rem declarabo) vt explicet, quot ſint partes thoracis; quæ, ex ſententia ipſius, tres ſunt: altera anterior; altera lateralis, vtrobique poſita: tertia, in parte poſteriore: ideo ex tribus partibus thorax conſtat, ex oſſe ſcilicet pectoris, quod στέρνον à Græcis dicitur, ex coſtis, quæ ſunt partes circa latera: vltimo ex vertebris dorſi appellatis; & vertebræ ſunt duodecim, ſicuti & coſtæ. Cum has partes Galenus enumerauit, ſubiungit de coſtis: quot ſint, inquitque, quòd coſtę numero ſunt vigintiquatuor, ita vt vtrinque ſint duodecim; & quemadmodum mutatur numerus vertebrarum dorſi, vel thoracis, poteſt & mutari numerus coſtarum: ſeſe enim inuicem iſtæ partes ſequuntur; in altero latere ponamus vndecim coſtas: erunt etiam vndecim vertebræ; ſi erunt tredecim coſtæ, erunt etiam tredecim vertebræ, excepto illo primo animali, condito à Deo maximo, quod homo appellatur: In cuius thorace (vt refertur in ſacroſanctis Bibliorum libris, quibus fidem præſtare debemus) in altero latere, ſaltem erant vndecim coſtæ, in altero verò latere erant duodecim; quod Deus omnipotens fecit miraculo, quia ex deficiente illa coſta fabricauit Euam. Sed loquendo de ordine naturæ, in reliquis omnibus hominibus gignuntur, in vtroque latere, duodecim coſtæ. Tertio loco Galen. de oſſe pectoris loquitur, in quo conſiderandus eſt ordo, quem ſeruat Gal. Dixit enim thoracem conſtare ex tribus partibus, ex vertebris, coſtis, & oſſe pectoris; de vertebris in ſuperioribus eſt loquutus; de coſtis loquutus eſt etiam hic, quod ſint vigintiquatuor: nunc dicit, quòd os pectoris ex ſeptem partibus conſtet: quod quidem eſt verum in cattis, & in canibus, ſed in homine eſt falſum; quia in puerulis recens natis, ex quatuor conſtat partibus: in adultis verò, ex tribus partibus tantum conſtat, ita vt ſit quædam pars ſuperior maxima; deinde & altera ſatis magna, & robuſta: tertio, loco infimo, minima. Hæc eſt hiſtoria penitus oſſis pectoris humani, vt in adultis conſtet ex tribus partibus; & vt partes illæ ita ſe habeant, vt ſuperior pars ſit lata; ſed infima & vltima aliqua ex parte lata, non tamen vt prima; quæ verò media eſt, reliquis duabus eſt anguſtior. Ideo Cornelius Celſus, vel ille author Græcus, ex quo deſcripſit (Nam ille ſapit doctrinam Græcorum, & videtur deſumpſiſſe ex libris Megetis, vel Hippocr.) dicebat ibi os pectoris eſſe, vtrinque lunatum; quo dicto nihil præſtantius, meo iudicio, poteſt reperiri. Nam cum ſuperius ſit latius, & etiam inferius, media autem eius pars ſit anguſtior, figuram lunarem videtur conſtituere; habetque hoc os ſimilitudinem cum manubriolo pugionum; non loquor de pugionibus recentiorum, ſed antiquorum: nam præcipuè in Gallijs conficiebantur pugiones, qui habebant manubrium gracile, & ſtrictum, & aderat pomum, quod erat admodum latum: vnde ſi conſpiciamus partes oſſis pectoris, videntur manubriolum efformare. Ideo etiam ξιφοειδὴς dicitur, quia eſt ad gladij formam factum; nam habet neſcio quid ſimile cum gladio: ſi modo loquamur de oſſe pectoris, in puerulo recens nato, in eo, vt dixi, conſtat ex quatuor oſſibus, ſiue partibus. primum eſt idem illud in pueris & in adultis, ſimiliter vltimum, ſcilicet tertium etiam ſemper eſt idem, ſed medium, vt dixit Veſalius, diſtinguitur in plures partes.

Ego tamen obſeruaui, quòd hæc pars media, in puerulis, conſtat tantum ex duabus partibus, quæ in adultis vnum tantum os conſtituunt. Poſito numero oſſium pectoris à Gal. ſubiungit, quòd iunguntur hæc oſſa per συνάρθρωσιν: quæ coarticulatio manifeſtiſſima eſt in canibus, cattis, & ſimilibus: nam in his iunguntur veluti media cartilagine: ſed in homine dictum Galeni eſt falſum: quia oſſium pectoris coniunctio, non fit per συνάρθρωσιν, ideſt coarticulationem; ſed per σύμφυσιν, ideſt per coalitum: nam iunguntur, vt vix aliquod veſtigium relinquatur, quod duo vel plura ſint oſſa; ideo in homine per σύμφυσιν ſunt coniuncta, in canibus per συνάρθρωσιν. In pueris ſunt quatuor oſſa, & iunguntur

guntur multa cartilagine, ita vt oſſe pectoris ipſorum potior, & copioſior pars ſit cartilago, quàm os: vltimo loco addit Galenus, quòd in extremo oſſe pectoris eſt cartilago, quæ quamuis multiplicis appareat formæ: tamen, quia ſimilis eſt gladio, ξιφίον appellant Græci, epiglottalis dicitur ab Auicenna: pomum granatum à Barbaris. Quinto loco, cum explicauit os pectoris, duas ipſius partes cartilaginem, & connexum adiungit, quomodo connectantur coſtæ cum vertebris, & forment thoracem: ſed antequam tradatur hoc, ſciendum eſt, coſtas diſtingui à Galeno, quod ſcilicet alię ſunt perfectæ, aliæ nothæ, ſcilicet ſpuriæ. Duo ergo erunt genera coſtarum: alterum perfectarum, quæ perfectæ efformant thoracem; alterum notharum: & credo hanc diuiſionem fuiſſe in cauſa, quod Ariſtoteles primo de hiſtoria animal. 15. cap. dixerit coſtas tantum eſſe octo: & non poſſum credere, præſtantiſſimum illum virum, cum tot viderit oſſa, dixiſſe tantum octo eſſe coſtas: ſunt enim duodecim, quæ apparent in canibus, cattis, ſimijs, hominibus, & omnibus fere quadrupedibus. Ideo credo, eum ductum eſſe hac diuiſione, vt dixerit octo eſſe coſtas, loquens de coſtis perfectioribus, & maioribus; tanquam quod non dignatus fuerit imperfectas donare nomine coſtarum: poſſumus ergo dicere, quod ſeptem ſint perfectiſſimæ, & adiungere octauam, cuius cartilago, licet non coniungatur oſſi pectoris, tamen eſt magna coſta. Ideo dixit Ariſtoteles, octo tantum eſſe coſtas thoracis, quæ verò ſunt imperfectæ, eſſe quinque, & perfectæ ſeptem, ita vt impleant duodenarium numerum: & docet, quo connexu copulentur. Sed prætermittit, quas partes habeant coſtæ; quas oportet explicare ad faciliorem cognitionem ſuæ articulationis. Habent ergo ſingulæ coſtæ in principio capitulum, & in parte parum diſtante à principio aliud capitulum, vel tuberculum, quibus duobus tuberculis copulantur: (Dum enim loquerer de vertebris dorſi, dixi eas habere tranſuerſalem proceſſum, in quo ſit cauitas, cui adhæret coſta:) Secundo ergo tuberculo, coſta inſinuatur huic cauitati. Addebamque de vertebris dorſi, quod circa corpus vertebræ cuiuſque, inſculptus ſit medius ſinus, vel ſemicirculus, qui iunctis ſimul duabus vertebris integerrimis, factus eſt veluti fundamentum coſtæ, in parte ſuperiore: Iſti enim cauitati inſinuatur caput extremum coſtæ: ideo dicit, quòd coſta inſinuatur primum vertebræ, in corpore ipſius, & etiam in altiore parte, iuxta tranſuerſalem proceſſum, & inde coſta in anteriorem partem vergens iungitur oſſi pectoris, per cartilaginem. Hæc eſt coniunctio coſtarum oſſi pectoris & vertebris.

Poſtea docet, quomodo iungantur oſſi pectoris, & dicit, quòd non iungantur ſua ſubſtantia: ſed quod intercedit media cartilago, quæ diſtribuitur ad omnes inde coſtas: & illa cartilago inſeritur in cauitates oſſis pectoris. Nam ſunt cauitates in oſſe pectoris, quæ recipiunt coſtas: ſed ſciendum Galenum dicere, quòd vix appareat huiuſmodi coniunctio; nam membrana ſuperinducitur, quæ tegit talem coniunctionem. verum eſt aduertendum, quod hæc membrana, non coniungit oſſa illa, ſed connaſcitur cartilago cum oſſibus: quod apparet, quia ſi auferatur membrana, non ſeparantur continuo oſſa, ſed tamen partim tegit, partim ligat, non autem eius præcipuus vſus eſt, vt liget. Sed Galenus appellat hanc coarticulationem συνάρθρωσιν, quia motus thoracis, cum paruus ſit, eſt ſimilis alijs articulationibus ſimilibus. Verum quia Galenus non explicauit coſtam totam penitus; ideo alia ſunt adhuc obſeruanda, veluti eſt pars illa acuta, & inæqualis in coſtis, à qua intercoſtales muſculi oriuntur, qui robuſtiores facti deſcendunt, & funguntur munere ſuo. Adeſt quoque canalis inter partem illam prominentem, & corpus coſtæ, qui factus eſt ob venam, arteriam, & neruum, quæ illic latent & diſſeminantur, iuxta coſtas ad nutriendos muſculos intercoſtales: tertio eſt obſeruanda ſubſtantia ipſarum: nam circa principium coſta eſt mollis, ſed circa mediam partem eſt ſolida, & dura.

Habet enim cruſtam, quæ eſt duriſſima: præterea adſunt & cauitates notandæ: nam quælibet coſta eſt exculpta, ita vt contineat cauitates plurimas: non quidem admodum magnas, quæ expletæ ſunt medulla, qua nutriuntur coſtæ, & hæc ſunt quatuor illa, quæ veniunt obſeruanda circa coſtas; præter ea, quæ dixit: Sed quia iam dixi, coſtas duobus modis coniungi vertebris: hoc tamen non eſt verum, in omnibus coſtis: nam vſque ad nonam omnes coſtæ duobus articulis copulantur in vertebris dorſi, ſcilicet cum proceſſu tranſuerſali, & etiam cum corpore ipſo vertebræ: ſed infra nonam, vndecima, & duodecima ſaltem copulantur cum corpore vertebræ, per vnum articulum: decima mutat ordinem, vt aliquando duobus, aliquando vno ſimplici articulo copuletur ſic, vt ſapiat naturam vtriuſque. *Tota pectoralis oſſis figura.*] Galenus adiungit quædam, de nomine oſſis pectoris: & de cartilagine, dicit, quod os pectoris à quibuſdam ξιφοειδὴς dicitur, & iam dixi, quod hæc appellatio eſt diducta a ſimilitudine, quam habet cum manubriolo. Poſtea dicit, quod cartilago in extremo, aliquando ξιφοειδὴς vocetur.

Et ſi

Digitized by Google

Et ſi tangamus hominem viuentem in ea parte, videtur circularis hæc cartilago, & habet ſimilitudinem cum parte mali punici, quæ eſt veluti flos, & hinc à quibuſdam appellata eſt hæc pars, pomum granatum.

Nam punicum malum habet veluti vmbilicum, ex cortice ſupremo exertum, qui inæqualis eſt, habens ſpicula quædam, & eſt veluti cartilago addita pomo: & poteſt remoueri: Auic. autem illam vocat epiglottalem, quia habet ſimilitudinem cum cartilagine, quæ tegit aſperam arteriam, quæ ἐπιγλωττὶς appellatur, & dilatatur, vel aperitur & conſtringitur, ſicut & hæc cartilago. Adiungit poſtea quod non habent ſemper eandem figuram: non enim ſunt rectæ, nec penitus circulares, ſed mutant figuram. Nam cum oriuntur à ſuo principio, & deſinunt in coniunctione cum tranſuerſali proceſſu, deſcendunt ad partes inferiores: poſtea ducuntur ad partes prominentes anteriores, & tandem ad pectus: ita, quod habent partem ſuperiorem, quæ eſt poſterior, & deſcendens vergit ad partem anteriorem, & iungitur oſſi pectoris oblique. Ideo earum figura non eſt penitus recta, nec circularis. Præter hoc obſeruandum, quod habent cartilagines, quæ ſæpenumero in adultis ſunt oſſeæ ſcilicet ſeptem coſtarum perfectarum, ſed in teneṙioribus ſunt totæ cartilagineæ. In bobus, & alijs quadrupedibus ſenioribus ſunt etiam oſſeæ.

Adiungit etiam de nothis & imperfectis, quæ quinque ſunt, quod ſcilicet non habent cartilagines perfectas, pertingentes ad os pectoris, ſicut illæ perfectæ: in quo vnum eſt obſeruandum, quod duodecima, & vltima illa imperfecta & parua, dicitur verè notha, ideſt, ſpuria, & non debet donari nomine coſtæ: vnde merito Galenus in quinto de adminiſtr. anatom. dixit, vndecimam eſſe vltimam coſtam. Ideo ſeptem integræ, merito perfectæ debent dici: reliquæ vero quatuor, quæ ſuccedunt, quamuis ſint nothæ, tamen coſtæ dici poſſunt. Sed vltima tam parua eſt, vt non mereatur dici coſta.

De oſsibus ſcapularum. Cap. XXIV.

COSTIS duo oſſa iunguntur, quæ ſcapulæ appellantur à Græcis ὠμοπλάται. Quæ multiplicem vſum habent: & primus eſt, vt thoraci adiumento ſint. Dixi enim, in thorace locari cor, quod maximum propugnaculum requirebat, præſertim in partibus poſterioribus. Cum ergo huiuſmodi propugnaculum requirebatur, adiunxit natura geminum hoc os, vt tueretur cor à parte poſteriore. Quia ab anteriore poſſumus proſpicere pericula, & apponere manus, ſed in parte poſteriore, cum non proſpiciamus, nec præponatur manus ipſa: ideo natura adiunxit iſta oſſa: ſecundus vſus eſt, vt ſint veluti baſis humeri: nam brachia non poſſent firma manere, niſi haberent baſim, in qua quieſcetent: etenim Ariſtoteles de motu progreſſiuo animal. dicit, quod nulla res moueatur, niſi ſit ſupra partem, quæ quieſcat: ideo cum mouerentur brachia, erat neceſſarium, vt conſtituerentur ſupra partem, quæ quieſcat, veluti ſupra baſin: Cui tertium vſum adiungimus, quod ibi locantur muſculi, brachia mouentes. Ideo à Celſo lata ſcapularum oſſa vocata ſunt, à noſtris ſcoptula operta, vel ſcapulæ, vel ὠμοπλάται dicuntur: quarum plures ſunt: primo craſſitudo, & tenuitas, dicit Galen. tenuiſſimum eſſe hoc os, circa baſin: in parte vero ſuperiore, eſſe craſſius, & dicit, quod, cum incipit à parte inferiore, aſcendit, ſemper craſſius redditur: deinde inquit, quod plures ſint eius partes, altera quæ baſis eſt, & locatur in parte poſteriore, vnde à baſi oriuntur geminæ lineæ, quæ latera ſcapulæ appellantur, & veluti triangulum conſtituunt, & etiam coſtæ ſcapulæ appellantur, quarum altera eſt in parte inferiore, altera in ſuperiore. De eius oſſis figura tradit Galenus, quod ſit multiplex: nam in parte interiore, circa dorſum, ſcapula eſt exculpta, & caua: ſed in exteriore, eſt gibba & prominens: pars eius concaua facta eſt ob muſculum, qui parti illi hæret. Sed alia eſt protuberans, ratione cauitatis. Addit quod à ſcapula oritur pars, quæ ſpina dicitur, & ponitur ſupra dorſum ſcapulæ. De eius ſpina eſt obſeruandus locus Galeni in cap. de ſcapulis, vbi dicit, quod os ſcapulæ maiori ex parte eſt cartilago. *Sed vberius in imo contegitur, ab ſpinaque tenue inchoatur.* Sed malè ille vertit, & decipitur à gemina illa voce ῥάχεως ἀρχῆς. Illud enim reſpicit baſim. Et ſic eſt legendum, *A baſe tenuis inchoatur,*] Non à ſpina, ſed à baſi, tanquam principio, atque hic per tropum omittitur præpoſitio μετὰ ideſt, vna cum ſpina à baſi oritur tenue, quia & ſpina in ſui principio tenuis eſt; ideo dicamus, quod os ſcapulæ cum ſpina à baſi tenue inchoatur, & ſic non debemus legere, *à ſpinaque:* quia reuera non oritur à ſpina, ſed à baſi.

Quæ ſunt modo reliquæ partes ſcapulæ obſeruandæ? Inquit Galenus, quod vna eſt ceruix, quæ collum ſcapulæ dicitur, quæ deſinit in cauum, quod κοτύλη vel acetabulum vocatur. Sunt & tres aliæ partes conſiderandæ: vna in quam deſinit ſpina, quæ ἀκρώμιον vocatur, ideſt ſummus humerus. Præterea in interioro & inferiore parte eſt proceſſus, qui cum habeat ſimilitudinem cum S Græcorum, σιγμοειδὴς appellatur: alter eſt ſuperior, cumq́; ſit ſimilis anchoræ, ἀγκυροειδὴς appellatur: dicitur quoque & κορακοειδὴς, quia habet ſimilitudinem cum roſtro coruino. Sed Galen. confundit ſæpè hæc vocabula: nam in 13. de vſu par. cap. 13. appellat κορακοειδῆ, quem hic σιγμοειδῆ & ἀγκυροειδῆ dixit. vltimo obſeruandus eſt ſinus, vel foramen in ſummo latere ſcapulæ, per quod tranſmittitur neruus, à quinto pari nerniorum, à ceruice venientium, & vena, & arteria, quæ per ceruicem ducitur ad nutriendos muſculos, mouentes brachium.

De clauiculis, ideſt, Iugulis. Cap. XXV.

FVIT ſecundus vſus ſcapulæ adductus, quod eſſet tanquam baſis, alterius partis, quę ad validos motus erat fabricata à natura: quę quidem ſcapula, licet inhæreat dorſo, eget tamen aliis ligamentis, & adminiculis, quibus magis firmetur. Hac ratione natura fecit, quod ſolent etiam facere optimæ textrices. Namque fœminæ relas texunt, habent organum telariũ, vt vulgo appellant, quod ex ſua natura poteſt conſiſtere, & etiam moueri, ſed quia radij producuntur, & pecten producitur, & dantur ictus: ideo ſolent alligare trabes quaſdam, quibus optimè ſtabiliatur: idem quoque fecit natura in collocatione baſis manus: nam cum ſcapula potuiſſet hinc inde labi, quia ſæpè manu impellimus aliquid in partes poſteriores, vt ergo firma maneret, & non proſiliret in partes anteriores, voluit natura illi adiungere palum firmiſſimum, quo ſtabiliretur hæc baſis: qui palus κλεὶς à Græcis dicitur: noſtri clauiculam appellauerunt, quæ eſt quaſi paxillus & clauus quo iungitur ſcapula, ne cum volumus, ad poſteriores aliquid propulſare, prolaberetur ad anteriores. Ideo natura adiunxit clauiculam, quam vocant κλεῖδα vel κλεῖδας in plurali. De hac clauicula hic Galenus agit: & primo proponit ſitum ipſius, & docet, quod huiuſmodi gemina oſſa collocantur hinc inde. alterum circa pectus ſuperius, poſtea deſcendunt, & copulantur cum thorace: Ita vt pars anterior copuletur cum oſſe pectoris: & poſterior cum magno proceſſu ſcapulæ orto à ſpina ipſius.. Talis ergo eſt huius oſſis ſitus: factum eſt hoc os multiplici, variaque præditum figura: quod ſecundo loco notat Galenus, & inquit multiplicis eſſe figuræ, pariterque & fiſtuloſum. Si enim frangatur interius, eſt cauum, lene, & eſt veluti fiſſura. Figura, vt dixi, eſt multiplex: nec enim eſt circulare, nec rectum, nec planum.. Et certè, ſi miror naturam in alicuius oſſis formatione, maxime miror in hoc oſſe, & nihil mihi magis videtur mirum, quia ita formatum eſt, vt ſint quaſi duo ſemicirculi, & habet ſimilitudinem cum Latina litera S. quæ litera ex duobus quaſi ſemicirculis conſtat, qui vice verſa ponuntur & contrario modo ſe habent, veluti hoc modo, S. Magis tamen exquiſitam habemus hanc figuram, in clauiculis ſimiarum; nam in homine, ſunt magis plantæ iſtæ partes. Sed videamus, quid dicat Galen. dicit enim, quod anterior pars, qua iungitur cum oſſe pectoris, eſt ſatis & craſſa & rotunda: deinde tenuior fit, & vſque ad vltimam partem, vbi nec gracile eſt hoc, nec rotundum, nec tenue, nec craſſum, ſed dilateſcit, vt poſſit coniungi cum maiore proceſſu ſcapulæ.

Hæc eſt deſcriptio figuræ, tradita à Galen. cui adiungitur, quod huiuſmodi os diſtinguitur in duas partes. *Mediæ iuguli totius partes.*] Hæc verba ſunt quidem legitimè, latineque facta, tamen difficilia ſunt: ſciendum eſt enim, os iuguli diſtingui in duas partes: fingamus, quod conſtituamus duas dimidiatas: inquit Galenus, quod dimidiæ illæ partes ſunt vtræque gibbæ, & vtræque ſimæ. ſed adiungit quod ſemper exteriores partes ſunt gibbæ & interiores ſimæ: verum hic eſt difficultas, fingendum hoc os eſſe ſupra thoracem poſitum, quicquid eſt extra thoracem in anteriore, & poſteriore parte, dicitur pars exterior, quicquid eſt intra collum, eſt pars interior: quicquid eſt inter clauiculam, & brachium, dicitur etiam interiot: ideo dixit Galenus, quod mediæ partes geminæ, in interna parte ſunt ſimæ: in externa gibbæ, prominentes, & flexæ. Niſi ergo collocemus ita, vt dixi, & intelligamus cum hac poſitione, non poſſemus verba percipere, ita vt diſtinguamus in duas partes, & conſtituamus duos ſemicirculos, ac ponamus eo modo, quo diximus. Sed dicet quis: quare natura non fecit rectum hoc os, ſed ſemicirculare?

Natura

Natura voluit os clauicularum oſſi pectoris alligare: ſed quia tranſmittuntur venæ, arteriæ multiplices, & multa vaſa: ſi fuiſſet hoc os rectum, compreſſiſſet vaſa iſta; ideo oportuit flectere, & in ſemicirculum formare: quare, vt eſſet maior cauitas, fecit illud ſemicirculare. Sed adhuc quis quæreret cur natura non fecit totum vnum ſemicirculum? Certè miror diligentiam naturæ maximam: hoc ergo fecit natura, quia aliter non adfuiſſet firmitudo, nec validitas, vt ita dicam, in coniunctione: nam ſi totum feciſſet ſemicirculare facillimè fractum fuiſſet: quia, ſi aſſumamus arcum, vel lignum flexum, & comprimamus, facillimè frangitur; quod non fit in corporibus rectis. Quæ eſt ratio? Quoniam extremitates, vt puncta vltima cuiuſq; corporis, non firmantur ſupra corpus, ſed firmantur fere ſupra aciem: & ſi volumus circulare corpus inuenire, quod fungatur recti corporis officio, docent mathematici vt conſtituamus duos ſemicirculos, vt mutuo ſibi contrario modo reſpondeant, vt cuſpis vnius reſpiciat cuſpidem alterius. Non eſt quidem tantum robur in eo corpore, quãtum ſi eſſet rectum; ſed tamen maius, quàm ſi totum eſſet ſemicirculare: Ideo natura cum feciſſet ſemicircularem vnam partem, ne facile flecteretur os, fecit & alteram partem ſemicircularem, & oppoſito modo: ita vt pars vnius extrema reſpondeat extremo alterius. Et hæc eſt cauſa, cur os iuguli factum ſit ex duobus oppoſitis ſemicirculis.

De humero, eiusque, ac reliquarum totius manus partium denominatione. Cap. XXVI.

TOTAM corporis molem in duas potiores partes antiquos Philoſophos diuiſiſſe, ſatis conſtar: in alteram ſcilicet, quam truncum, vel ὅλμον voce Græca appellarunt; atque in reliquam, quę in ſe artus continet: nam κῶλα (hæc enim eſt vox Græca) Gręci philoſophi, & hiſtorici appellarunt partes corporis noſtri, quæ admodum expeditæ ſunt, atque diſtinctæ à trunco. Noſtri verò illas artus vocarunt, in quorum numero continentur, quæ manus appellantur: ſunt enim gemini artus ſuperiores, tum gemini inferiores: qui inferiori in parte conſtituti ſunt crura appellantur: qui verò in ſuperiore, manus: nam ſciendum, quòd antiquiores Græci, Hippocrates ſcilicet, & alij non ſolum partem iſtam conſtitutam ex digitis, quàm flectimus, erigimus, comprimimus & extẽdimus, χεῖρα appellarunt (hæc enim vox in vſu eſt) ſed etiam χεῖρα, ideſt, manum appellarunt, totam partem à digitis vſque ad humerum: ſed partem inferiorem ἀκρόχειρα dixerunt: Latini tamen ſemper inferiorem partem manum, ſuperiorem verò alijs nominibus donarunt. Ergo χειρὸς voce Græci donarunt totam partem ſuperiorem, ſed ἀκρόχειρ eſt pars extrema, quam nos verè manum appellamus. ſi enim comparentur artus hominis artubus brutorũ animalium, conferamusq; actiones hominum cum actionib. reliquorum, videbimus hominem manibus infinita munia obire: atq; dimittamus nunc circumuolutionem, motus rectos, obliquos, alioſq; multiplices, & conſpiciamus, quæ homines manu faciunt, & operantur per hanc collocationem: inueniemus organum hoc diuinum eſſe ac cœleſte, tam ratione formationis, quàm actionum quarumcunque: Manus ergo merito organum diuinum poteſt appellari, & cęleſte. Indicat etiam efficiens diuinum, quod in homine eſt, ſ. anima immortalis, quæ differt ab anima brutorum, cum habeat inſtrumenta, quæ excellunt & ſunt præſtantiora. Ideo non eo, quod habet manus homo, habet & mentem: ſed quia eſt animal prudens, & diuinũ, & perfectum: ideo dedit ei natura inſtrumentum etiam perfectiſſimum; quod quidem inſtrumentum totum diuiditur in tres partes: in primam quidem, quæ appellatur à Celſo humerus: in ſecundam, quę brachium ab eodem dicitur: in tertiam, quæ appellatur manus, quę ſimpliciter eſt dicta manus, vel χείρ: ſecunda verò pars dicitur ὠλένη, vel ὠλενος, ideſt vlna: & πῆχυς, ideſt cubitus: ſed prima dicta & ſuprema pars dicitur impropriè βρα; ίων, vel humerus, & hæc eſt illa pars manus, de qua Gal. loquitur in cap. 16. huius libri, quę pars hoc oſſe ſcilicet humero terminatur: nam ſupremum eſt hoc os in magna manu, & dicitur βραχίων, quia ſit breuius, quàm cubitus, & maximè in brutis, vt Iulius Pollux teſtatur. Quæ ratio etymologiæ falſa eſt in hominibus; nam brachiũ non eſt minus cubito, vel radio; ſed potius longius: in brutis autem & canibus, præcipuè equis & ſimilibus, cubitus longior eſt humero. Cum ergo priores noſtrorum temporum magis obſeruarint bruta, quàm homines, & tandem vltimo aggreſſi ſunt homines, ideo ſimpliciter protulerunt humerum

eſſe breuiorem. Eadem pars à Celſo humerus dicitur, à noſtris aſſumpta voce Græca, etiam brachium appellatur; de quo humero Galenus multa docet, & primum eſt, quod ſit maximum omnium oſſium in corpore humano, excepto femore. Quæ ſententia etiam quandam limitationem requirit, ſi debet pro certa teneri & videri; nam in homine falſum eſt: ſi enim conferamus humerum cum tibia maiore in crure, certè tibia maior eſt humero; tamen ipſe dixit, excepto ſolo femore eſſe maximum: exemplo hoc falſum ſit. Præterea coxendices ſunt maiores: quomodo ergo intelligenda eſt ſententia Galeni? eſt quidem intelligenda in canibus, & brutis; nam in his ſi conferamus humerum cum reliquis oſſibus, excepto femore, os humeri eſt maius. Et ſi non productius, & longius, tamen craſſius, & ponderoſius; ideo in humero humano non debemus hanc ſententiam Galeni atteſtari. Secundo loco dicit, quòd hoc os in ſummitate habet particulam, quæ caput ſuperius appellatur; quo quidem capite articulantur ſcapulæ multiplicibus ligamentis. in qua parte obſeruandus eſt ſinus, vt docet Galenus, qui talis eſt, vt veluti nobis efformet geminum caput, ita vt poſſimus dicere, eſſe geminum caput, alterum in anteriore parte, & alterum in poſteriore. notandum eſt ergo, quod dicit in anteriore parte eſſe ſinum obſeruandum. Quia factus eſt hic ſinus ob alterum caput muſculi anterioris mouentis brachium, cuius vnum principium oritur in ſuperiore parte ſcapulæ, & conſtituit quaſi tendinem, qui deliteſcit in illo canali. Præterea, caput iſtud ſuperius habet appendicem maniſeſtiſſimam; nam non eſt os. In inferiori quoque humeri parte ſunt gemina capita: alterum maius, alterum minus, alterum exterius, alterum interius. In vna enim parte eſt tuberculum exterius, in quo collocatur radius. Nam in radio eſt cauitas, quæ excipit hoc tuberculum: caput verò interius non recipitur ab aliqua re. vnde inquit Galenus, ſi nos tangamus viuentis animalis partes, apparent duo tubercula, exterius & interius; ſed interius eſt multo maius exteriore. Et inquit, quamuis videatur maius, tamen non adeo excedit magnitudine exterius, ſicut apparet. In qua re accuſatur Galen. à Veſalio, & merito quoad homines. Nam ſi comparemus interius & exterius tuberculum, quæ ſunt in inferiori parte humeri, in homine videtur exterius eſſe maius & interius minus: tamen dicit Galenus, quod interius ſit maius: non tamen ita excedit, vt videtur: videtur enim maius, quàm ſit; quia à nullo cauo excipitur, ſicut excipitur exterius à radio: tamen in homine exterius eſt maius; ideo dictum Galeni eſt verum in ſimijs & canibus.

Nam ſi ponamus tuberculum interius, & exterius ſimiarum, & inuicem conferantur, interius eſt maius, quàm exterius, & etiam in canibus: ſed in homine interius eſt minus: addendum etiam, quod in extremo ſunt cauitates, & ſinus, quarum prior eſt ſimilis cauitatibus trochlearum. Nam vt trochleæ habent cauitatem in ligno, quod circumuertitur: ſic hoc os habet cauitatem, in qua circumuoluitur radius itàquam funis circa trochleam. Adiungit alias cauitates, quas Hippocrates βαθμίδας appellat, in qua voce aliquando deceptus eſt Veſalius, qui accuſat Galen. quia ſcilicet has appellat βαθμίδας: ſed hoc eſt obſeruandum, quod Hippocrates omnes cauitates, quæ reperiuntur in oſſibus, & ſæpe etiam in partibus carnoſis, βαθμίδας appellat. Ideo & iſtas appellauit hoc modo. Quarum humeri cauitatum in inferiore eius parte, alia eſt anterior magis plana, & producta, alia poſterior magis excuſpta & caua: quarum cauitatum vſus eſt talis, vt coronides cubiti coniungantur cum humero. nam dum flectimus cubitum verſus humerum, anterior humeri cauitas excipit minorem coronidem cubiti: cum verò reflectimus, & extendimus brachium, tunc poſterior cubiti cauitas, quæ magna eſt, & magis excuſpta, recipit maiorem coronidem cubiti: & eſt illa pars, quæ colliſa & percuſſa adeo dolet.

Sed reliquit vnum Galenus de parte ſuperiore; nam dixit rotundum eſſe caput, & ſinum adeſſe; ſed dimiſit appendicem, quod fecit, quia illud declarauit in priori capite. Dimiſit ergo appendicum enumerationem, quæ res etiam prætermittitur à recentioribus: tamen in oſſe humano omnes partes protuberantes humeri ſunt appendices. Eſt modo addenda linea in inferiori parte humeri exterius, quæ quidem eſt digna obſeruatione. Quoniam ab illa oriuntur ſex muſculi, qui inſeruiunt extremæ manui, tum etiam ad flexiones ipſorum digitorum. Ideo hæc linea aſpera & prominens eſt obſeruanda. Vltimò dicit Galenus, quod non eſt idem ductus & figura humeri, ſed multiplex. Nam quædam pars ſuperior, quædam interior: quædam interior, quædam poſterior: pars ſuperior, & exterior eſt conuexa, & gibba, ſiue prominens: interior verò eſt ſima, & concaua, ſiue excuſpta.

Sed inferior, & poſterior eſt magis excuſpta: partes verò inferiores, & anteriores magis ſunt planæ, & prominentes.

Digitized by Google

De Cubito & Radio. *Cap. XXVII.*

SVB oſſe humeri,ſunt duo oſſa alia,maius ſcilicet,& minus,& maius os habet nomen idē,quod & tota pars habet: nam *πῆχυς*,ideſt cubitus dicitur,huic ſuperponitur aliud os,quod à Græcis *κερκὶς*,à noſtris radius appellatur : ideo prius,& ſubiectum os,eſt vlna vel *πῆχυς*,ideſt cubitus : alterum eſt *κερκὶς*,ideſt,radius.Sed quæ cauſa eſt quare dicatur radius?Ob hoc obſeruādus eſt radius textorius: nam eſt lignum cauum, & acuminatum, in partibus extremis,in media vero eius parte,habet cauitatem exculptam:ideo,ob ſimilitudinem dicitur nauis, & vulgo, *la nauetta*, vel *nauicella*.

Ideo, cum radius habeat extremas partes acutas , & medias latas,ac cauitatem exculptam,cum ſimilis ſit figura,inter hæc duo oſſa ſimul compoſita,ideo dicitur radius,& fit huiuſmodi cauitas , & intercapedo , quia illic collocantur multi muſculi in anteriore & poſteriore parte .

Secundum notandum eſt,quod huiuſmodi os, quod appellatur cubitus , habet geminos proceſſus,in ſuperiori parte,qui iunguntur cum humero,& coronides appellantur: eſtque maior & minor . Maior ab Hippocrate *ἀγκὼν* dicitur , ab Atticis *ὠλέκρανον* . Sicut. Galenus,in lib.de vſu partium,& in commento de articulis & fracturis : noſtri gibbum , aliquando giberum appellant : Dores *κύβιτον* dixerunt.

Iſtæ coronides conſtituunt ſinum magnum,ad ſimilitudinem literę S,& ideo *σιγμοειδὴς* dicitur . Obſeruanda eſt appendix , quæ eſt in extrema eius parte : nam adiungitur pars parti, quæ prætermittitur ferè ab omnibus.

Tertio, radius habet cauum in ſuprema parte, quod exculpſit natura , vt reciperet exterius tuberculum humeri . Sed prætermiſſum eſt vnum, quod ſub ceruice eius reperitur tuberculum aſperum, & inæquale factum vt inſereretur muſculus anterior, flectens cubitum ad partes ſuperiores . Vſum huius oſſis radij addit Galenus , vt faciat manum pronam & ſupinam : nam dum circumuoluitur ſupra cubitum , facit vt manus fiat prona & ſupina .

Quomodo autem agglutinatur radius cubito ? Duobus in locis copulatur : in parte ſuperiore, & inferiore,per varia ligamenta. Additur (quod prætermiſſum eſt à Galen.) membrana media,quæ ligat totum radium toto cubito,ideo in interiore parte & radius & cubitus habent quaſi lineam,lineam acutam prominentem:cui annectitur hæc membrana in inferiore parte. Dicit,quod ambo oſſa,& radius,& cubitus,habent appendices: Sed qualis eſt appendix ? Notandum hic,quia non conſentio cum Galeno:dicit quod in exterioribus eſt gibba , in interioribus caua : quod falſum eſt de cubito ; quia in cubito , non adeſt quicquam tale,niſi ſolum ligamentum. Addit quod cubitus habet prominentem particulam, quæ *στυλοειδὴς* dicitur, quia eſt veluti columna, quæ eſt manifeſtiſſima in ſimia,non ita in homine.

Dicitur etiam *γραφιοειδὴς* , quia habet ſimilitudinem cum calamo ſcriptorio : & dicit , quod cauitatis vſus ſit,vt manus extendatur,ſed vſus columnæ eſt,vt circa illam circumuoluatur manus,& is eſt vſus totius cubiti : ideo veluti circa polum & centrum circumuoluitur manus, circa huiuſmodi .

De Brachiali , ſiue Carpo . *Cap. XXVIII.*

DECLARATIS iam duab.partib.totius magnæ manus,reliquū eſt,vt de tertia & vltima,ac infima eius parte dicamus : quā *ἀκρόχειρα*,i.ſummam manum,vocant. Sed Celſus manum ſimpliciter vocat,& hæc nunc explicanda eſt , quæ quidem non vna conſtat parte,ſed ab authorib.diuiditur,in tres partes : prima ſuperiore ; ſecunda,media : tertia infima.Quæ prior,& ſuperior eſt,Arabib. & barbaris raſetta appellatur,& eſt tota pars articuli,quæ quodā modo diſtinguit manum ab vlna, & cubito,quam partem Græci *καρπὸν* vocant : ſed ignoro cauſam etymologiæ , huius vocabuli, ſecundum Græcos : Celſus vocat hanc partem , priorem palmæ vel volæ partem : & de hac agit Galen. in 18. caput primum proponens quomodo appelletur hæc prima pars , & inquit quod appellatur *καρπὸς* : adiungit ſecundo loco , quibus partibus conſtet ,

& inquit, quod conſtat ex octo oſſibus numero, quæ quidem oſſa ſunt multiplicia: non enim eandem ſemper formam & figuram habent: quædam enim horum, ſunt oblonga: quædam rotunda: quædam plana: quædam alia multiplici figura conſtantia. Primo ergo notandum eſt, quomodo vocetur: ſecundo ex quot oſſibus conſtet: tertio, quod hæc ſint varia figura: quarto, & vltimo, quod ſint ſubſtantia dura, & non valdè caua, & minimam medullam habent. Sed addendum eſt, quomodo ſimul iungantur, nam certè ſi conſpicimus coniunctionem horum oſſium, videntur eſſe vnicum tantum os: Et cauſa erroris ipſorum fuit, quia anguſtis ligamentis, & arcto nexu copulantur, ita vt vnum videantur: quare inquit Galenus, quod ligantur ligamento quodam, quod ſapit naturam mediam, inter cartilaginem, ligamentum, & neruum.

Quæ ſententia non ita paret ex verbis interpretis: poſſumus quidem illud ex ſuis verbis intelligere, ſed non ſatis commodè, quia inquit ex neruis, cartilaginoſiſque nexibus: videtur ergo, quod duo ſint genera, nerueum, & cartilaginoſum, vel ligamentoſum.

Sed eſt intelligendum, vnum eſſe ligamentum medium inter hæc duo, ideſt, quod ſapiat naturam cartilaginis, & nerui: quia dicit Galenus νευροχονδρώδης. Copulantur ergo hoc modo, vnde autem oriantur hæc ligamenta poteſt facilè intelligi, quia ſcilicet ex membranis.

Præter hoc eſt obſeruandum, quod huiuſmodi oſſa, quamuis multiplicem habeant figuram, ita quod vnum differat figura, ab altero: tamen ſimul cōpacta & coniuncta quadam præſtantiſſima harmonia, vnam tantum efformant figuram: habent vnam ſuperficiem, & in hoc maximè laudanda eſt natura, quod ex varijs corporibus coniunctionem concinnam fecit, vt vnum appareant.

Et dicit Galenus, quod in exteriore parte, iſta coniunctio efformat gibboſitatem, & inæqualitatem, in interna vero parte cauitatem. Ideo talis eſt conformatio, vt exterior pars ſit gibba, & flexa: interior vero ſima. Sed obſeruandum eſt, quod cauitas interior, de qua loquitur Galenus, formatur ratione omnium oſſium ſimul coniunctorum, & etiam ratione duorum oſſium in extrema parte poſitorum: quæ in carpo huic inſeruiunt vlui, vt conſtituant quandam cauitatem, in qua lateant chordæ, & tendines muſculorum, qui flectunt digitos.

Oſſa autem iſta, quæ carpum efformant, ſunt octo numero, vt Galen. inquit, & duobus ordinibus diſponuntur, à natura ſcilicet ſuperiore, & inferiore. Nam non ita collocantur inuicē, vt hoc ſit primum, hoc ſecundum, hoc tertium; nam eſſet nimis longa linea, & longior, quam ipſa manus, & hac de cauſa natura diſpoſuit ea ijs ordinibus. Et ſuperiorem vocauit Galenus illum ordinem, qui iungitur cum radio, & vlna, cuius ordinis mihi oſſa iuncta, & ligata ſunt cum radio & cubito: in altero vero, & ſecundo ordine ſunt ea oſſa, quæ iunguntur cum oſſibus productioribus ſecundæ partis manus: & oſſa, quæ conſtituunt primum ordinem, ſunt tantum tria: in inferiore vero, & ſecundo ordine, quatuor ſunt inter ſe optimè ligata, & quintum adiunctum.

Cum ergo tria ſint oſſa primi ordinis, & ſuperioris, videndum eſt, quod horum ſit prius: mihi videtur, quod Galenus non eundem ſemper ordinem conſtituit: nam in ſecundo de vſu partium, ponit in primo loco os, quod ſubijcitur pollici: ergo tertium erit quod ſubſternitur minimo digito. Sed hic primum agit de hoc tertio, deinde de medio, tertio loco de eo quod ſubijcitur pollici.

Ideo poſſumus vtrunque appellare tertium, & quod pollici ſubijcitur, & quod minimo digito. Sed ego credo, merito illud primum eſſe, quod ſubſternitur pollici. nam pollex eſt ἀντίχειρ & veluti contraria, ac oppoſita manus, & niſi haberemus pollicem, manus reliqua eſſet inutilis.

Et hinc eſt, quod in ſimijs actiones manuum ſunt quaſi inutiles, ſi comparentur cum humanis; quia difficulter accipiunt aliquid, & comprehendunt: quoniam pollex illis minimus eſt. Homo etiam qui careat hoc digito, cui vel morbo, vel caſu ſit truncatus, videtur mutilus in omnibus ſuis actionibus.

Cum ergo pollex ſit veluti altera manus, & maximi momenti videtur mereri, vt incipiamus ordinem dictum ab oſſe, quod ſubijcitur pollici. Sed Gal. prout credo, incipit hic ordinem ab eo, quod ſubijcitur minimo, quia vltimo loco fecit mentionem de proceſſu στυλοειδῆ quem recipit hoc os: poſtea dicit, quod eſt diſſectum in duas partes.

Hoc eſt verum in homine, & etiam in ſimia, quia videtur diuiſum: de altero, & ſecundo dicit, quod collocatur in intercapedine, inter radium, & vlnam: de tertio dicit, quod habeat cauitatem lenem, in quam ingreditur στυλοειδὴς proceſſus, ſiue γραφιοειδὴς: hoc tamen in homine non reperitur, ſed in ſimia eſt ſinus paruus, in quem recipitur huiuſmodi ſtilus & proceſſus.

Poſt

Digitized by Google

Poſt hunc primum ordinem, ſuccedit alter ex ſententia Galeni, qui magis accedit ad ſecundam partem manus; qui ordo in ſe continet quinque oſſa, quatuor propria, & legitima, quibus adiunctum eſt & quintum.

Nam quatuor iunguntur in ſuperiori parte, cum oſſibus metacarpi, vel poſtbrachialis: additur & quintum cartilaginoſum à Galeno, multiplex in ſimia, & productum, quod inhæret ſecundo ordini, de quo agit Galenus in tertio de vſu partium: vbi ſubſtantiam, figuram, connexionem, & vſum ipſius tradit, quia in illo loco deſcribit, quæ magis in ſimijs ſunt proſpicienda, quàm in hominibus; nam non eadem eſt figura in homine, nec eadem locatio.

Vſus huius quinti oſſis, quod ſubijcitur minimo, eſt, vt inſeratur ligamentum muſculi flectentis manum: præterea vt alligaretur neruus, qui ingreditur in cauitatem manus, & exhibet ſenſum minimus muſculis.

Hæc ſunt placita Galeni, circa oſſa brachialis, vel carpi; quod ſint octo: quod duo ſint eorum ordines, alter ex tribus oſſibus, alter verò ex quinque.

De poſtbrachiali, & reliquis manus oſsibus. Cap. XXIX.

SVCCEDIT altera, & ſecunda pars manus, quæ poſtbrachiale dicitur: nam noſtri καρπὸν vertunt brachiale, μετακάρπιον poſtbrachiale: Celſus, nec metacarpion, nec poſtbrachiale; ſed alteram palmæ partem vocat: nam vt iſta, de qua loquuti ſumus, prima pars palmæ appellabatur; ita iſta, altera palmę pars, ab ipſo dicitur. Nam tres ſunt partes vaſiæ in manu; prima anguſtiſſima: ſecunda pars integerrima, non diſtincta in digitos: tertia & vltima pars diſtincta in digitos. Quicquid in anguſtiori ſede locatur, vocatur *tarſus* vel brachiale: ſecunda pars vocatur palma, vel στῆθος. Nam ſicut thorax conſtat coſtis, quæ habent interiacentem carnem, & muſculos, & efficiunt vnum corpus, ita etiam hæc oſſa, totam iſtam partem, cum ſuis muſculis, efficiunt ac efformant. Ideo dicitur στῆθος, ideſt thorax, vel pectus. Secundo Galenus docet, qualis ſit connexus inter ſe, oſſium conſtituentium poſtbrachiale, & inquit poſt brachiale, coniungi cum duabus partibus: altera, quæ diſſecatur in digitos: altera cum brachiali. in inferiore enim parte cum altero ordine brachialis coniungitur per συνάρθρωσιν, quia non eſt motus manifeſtus, ſed in ſuperiore parte coniungitur per διάρθρωσιν; quia motus eſt manifeſtus.

Et dicit, quod conſtet ex quatuor oſſibus; quæ ſi conferantur cum oſſibus manus ſummæ, ſunt magna, immo maxima: nam carpi oſſa ſunt parua reſpectu horum: ſic digitorum oſſa quidem ſunt magna, ſed non conferenda cum his. Ideo quatuor hæc ſunt magna, & ſi adiungamus os ex pollice, erunt quinque oſſa iſtius partis: varia enim eſt ſententia authorum circa poſtbrachiale. Nam Celſus dicit, illud conſtare ex quinque partibus, ſiue oſſibus, vt prior pars pollicis ſit quinta, quod quidem dicit ſequutus ſententiam Ariſt. ſexto de hiſtor. animal. cap. 15. vbi Ariſtoteles loquens de oſſibus digitorum, dixit, quod oſſa digitorum ita ſe habent, vt quibuſdam partibus flectantur, in quibuſdam rigidi maneant, vt in extrema articulatione.

Pars quæ flectitur propriè κόνδυλοι dicitur, ſed infima eorum pars φάλαγξ: digiti habent geminos condylos, ideſt, articulos, quia flectuntur: exemplo ſit index, qui habet duplicem articulum; tertius enim eſt communis poſtbrachiali; ſed pollex vnam tantum flexionem propriam habet. Si igitur vnam tantum flexionem habet, ſequitur quod tantum duo ipſius oſſa ſint; quia digiti habentes duos articulos habent tria oſſa; nam ſi duo ſint articuli proprij digiti, oportet vt ſint tria oſſa; & hac de cauſa primum os pollicis aſcribitur poſtbrachiali.

Quare poſtbrachiale ex ſententia Celſi, Eudemi, Ariſt. & aliorum conſtat ex quinque partibus: Sed ſi ponimus & obſeruamus modum coniunctionis, quoniam docuit Galenus & actionem & motum, opus eſt, vt dicamus tertium os pollicis differre contextione, vſu, & motu, à quatuor reliquis; nam illa quatuor coniuncta ſunt per συνάρθρωσιν, & copulata carpo; ſed os primum pollicis connectitur quidem carpo, ſed nexus ille laxus eſt, ita vt validè poſſimus mouere: præterea, ſi conſpicimus partem ſuperiorem metacarpi cum digitis, etiam laxus eſt ille motus; vnde, ſi conſideramus motum, non eſt idem motus oſſis primi pollicis & metacarpij.

Ideo diceremus poſtbrachiale conſtare ex quatuor tantum oſſibus; pollicem verò ex tribus partibus, ſicut & reliquos digitos. Addit vnum Galenus; quod eſt maximi mo-

menti, quod poſtbrachiale coniungitur oſſibus digitorum, quæ σκυταλίδες, vel φάλαγγες dicuntur, & hoc affert ex Ariſtotele; nam Ariſtoteles appellat partes, in quibus flectuntur iſta oſſa, κονδύλους, ſed partes rigidiores, φάλαγγας. & huius multiplex eſt ratio, vel quia digiti habent longa iſta oſſa, ſicut phalanx genus aranei, quod habet productiora crura, & articulos, ſicut in digitis: poſſunt etiam ſic dici, ſimilitudine ſumpta ab exercitu, qui habet ordines ſenſim collocatos; ſic etiam collocantur oſſa in digitis; de numero oſſium digitorum addit, quod vnuſquiſque digitus habet tria oſſa. Ita, vt quædam ſint inferiora, quædam media, quædam ſuperiora, taliſque ſit ordo, & ratio, vt ſemper ſuperiora ſint maiora, quæ media, medio modo ſe habent, in infimo loco ſint minima.

Et quoniam ex digitis quidam ſunt maiores, & craſſiores, ideo & oſſa eandem ſeruant craſſitudinem, ita vt, cum minimus ſit paruus, ſenſim etiam attenuantur oſſa ipſius; magnus in medio habet craſſiora minimo; ſed ἀντίχειρ habet craſſiſſima oſſa omnium: oſſa omnia, quæ digitos efformant, ſunt quindecim, cum vnuſquiſque digitus habeat tria oſſa, & digiti ſint quinque, meritò omnium oſſa in totum erunt quindecim; verum ſi volumus aſcribere primum os pollicis poſtbrachiali, erunt ſaltem quatuordecim: Et ſi primo numero addamus quatuor oſſa poſtbrachialis, erunt decem & nouem: ſi adiungamus octo brachialis, ſunt vigintiſeptem, & duo cubiti & radij ſunt vigintinouem. ſi adiungamus humerum, triginta oſſa totam manum efformabunt, quorum alia maxima, alia mediocria, ac mollia & tenera. Circa brachiale, vnum eſt obſeruandum, ex ſecundo de vſu partium; quod Galenus videtur noni oſſis mentionem facere; quod nonum os ſubijciatur pollici.

Hoc à me nunquam eſt viſum, in homine non reperitur. Sed obſeruandum, quòd verba Galeni difficillima ſunt, vt videantur ſapere corruptionem textus; quia Galenus ſui natura nunquam eſt difficilis: eſt enim placidiſſimus author & clariſſima ſunt eius ſcripta; & tamen illa verba in illo loco ſunt obſcura; non audeo tamen reprehendere & emendare locum; volui tamen adnotare difficultatem, vt quis poſſit tentare, an poſſit reperire ſententiam; nam in hominibus non reperi huiuſmodi os. Addendum eſt vnum, quod prætermittitur à Galeno, quod cum digiti habeant multa oſſa, habent intercapedines quaſdam, quæ ſi relinquerentur vacuæ, non efformarent manum pulchram. Ideo ne derelinquerentur huiuſmodi intercapedines, natura interpoſuit corpuſcula quædam, quæ aliquando ſunt cartilaginoſa, aliquando oſſea: & quia ea oſſicula habent talem magnitudinem, quam ſemina ſeſami habent; ideo σησαμοειδῆ appellantur.

Vnde præter numerum oſſium totius magnæ manus prædictum, reperiuntur in extrema manu hæc oſſicula. De numero autem oſſium carpi, addo hoc, quod octauum atque vltimum, ſiue quintum ſecundi ordinis, meo iudicio, eſt quartum prioris ordinis; quia eſt rotundum, & in vna parte compreſſum, qua annectitur tertio oſſi prioris ordinis.

De oſſibus, quæ cum oſſe ſacro coniunguntur. Cap. XXX.

CVM multa ſatis in hac oſſium materia dicta ſint, tempus poſtulat, vt quodammodo canamus receptui, & quicquid oſſium ſupereſt, cum ſatis doctè ſe gerat Galen. breuiter interpretemur. Galenus enim, quæ ſuperſunt, oſſa ſatis adamuſſim deſcribens, facit vt & nos non ſimus prolixiores: breuiter ergo tractabimus de reliquis oſſibus, quæ σκελετὸν conſtituunt ac componunt. Dictum iam eſt, totum corpus in truncum, & artus diſtingui: & artus alios ſuperiores, alios inferiores eſſe: inter ſuperiores, connumerauimus magnas manus, quæ iam ſunt explicatæ: iam artus inferiores ſuperſunt, qui & ipſi gemini ſunt, & crura appellantur; in quibus, & id penitus obſeruandum eſt, quod & circa manus. Diximus, manum varijs motibus agitari; quæ, vt certior & magis ſtabilis eſſet, requirebat, vt baſis & fundamentum adderetur, ſupra quod inniterentur reliqua oſſa, quæ mouentur; idem requiritur in oſſibus artuum inferiorum: ſi crura, & reliqua oſſa inferiora debent moueri, opus eſt, vt habeat baſim ſtabilem: hæc autem baſis ex duplici conſtat oſſe; altero in vna, altero in oppoſita parte locato. quæ quidem duo oſſa à Celſo, oſſa coxarum, vel coxæ vocantur: ab in-

ab introductorio, ſiue authore illius libri huiuſmodi oſſa ἰσχία: à Gal. in hoc libro deſtituuntur proprio nomine. Sed potius appellantur oſſa, quæ cum ſacro oſſe copulantur. Nam, vt in principio huius capiris aſſerit, hæc oſſa non habenr proprium nomen; ſed multiplex ratione partium multiplicium. Nam habent quaſdam partes ſuperiores, quaſdam inferiores, quaſdam anteriores, alias poſteriores, alias internas, alias externas. Et ſciendum, quod conſtanr ex tribus oſſibus in puerulis. Ergo oſſa ἰσχία, prærer prædictas differenrias, iunguntur etiam cartilagine, quæ poſtea conuertitur in ſubſtantiam oſſeam, ita vt efficiant vnum, & inregrum. Inquit ergo Galenus, quod pars ſuperior ampla, & lata appellatur à quibuſdam λαγόνων ὀστῶν, ideſt, os ilium: vocatur etiam ab Hippocrate κενεών. Nam κενεὼν apud Hippocratem & Medicos dicitur ilium. partis ergo ſuperioris hæc eſt appellatio. Huic ſuccedit pars, quæ reſpicit partem poſteriorem, quæ reſpicit partem profundam: hæc à Galeno & Hippocrate dicitur ἰσχίον. inferior ergo pars hæc, coxendix vel ἰσχίον appellatur: anrerior pars, in qua eſt cauitas, & feneſtra, à Græcis ἥβης ὀστῶν dicitur, ideſt, os pubis, vt teſtatur Galenus & Hippocrates, quia ibi collocatur pubes. Nam ἥβη apud Græcos propriè non iuuenturem, ſed potius lanuginem, & pilos molliſſimos ſignificar; qui oriuntur vbi iuuentus incipit. Ideo etiam apud Poetas ἥβη appellatur. Cum ergo in parte iſta, quando adoleſcens ad pubertarem peruenit, & creſcit, oriunrur pili, qui ἥβη dicunrur; ideo & hæc pars ἥβη appellatur, & cum hæc oſſa ſubſternantur iſti parti, ideo dicuntur oſſa pubis; quamuis & Hippocrates κτεὶς, ideſt pecten vocer: ideo etiam apud Latinos pecten ſignificar. os ergo illud ἥβη & κτεὶς dicitur.

Hæc oſſa omnia iunguntur cum oſſe ſacro, vt diximus, quando egimus de proceſſibus tranſuerſalibus oſſis ſacri: Eſtne aliud obſeruandum? Eſt hoc quod in tertio oſſe ad partes poſteriores eſt cauiras profunda, quæ appellatur κοτύλη; quia exculpta eſt tanquam menſura caua.

In qua cauitate inſeritur prominens capur femoris, cui ligamentis quibuſdam connectitur. Eſt feneſtra cauitas obſeruanda, quam θυρεοειδῆ vocanr: quia habet ſimilirudinem portæ. Nam, vt portæ, ſemper paret; vt ſit peruia neruis & venis, quæ permeant, ideo θυρεοειδὴς nuncupatur.

Ita quinque ſunt obſeruanda: pars ſuperior, quæ os ilium dicitur, pars inferior, quæ ἰσχίον vocatur; pars anrerior, quæ os pubis appellatur: (Hic vnum eſt obſeruandum, quamuis Galenus veram ſignificationem huius vocis tradat: tamen in libris de vſu partium, & de adminiſtratione anatom. appellar totum os ἰσχίον, ideſt coxendicem; ſed vera ſignificatio eius eſt, de parre poſteriore & inferiore pariter: & Hippocrates in lib. de arti. varijs in locis aliquando ἰσχίον vocat rotum articulum: aliquando partem inferiorem, aliquando rotum os, & ſic variæ ſunt authorum ſignificationes.) Quartum obſeruandum eſt κοτύλη, quæ & pixis dicitur: præter hæc ex Galeno eſt notandum ex ſecundo de adminiſtratione anatom. capite quarto. quod pars ſuperior & elatior habet etiam duas partes, vna eſt ſumma, aſpera, & prominens, quæ eſt gibba, & appellatur dorſum: alia pars protuberans, & inæqualis quaſi per lineam terminata, quæ ῥάχις ἰσχίου, ideſt ſpina coxendicis, appellatur.

De femore. Cap. XXXI.

OSSIBVS, quæ iunguntur cum oſſe ſacro, ſuccedit alterũ vtrinque collocatum, quod & femur, & μηρὸς ab anatomicis appellatur: A Celſo hæc oſſa dicuntur femora, tum fęmina: ſiue ergo appellemus femur, vel femen, non eſt magni momenti: Galenus dicit, quod eſt maximum inrer oſſa humana: Hoc eſt verum: ſi enim conferamus hoc os cum tibia, humero, & alijs, certè eſt maximum in corpore noſtro, & non ſolum in hominibus, ſed in ſimijs, canibus, & reliquis quadrupedibus.

Quamuis in pennatis animantibus eſt breuius: ſicut in grue, & ciconia, in quibus ribia eſt longiſſima, & multum longitudine excedit femur. Ideo de hominibus, ſimijs, & alijs brutis verum eſt, quod ſir maximum. Eſt mulriplex hoc os. Habet partes inferiores, & ſuperiores: inrer ſuperiores obſeruandum eſt, quod habet capur productum, & magnum, quod rotundum inſerit in cauum, & cotylen, quam deſcripſimus in coxendice. Hoc os, prærer caput, haber & ceruicem. Immo fere in nullo alio ita exquiſitè apparet ceruix: apparet etiam manifeſtè ceruix in maxilla inferiore.

Capur

Caput ergo femoris eſt rotundum, & inferius craſſum : ſed ceruix gracilis eſt, & anguſta. Præter caput ſuperius addit Galenus aliud caput inferius. Nam inquit, quòd inferiore parte femur dilatatur : & diſtinguitur in duo capitula, quæ cùm ſint duæ partes prominentes magnæ poſſunt dici duo capita ; ideo in ſuperiore parte eſt vnum caput, & in inferiore duo : alterum internum, & alterum externum : & talis eſt inter illa capita differentia, quod internum ſit maius & craſſius, quàm extremum. Iſta capita ita diſtinguuntur, vt ſinus medius, & in parte poſteriore habent ſinum, quo maximè inter ſe diſtinguuntur : capita hæc cum tibia iunguntur ; nam ligantur varijs ligamentis, quæ in hoc capite explicantur à Galeno, qui dicit, quòd ligantur primum communibus ligamentis ; nam circumquaque in partibus poſterioribus, & ferme medijs, ligantur inter ſeſe ligamentis communibus ; quemadmodum fere omnia oſſa, quæ mouentur in manibus, & pedibus. Sed præter hanc membranam communem & ambientem totum articulum dicit, quod adſunt tria alia ligamenta, quibus ligantur, quæ diſtinguuntur ratione partium articuli ; nam in articulo ſunt partes anteriores, & poſteriores, internæ & externæ. Igitur cum tot ſint partes, ratione illarum diſtinguuntur huiuſmodi ligamenta : in parte anteriore (hoc eſt obſeruandum) nullum adeſt ligamentum, quia natura illic collocauit patellam, vel molam, de qua ſuo loco dicetur. Quare pars relinquitur fine ligamento. Sed in parte poſteriore in interiore, & exteriore habet præter communia ligamenta, etiam particularia.

Alterum ligamentum ponitur in media parte, ex ſententia Galeni ; quod teres eſt durum, atque rotundum, & agglutinatur femori ; & illud etiam adiungitur tibiæ in parte interna : In exteriore parte eſt illud ligamentum validius, fortius, & craſſius, quod eſt maximum : in poſteriore parte in cauitate aliud eſt ligamentum, quod tibiam & femur optimè ligat.

In poſteriore parte eſt & aliud, ſ. tertium ligamentum. Præter hæc tria ligamenta oritur aliud à tuberculo medio tibię, quod [illegible] dicitur : Forma autē femoris inquit Gal. quod multiplex : quia aliæ eius partes ſunt anteriores, aliæ poſteriores, alię internæ, aliæ externæ : Inquit ergo quod flectitur, & eſt gibbum in anteriore parte, atque in exteriore : In parte verò poſteriore, & interiore ſimum eſt ; quæ ſententia in homine videtur vera : quamuis in interiore, & exteriore ſit ambigua : ſi enim conſpiciamus, eſt gibbum prominens, in parte ſuperiore. Sed ſi accipiamus filum, & ducamus perpendiculum à parte ſuperiore ad inferiorem, pauca eſt differentia dilatationis ad interiorem, & exteriorem partem : nam ſuperiores partes in partem exteriorem, inferiores in interiorem videntur inclinare : ſed oſſa ſimiarum tantum abeſt, vt ſint flexa in exteriorem partem, at potius flectantur in interiorem ; ſed in homine eſt difficilius iudicare : & ſi volumus rectè videre, inferior pars in interiorem, ſuperior verò in exteriorem videtur inclinare : vltimo obſeruat Galenus in huiuſmodi oſſe, præter capita, ceruicem, & ligamenta, etiam in partibus ſuperioribus, adeſſe veluti geminos proceſſus & tubercula parua, quæ τροχαντῆρες à Græcis vocantur, id eſt rotatores. Cauſa huius appellationis fuit, quoniam vt plurimum inſeruntur in hos proceſſus muſculi, qui rotant femur : nam quando circumgyramus femur, iſtius motus authores ſunt muſculi, qui inſeruntur in huiuſmodi proceſſus ; & ideo ab eorum vſu & officio τροχαντῆρες dicuntur. Quorum diuiſio eſt, vt alter ſit maior, & alter minor. altet omnium ſcilicet maior eſt exterior, qui τροχαντὴρ μέγας vocatur : alter ſcilicet minor, eſt interior, qui τροχαντὴρ μικρὸς dicitur : Et non ſolum ſunt proceſſus, ſed partim appendices, partim proceſſus, & maior pars eſt appendix : Et hec de femore, quod quidem veluti primum os, ad conformationem cruris concurrit.

(*)

De Crure

De Crure ſiue Tibia. *Cap.* XXXII.

SVCCEDIT femori altera pars inferior, quæ hoc modo explicatur à Galeno. primo, inquit, quod quemadmodum πῆχυς appellatur totus cubitus cum radio, & vlna, & etiam vlna ſola: ita & κνήμη & totum crus inferius, & partem etiam ſignificat: hæc pars conſtat duobus oſſibus ſatis magnis, quorum alterum exterius eſt maius, alterum verò in partibus poſterioribus minus: duo ergo ſunt oſſa ſatis magna; ſed exterius & anterius maius eſt, quod κνήμη à Græcis dicitur, à Celſo tibia vocatur: Et quemadmodum femur habet cauitatem magnam, in qua eſt medulla: ſic quoque in iſto oſſe eſt cauitas. In parte ſuperiore eſt caput magnum, quod habet duas cauitates magnas, in quas ingrediuntur gemina capita inferiora femoris, & vt iſtæ cauitates maiores eſſent, natura interpoſuit vtrinque lunatam cartilaginem, quæ ſinum profundiorem reddit.

Inter has cauitates, vt inquit Galenus, reperitur ligamentum, quod oritur in parte interna ſatis craſſum, ac neruoſum, & partim cartilaginoſum, quod inſeritur in partem mediam femoris, quo ligatur & iungitur huiuſmodi articulus; quod ligamentum Hippocrates διάφυσιν appellabat, vt dixi ex ſententia Galeni: nam διάφυσιν interpretantur diſcriminationē interpretes, quam intelligunt ligamentum: ſed mea ſententia potius loquuntur de tuberculo, quod ingreditur in cauitatem inter duo capita femoris inferiora, & eſt cauſa ne articulus labatur hincinde in vtranque partem. Hoc igitur eſt ligamentum, de quo loquitur Galenus, antequam vlterius progrediatur, deſcribit παρακνήμιον, quæ ſura à Celſo dicitur, ab alijs fibula: quia tanquam fibula vnit tibiam pedi, vt ſenſu apparet: & magnitudine eſt inferior tibia: eſt enim breuior, & tenuior, Adiungiturq; tibiæ duobus in locis, in parte ſcilicet ſuperiore, & inferiore: cubitus in brachio habebat vtrunque os, & radium, & vlnam coniunctam humero: ſed in crure fibula adiungitur tibiæ, non femori; atque inter tibiam, & fibulam relinquitur ſpatium, ſicut etiam inter radium, & cubitum, & eſt membrana media, quæ diſtinguit muſculos poſteriores, & anteriores. Enumeratis his oſſibus, adiungit Galenus, quod tibia, quæ eſt anterior, eſt penitus priuata carne: tantum enim adeſt cutis ſupra iſtam partem, quam optime quiſque poteſt videre, quoniam paucos reperiri credo, qui non aliquando impegerint in ſcandalum aliquod: nam ſemper pedibus apponitur vel lignum, vel ſedes, vel aliquod aliud inſtrumentum, in quod cum volumus procedere, impingimus: & cum non interſit caro, ſed cutis tantum, cumque concutiatur à re oppoſita, & parte ſubiecta inferiore oſſea, excitatur maximus dolor; ideo etiam hæc pars ἀντικνήμιον appellatur: aliqui verò ocream verterunt, ſicut hic author vel interpres. Eſt obſeruandum circa tibiam, & ſuram, quod ſunt partes prominentes, quæ σφυρὰ à Galeno appellantur, nos malleolos appellamus: & ſi quiſque tetigerit proprium pedem, in parte inferiore, reperiet duo tubercula: quorum interius eſt productius, exterius verò minus productum. In quo obſeruandum eſt, quod quidam appellarunt ea ἀστραγάλους, in quo reprehendendi ſunt: & hoc non ſolum à Græcis, ſed etiam à Latinis factum eſt.

Nam quidam ignota hiſtoria oſſium, & partium corporis appellant talos, & non ſolum ſic dicuntur ab his, qui humaniorib: literis operam dant: ſed etiam à Celſo lib. 8. capite primo, & etiam lib. 6. cap. 18. quando mandat, vt mittamus ſanguinem in inflammationibus teſticulorum ab interno talo, cum debuiſſet potius malleolum dicere, vel appellare σφυρά: ideo inualuit vſus, apud Græcos & Latinos, vt malleolos talos vocent: ſed ita verterunt interpretes, vt fuerint cauſa erroris. Hoc ergo docet, quod non tali, ſed malleoli debeant appellari: & dicit, quod in vltimis partibus, hæc duo oſſa ſimul iuncta efficiunt cauitatem, quę excipit tuberculum, vel os ſubiectum, quod eſt verè ἀστράγαλον.

(::)

De patella. *Cap. XXXIII.*

DVM ſupra loqueremur de ligamentis, quæ ſimul ligant femur & tibiam: dictum fuit, quod in anteriore parte, nullum habent ligamentum quo ligentur: vnde, ne iſtæ partes eſſent deſtitutæ ligamento anterius; ideo natura conſtituit os quoddam rotundum à quibuſdam μύλη dictum; quia eſt rotundum & molæ effigie conſtans, quod quidem collocatur in parte anteriore femoris, & cum habeat partes ſinuoſas, recipit partes prominentes articuli. Sed ſi aliquis quærat, cur natura non poſuit in ea parte ligamentum, ſed potius os: ſciendum, quod pes eſt grauis, & nos interdum, præter caligas, induimus ocreas, & certantes in duello, ſolent apponere pedibus plumbeas laminas, vel ſoleas, quæ quandoque quatuor vel quinque libras pendent. Ideo cum iſta pars grauis ſit, ſi appoſuiſſet ligamenta ex chordis, rupta fuiſſent, aut attrita: ideo in hac parte natura non appoſuit neruеas chordas oſſi; ſed in parte media oſſeam ſubſtantiam, quæ non facile attereretur in motu: & chordæ, quæ extendunt tibiam, adiunguntur huic oſſi, & illud circundant; ideo attracto hoc oſſe, attrahitur tibia, & extenſo extenditur: itaque natura loco fortis ligamenti vtitur hoc oſſe, quod Galenus cartilaginoſum appellat: ſic etiam Marinus, non quidem quia integrum ſit cartilago, ſed quia abundat multa cartilagine, & in generatione etiam integrum eſt cartilago, & nulla eius pars tunc eſt oſſea. Ideo cum in generatione ſemper ſit cartilaginoſum, præterea abundet multa cartilagine, propterea cartilaginoſum à Galeno, & Marino appellatur; nec ita digni ſunt reprehenſione, vt quidam illis imponunt.

De pede. *Cap. XXXIV.*

SVB tibia locatur pes, quem Græci πόδα vocant: qui ſicut ſumma manus ex tribus partibus conſtat; quamuis videatur conſtitui à Galeno ex quatuor partibus, ex digitis, ex pedio, ex tarſo, & ex tribus alijs oſſibus, quæ his non accubat: ſed ſi volumus ſequi Galenum in libris de vſu partium, & de adminiſtratione anatom. non deſcribemus tria illa vltima oſſa ſeparatim, ſed illa cum tarſo explicabimus. Primum ergo enumerat tria priora oſſa, quorum ſuperius eſt ἀστράγαλος, noſtri talum vertunt: cuius tali forma multiplex eſt; quamuis aliqui malleolos appellent aſtragalos, ſed malleoli σφυρὰ dicuntur. Talus ergo habet partem interiorem, exteriorem, anteriorem, & poſteriorem, quę ſunt variæ: Vnde hoc os πολύμορφον vocatum eſt, quia habet multas formas: eſt rotundum, eſt quadratum, eſt ſupercilioſum: pars ſuperior quadrata τετράεδρον, vel τετράγωνον dicitur, quia terminatur quatuor terminis. Sed hæc forma magis in talis capreolorum apparet: nam videtur tempore Paſchatis, vel reſurrectionis Domini, quando comeduntur hędi, pueri aſſumunt ex pedibus illorum huiuſmodi oſſa quadrata, quæ ἀστράγαλοι proprie vocantur, & cum illis ludunt. Et apud antiquos etiam vſus erat. Sunt ergo quadrata huiuſmodi oſſa in hœdis, quibus ludunt pueri in parte ſuperiore, ideo τετράεδρον vocarunt. Pars poſterior huius oſſis lenis eſt ac mollis, & habet ſuperficiem modicè orbiculatam, quod in homine etiam apparet, ſed magis in canibus: in talis agninis & hœdinis maximè manifeſta eſt hæc pars, quæ eſt orbicularis, & rotunda. Nam talus in anteriore parte eſt rotundus, & habet veluti caput, partes eius laterales ſunt tanquam gemina ſupercilia: habet & partem inferiorem, quæ caua eſt, & vnitur cum oſſe, quod calcaneum magnum efformat: nam ſuis partibus cauis recipit partes iſtius prominentes; quod os calcanei eſt maius omnibus oſſibus, quæ ſunt in pede. Præter hanc partem ſuperiorem inæqualem, quæ recipitur à talo: calcaneus etiam habet partem inferiorem qua inſiſtimus quando recti ſtamus; nam tunc recti ſtamus, quando ſupra calcaneum inſiſtimus, non ita quando in pede. habet & calcaneus partem interiorem, quæ eſt rotunda & lata, veluti optimè deſcripſit Galenus; nam in intima parte eſt rotundum, in exteriore & poſteriore parte magis latiuſculum, & hęc deſcriptio vera eſt in calce ſimiarum: nam in inferiore parte eſt latius; ſed in exteriore parte qua excipit prominentiam tibiæ, eſt rotundum.

Digitized by Google

Et ſciendum eſt, quòd hoc os in poſteriore parte donatur appendice, cuius non meminit Galenus: Præterea habet duas partes, alteram quæ reſpicit magnum digitum, alteram quæ reſpicit minimum: nam parte qua reſpicit magnum digitum, coniungitur cum talo: parte verò, qua reſpicit minimum, non coniungitur cum talo: ſed cum oſſe, quòd κυβοειδὴς appellatur.

Adiungitur tertium os, σκαφοειδὴς dictum, quod habet cymbæ ſimilitudinem: ſed certè, ſi cymbæ tales eſſent, non poſſemus nauigare per flumina & maria: ſed quia habet aliquam cymbæ ſimilitudinem, dicitur σκαφοειδὴς: at parua & vmbratilis potius eſt ſimilitudo.

Huius oſſis cauitatem talus ingreditur. Hæc ergo ſunt tria iſta oſſa, quibus ſuccedit tarſus conſtans ex quatuor oſſibus: tria quidem, quæ χαλκοειδῆ appellantur; quia ſunt dura, & cunei ferrei ſimilitudinem habent. Quibus adiungitur quartum, quod connectitur oſſi calcis in parte, & ſubijcitur digito minori: quod quartum os dictum eſt κυβοειδὴς, quia habet quatuor latera, inferius, ſuperius, & duas partes laterales: & quemadmodum quodque cubicum corpus ſex partibus conſtat; ſic quoque hoc os, quia teſſeræ ſimilitudinem habet; ideo & κυβοειδὴς dicitur, & eſt collocatum in parte exteriore ſub digito minimo; reliqua tria tarſi oſſa χαλκοειδῆ dicuntur, ob duritiem, vel ob ſimilitudinem cunei ferrei.

Penultima pars pedis eſt πεδίον, & à quibuſdam στῆθος appellatur, à noſtris planta pedis dicitur, Celſus etiam plantam appellat; & dicit, quòd ταρσὸς reſpondet primæ parti manus, ſcilicet brachiali: πεδίον verò, vnde planta reſpondet alteri parti manus, ſcilicet poſtbrachiali. Et digiti pedum digitis manus; ſic & eorum vngues illarum vnguibus. Itaque hæc pars πεδίον, vel planta, vel στῆθος eadem ratione, quam dixi in manu; ſed differt à poſtbrachiali, quia hæc ex quatuor oſſibus tantum conſtat: pedion verò ex quinque.

De digitis pedum eadem ratio eſt, quia in manu; quia digitorum manus tria ſunt oſſa; pariter & pedum digiti tria habent oſſa; ſed quia pedij, vel poſtpedialis (vt ita dicam) quinque ſunt oſſa, ideo in manu erunt quindecim digitorum oſſa; ſed digitorum pedis erunt tantum quatuordecim. Subiungit Galenus, quòd hæc ſunt, quę neceſſaria erunt, pro tyronibus artis anatomicæ, & tandem facit mentionem quorundam oſſium; ſicut illius in gutture, quod ὑοειδὴς dicitur, ideſt, habens ſimilitudinem literæ Græcæ υ, ideo & ὑψιλοειδὴς vocatur.

Dicit etiam eſſe quædam oſſa ſeſamina, de quibus nullam mentionem facit, cum ſint parua, & fermè non habeant certum numerum, & ſint cartilaginoſa, & præſertim in tenerioribus animalibus.

De numero oſsium corporis humani.

Cap. XXXV.

HABITA hiſtoria, & declaratione omnium oſſium corporis humani, reſtat vt eorundem numerum colligamus. Sciendum ergo, quod poſſumus redigere in magnum numerum, ita vt omnibus oſſibus collectis, & magnis, & paruis eliciatur numerus: poſſumus etiam facere numerum anguſtiorem; nam quædam oſſa poſſunt eſſe vnum, & tamen conſtare ex pluribus partibus, vt os pectoris, os coccygis.

Si ergo volumus oſſa redigere in anguſtiorem numerum, ſunt ducentumtriginta oſſa in corpore humano, qui numerus colligitur hac ratione; Oſſa propria capitis ſint ſex, communia duo, ſuperioris maxillæ decem, in vtraque aute tres, vt in autibus ſint ſex; maxillæ inferiotis, ideſt dentes, vigintiocto; nam ſæpe ſunt capita, in quibus genuini non ſunt orti: os pectoris, os ſacrum, ideſt os coccygis; coſtæ vigintiquatuor, vertebræ vigintiquatuor, ſcapulę duo, clauiculæ duo, humeri duo, cubiti duo, radij duo, in qualibet manu vigintiſeptem; ita quod quinquagintaquatuor oſſa ambarum manuum conſtituant primam, ſecundam, & tertiam partem.

Ad inferiora deueniendo, oſſa coxendicum duo, quæ cum oſſe ſacro committuntur; femora duo, tibiæ duo, ſuræ duo, poſtea viginriſex, quæ efformant alterum pedem, ita quod quinquagintaduo conſtituant vtrunque pedem.

Simul

Digitized by Google

Simul ergo collectis omnib. iſtis numeris minoribus, efficient numerum hunc maiorem ducentorum triginta oſſium in corpore humano; quod ſi volumus diſtinguere &, addere maiorem numerum, ſic vt addamus os ὑοειδὲς, quod conſtat vndecim partibus, præterea & os cartilaginoſum, exiſtens in medijs naribus, ſimiliter ſic diſtinguamus os ſacrum in ſex partes, os pectoris in tres partes, os coccygis in tres partes, dentesque numerentur triginta-duo, collecto hoc altero maiori numero, erunt in corpore humano ducenta quinquaginta ſex oſſa. Exceptis tamen ſeſaminis, quorum numerus non eſt certus. & hæc de hiſtoria & numero oſſium corporis humani.

(*)

GABRIE-

Digitized by Google

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS,

Medici, ac Philoſophi præclariſsimi,

DE LVXATIS ET FRACTIS OSSIBVS,

Tertij Tomi Tractatus Quartus.

PRAEFATIO.

OSSA *animalium à Natura facta ſunt, vt ait Ariſtoteles in ſecundo de partibus animal. cap. 8. & 9. & alibi; & Galenus in principio lib. de oſsibus, & in primo de adminiſtr. anatom. cap. 2. vt partes molles, & præcipuè carnes, quæ ad ſenſum, & ad alia munia requiruntur, fulciantur, & ſuſtententur: nec ſolum ad hunc vſum fabricata ſunt; verùm etiam vt corpora illa mollia efformarent, & configurarent: nam partium corporis figura, & conformatio ex oſsibus dependet, vt experientia indicat, & vti docet Galenus loco dicto. Cumq́; vnum ſit animal, neceſſariò etiam requirebatur, quòd vna eſſet conformatio, & vna figura, ſeu harmonia partium inter ſe, quæ animal eſſet hac, vel illa figura præditum, pro diuerſitate ſpecierum, vt homo figura humana, bos figura bouis, & reliquæ ſpecies figura ſibi propria, & accommodata: & quemadmodum venæ omnes ſunt vnum, vt dicit Ariſtoteles eodem loco, quia ſunt ſimul copulatæ, & nulla eſt, quæ non ſit alicuius pars tanquam principij, cum omnes à cor-*

Oſſa fulciũt, & figurant corpus.

de oriantur, vt dicit Philoſophus; ita quoque omnia oſſa vnum eſſe os oportuit, quoniam ſi ad oſsium figuram, & conformationem ſuccedit animalis figura, & figura vna eſt, neceſſe fuit, vt & omnia oſſa vnum eſſent os, ſicuti re vera vnum ſunt, quia ab vnico dependent principio, ſcilicet ab ipſa ſpina dorſi: hac igitur ratione vnum corpus vna figura conſtat ab oſsibus accepta. Verùm, cùm animal propter motum, quo procedit voluntariè, animal ſit, non poterat vnico oſſe conſtare, cùm illud nec flecti, nec mutari voluntariè poßit. Quare ob motus, ac flexuras opus fuit, vt ex pluribus partes conſtarent, vt dicit Ariſtoteles in ſecundo de partibus, capite octauo & nono, & Galenus in duodecimo de vſu partium, capite primo. Addatis, quòd cum plures ſint partes intrinſecæ in animali, quæ debent foras tranſmitti, & cum extrinſecis partibus copulari; ideo ob contenta quædam, quæ erant emittenda, non potuit vnum eſſe os: exemplo ſint vobis membranæ capitis internæ, quæ, niſi pluribus partibus conſtaret os capitis, non potuiſſent foras tranſmitti per ſuturas. nec ad hæc tantum reſpexit Natura; ſed etiam ad δυσπάθειαν, ſeu ad difficultatem patiendi, atque ad robur, quæ difficultas ad patiendum oritur aliquando ratione oſsium, ut oſſa capitis difficilè franguntur, quia plura ſunt; in manu quoque ad carpum conſpicitur hæc difficultas ad patiendum, eò, quòd oſſa inibi plura ſint. Ad iſta quatuor reſpexit Natura in formandis oſsibus, ſcilicet ad fulcimentum, & ſuſtentationem: ſecundò ad figuram, & conformationem partium: tertiò ad tranſmißionem partium internarum ad exteriora, ut cum extrinſecis colligarentur, & coniungerentur: quartò ad robur, ſeu ad difficultatem patiendi ipſarum partium: his addatis motum, ad quem reſpiciens Natura, fecit ut non unum eſſent oſſa, ſed plura: ita tamen colligata, ut unum tantum eſſe uideantur: nam quibuſdam harmonijs extremas partes oſsium ita conſtruxit, ut ſimul optimè aut per ſe colligentur, aut circumductis plurimis neruis copulentur, cumque opus eſt, ita diriguntur omnia, ac extenduntur eo robore, ut unum procul dubio ſint: & ita ſunt unum, & non ſunt unum, ſed plura: nam reſpectu formæ communis, quæ ſuſtentatur, ſunt unum, nam una eſt natura, ſeu forma communis ſuſtentans omnes partes: multitudo autem inſeruit ad tranſmißionem internarum partium, ad motum, & ad robur: & quamuis ſint plures partes oſsium; tamen Natura conſociauit eas, appoſitis (vt dixi) proportionibus quibuſdam; &, vt dicit Ariſtoteles, appoſitis harmonijs. ſed cum poſtea partes iſtæ non ſint integræ, ſed conſtent ex partibus; ideo admittunt corpora tranſmiſſa, & mouentur.

Oſſa plura ſunt varijs de cauſis.

De his ergo partibus extremis, quibus oſſa ligantur inter ſe, & coniunguntur ſimul, loquimur nos: quibus ligatis fit, vt homo ſuſtentetur, & relaxatis moueatur. Sed notate, quòd partes illæ extremæ, in quibus copulantur inter ſe oſſa, ab Ariſtotele in primo de hiſtoria animalium, capite decimoquinto, & in ſecundo de partibus, capite octauo & nono, vocantur flexuræ, & ſua lingua campſi, & κάμψεις etiam, hoc eſt flexiones: Et de his loquimur nos, quæ etiam ab eodem Ariſtotele in primo de hiſtoria, capite decimoquinto, vocantur ſua lingua κάμπαι, quia ob flexionem, & diſtenſionem oſſa ita copulata ſunt: Interdum etiam ab eodem in eodem loco dicuntur κόνδυλοι, quamquam videatur illud tantum in digitis proferre, quod & Hippocrates fecit in primo de articulis textu ſeptimo: Communiori quadam appellatione vocantur ἄρθρα ab Ariſtotele locis dictis, & ab alijs poſterioribus Græcis, vt à Galeno in lib. de oſſibus, in libro de vſu partium, in libro de adminiſtrationib. anatomicis, in commentarijs in lib. de artic. & multis alijs in locis: Ἄρθρον vocantur quaſi ἄρτον ἀπὸ τοῦ αἴρω, quaſi quòd tollat, ac ſuſtentet corpus animalis; vel dictum eſt ἀπὸ τοῦ ἄρα, ideſt, ἁρμόζω; quia quadrent in his oſſa ipſa extrema: verùm, vt dixi, hæc appellatio impropria eſt, & communis, quia ἄρθρον apud Antiquiores illos Medicos, & apud Hippocratem ſæpiſſimè reperietis ſignificare caput rotundum vnius oſſis, quod ingrediatur aliud os, & in hac ſignificatione accepit Hippocrates ἄρθρον in libro de articulis: licet poſteriores Græci per ἄρθρον intelligant vtrumque os ſimul compactum, & colligatum, ideſt, commiſſuram, & coniunctionem illam. Plinius autem libro vndecimo, capite trigeſimoſeptimo, vocat commiſſuras has Nodos, ſimilitudine accepta à plantis, & præcipuè ab arundinibus, à ſuis ſcilicet nodis: ab alijs Latinis probatiſſimis, vt à Cicerone, Columella, & reliquis vocantur Compages oſſium, & Commiſſuræ; ab alijs vocantur Articuli, & primus fuit Plinius, qui has compages, quibus plura oſſa iunguntur ſimul, vocauit articulos: vnde & Celſus poſtea, & Cæſar eodem modo vocarunt. Sciatis tamen, quòd impropriè vocantur articuli, quia articulus propriè artum paruum, qui inter duas commiſſuras continetur, ſignificat, auctore Cæſare, ac Celſo; aut ſignificat alterum tantùm os rotundum, ac capitatum, quod recipitur, veluti apud Celſum pluries legetis: veruntamen cum à Plinio, ac cæteris, qui poſtea ſecuti ſunt, articuli vox pro tota commiſſura accipiatur, id etiam à me fiet, vt inſequar communem ſcholam. — Compagum in oſſib. varia nomina.

Agam igitur de articulis, qui nil aliud ſunt, quàm naturales coniunctiones harmonicæ oſſium inter ſe, ſolis oſſeis corporibus, aut neruis factæ, ad hunc præcipuè vſum, vt animal flecti, ac extendi, & moueri per partes poſſet. — Articulorũ definitio.

Propoſitio dicendorum. *poſſet. De articulis agens non tradam vobis eorum naturam, ac differentias varias, quoniam non faciunt ad rhombum, & præterea de his egimus anno ſuperiori, dum expoſuimus libellum Galeni de oſsibus, & eadem cognoſcere potuiſtis ex anatome; ſed tractabo de affectibus non naturalibus articulorum, qui frequenter accidere ſolent, qui autem ſint af-*

Requiſita ad articulationem. *fectus iſti, patebit, ſi conſiderauerimus naturam articuli. Itaque ad articuli eſſentiam, & naturam requiritur primo apta figura, & conformatio oſsium inter ſe: hoc primò ſecundum naturam requiritur: nam ſi duo oſſa eſſent rotunda, non poſſent ſimul coniungi. Secundò requiritur numerus oſsium, vt ſcilicet tot ſint oſſa, quot requiruntur ad efformandam dearticulationem, & ad minus duo debent eſſe oſſa, ſi debeat formari articulus. Tertio requiritur ſitus decens, vt ſcilicet os oſsi coniungatur conuenienti ſitu. Quartò requiritur mediorum contentorum, vel continentium apta natura, vt ſcilicet nihil adſit præter naturam exiſtens.*

Affectus articulationũ in conformatione. *In his quatuor conſiſtit tota natura articuli: & ſi quid ex his pereat, tunc neceſſariò patitur articulus; & primo ratione figuræ articulus patitur διαστροφήν, hoc eſt, diſtorſionem, vt habemus à Galeno in quarto de articulis commento textus quinti, & eſt, quando in ortu, vel alia ex cauſa, dum oſſa adhuc tenerrima, & quaſi ceracea ſunt, & fœtus extrahitur ex vtero, vel malè tractatur à nutrice, oſſa intorquentur, & ſic articulorum figura deſtruitur, ita, vt, quod deberet eſſe prominens, reddatur rotundum; vel, quod debet eſſe æquale, reddatur inæquale, & huiuſmodi, & ita fiunt affectiones, quæ ab Hippocrate vocantur mancipatæ, & ſunt quando oſſa vel à nutrice, vel alia ex cauſa intorquentur, vt dixi, & articulus malè figuratur; non tamen, quòd articulus ſit luxatus, & qui talem diſtorſionem ad partem exteriorem patiun-*

Vari & Vatij. *tur, vocantur vatij; qui verò ad interiorem, appellantur vari, vt videre poteſtis apud Galenum in ſecundo de differentijs morborum, capite ſeptimo. Ad configurationem quoque pertinet alius affectus, qui*

Calloſitas. *vocatur πῶρος, ideſt calloſitas; de qua agit Auctor Introductorij, capite decimoſeptimo. Accidit enim aliquando, teſte Galeno in eodem loco, vt ſupercilio alterius oſsis creſcat, & hæreat calloſa quædam ſubſtantia, & anguſtum reddit cauum, & ſpatium; vnde fit mala figuratio, & impeditur aliquantulum, ſi non totus motus articuli.*

Affectus in numero. *Secundum, quod diximus requiri ad naturam articuli, erat numerus: qui numerus mutatur per colligationem articulorum, vt inquit auctor Introductorij; ideo talis affectio vocatur σύνδεσις ἄρθρων, vel ἕνωσις, ideſt, colligatio, & eſt quando ex duobus, vel tribus, vel quatuor, vel pluribus oſsibus fit vnum os, vt accidit in gibbis: nam vertebræ ſpinæ*

aliquando luxantur, & faciant gibboſitatem, & ſucceſſu temporis vertebra illa ita ſimul ligantur, vt vna prorſus fiant vertebra, & nullum remaneat veſtigium commiſſuræ: & hoc eſt certè veriſſimum, accidit́q; aliquando non ſolum in vertebris; ſed etiam in alijs oſsibus. morbus itaque iſte pertinet ad numerum, quia duo, vel tria oſſa, quæ concurrebant ad articulum, facta ſunt vnum os tantum. Gibboſitas.

Tertium erat ſitus, in quo accidit triplex genus morbi, nam aliquando os ex toto diducitur, & ſeparatur ab alio oſſe, & tunc fit morbus, qui vocatur à Græcis ἐξάρθρημα, *vel* ἐξάρθρωσις, *vel* ἔκπτωσις, *vel* ἔκπτωμα, *id eſt, excidentia; à noſtris autem exarticulatio, vel luxatio, & eſt morbus in ſitu: Aliquando os non ex toto, ſed aliqua ex parte labitur ex altero oſſe, & tunc fit morbus, qui ab Hippocrate in tertio lib. de officina medici, tex. 29. & à Galeno, & ab Introduct. & ab omnibus Græcis vocatur* παράρθρημα, & διάστρεμμα, *hoc eſt leuis luxatio, & ab Auicenna in quinta quarti vocatur declinatio, vel torſio iuncturæ: Aliquando os non mouetur ſua ſede ab altero oſſe, nec ad latus ſiniſtrum, nec ad vllum aliud, ſed dehiſcit tantùm, ait Celſus lib. 8. & fit laxa dearticulatio, ita, vt ſpatium medium inter os, & os reddatur latius, & articulus declinat, & tunc fit morbus, qui ab Auctore Introductorij vocatur* διαστάσις συμφύσεως, *hoc eſt, diſtantia compaginis, & ab Auicenna appellatur elongatio commiſſuræ, & ab iſtis laxitas commiſſuræ. Hæc tria morborum genera ad ſitum pertinent.* Affectus in ſitu. Dearticulatio. Leuis luxatio. Elongatio commiſſuræ.

Quartum erat natura continentium, & contentorum, & ratione huius quarti requiſiti ad naturam articuli accidit quartum genus morbi ipſorum articulorum: nam continentia ligamenta patiuntur aliquando tumorem præter naturam; ſed de tumoribus his non loquimur: patiuntur etiam ſæpe contuſiones, quæ à Græcis, vt ab Hippocrate in libro de officina medici, vocantur στρέμματα, *& ab iſtis diſtorſiones, & fiunt, quando articulus eſt quidem in ſua ſede; ſed ligamenta intorquentur, & lacerantur. Vnde notate vnam vocem apud Auctorem Introductorij, & eſt* παρακίνημα, *id eſt leuis dimotio: quam vocem licet Auctor non exponat: tamen credo, quòd ſignificet hunc morbum, quod* στρέμμα *vocatur ab Hippocrate, hoc eſt, leuis diſtorſio. Ratione quoque contentorum patiuntur aliquando articuli, vt quando in ſpatijs medijs fluunt humores multi, qui impediunt motum articuli: & tales morbi vocantur* ῥευματισμοὶ ἄρθρων, *id eſt, fluxiones, vel catarrhi articulorum: Ratione etiam contentorum accidit alius morbus, vt quando materia, quæ in articulis continetur naturaliter, deeſt, abſumptaque eſt: materia autem eſt mucus quidam, qui reperitur in omnibus articulis, ſint qualeſcunque voluerint, & vel parui, vel magni, exceptis arti-* Ligamentorum morbi. Tumores. Contuſiones. Rheumatiſmi. Mucus in articulis.

culis vertebrarum: nam ipſæ vertebræ ligantur ligamento quodam nervoſo, quod παροχονδρώδες Græcè vocatur: his exceptis, omnes alij articuli habent in ſpatijs medijs mucum quendam naturalem, & ingenitum, qui mucus ſi effluat, & deſit, fit exſiccatio ſumma articuli; & eſt morbus inſanabilis, & nunquam amplius poteſt moueri articulus: quia ex defectu illius muci ſiccantur ligamenta illa, hoc eſt vltimum genus morbi, quod patiuntur articuli.

Eiuſdem defectus.

Igitur quatuor ſunt morbi genera contingentia circa articulos: primum pertinet ad figuram: ſecundum ad numerum: tertium ad ſitum: quartum, & vltimum ad continentia, & contenta, de quibus omnibus nos tractabimus, & primò de luxationibus, quia cum malè tractantur, ſolent eſſe in cauſa aliorum morborum.

De natura luxationis. Cap. I.

Definitio.

EX. plurimis propoſitis affectibus articulorum primum locum aſcribemus luxationi, quæ à Barbaris vocatur diſlocatio. diximus autem luxationem dici, quando vnum os (vel plura) ſeparatum ab altero oſſe, & ſuo loco dimouetur, & eſt affectio articuli præter naturam, qua amittit conformationem ſuam, ideſt, figuram, & ſitum etiam vnde fit, vt articulus duo habeat, ſcilicet figuram indecentem; & malam collocationem partium oſſeatum: non credatis tamen articulum pati in ipſo ſitu: neque enim ſitus articuli mouetur; ſed oſſa ipſa articulum conſtituentia ſunt illa, quæ patiuntur in ſitu; quo fit poſtea, vt, ipſis ſuo loco dimotis, articulus & ipſe ſitum mutet, & figuram: Vnde Galenus in lib. de differentijs morborum, cap. 7. dicit luxationem eſſe morbum in figura in ipſa conformatione; in cap. poſtea 10. eiuſdem libri dicit quòd luxatio eſt affectus in ſitu: & vtrobique optimè dicit: nam innuit nobis luxationem ſecundum diuerſum reſpectum eſſe morbum in conformatione, ideſt, in figura; & eſſe morbum in ſitu: nam articuli eſt paſſio in conformatione; oſſium verò in ſitu: & ita luxatio reſpectu diuerſorum poteſt dici geminus morbus; vnicus tamen eſt, & ſimplex, & eſt mala articuli conformatio. Quòd autem vnus morbus tantum ſit, indicat & ipſa ſanatio, quæ vnica eſt, ſanatio enim luxationis eſt reductio, ſeu reſtitutio oſſium in locum proprium, & reacquiſitio bonæ conformationis: bona autem conformatio figuraue reacquiritur repoſitis oſſibus in ſedem propriam. Itaque luxatio reſpectu articuli vnicus morbus eſt; reſpectu autem oſſium plures.

Luxatio diuerſo reſpectu eſt vnicus, & geminus morbus.

De cauſis luxationum. Cap. II.

Cauſæ externæ.

HVIVS autem morbi, quæ luxatio dicitur, & à Barbaris diſlocatio, cauſæ ſunt duum generũ: aliæ enim ſunt externæ, quæ procatarcticæ, & euidentes dicuntur; aliæ internæ: Loquor de cauſis efficientibus, quia morbus non eſt cum materia: externæ cur euidentes appellentur, patet; quòd manifeſtæ ſunt, & ſunt, vt ictus, percuſſiones, caſus, diſtorſiones, & ſimilia: Sæpè enim accidit, vt ex ictu ſeu percuſſione in articulo illidatur vnũ os, & ſuo loco dimoueatur: Caſus quoque ſæpiſſimè ſolet eſſe in cauſa luxationis, vt caſus ex alto, vt accidit his diebus illi nobili, ac Reuerendo Domino D. Bariſono Canonico Patauino, qui concidit ex mula, & luxatus illi eſt dexter humerus: Similiter diſtorſiones ſæpiſſimè ſunt in cauſa luxationis, vt accidit illis, qui ex Iudicis mandato, & iuſſu appenduntur chordæ, & affliguntur,

veritatem

veritatem vt fateantur: Vnde opus eſſet, vt tortores illi, hoc eſt, miniſtri, qui appendunt homines chordæ, eſſent docti naturæ oſſium, & repoſitionis ipſorum in ſedes proprias: nam ita multi non fierent manci, vt fiunt ſæpè ob talem torturam. Recentiores, vt Guido, & quidam alij inter cauſas externas enumerant etiam extenſionem, & motum ineptum partis, vt quando quis nimis oſcitat, nimis, dico, aperiendo os, vel quando vult in os recipere corpus aliquod nimis craſſum; tunc ex tali extenſione inordinata, & motu vehementi accidit, vt maxilla luxetur: Vidi & ego luxatos eſſe articulos manus ex proiectione nimis valida miſſilis corporis, hanc itaque extenſionem ſeu motum inordinatum, vt vocant, & vehementem reponunt inter cauſas extrinſecas luxationum: Ego autem potius iudico reponendam eſſe inter cauſas internas, adductus primò ex anatome; ſecundò ex Galeni authoritate: ex anatome quidem, quoniam video talem extenſionē, & motum vehementem fieri ab inſtrumentis intrinſecis ipſius corporis: quoties autem morbus aliquis fit à cauſa intrinſeca, ſemper eſt dicendum, quòd cauſa eſt interna; quia igitur talis vehemens motus, & extenſio, quæ cauſat luxationem, cietur ab inſtrumentis intrinſecis; Idcirco talis cauſa reponenda eſt inter internas, non autem inter externas: Ex Gal. poſtea confirmatur, quia in ſecundo lib. de natura humana com. quinto, diſtinguit inter cauſas externas, & eas, quæ ſunt in nobis (ita vocat ipſe) hoc eſt, internas: & inter internas dicit quòd violentæ extenſiones, & motus ſunt cauſæ in nobis luxationū, vt oſcitatio (ait) vehemens eſt cauſa aliquando luxationis maxillæ; igitur motus, & extenſiones violentæ ſunt de genere cauſarum internarum, nón autem extrinſecarum. Itaque externæ cauſæ luxationum ſunt ictus, percuſſiones, extenſiones, ſaltus, caſus ab alto, motus violenti ab extrinſeco, & ſimilia.

Motus vehemens eſt inter cauſas internas luxationis.

Internæ autem cauſæ, quæ & occultæ vocantur, ſunt multæ, & prima eſt humor copioſus toſaceus, craſſus, & ſapiens naturam gypſi, aliquando enim colligitur humor in articulis, & inibi craſſus, & durus redditus elidit os ex commiſſura; quam cauſam vidit Galenus, in lib. de differentijs morborum, cap. 7. vbi inquit, quòd in magnis arthritidibus, ideſt, in magnis affectibus articulorum ſolent fieri luxationes.

Internæ cauſæ.

Humor gypſeus.

Secunda cauſa ſunt tubercula quædam cruda oborta circa articulos in interna parte. nam, cum ligamenta ex eis intumeſcant, fit, vt vnum os ex alio exeat, & labatur, & ex hac cauſa luxationes accidunt præcipuè in dorſo, vt fuit ſententia Hippoc. in 3. de articulis text. 2. Nam ſæpe in interna parte dorſi oboriuntur talia tubercula, quæ ſunt in cauſa, vt vertebræ luxentur, & fiat gibboſitas. Cum hac cauſa communicat & illa, de qua locutus eſt Hippoc. in 2. de articulis tex. 60. & alijs in locis, & eſt abſceſſus altus (ita vocatur ab Hippoc.) qui in pueris, inquit Hippoc. ſolet facere luxationes, & præcipuè humeri, quoniam eleuat in tumorem ligamenta.

Tubercula cruda.

Tertia cauſa ſolet eſſe laxitas copularum, & ligamentorum; ita enim aliquando copulæ, & ligamenta ſunt laxa, & producta, vt oſſa per ſe luxentur. Laxitas autem fit tribus de cauſis; aliquando contrahitur in vtero ab ipſa generatione, accidit enim aliquando, vt fœtus in vtero generetur cum tanta copularum, & ligamentorum laxitate, vt ſtatim, cum obſtetrix extrahit ipſum, luxentur articuli, & in multis etiam luxantur in ipſo vtero, & de hac cauſa laxitatis, quæ eſt à generatione, meminit Hippoc. in 3. de articulis tex. 93. & in 2. de artic. tex. 59. Aliquando laxitas non fit à natura, ſed ab humore aliquo mucoſo in articulis collecto, qui madefacit, & humectat copulas, & ligamenta, & humectando laxat, vt fuit ſententia Hippoc. in 6. aphor. 59. & in 1. de artic. tex. 24. 25. 26. & alijs in locis & Gal. in primum de articulis com. tex. 6. in quib. locis clarè habetur, quòd mucoſus humor imbibitus in ligamentis reddit ea mollia, & laxa, vt ſolet in iſchiadico affectu: nam in iſchiade ſolet colligi mucus, qui laxans ligamenta efficit luxationem, & hoc ſæpiſſimè accidere ſolet, niſi medicus præcauerit.

Laxitas ligamentorum à principijs generationis.

Et ab humore mucoſo.

Tertia cauſa laxitatis eſt habitus totus, quando redditur macilentus præter modum: nam abſumpta carne, refrigerantur, & humectantur articuli, & ligamenta: vnde ſequitur laxitas, & laxitatem luxatio, vt probat Hippoc. in primo de articulis tex. 24. 25. & ſubſequentibus exemplo boum, quibus ſæpè in partibus anterioribus accidunt luxationes hyeme; quia redduntur macilentiores; redduntur autem macri hyemali tempore, inquit Hippoc. quia nequeunt paruam herbam colligere propter labrum nimis craſſū: vnde macri redduntur, niſi fœno alantur; macri redditi articuli debilitantur ob refrigerationem, & humectationem; vnde facilè ſuccedit luxatio.

Et à toto habitu nimis ſicco.

Tertia ergo cauſa eſt emaciatio. Aliquando etiam id fit, quia habitus totius corporis ſit nimis humidus, ob quam humiditatem inclinat ipſis copulis ad hoc, vt accidit puerulis, qui cum teneri ſint, ſummoperè inclinant, teſte Celſo lib. 8. cap. 17. hæ ſunt cauſæ laxitatis.

Aut nimis humido.

Ruptura neruorum, et copularum.

Quarta cauſa luxationis eſt neruorum, vel copularum fractura, inquit Celſus lib. 8. cap. 17. & per neruum poſſumus intelligere eum, qui inſeruit ad motum voluntarium, & eſt neruus verus: ſecundo poſſumus intelligere ligamenta, & copulas: ſimiliter chordas, quæ tendines etiam vocantur; & de his omnibus eſt intelligendum: quoties ergo tendo, vel copula frangitur, accidit luxatio, & non eſt dubitandum, quòd diſrupta copula, ideſt ligamento, fiat luxatio: minus etiam dubitandum eſt, quòd idem fiat diſruptis tendinibus, vt in reſolutionibus, & diſruptionibus muſculorum, & chordarũ vnius lateris ipſius corporis contingit, quia chordis, & muſculis lateris oppoſiti trahentibus, & chordis, muſculiſque alterius lateris relaxatis, vel laceratis, fit, vt generetur luxatio: & ego vidi in quodam, qui habebat vlcus in manu, quo vlcere abſumptæ ſunt chordæ anteriores pollicis; vnde chordis poſterioribus oppoſitis trahentibus factæ fuerunt geminæ luxationes in pollice: idem ſolet accidere in cruribus laceratis, & conſumptis muſculis, & tendinibus vnius lateris, & alijs oppoſiti lateris trahentibus. Igitur & abſumptio ſeu fractio, laceratioque chordarum oppoſitarum, pariter & muſculorum ſolet eſſe in cauſa luxationis: Idem accidit ex reſolutione muſculorum oppoſitorum, quia tanta fit attractio, vt articulus luxetur, muſculi enim, ac tendines, ſi integri æquè ſint, robur articulo addunt, teſte Galeno in 3. de fract. 55. contra autem, ſi non ſint integri, ſolent parere debilitatem & luxationem.

Reſolutio muſculorum oppoſitorum.

Fractura ſuperciliorum.

Quinta cauſa proponitur ab Auicenna in quinta quarti, & eſt fractura ſuperciliorum cauitatum oſſium: quando enim vnum os habet cauitatem magnam, & aliud habet ſupercilium, ſi accidat, vt ſupercilium ex vna parte frangatur, eſt in cauſa, vt articulus luxetur. cauſa autem ruptionis ſupercilij eſt ictus.

Violenta motio.

Vltima cauſa erit, ſi volueritis, illa, quam ſupra dixi eſſe inter internas, vt re vera eſt, contra recentiores quoſdam, & eſt violenta extenſio, & motio facta ex inſtrumentis naturalibus.

De differentijs luxationum. *Cap. III.*

Differentiæ à natura luxationis.

AD cauſas ſuccedunt ſpecies luxationis, quæ variæ, & multiplices ſunt, & colliguntur ex natura luxationis, ex cauſis, & ex ijs, quæ cum luxatione coniuncta ſunt: Cum igitur luxatio ſit mala articuli conformatio, & dimotio illarum partium, oportet obſeruare dimotiones ipſas talium partium, ideſt oſſium, & inde colligetis aliquot differentias: Dimotionum enim quædam ſunt leues, vt quãdo caput oſſis, quod debebat manere in cauitate, eductum eſt ad ſupercilium, & inibi reſidet, luxatio eſt, ſed leuis & non abſoluta; & ideo omnes diſtinguunt luxationem in magnam, & paruam, & parua vocatur à Græcis παράρθρημα, ideſt, leuis luxatio; ab iſtis autem, vt ab Auicenna, & à Barbaris alijs appellatur contorſio, & declinatio, & ſeparatio iuncturæ. Aliquando totum caput oſſis egreditur, & declinat vel in hanc, vel in illam partem prorſus extra cauitatem, & talis luxatio vocatur à Græcis ἐξάρθρημα; à noſtris abſoluta, ſeu magna luxatio, & à Barbaris dicitur completa, & integra dislocatio.

Differentiæ à loco & termino ad quẽ.

Differunt etiam luxationes ratione loci: nam quædam ſunt per longum articuli, ideſt in elongatione articuli, ita quòd articulus non cedit, nec in dextrum, nec in ſiniſtrum, nec in aliud latus aliquod; ſed per longum tantùm, & longius redditur membrum; ſed talis luxatio dicitur elongatio ab iſtis; dicitur & hiatus articulorum: nam dilatatur ſpatium illud medium inter os, & os: exemplum habetis in brachio, noſtis enim radium, & cubitum iungi inter ſe, & facere articulum, & in medio ipſorum eſt ſpatium, quod ſpatium aliquando dilatatur, laxatis illis ligamentis; nec os cadit ad latus aliquod; ſed tantum dehiſcunt illa duo oſſa, & ſpatium medium redditur maius: ita quoque in longitudinibus artuum accidit, vt, verbi gratia, relaxantur ligamenta in genu, tunc crus longius redditur, & ſpatium illud medium augetur. Aliquando dimouetur os ex ſua ſede, ſed non per longitudinem; at cadit ad aliquod latus, vt vel ad dextrum vel ad ſiniſtrum, vel ad anteriorem, vel ad poſteriorem, vel ſurſum, vel deorſum, & prout cadit in hoc, vel in illud latus, ita diuerſæ conſtituuntur luxationis differentiæ, quæ & veræ differentiæ, & ſpecies ſunt, quia habent propria ſigna diſtincta, & curationem etiam propriam, in quibus differentijs inueſtigandis Hipp. fuit valde ſollicitus; & curatio, vt dixi, varia eſt, vt ſuo loco audietis, quia variæ impulſiones requiruntur, prout & differentiæ diuerſę ſunt. hinc igitur colligo luxationes, in quibus os modo ad hanc, modo ad illam partem inclinat differre.

Ratione

Ratione etiam ſimplicitatis,& multiplicitatis differunt luxationes,nam aliæ ſunt ſimpliciſſimæ,& nihil habent adiunctum,& hæ facile curantur ; aliæ habent coniunctum vlcus : aliæ habent fracturam oſſis ; aliæ os detectum : & iſtæ omnes inter ſe, & ab alijs differunt,& difficillimè curantur ; & enumerantur differentiæ hæ ab Hippocrate in primo, ſecundo,tertio,& quarto lib.de articulis ; aliæ ſurſus ſunt cum inflammatione; aliç cum œdemate ; aliæ cum elongatione partium ; aliæ cum gangræna ; & iſtæ etiam differunt : Addatis, quòd quædam ſunt luxationes cum callo ſuperinducto ; quædam liberæ. Effectus quoque ſeu accidens facit vt luxationes differant ; nam quædam ſunt luxationes faciles, & benignæ ; quçdam maximè rebelles,quç ægrè admodum ſanantur:quædam ſunt doloroſæ ; quædam mites : Differunt & ratione temporis ; nam aliquæ ſunt recentes ; aliquæ inueteratæ ; aliquæ ſunt ex recidiua ; aliquæ verò ſunt , quæ antea non fuerunt : ſunt enim aliqui, qui habent ita laxa ligamenta, vt ſi antea paſſi ſint luxationem, iterum facilè in eandem cadant. Item aliquæ ſunt ſanabiles, aliquæ inſanabiles. Igitur oportet obſeruare ſpecies luxationis, quæ colliguntur obſeruata natura ipſius, loco, cauſis, ſimplicitate,vel multiplicitate eorum morborum, qui adiunguntur, effectibus, & tempore.

Differentię à coniunctis & accidentibus.

De Signis. Cap. IIII.

ALIQVOT luxationes ita manifeſtę ſunt,vt ruſticis etiã pateant; aliquot è contra ſunt vſque adeo obſcurę,vt egeant ſignis exquiſitiſſimis : tractemus igitur de ſignis,quæ quidem ſunt trium generum, ſecundum recentiores, vt eſt Guido , & primum genus ſumitur,vt dicunt, à ſubſtantialiter inhærentibus , hoc eſt, à natura affectionis,ideſt luxationis, quæ eſt mala conformatio. Igitur primò accipientur à natura conformationis,ſed quomodo ? ſi cognoueris, qualis ſit conformatio articuli in genu,& videas, quòd in vna parte eſt tumor, in altera cauitas , ſtatim accipies ſignum, quòd aliquod os eſt luxatum, & in ea parte, in quam inclinat, facit tumorem ; in oppoſita autem, facit cauitatem . Verum non ſemper cauitas, & tumor patet ad viſum; attamen luxatio oſſis aderit , vt accidit in dilatationibus articulorum : verbi gratia, dilatatũ humerus,& luxatur; tamen non apparet tumor circa axillam, quomodo igitur cognoſcetur talis luxatio ? Dico , quòd facilè ex digitis ; nam ſi ponatis digitos ſub axilla, perſentietis caput humeri , & poſitis digitis ſuprà ad ἀκρώμιον, percipietis os egreſſum eſſe ex cauitate propria . igitur ſigna ex conformatione accepta patebunt vobis aut viſu, aut digitis.

Signa à conformatione.

A cauſis quoque accipiuntur ſigna luxationis, vt ſi præſciueritis, quòd orta ſunt tubercula circa coxendicem, & poſtea videatis, quòd artus ille non poteſt moueri, ſtatim colligetis,os illud eſſe luxatum : ſimiliter, ſi antea præceſſit diuturna fluxio materiæ ad coxendicem ; deinde ſuccedat immobilitas, facile eſt colligere, quòd articulus eſt luxatus: pariter , ſi prænoueritis , quòd aliquis fuit cruciatus vehementiſſimè ſuſpenſus ad chordam illam Iuriſconſultorum , & Iudicum ; & videatis impeditum eſſe humerum , quaſi certò poteritis colligere , quòd adeſt luxatio , vt accidit his diebus : Venit enim ad me nobiliſſimus quidam Florentinus , qui vehementiſſimas torturas ad chordam illam ſuſpenſus paſſus erat ; quod cum intellexiſſem,& videns, quòd humeri non poterant moueri, collegi , antequam tangerem adeſſe luxationem illorum articulorum ; & illud poſtea, appoſita manu , ita eſſe reperi in altero humero . hoc modo ex cauſis accipietis ſigna luxationum.

A cauſis.

Ab effectibus etiam accipiuntur, vt ſi videritis factam eſſe magnam diſtenſionem neruorum ex caſu, vel ictu, vel alia ex cauſa; coniecturabimini cum Celſo, quòd adſit luxatio illius articuli, quia diſtenſis,& relaxatis maximè neruis, & ligamentis ſolent oſſa luxari. Similiter ſi videritis poſt caſum, vel contuſionem ſuperuenire articulo cancrum,vel ſuperuenire febrem,vel gangrænam,vel quid ſimile, indicatur adeſſe luxationem, vt teſtatur Celſus. Ex motu quoque cognoſcitur, vt ſi poſt caſum , vel ictum non poteſt articulus moueri, vel diminutè,vel deprauatè, indicatur, quòd adeſt luxatio. Addatis maximum ſignum , quod accipitur ex dolore perpetuò exiſtente in articulo , & in parte , in quam os cecidit : accidit enim ſæpe , vt reſtauratores iſti mali tentent reſtituere articulum, & trahunt,impelluntque, verbi gratia, cubitum, & cum aliquandiu afflixerint miſerum ægrum , dicunt , quòd os eſt reſtitutum , & repoſitum in ſuum locum ; & poſtea ſuccedit tumor, qui videtur præmonſtrare reſtitutionem oſſis ; tamen dolor non ceſſat,

A ſymptomatibus.

ſed perpetuus adeſt : hoc cum videritis, dicatis ſubitò, & certò, quòd adeſt luxatio : & hoc ſignum certum eſt, & vſus ipſius frequens eſt, & ſæpe videbitis nebulones iſtos, qui dicunt ſe reſtituiſſe os, & tamen mentiuntur. Aliquando ad luxationem ſuccedunt ſopores ſegnes, vomitus, & fluxus bilioſi, quæ omnia, cum accidunt, indicant luxationem inferioris maxillæ, teſte Hippocrate in ſecundo de articulis tex. 20. & 22. quia cum ſit extra locum proprium, comprimit temporales muſculos, qui habent conſenſum cum cerebro, & ore ventriculi ; ideo ſuccedunt iſta ſymptomata. Aliquando luxationibus ſuccedunt ſuppreſſiones fęcum & vrinæ ; vt quando luxatum eſt os fęmoris, vt teſtatur Hippocr. in tertio de articulis tex. 107. & ideo, ſi aliquis nebulo iſtorum reſtauratorum dixerit ſe reſtituiſſe os ; & accedatis vos poſtea Hippocratici reſtauratores, & videatis ſuppreſſum eſſe lotium, vel feces, dicatis os non eſſe reſtitutum.

Ab analogia & comparatione.

Analogia eſt, quæ præ omnibus indicat, an os luxatum ſit, necne, vt teſtis eſt Hippocr. in primo de articulis textu 35. vbi inquit : Tum quidem, quia homines corpus iuſtum habent, manusque, & crura, oportet ſanum membrum ad exemplum non ſani conferamus, & non ſanum ad ſani ; neque alieni articuli reſpiciendi ſunt. Vult igitur, vt ſtatim conferamus membrum affectum cum ſano, & è contra, & ita cognoſcemus, quantum non ſanum diſtet à naturali conformatione. Sed notare, quòd ſunt aliqui, qui habent artus intortos, & malè conformatos ; & in his oportet videre, an à natura tales habuerit, necne : & ſic, facta collatione vnius ad alterum, facile cognoſcetis, quantum non ſanum receſſerit à naturali conformatione, ſiue illa bona, ſiue deprauata fuerit à natura.

His ſignis cognoſcetis, an adſit luxatio, necne : quibus ſi addideritis ea multiplicia, & varia, quæ componunt luxationes, cognoſcetis vnamquamque ſpeciem luxationis, additis ſcilicet ſignis dictis illa etiam ſigna, quæ ſunt propria cuiuſcunque affectus, qui cum luxatione coniungitur : vt ſi coniuncta ſit inflammatio cum luxatione, addatis ſignis dictis ſigna propria inflammationis, & facilè cognoſcetis luxationē cum inflammatione: idem & de reliquis componentibus luxationem dico. Hoc facto, antequam deueniatis ad curationem luxationis, præuidenda ſunt vobis omnia neceſſaria, quia luxatio eſt morbus magnus : peccat enim in conformatione, in ſitu oſſium, & habet coniunctam ſolutionem continui ligamentorum ; & ideo requirit medicum diligentiſſimum: ille autem erit diligentiſſimus, qui omnia præuidit, quæ neceſſaria ſunt ; quæ autem ſint illa, & quot dicam infrà.

De prognoſtico. Cap. V.

Prognoſtica mortis.

MVLTA ſunt à reſtauratore neceſſariò præuidenda, antequam curationem luxationum aggrediatur: & primò, an luxationi ſucceſſura ſit mors, necne : ſunt enim aliquot luxationes, quæ mortem afferunt, vt ſi luxatio ſit cum fractura oſſis, & vlcere carnis, ita, vt caput oſſis egrediatur, vt plurimum ſuccedit mors, & non poteſt os reſtitui, & ſi quis tentet reſtitutionem, fit inflammatio, conuulſio, & tandem mors, ſi videlicet articulus ſit magnus, vt dicit Hippocrates in 4. de artic. tex. 29. Similiter, ſi articulus capitis ſit luxatus, ſuccedit vt plurimum mors, & rariſſimè ſanitas, quia modus reſtituendi eſt difficillimus. Igitur præuidendum an ſucceſſura ſit mors; aliter medicus ignominia afficitur. Similiter, ſi luxetur vertebra ſpinæ ad poſteriora, fit ſtupor partium interiorum, & tandem mors vel totius corporis, vel partim inferiorum. Addatis, quòd ſi maxilla inferior vtroq; articulo luxata fuerit vſque ad decimum diem, mors ſuccedit, teſte Hippocrate in ſecundo dè artic. tex. 22. Luxatio quoque vnius vertebræ ſuperioris ad internas partes mortem affert, quia non poteſt reſtitui. Reliquæ verò luxationes, niſi medicus, æger, aſtantes, & extrinſeca mortem pariant, non ſolent vitam auferre.

Prognoſ. imperfectæ curationis, & cum iactura.

Secundum, quod debet medicus reſtaurator præuidere, eſt, an os reſtitui poſſit in eum terminum, quem antea habebat ; & cum reſtitutum, ſucceſſurane ſit integritas vel non: & hoc eſt maximi momenti, nam ſunt aliquot luxationes, quæ non poſſunt reſtitui; & ſi reſtituantur, non poſſunt ſanari : vnde Hippocr. in 4. de articulis tex. 27. dicit, quòd luxatio cum vlcere eſt inſanabilis, & ſemper artus remanet intortus, & homo claudicat. Idipſum accidit in luxationibus obductis poro oſſeo ; & in illis, in quibus oppleta eſt cauitas materia, vt accidit in iſchio, & cubito ; igitur ſecundo loco eſt præuidendum an ſucceſſura ſit ſanitas ; ſi non ſit ſucceſſura mors, hoc eſt, ſi luxatio non ſit allatura mortem,

oportet

opoꝛtet præuidere an articulus poſſit reſtitui in priorem terminum, ita, vt non remaneat aliquod impedimentum.

Caſus aliquot, in quibus non poteſt reſtitui articulus.

Tertium præuidendum eſt, an articuli poſſint reſtitui, vt dato, quòd luxatio non ſit mortalis, & ſit ſanabilis, præuidendum poſtea eſt, an os luxatum poſſit reſtitui: Dico igitur, quòd omnes articuli poſſunt reſtitui, exceptis aliquibus: & primus, qui excipitur, eſt quando cauitas eſt repleta, vt ſi poſt luxationem fœmina, vel nebulo aliquis applicauerit articulo emplaſtrum ex aceto, bolo Armeno, & ſanguine draconis, vt ſolent facere, tunc ex magna vi ſiccante, & refrigerante huius medicamenti fit, vt materia, quæ fluxit ad acetabulum, induretur, & veluti gypſea fiat, & tunc impoſſibile eſt reſtituere os luxatum, & nunquam vidi reſtitutum cubitum, vel coxam, vbi adhibitum fuiſſet illud maledictum medicamentum; & præcipuè nunquam vidi cubitum, quia eſt rebelliſſimus reſtitutioni; & tamen iſti trahunt, & retrahunt, & nituntur reponere, & tandem ſe reſtituiſſe dicunt, & ita imponunt illud medicamentum; ex quo fit, vt ſiccetur, & veluti in tofum vertatur humor, qui fluxit in cauitatem, & nunquam amplius poteſt cubitus reſtitui, quia materia illa eſt ita dura, vt nec luto ſancti Bartholomei, nec vllo alio remedio poſſit emolliri. Igitur quando cauitas eſt iam repleta non poteſt reſtitui articulus. Aliquando oſſa luxata colligantur callo, ideſt, pro oſſeo, & tunc pariter moneo vos, vt non tentetis reſtitutionem, nec ſinatis, vt aliquis tentet reponere ligatum articulum callo ipſo, quia ſuccedet dolor maximus, febris, inflammatio, & mors tandem. Articuli etiam exſiccati in interna cauitate non poſſunt reſtitui, vt ſi ex illato vulnere præcognoueritis certò, quòd ex articulo egreſſa eſt materia illa mucoſa, & ſucceſſerit inflammatio, & poſtea accidat, vt vnum os illius articuli luxetur, dicatis, quòd non poteſt reponi, quia cum ligamenta illa interna ſint exſiccata, non poteſt articulus produci. Præterea, inter illos articulos, qui non poſſunt reſtitui, ſunt etiam illi, qui non poſſunt nec trahi, nec impelli, vt vertebræ dorſi, & ſimiles. Igitur exceptis his, ſcilicet, quando cauitas eſt repleta; vel articulus eſt ligatus poro oſſeo; vel quando articulus eſt ſiccatus, ita & ligamenta; vel quando nequit trahi, exceptis (inquam) his, omnes alij poſſunt reſtitui.

4. præuidendum qui facilè, qui difficilè reſtituantur.

Hoc ſtante, quòd non ſucceſſura ſit mors, & quòd os poteſt reſtitui præuidendum eſt poſtea, an facilè, vel difficilè reſtitui poſſit, & hoc maximi refert ſcire: Nam ſi reſtaurator præcognouerit, quòd difficilè reſtituetur, admonebit ægrum, vt patienter ferat, & non miretur, ſi diu detinebit ipſum ligatum, & ſimilia: Quòd ſi hoc non præcognouerit, inter agendum onerabitur ignominia ab ægro, vocabit ipſum carnificem, & ſimilia verba dicet, quibus fieri nequit, vt medicus non commoueatur. Igitur præuidendum eſt, an facilè, vel difficilè, longo, vel breui tempore poſſit luxatum os reſtitui: & cognito, quòd facile, tunc citò agetis; non portabitis vobiſcum multa inſtrumenta, nec multas faſcias parabitis. Sciatis igitur, quòd facilis eſt reſtitutio, ſi ſtatim fiat adhuc calente membro: item omnes articuli, qui facilè, & frequenter luxantur, facilè etiam reſtituuntur: nam qui facilè luxantur, aut luxantur facilè, quia conſtent ligamentis laxis (laxa autem ligamenta facilè trahuntur) aut quia non habent cauitates multum profundas, vel capita prominentia (hæc autem facilè reponuntur) aut quia articuli ſunt in gracili corpore, & molli, ac delicato: & in his facilè etiam reſtituuntur, vt inquit Celſus lib. 8. c. 17. Sed quando articulus difficilè luxatur, difficilè quoque reſtituitur, vt accidit in femore, & præcipuè in cubito, quia adſunt prominentiæ, & cauitates multæ. Præterea omnes articuli ſicci difficilè reſtituuntur: & non intelligo ſiccos ex extenuatione, nec ex exitu materiæ mucoſæ; ſed ob laborem; quales ſunt articuli ruſticorum: in his ob ſiccitatem difficilè reſtituuntur. Item ſi in articulo ſit magnus muſculus, vel chordæ magnæ, difficilè reſtituitur, quia difficilis eſt attractio. Difficilis quoque eſt reſtitutio, ſi articuli in interna cauitate fuerint aridi: Omnes etiam articuli inepti ad extenſionem difficilè reſtituuntur, vt crus, quia difficilè extenditur, difficilè etiam reſtituitur: Contra autem digiti trahuntur, & extenduntur, & ideo facillimè etiam reſtituuntur; nam facilè trahuntur in partes oppoſitas: crus autem difficilè. Item in pueris, & fœminis facilè reſtituuntur, quia omnia ſunt mollia; in duris autem corporibus tùm ob laborem, tùm ob ætatem, vt in ſenibus, difficilè.

Qui articuli manſuri, qui non.

Quintum præuidendum eſt, an articulus reſtitutus manſurus ſit in loco, necne, & hoc etiam maximi refert præcognoſcere, quia ſi poſt reſtitutum articulum os relabatur, & medicus hoc futurum non prædixerit, ipſe accuſabitur, quòd non reſtituerit, vel quòd malè reſtituerit: Sciatis igitur, quòd omnes articuli reſtituti ſolent manere in loco, excepto quando eſt facta luxatio, elongatioque propter mollitiem ligamentorum, vt ſi ad coxendicem defluxerit humor, qui imbibitus in illis ligamentis ea emollierit, &

relaxa-

relaxauerit,& ex relaxatione facta ſit elongatio, & poſtea luxatio, tunc,ſi reſtituatur, relabetur articulus; & ideo oportet, vt medicus dicat ægro: ego reſtituam, ſed relabetur, niſi adhibeatur exuſtio,& alia,quæ Hippocrates præcepit. Secundò excipitur ex præcepto Celſi,quando per hiatum, ſeu dilatationem eſt facta luxatio, vt ſi cubitus,& radius ſeparentur,& hient, tunc dicatis,quòd quamuis illa duo oſſa vniantur,tamen iterum ſeparabuntur. Similiter ſura, & tibia, licet comprimas illa oſſa manu, & vniantur, tamen ſeparabuntur denuo. Ita etiam quando luxatur iugulum ab oſſe pectoris, ablata manu, & faſcijs iterum luxatur; aliqui tamen ſunt,qui ſanantur,vt teſtis eſt Galenus noſter,qui in ſeipſo paſſus eſt luxationem iuguli agens trigeſimumſextum annum, dum luderet in palæſtra,& meritò quidem paſſus eſt, quia non decebat tantum Philoſophum, & Medicum in palæſtram deſcendere. dicit itaque Galenus, quòd reſtitutus eſt articulus,& ſanatus eſt; rariſſimè tamen hoc accidit, vt reſtituatur, & non relabatur, cuius rei affert ipſe rationem,quia debet ſtare ligatus quadraginta dies antequam ſoluatur: ex tali autem ligatura, quæ arctiſſima eſſe debet, maximus excitatur dolor ita, vt nullus poſſit eum perferre, niſi Galenus ſit, & hinc eſt, quòd pauciſſimi ſanantur: at Galenus futuri conſcius patientiſſimè tulit dolorem, & ſic eſt ſanatus.

Gal. in ludo palæſtræ luxatum eſt iugulum.

Vltimò præuidendum eſt, quid ſit ſucceſſurum in ipſa reſtitutione,ſi vel rectè,vel malè fuerit facta, vt ſi dicas ægro, quòd non poteſt reſtitui, tu debes etiam prædicere, quid ſuccedet: & primò dicamus de mala reſtitutione,quando non opportuno tempore,nec modo,nec inſtrumentis accommodatis fit: ſuccedit dolor maximus,conuulſio, ſopor, febris,concretio pori oſſei,vomitus bilioſus: addatis & inflammationem rebellem,quę eſt tamen minor affectus,qui ſoleat ſuccedere; tamen aliquando ſuppuratur,aliquando facit febrem,aliquando conuulſionem, & huiuſmodi. Si autem articulus non poſſit reſtitui, ſuccedit primò turpitudo articuli: ſecundò ablatio, vel diminutio motus,vt ſi luxetur cubitus,& non poſſit reſtitui, cubitus mouebitur quidem ad inferiora,& poſteriora; ſurſum autem, & deorſum non poterit: tertiò ſolet ſuccedere breuitas membri luxati, & effeminatio, & gracilitas: ſi enim tangatis humerum, verbi gratia, non reſtitutum,videbitis ipſum eſſe effeminatum,quia erit veluti ſtupaceus, & erit gracilior,& breuior altero humero: Cauſam autem effeminationis duplicem reddit Hippocr. in tertio de articulis tex. 80. 81. & 82. & prima eſt,quia oſſa non ſunt in ſuo loco: ſecunda eſt,quia membrum non exercetur,ſed eſt in otio. Sed Hippocrates vellicatur aliquantulum à Galeno in eo loco,& eſt vnus ex illis locis,in quibus Galenus contradicit Hippocrati. Vnde cognoſcere poteſtis quantam vim habeat veritas: nam Galenus erat tanquam filius Hippocratis: tamen pro veritate ipſum deſerit, & accuſat. Dicit ergo Galenus Hippocratem eſſe ſuperfluum,cum dicit,quòd otium eſt in cauſa effeminationis. Similiter,quando dicit,quòd cauſa eſt luxatio,quia iſtæ non ſunt immediatæ cauſæ,cur membrum non nutriatur: at cauſa immediata eſt diſtorſio vaſorum, ac etiam inſtrumentorum; & ideò dicit,quòd fuit ſuperfluum addere,quòd cauſa effeminationis eſt luxatio,quia luxatio eſt cauſa mediata,non autem immediata. Sed ego non video,quomodo Hippocrates ſit ſuperfluus,quia ipſe non requirit cauſas remotas,ſed proponit propinquas: nam per luxationem non intelligit mutationem oſſis ex ſuo loco, ſed malam conformationem, ad quam ſuccedit, vt oſſa, & vaſa mutent ſitum, & vaſa, & ligamenta intorqueantur: nam re vera vaſorum diſtorſio eſt vna cauſa immediata, aut ſaltem propinqua: quæ vaſorum diſtorſio eſt eadem cum luxatione, cum illa ſit corruptio conformationis partium pertinentium ad articulum,inter quas vaſa etiam continentur: & ob id Hippocrates non dixit luxationem pro cauſa communi; ſed pro mala conformatione omnium illarum partium: Deinde addit ocium pro alia cauſa propinqua. Fruſtratis igitur reſtitutionibus luxati oſſis, ſuccedit, vt artus luxati reddantur breuiores, graciliores, & effeminatiores: idque fit ex otio & quiete, quia ſcilicet artus non poſſunt moueri; & ex diſtorſione vaſorum,qua diſtorſione fit,vt alimentum non tranſmittatur ad membrum luxatum. Sed in hoc ſymptomate tam magno,ſcilicet in extenuatione,& effeminatione artus notate, quòd ſemper tale ſymptoma accidit toti membro, in quo luxatio eſt, & non potuit os reſtitui, vt ſi, verbi gratia, luxatus eſſet articulus humeri, non ſolùm extenuatur, & gracilis redditur humerus; ſed & brachium, & manus, ita,quòd & ſuperiores,& inferiores partes articuli luxati extenuantur: Secundò notate, quod extenuationum artuum aliæ ſunt,quæ recipiunt medelam,aliæ non poſſunt ſanari: Extenuatio,& gracilitas illa, quæ fit ob deligationem reſtitutis, & ligatis articulis per ſpatium quadraginta dierum, ſanabilis eſt,vt dicit Galenus in primum de articulis commento 62. ſanatur enim lotionibus & inunctionibus: Extenuatio autem, & gracilitas membri facta ratione oſſis non reſtituti inſanabilis eſt. Et in hac extenuatione notate,quòd nō omnes partes membri luxati

Mala conſequentia prauam reſtitutionem.

Impotentiam reſtituendi, quæ comitentur.

Extenuatio, & atrophia luxati membri, eorumq; cauſæ.

Defenſio Hippocr. à Galeno.

Notanda in effeminatione membri.

æqualiter

æqualiter extenuantur, ſed aliæ magis, aliæ minus: partes enim illæ inferiores, quę immediatè connexæ ſunt luxato articulo, magis quàm omnes aliæ, extenuantur, vt dicit Hippocrates in tertio de articulis, textu 88. extenuantur, dico, quo ad carnem; quæ autem ſunt remotiores, minus extenuantur, quo ad carnem, ideſt, minus minuitur caro in ipſis; ſed quoad oſſa magis patiuntur partes remotæ, quàm proximæ: nam abbreuiantur, vt, verbi gratia, ſi luxetur genu, & non poſſit reſtitui, tunc genu quoad carnem patitur multum, quia caro minuitur, ſed quoad oſſa minus patitur, immò oſſa augentur: tibia autem patitur quoad carnem; ſed magis quoad oſſa, quia breuior redditur: ita & pes patietur quidem quoad carnes; ſed magis quoad oſſa: Igitur extenuatio, & gracilitas ſemper eſt maior in parte viciniori articulo luxato. Sed notate, quòd non æqualiter in omni ætate fit iſta extenuatio, ſed in infantibus fit maior, quàm in pueris, & maior in pueris, quàm in adultis; quia & caro, & oſſa mollia ſunt, & nondum ad ſuum incrementum deuenerunt: in adultis autem minor fit, quia non amplius oſſa augentur. Sed notate, quòd os ſuperius creſcit, vti colligitur ex Hippocrate libro tertio de articulis, textu 88. vbi in luxatione malleolorum, & tali oſſa tibiæ augeri ait; & ſi non augentur, parum deficere ab incremento ſanorum; inferiora autem non creſcunt, & meritò, quoniam ſuperius internodium mouetur, neque diſtorſione vaſorum patitur; carnes autem attenuantur, & macileſcunt, & ratio eſt, quia quamuis vaſorum diſtorſionem non patiantur, tamen in otio ſunt, neque poſſunt trahere, aut extendendo mouere articulum luxatum. Aliud quoque notate, & eſt, quòd Cornelius Celſus loquens de hac extenuatione partium facta ob fruſtratam reſtitutionem, inquit, quòd partes, quæ magis propinquæ ſunt articulo luxato, minus extenuantur, quàm quæ ſunt remotiores, & hanc ſententiam habuit in octauo libro, capite decimoſeptimo, ſub finem, & eius verba ſunt hæc: Omnium, quæ in ſuo loco non ſunt, caro ea increſcit magis, quæ in proprio membro, quàm in vlteriore, vt puta, ſi humerus ſuo loco non eſt, maior in eo ipſo fit, quàm in brachio acies. Vult igitur Celſus, quòd caro copioſior creſcat in humero, quàm in brachio, & ita, quòd minus extenuetur humerus, quàm brachium, & brachium minus, quàm manus. Quæ ſententia eſt contra Hippocratem, contra rationem, & contra experientiam: nam Hippocrates vult totum oppoſitum, ſcilicet, quòd magis extenuetur pars propinquior articulo luxato, deinde remotior, & ſic ſecundum ipſum gracilior reddetur humerus, quàm brachium, & brachium magis gracile, quàm manus: Eſt porrò contra rationem, quia ratio dictat, quòd illa pars magis extenuetur, quæ minus mouetur; ſed luxato humero, & non reſtituto, certum eſt, quòd & brachium, & manus magis mouebuntur, quàm humerus, & manus magis, quàm brachium: ergo humerus magis extenuabitur, ſecundo loco brachium, tertio manus, quamuis ratione vaſorum intortorum æqualiter deberent extenuari; ſed ratione motus minus extenuatur, quę liberius mouetur: hęc autem eſt illa, quę magis diſtat ab articulo luxato: Et hoc ita eſſe experientia oſtendit, nam ſemper videmus partem adhęrentem luxato articulo graciliorem fieri, quàm eam, quę remotior exiſtit. Sed quid ad Celſum? Equidem puto locum illum eſſe corruptum: nam video Hipp. habere contrariã ſentẽtiam, & cum ipſo eſſe rationem, & experientiam, videoq; Celſum omnia, & capita integra ab Hippocrate mutuari; & ideo credo omninò locum eſſe corruptum, & eò magis, quia facilis eſt tranſitus, & lapſus ex voce illa (decreſcere) ad (increſcere) & ex (macies) ad (acies): Simillima enim verba ſunt: & ideo loco, increſcere, legerem, decreſcere; & loco acies, legerem, macies: & ita legemus ſic: Omnium, quæ ſuo loco non ſunt, caro ea decreſcit magis, quæ in proprio membro, quàm in vlteriore; vt puta, ſi humerus ſuo loco non eſt, maior in eo ipſo, quàm in brachio fit macies. Hoc modo ſi legatis, vera erit ſententia Celſi, & cum Hippocrate, & ratione, & experientia conſentiens. Hactenus de prognoſtico. Iam ſuccedit curatio, & primo luxationis ſimplicis.

Celſus cõtra Hipp. rationem, & experientiam.

Celſi locus emendatur.

(*)

De curatione ſimplicis luxationis. Cap. VI.

Indicationes. ABSOLVTO ſermone de prognoſtico, ordo poſtulat, vt loquamur de curatione. Eſto igitur, quòd ſit hic iuuenis, qui ex caſu ex equo, vel alio ex loco conciderit in humerum; & humeri articulus ſit luxatus, & nulla adſit inflammatiò, nullusque alius tumor, nec dolor aliquis, aut minimus, nec vllum aliud malum ſymptoma; quid agendum? Cognita luxatione per ſua ſigna, oportet videre, quis ſit affectus, & facilè patebit, quid agendum. Morbus eſt corruptio conformationis, ſeu figuræ ipſius articuli; ergo indicatur reſtitutio propriæ conformationis articuli: ſed hoc nunquam fieri poterit, niſi os, quod è ſuo loco egreſſum eſt, reducatur in locum proprium; ergo ſecundo loco indicatur reſtitutio oſſis in ſuam cauitatem. Verùm Galenus in primum de fracturis commento primo, dicit, quòd quoties in corpore trahitur vna chorda, vel muſculus, deinde remittitur, ablato impedimento, ſtatim retrahitur verſus ſuum principium, vt patet in fidibus cythararum. Cùm itaque os ſit extra locum proprium, neceſſe eſt, vt muſculi, ligamenta, & chordæ, quæ in ipſum deſinunt, ſint retractæ verſus principium ſuum, & ſecum traxerint os ipſum, quia interim, dum fiebat luxatio, & os egrediebatur ex ſua cauitate attrahebantur; ſed egreſſo oſſe, cum non amplius attraherentur, neceſſarium eſt, vt retractæ ſint verſus ſuam originem: ergo in luxatione os non ſolùm eſt extra locum proprium; ſed etiam eſt attractum, & attrahitur aliquantulum ſurſum: ergo ſi volumus os in ſuam ſedem reſtituere, oportet membrum extendere, & ad inferiores partes trahere. Tres igitur ſunt Indicationes prima, & principalior eſt reſtitutio figuræ, ſeu conformationis articuli: ſecunda eſt repoſitio oſſis in ſuum locum: tertia eſt extenſio muſculorum, chordarum, & ligamentorum. Sed ab hac *Principium curationis eſt ab extẽſione.* vltima eſt incipiendum, quia ſicut repoſitio oſſis in cauitatem propriam habet rationem cauſæ, ſine qua non, reſpectu reſtitutionis figuræ articuli; quia conformatio, ſeu figura non poteſt articulo reſtitui, niſi prius os reducatur in ſuum ſinum: ita extenſio habet rationem cauſæ, ſine qua non, ad repoſitionem oſſis in cauitatem propriam, quia nunquam os poterit in ſuam ſedem reduci, niſi prius trahantur, & extendantur muſculi, ligamenta, & chordæ.

Igitur pro curatione incipiendum eſt primò ab extenſione, vt monebat Gal. in primo de fract. comm. 1. & in lib. de conſtitutione artis, cap. 14. nam extenſio habet rationem *Obſeruanda quatuor in extenſione.* cauſæ, ſine qua non, reſpectu repoſitionis. In extendendo autem ad quatuor debet medicus oculum ſemper habere, primò ad tempus faciendæ extenſionis: ſecundò ad organa, quibus facienda eſt extenſio: tertiò ad modum extenſionis: quartò ad quantitatem.

1. Tempus, quod differri põt ad quartam diẽ excluſiuè. Tempus, vt ad primum deueniam, eſt, vt Hippo. dicit in 4. de artic. tex. 64. quòd ſtatim poſt factam luxationem, dum adhuc membrum calidum eſt, debet os reſtitui. Ratio autem, cur Hippocr. velit, vt extendatur artus, dum adhuc calidus eſt, hæc eſt, quia cum refrigeratum eſt membrum, omnes partes rigent; & ideo, ſi tunc extendatur artus, fiunt dolores maximi. Igitur ſtatim poſt luxationem, calido adhuc exiſtente artu, & antequam fiat tumor facienda eſt extenſio. vnde Celſus monet extenſionem, & repoſitionem eſſe faciendam ante inflammationem. Sed dices: hoc poterat quidem fieri olim in palæſtra à palæſtritis illis, qui callebant reſtitutionem oſſium: vnde, cum quis in palæſtra ludens incidebat in luxationem, poterant ſtatim ipſi artum extendere, & os reponere; nunc autem non poteſt fieri, immò pertranſit magnum aliquãdo ſpatium non ſolum horarum, ſed etiam dierum, ante quàm poſſit æger habere reſtauratorem: & in illo Reuerendo ego fui inquiſitus decimaquinta hora, & acceſſi ſolum vigeſimatertia, & tunc, etiam ſi artus non eſſet calidus, extendi, & repoſui humerum.

Quando igitur non poſſumus adeſſe, artu adhuc calido exiſtente, debemus ne omittere extenſionem, & reſtitutionem oſſis? Nequaquam; ſed ij, qui ſequuntur Hippocratem aſſignant tempus aptum extenſioni etiam poſt refrigerationẽ membri, & inter iſtos eſt Auicenna in quinta quarti tractatu primo, cap. 5. vbi inquit, quòd ſi prima die ſtatim, calido adhuc exiſtente membro, non poſſumus extendere, id faciamus ſecunda die; & ſi ſecunda non poſſumus, tertia ſaltem: idem dicit Galenus in lib. de officina medici, ideſt, de medicatrina commento ſeptimo. vbi ex mente Hippocratis monet, vt vel in prima, *In quarto cur nõ extendendum.* vel in ſecunda, vel in tertia ad ſummum reſtituamus os, & non excedamus tertium diem. Nam ſi in quarta tentetur reſtitutio, res non ſucceder feliciter: Vnde Hippocrates in quarto de articulis, textu 32. inquit: in quarto die fiunt rebelliones maximæ, &

per rebelliones intelligit exacerbationes, ebullitiones, conuulſiones, & multa alia incommoda, quæ ſuccedunt, ſi extenſio, & reſtitutio fiat quarta die.

Conſiderate iam quot errores committantur in reſtitutionibus oſſium: nam omnes iſti reſtauratores tentant reſtitutionem quacunque die indifferenter, nulla habita ratione vnius, plus quàm alterius diei: vnde credo, quòd maior pars articulorum, qui remanent impediti, ideo impediti remaneant, quia tentata eſt reſtitutio in tempore non opportuno. Itaq; moneo vos, vt habeatis ſemper rationem temporis, & ad ſummum non excedatis tertium diem: & ſi tertia dies eſſet iam præterita, expectandus eſt terminus inflammationis, ideſt, expectandum eſt, vſque quo pertranſierit tempus, in quo eſt periculum de inflammatione, & eſt tempus, quòd ab Hippocrate in quarto de articulis 65. conſtituitur ad extenuandum corpus: monet enim ibi Hippocrates, vt extenuemus hominem luxatione laborantem inedia, vſque ad ſeptimum diem, vt pręteream tempus, in quo eſt periculum de inflammatione. Igitur, ſi extenſio non poſſit fieri in tribus primis diebus, non eſt tentanda, nec in quarta, nec in quinta, nec in ſexta, ſed permittendum vt prętereat tempus extenuationis, ideſt, ſeptima dies: & ſi volueritis eſſe cautiores, & prudentiores, obſeruabitis etiam terminum nouem dierum, vt monet Paulus lib. ſexto, capite 121. nam terminus inflammationis ſolet protendi vſque ad nonam diem.

Dies ad extenſionẽ eligendi & reformidandi.

Igitur tempus in quo poteſtis extendere, & reſtituere os, eſt prima, ſecunda, & tertia dies, vel ſaltem ſeptima, octaua, & nona. in decima autem, vndecima, duodecima, & reliquis ſubſequentibus non eſt tutum tentare talem actionem, quia vt plurimum res malè ſuccedit: Ante autem decimam, exceptis quarta, quinta, & ſexta die, reſtitutiones omnes ferè bene ſuccedunt, vt fuit ſententia Hippocratis in 4. de articulis 32. cuius rei nec ipſe, nec alij afferunt rationem, cur ſcilicet poſt nonam diem reſtitutiones male ſuccedant; ego tamen credo, quòd ſit hæc: Ante decimam diem æger vſus eſt inedia; & corpus extenuatum eſt: tranſacta nona, medicus exhibet largum cibum; quo fit vt tempore, quo iam natura incipit conſolidare, fiat fluxio ad articulum; qua fluxione vel relaxantur ligamenta, & fit noua luxatio; vel materia colligitur in cauitate aliqua, & trudit os ad hanc, vel ad illam partem. hac igitur de cauſa non eſt tutum luxata oſſa reſtituere poſt nonam diem. Ideo niſi cogamini, nunquam decima, vel alijs ſubſequentibus diebus talem actionem aggrediamini: Reſtitui ego aliquando poſt decimam, & res fęliciter ſucceſſit; tamen vt plurimum malè ſuccedit.

Ratio, cur poſt 9. præterierit occaſio.

Ante extenſionem indolentia procurãda, & mẽbrum pręparandum.

Sed, antequam veniatis ad extenſionem, non ſolùm debetis obſeruare tempus; ſed etiam oportet (vt inquit Hippocrates) præparare articulum ad indolentiam, & facilitatem; ò maxima illius boni ſenis diligentia, hinc conſiderare, quæſo, acerbitatem illarum beſtiarum, à quibus ars hæc exercetur: nam & ruſtici, & fœminæ, & nebulones quidam ſunt, qui oſſa reſtituunt, & beſtiæ mihi protſus videntur, & hoc non eſt ſolum his noſtris temporibus; ſed fuit etiam tempore Hippocratis & Galeni: vnde Galenus dicit, ſe non mirari, quòd tam paucis ſint reſtituta oſſa; ſed quòd illis paucis ſint benè reſtituta. igitur præparandus eſt articulus ad indolentiam.

Emollitio per aquã calidam.

Secundò præparandus eſt ad facilem reſtaurationem; Quæ duo aſſequemini, ſi calefacietis, emollietis, & laxabitis partes articuli, ſcilicet muſculos, chordas, & ligamenta: nam his laxatis, & emollitis, facilè extendetur, & trahetur articulus; facilitatem autem extenſionis ſequitur indolentia. Emollitio autem fiet per calefactionem, & motum: per motum, vt per frictiones: per calefactionem verò, vt affuſa plurima aqua calida. Vnde & fœminæ ſolent, ſi luxatum ſit os in articulo pedis, facere, vt æger ponat pedem in catinum aquæ calidæ: ſed vtinam hoc facerent in alijs etiam articulis; & faciunt ſolùm in pedib. potius, ob commoditatem ponendi articulum in catinum, quàm ob aliam rationem: ſi enim alius articulus ſit luxatus, quia non eſt ita commodum, mergere ipſum in aquam, non vtuntur aqua; tamen in omnibus articulis opus eſt affuſione ipſa vti, ex ſententia Hippocratis in 3. de articulis 49. & Pauli in 6. lib. cap. 114. vbi habetis etiam, quòd ablutio, ſiue affuſio non eſt facienda ſolum aqua pura, ſed etiam cum hydrelæo, vt magis laxæ reddantur partes: Vnde & decocto maluarum, altheæ, & ſimilium, tepido, vel calido vti poteritis. Hic eſt vnus modus emolliendi, laxandi, & calefaciendi, & per conſequens pręparandi artum ad indolentiam.

Emollitio per manum inunctam.

Alter modus eſt præmollitio manu facta, & hac præmollitione vtor ego frequenter, vbi non eſt aptatio articuli ad catinum, & vbi etiam non eſt aqua parata: neque enim in omnibus locis omnia haberi poſſunt parata. Præmollitio autem hæc fit manu inuncta aliqua re vnctuoſa, vt oleo communi, vel quocunque oleo, vel larido, vel axungia, dummodo non ſit nimis ſalita: Manu itaque inuncta frico articulum, traho, ducoque chordas, & muſculos illos, vt laxus, & indolens reddatur articulus.

Aliud proponitur agendum ab Hippocrate in 4. de artic. tex. 64. ad facilem reddēdam extenſionem, & reſtitutionem, & eſt [illegible] ſic ab ipſo vocatum; hoc eſt leuis motio: nam [illegible], & [illegible] dicitur auicula illa, quæ caudam mouet, & motacilla à noſtris appellatur. Vult igitur Hippocrates, vt, cum affuſa fuerit multa aqua, vel facta fuerit præmollitio manu inuncta leniter, ſenſim moueamus articulum.

Reſtitutionis duo modi. His modis parabitis articulum ad extenſionem: quo facto, reſtituendum eſt os in ſuam cauitatem. Sed ſciatis, quòd duplex eſt reſtitutio, ſeu modus reſtitutionis: vnus palæſtricus, alter medicus, vt colligo ex Hippocrate in primo de artic. 14. *Gymnaſticus.* Reſtitutio palæſtrica erat illa, quæ fiebat ab illis gymnaſticis, & palæſtricis hominibus, & fiebat ſine inſtrumento aliquo; ſed ſolùm ab aliqua parte corporis: nam apponebant vel genu denudatum, vel humerum, vel aliam corporis partem, & propellebant os in ſuam ſedem: erant enim, qui hoc agebant, geruli, & robuſti admodum homines. *Medicus.* At medica reſtitutio fit manibus tantum, atque organis quibuſdam, quoniam medicus non eſt gerulus, nec corpus habet ita robuſtum; nec ſi haberet, vult denudare partes corporis ad os reſtituendum; & ideo vtitur inſtrumentis opportunis: & ſi non ſit magna luxatio, & non opus ſit magno robore, vtitur manibus tantùm; ſi autem luxatio ſit magna, vtitur organis: Organa autem ſunt lora quædam, faſciæ, linteola, & ſimilia, quibus ligamus artum, extendimus, & reſtituimus. De faſcijs autem habetis integrum librum à Galeno: habetis & librum Oribaſij de vinculis ſatis pulchrum. Vtebatur etiam Hippocrates ſcala, vectibus, pilis varijs, & ſcamno, de quibus videbitis ipſum in quarto de articulis 49. Habetis & librum Oribaſij pulchrum, inſcriptum de machinamentis, in quo libro habere poteritis plura organa apta ad reſtitutionem oſſium. Sed notate, quòd extenſio fieri poteſt vel manibus, vel vinculis, ſeu loris, vel organis. Manibus quidem aut medici, aut miniſtrorum: Quando opus eſt leui extenſione, & attractione, ſufficit manus medici, vt ſi luxatus ſit articulus digiti, medicus ipſe ſine auxilio miniſtri poterit digitum trahere, & extendere: at ſi validiori extenſione, attractioneque ſit opus, tunc non ſat eſt manus medici; ſed requiritur etiam manus miniſtri vnius, vel duorum, vel plurium, vt vnus ex vna, alter ex altera parte trahat membrum, in quo eſt luxatio.

2. ad reſtitutionē requiſitum ſunt organa apta. Quandoque autem accidit, vt non ſufficiant manus medici, nec miniſtrorum, aut quia labantur, aut quia requiratur attractio validior; & tunc deuenimus ad vincula, quæ [illegible] vocantur ab Hippocrate. In quibus obſeruanda primò eſt figura, quo modo ſcilicet ſint obuoluenda circa artus: quæ figura multiplex eſt, nec poteſt ex hoc loco doceri, ſed in praxi: & ipſam etiam poteritis diſcere ex libello Oribaſij de laqueis, qui liber habetur cum figuris impreſſus Venetijs à Iuntis, & venditur vna cum operibus Galeni vltimò excuſis: ibi igitur poteritis videre figuras multiplices. *Lora.* Materia autem vinculorum loracea, vel lorea proponitur ab Hippocrate in 4. de articulis textu 63. quæ materia lorea (corrigia vulgo dicta) debet eſſe, inquit Hippocrates, valida, mollis, & plicatilis; ſed ex quanam materia fiat corigia iſta, nec ipſe, nec Galenus explicat; ſcimus tamen, quòd ex corio aſſumitur, & ex Hippocrate & Galeno, quòd debet eſſe valida, mollis, & tractabilis. Ego aliquando ſum vſus vinculis ex corio bouino, vel vitulino; aliquando ex linteo ex præcepto Celſi lib. 8. capite 11. Sed vincula linea franguntur; illa verò ex corio bubulo, & vitulino dura nimis ſunt. Vnde tortores iſti peſſimi, qui homines ligant, & ad chordam appendunt, & torquent pro veritate extorquenda, docuerunt *Lori materia optima quæ.* me, ex quonam corio ſint aſſumenda vincula, nimirum ex corio ceruino ita præparato, vt præparati ſolet ad conficiendum illud breue genus indumenti, quod colletto vulgò dicitur: corium hoc craſſum, & validum eſt, molliſſimum, & admodum tractabile, & eò magis, ſi inungatur vnguento illo, quod pomata vulgari idiomate dicitur: nam imbibit facillimè vnguentum, & fit materia molliſſima. Et ex hac Tortores accipiunt ſua illa vincula, quibus vinciunt homines: & ex eadem reſtauratores oſſium poterunt accipere ſua, & erunt præſtantiſſima. Igitur ex corio ceruino eo, quo dixi, modo præparato ſunt accipienda lora. *Vincula ferrea.* Verùm aliquando hæc non adſunt, & tunc antiqui vtebantur vinculis ferreis, vel ex funibus canabaceis ex nauibus; nos non vtimur ferreis; ſed *Funes canabacei.* ex chordis communioribus aliquando, ſicut & antiqui: & tunc obſeruandum id, quod obſeruat Hippocrates loco dicto, qui monet, vt prius muniamus membrum ea parte, vbi chordæ ſunt obuoluendæ; muniamus, inquam, faſcijs molliſſimis, vel laneo panno attrito: igitur obuoluatis faſciam mollem in ea membri parte, ſupra quam obuoluenda eſt chorda, alioqui laceraretur ſubiecta cutis.

Locus applicandi laquei. Aliud quoque pertinet ad vſum laqueorum, & eſt, vt ſciatis, vbi laquei ipſi ſunt applicandi, vt, verbi gratia, ſi luxatus eſſet cubitus, poſſumus applicare vincula immediatè ſupra, & infra cubitum, & in parte etiam media tum humeri, tum brachij, & in partibus remotio-

motioribus; attamen Hipp. à quo ego non diſſentio, vult, vt applicemus vincula in partibus remotioribus, & quanto vinculũ erit remotius à luxata parte, tanto melior, & tutior fiet extenſio: nam ſi applicaremus in parte media humeri, vel brachij, tunc non totus muſculus attraheretur; ſed dimidia tantùm pars: & ita muſculus laceraretur, quia non poteſt media illa ſui pars ferre tantam extenſionem, attractionemque: At vinculum ſi applicetur in parte remotiori; tunc totus muſculus trahetur, & ſic non lacerabitur, quoniam totus poteſt melius tolerare validam attractionem, quàm dimidia ipſius pars dũtaxat: & ideo ſemper vincula ſunt applicanda in partibus remotioribus à luxato articulo, & quantò in remotioribus erunt, tantò erit melius.

Notandum circa vſum laqueorum.

Notandum & aliud eſt magni momenti, & eſt, ꝙ Hipp. quando vult extendere, & trahere vnum os, infra quod ſint duo articuli, ſemper applicat vinculũ vtrique articulo, non autẽ vni tantum: nam quanto luxationes magis in ſuperioribus partibus ſunt, tantò ſunt difficiliores ad extenſionem, & repoſitionem, quia muſculi trahentes ſunt validiores, & quanto ſunt validiores, tanto magis impedimento ſunt extenſioni, ac repoſitioni; & idcirco Hipp. apponit vincula vtriq; articulo inferiori, vt ſi luxatus eſſet articulus femoris, applicabit vinculũ genu, & pedi, quia muſculi femoris cum validi ſint, attrahunt ſurſum validiſſimè; ſi autem ligaretur vnus articulus tantùm, vt genu, magis pateretur, quàm ſi vinculum applicetur vtrique, vt genu, & pedi: Similiter, ſi luxatus eſſet articulus humeri, cum infrà adſint duo articuli, & muſculi humeri ſint validiſſimi, applicabit Hippocrates vincula cubito, & carpo: Et ſi luxatio eſſet in dorſo, & dorſum eſſet trahendum deorſum, applicabit vincula ambobus pedibus, ambobus genibus, & coxæ vtrique, quia attractio eſt validiſſima, & non poſſet tolerari ab vno articulo tantùm. Hæc ad vſum ligamentorum, ideſt vinculorum attinebant.

Scala.

At ſi vincula non ſufficiant, deueniendũ eſt ad organa, quæ præcipuè neceſſaria ſunt in antiquatis luxationibus, cũ os aliqualiter callum contraxit extra ſuum locum: organa autem magis vſitata ſunt, quę à Gal. in primo de art. comm. 17. proponuntur, videlicet ſcala mechanica, ſeu gradaria dicta, & eſt ſcala communis, quæ circũfertur à mechanicis, & fabris lignarijs: ſcala hæc primũ locum obtinebat, & hac Oribaſ. in lib. de medicamẽtis reponit omnia luxata oſſa. Secundum locum obtinebat organum illud, quod gloſſocomion vocabatur, & præcipuè gloſſocomion arganicon Gal. de quo meminit in ſexto metho. cap. 5: ſed clarius illud deſcribit in ſecundo de fracturis comm. tex. 64. & deſcribitur etiam ab Oribaſio in lib. de machinamentis. Tertio in loco erat ſcamnum Hippoc. quod etiam deſcribitur ab ipſo in 4. de artic. 42. & in ſubſequentibus textibus. His organis poteritis omnes luxationes reſtituere, & non indigebitis alijs; & ſi plura organa volueritis, legatis librum Oribaſij de machinamentis, vbi plura habebitis: Sed ego omnia ago cum ſcala, & gloſſocomio. Inter organa erant & pilæ quædam coriaceæ, vectes, piſtilla, vtres, vel folles quidam, tabulæ, & ſimilia, quibus etiam aliquando egemus.

Gloſſocomiõ.

Scamnum.

Alia organa.

3. Requiſitũ eſt modus extenſionis.

Tandem vel manibus, vel vinculis, vel organo extendetis membrũ, in qua extenſione tertiũ caput, ad quod eſt reſpiciendum, diximus eſſe modum extenſionis, in qua re notate, ꝙ duplex eſt extẽſio, vt habemus ab Hipp. in 2. de artic. tex. 1. vna, quæ fiebat per ſuſpenſionẽ corporis; altera per attractionem oppoſitæ partis: per ſuſpenſionẽ quidem, vt quando, ad reſtituendam luxatã vertebram, ligabant hominem in ſcala; deinde ſcalam in aere huc illuc dimouebant hominẽ à ſcala pendentem, & ita corpus ſuomet pondere extendebatur. Sed hic modus extenſionis refellitur ab Hippocrate; & ideo loquamur de alia extenſione, quæ facilis eſt, & ſine dolore, & præcipuè, ſi fiat obſeruatis ijs, quæ obſeruat Hipp. qui inquit: Oportet medicũ luxationum, & fracturarum, quã rectiſſimas extenſio- „ nes facere. Oportet igitur ſeruare rectitudinẽ tùm ratione oſſium, tùm ratione ligamentorũ, tùm ratione muſculorum: nam ſeruata rectitudine, harum partium extenſio redditur facilis, & indolens, vt, verbi gratia, luxatus ſit humerus, vos ſcitis, ꝙ humerus habet caput reſpiciens ad inferiores partes: ſi itaq; extenderetis ipſum ita, vt non reſpiceret partes inferiores; ſed vel poſteriores, vel anteriores, tunc difficilis, & doloroſa erit extenſio, & reſtitutio, quoniam non ſeruatur in extenſione rectitudo oſſis: Et ideo ſeruanda eſt rectitudo oſſium, vt extenſio fiat per rectam lineam, qua ſolet à natura fieri, ita, vt pars, quæ erat poſterior, fiat poſterior; quæ anterior, anterior, & ſic de reliquis. Ratione quoque ligamentorum ſeruanda eſt rectitudo, alioqui ligamenta lacerabuntur, & quę erant longa, fient breuia ob intorſionem; & quæ breuia erant, reddentur longa pręter naturam. Similiter ſeruanda in extenſione eſt rectitudo ratione muſculorum, quia non ſeruata rectitudine, muſculi intorquebuntur, lacerabuntur, breuiores reddentur, & ſic difficilis, & doloroſa erit extenſio, quoniam fibrę erunt intortę circa os, & lacerabuntur. Hæc pertinebant ad modum extenſionis.

Quot nominibus oporteat ſeruare rectitudinem.

4. Requiſit. eſt quantitas extenſionis, q̃ cognoſcitur ex tribus. Quartum caput in extenſione obſeruandum pertinere diximus ad quantitatem extenſionis, ideſt, quantum, ſeu vſque ad quem terminum ſit extēdendum; nam & hoc debet medicus reſpicere. In hac autem quantitate extenſionis ſunt obſeruanda ea, quę proponuntur à Gal. in primo de artic. comm. 7. vbi inquit, quòd oportet primò ſcire, ex quo loco egreſſum ſit os; ſecundò, quo medio, ſeu per quam viam ſit egreſſum; tertiò, quò ſit progreſſum, & vbi ſit firmatum pręter naturam: ſæpe enim laxatur os, & reſidet in aliqua parte extra locū proprium, ſed non patet, per quam viam egreſſum ſit, vt ſi humerus eſſet luxatus ad interiorem partem, non ſciremus, quo medio eſſet egreſſum; & Hippocr. ait, ſe nunquam vidiſſe humerum luxatum ad interna, & quòd non poteſt brachium luxari ad partem internam, quia proceſſus interni impediunt; Galenus autem dicit ſe vidiſſe: nec ob id errauit Hippocrates, quia os illud licet per ſe non poſſit luxari ad partem internam, tamen poteſt trahi à violenta attractione muſculorum, & ita potuit Galenus vidiſſe brachium luxatum ad internam partem. Itaque primò oportet obſeruare, vnde os exierit: ſecundò per quam viam, nam & per eandem eſt reducendum in locum

Exemplum. proprium: tertiò vbi quieuerit. Igitur ſtante, quòd humerus luxatus quieſcat in parte interna, oportet primò ipſum trahere ad partem interiorem; deinde tentanda eſt tractio ad ſuperiorem partem, & repoſitio in locum proprium: & quando reduxeritis os ad viam, per quam egreſſum eſt, & attractum fuerit verſus cauitatem, vnde exijt, ita, vt ſit ſupra cauitatem, adhuc aliqualiter eſt trahendum.

Dubitationis ſolutio. Sed dices: Videtur, quòd, quando os erit iam ſupra cauitatem, ita, vt poſſit ſola impulſione ingredi cauitatem, non ſit opus amplius ipſum trahere, quia, ſi vlterius trahatur, lacerabuntur ligamenta. Dico, quòd lacerabuntur quidem ligamenta; ſed non poſſumus aliter facere, & vlterius eſt attrahendum aliqualiter os, quia oſſa habent inæqualia tubercula, & inæquales cauitates: & ideo oportet luxatum os attrahere aliqualiter vltra ſuum terminum; aliter non ingrederetur benè cauitatem. Quia igitur extra cauitatem aliquot extant ſupercilia inæqualia, ſimiliter articulorum prominentiæ inęquales; propterea aliquantiſper vlterius trahendum eſt os, vt poſtea facilius in ſuam ſedem compelli poſſit.

Sub dio non debet fieri extenſio. Sed notate, quòd in extenſione oſſium fit maximus dolor, & magnus labor tum ægri, tum medici, & miniſtrorum, & nudus debet aliquando æger eſſe, & medicus, ſi non nudus in aliquibus partibus, ſaltem paucis pannis tectus: & ideo, vobis præſentibus, nō permittatis, vt reſtaurator moliatur hanc actionē ſub dio, nec in loco ventoſo: & hoc facere debetis ſi non cauſa reſtauratoris, ſaltem cauſa ipſius ęgri, quia ſuccederet febris, vel coryza, ideſt, catarrhus, vel aliud incommodum.

Secundo notate, quòd aliquando extenſio eſt ita difficilis, vt talis actio nō poſſit fieri, recto manente ipſo ægro; & ſi ſtet rectus, vt ſolet, quando extenſio fit cum ſcala, cadit in deliquium animi, & ita impeditur actio: & ideo ſi præcognoueritis extenſionem fore difficilem, vel quòd vires ægri ſint debiles, nunquam tentetis extenſionem recto manente ægro, ideſt, ſtante: nam maior pars ſolet delinquere animo, ſi ſtent, dum talis perficitur actio. Vnde vtile fuerit, ante extenſionem reſtaurare ſpiritus (ſi videritis vires eſſe debiles) exhibita offa in vino odoratiſſimo, cuius vini parum bibere etiam poterit; ſorbeat etiam oua. Tertiò notate, & hoc eſt momenti, quòd, quando videritis ægrum cecidiſſe in deliquium animi, non debetis vos quoque animo cadere; ſed ſtatim oportet conſiderare, an id, quod ſupereſt, extenſionis ſit multū, aut paucum: Si pauca actio ſuperſit, faciatis, vt miniſtri proijciāt aquam frigidam in faciem ægri; non autem ſupra affectum articulum, quia ſtupidus redderetur: & interim, dum miniſtri hoc faciunt, non timeatis perficere actionem, ideſt extenſionem, etiam ſi ęger adhuc iaceat, & deficiat animo, non dubitetis, dico, dummodo pauca, vt dixi, actio ſuperſit agenda: At ſi illud, quod ſupereſt, actionis eſſet multum, non tentetis illud perficere, niſi prius releuatus fuerit æger ex animi deliquio: Et ſi videritis, quòd defecerit animo ob paucitatem ſpirituum, reficiatis ſpiritus ipſos; poſtea perficietis actionem.

Quomodo præcaueatur deliquiū animi.

Impulſio eſt duplex. Facta extenſione, impelletis os in cauitatē manu, quæ ſit inuncta cerato aliquo molli, vel oleo roſaceo, aut quocunq; alio, aut pinguedine aliqua. Sed notate, ꝙ os impellitur in cauitatem, facta extenſione, duob. modis: vnus eſt per motationem, i. per circumgirationem; alter eſt per impulſum in oppoſitā partem: & alij articuli ſunt, in quibus aptior eſt vna impulſio; in aliquibus magis cōuenit alia, vt in humero difficile impelleretur per illū modum, qui fit per oppoſitam partem; at per motationē facilè, vix enim circumgirabitis aliqualiter bis, vel ter humerum, quòd ingredietur cauitatem: in aliquibus autē eſt magis accōmodata impulſio facta per partē oppoſitam: Et hæc impulſio fieri poteſt vel manu, quę tamen ſit prius inuncta cerato, aut oleo, vt mollius res agatur, vel pedibus, vel humeris Medici, aut miniſtri: Poteſt etiam impulſio fieri vinculis, aut alio organo.

Repoſito

Digitized by Google

Repoſito oſſe in ſedem propriam per ſe, ſuccedit primus ſcopus, qui erat conformatio articuli in integrum: qui quamuis primus eſſet, tamen non poterat acquiri ſine extenſione, & reſtitutione oſſis in locum proprium. Signum autem quòd repoſitum ſit os, inquit Auicenna 3.4. c. 5. eſt ſonitus, qui aliquando ſentitur; ſed non eſt perpetuum, eſtque ignorantium reſtauratorum refugium: nam articuli ferè omnes diſtorti ſtrepitum edunt, quod etiam fit, ſi nimis trahantur: at iſti nebulones, cum reſtituere tentant ea, quæ non ſunt luxata, ita intorquent, vt ſonent oſſa: quo audito ſtatim afferunt reſtitutum eſſe os, ac prius extra locum fuiſſe. Verum ergo & perpetuum ſignum reſtituti oſſis erit illud, quod pro primo ſcopo fuerat propoſitum, ſcilicet conformatio ipſarum. ſtatim, cum medicus benè formatum videt articulum, cognoſcit os reſtitutum eſſe.

Signum repoſiti oſſis fallax.

Signum veorum.

Quo facto, & cognito, nihil aliud reſtat, niſi vt conſeruetur in eo loco, & ſitu, donec optimè ligetur: Secundo indicatur prohibitio inflammationis: tertio coniunctio, & conſolidatio ligamentorum, & chordarum diſſolutarum, & laxatarum. Primum autem, & ſecundum, videlicet conſeruatio oſſis in loco, & prohibitio inflammationis fient primò figuratione optima tum luxati articuli, tum totius illius membri, tradendo ſcilicet conuenientem figuram articulo luxato, & toti membro: ſecundò deligatione; tertiò quiete: quartò collocatione bona, & conuenienti: quintò medicamentis opportunis impoſitis, his omnibus poteritis os in ſuo loco conſeruare, donec optimè ligetur, & inflammationem prohibere. Primò quidem figura, quia optimè, & vt decet, figurato articulo, & membro, redditur articulus indolens; non dolente autem articulo, non attrahuntur humores, & ſic non fit inflammatio. Deligatio quoque conſeruat os in loco, & exprimit humores, ſi qui fluxerint ad locum affectum, & qui fluere poſſent, arcet: & ita prohibet etiam inflammationem, dummodo comprimat ſine dolore, & exprimat humores ad partes ſanas: ita enim continebit, & impediet inflammationē. Quies pariter conſeruat os in loco, & non eſt in cauſa, vt humores attrahantur. Ita & collocatio, & ſitus bonus conſeruat os in loco, & eſt in cauſa, vt humor, qui fluxit ad locum affectum, trudatur ad inferiores, vel ſuperiores partes, & qui fluere potuiſſent, arcet. Idem & medicamenta opportuna faciunt. Hæc igitur quinque præſtabunt vobis duas primas indicationes, ſcilicet conſeruationem oſſis in ſuo ſitu, & prohibitionem inflammationis. Tertia autem perficietur quiete, & medicamentis, quæ habeant vim agglutinandi.

Tres indicationes poſt repoſitionem.

Quinque rebus articulū reſtitutū conſeruari, & inflammationē arceri.

Examinemus igitur iſta omnia, & primò figurationem. ſciatis igitur, quòd oportet obſeruare figurationem non ſolum articuli affecti; ſed etiam totius membri; nam ſunt aliquot figuræ naturales, & indolentes; aliquot non naturales, & quæ dolorem faciunt: verbi gratia, luxetur articulus cubiti, reſtituatur, reſtitutus cum eſt, debetne flexus, vel rectus manere? Sciatis igitur, quòd flexio in hoc articulo eſt quaſi figura ſibi naturalis; extenſio autem eſt veluti præter naturam: nam ſi obſeruetis ſpatium viginti quatuor horarum, videbitis, quòd brachium manebit viginti horas flexum, & quatuor extenſum: Si enim dormimus contracta habemus brachia vel ſub capite, vel ad alias partes: ſimiliter quicquid agimus, ſemper ferè flexa brachia tenemus; & quamuis cubitus, & brachium extendatur, & flectatur; tamen ferè ſemper flexus manet: Idcirco cum hæc figura ſit ipſi quaſi naturalis, oportet, reſtituto cubiti articulo, tenere & articulum, & brachium flexum. Contrà autem in articulo genu, & crure eſt faciendum, quia ferè ſemper genua, & crura recta, & extenſa manent, ſiue ſtemus, ſiue ſedeamus; & ſedendo teneamus ipſa flexa fit dolor, & tandem extendere cogimur: ideo ſi luxatus ſit articulus genu, & reſtitutus, debet, non vt cubitus ſeruari flexus, ſed extenſus. Itaque obſeruanda eſt figura articuli. Secundò obſeruanda eſt figura totius membri, vt: Luxetur humerus, & reſtituatur: reſtitutus cum eſt, poſſumus facere, vt humerus, & totum brachium pendeat, & flexum etiam maneat; debet ne igitur totum brachium cum humero pendulum ſeruari, an flexum? Dico, quòd non ſolum humerus, ſed etiam brachium totum debet flexum manere, quia talis figura eſt indolens, & quaſi naturalis. At ſi luxetur fæmur, & reſtituatur, debet & fæmur, & crus totum, & pes figurari, vt extenſa maneant, non autem flexa: ſimiliter ſi luxetur pedis articulus, debet & crus, & fæmur extenſum manere, quia talis figura eſt fere naturalis fæmori, & cruri. Igitur fæmoribus, & cruribus ſemper tradenda eſt figura extenſa, ſeu recta; humeris autem, & brachijs flexa. Sed notate ex Galeno in primo de fracturis comm. primo, quòd ſemper debetis aut articulo, aut membro tradere eam figuram, quam optatis, antequam deligetis, quia, ſi facta deligatione id facere velletis, ſequeretur, quòd ex immutatione aliqua partium membri ligati aliquot partes deligationis, quæ ſtrictæ eſſe deberent, fierent laxæ, & aliquot, quæ deberent eſſe laxæ, fierent arctæ, ex quo ſequeretur læſio articuli, igitur ſemper

Primò eſt figuratio tum articuli, tum membri totius.

Figuratio pcedit deligationem.

per

per figuratio eſt tradenda tam articulo, quàm membro, antequam ligetur articulus, vt id, quod debet eſſe ſtrictum ſemper ſit ſtrictum; & quod debet eſſe laxum, ſemper ſit laxum.

Faſciarum materia. Figurato optimè articulo, & membro, deueniendum eſt ad deligationem, quæ debet fieri faſcijs non quidem laneis, quia laxæ nimis ſunt, nec ſtupa, vt ſolent quidam diabolici reſtauratores, qui capiunt comam canabis, vel lini, & dilatant, & iſta coma vinciunt articulum fractum, vel luxatum, & ineptiſſima, ac diabolica eſt deligatio. Igitur deligatio fiat faſcijs lineis; non autem laneis, quia cum faſcijs laneis non poteſt articulus benè ſtringi. Sint ergo ex lino, & ſint molles, æquales, & mundæ: molles quidem debent eſſe, ne faciant dolorem; debent eſſe æquales, vt æqualiter omnia agantur; debent porrò eſſe mundæ, vt poſſumus cognoſcere ex colore, quinam humor reſudet ex articulo.

Latitudò. Latitudo autem faſciarum non poteſt ſemper certa proponi, quia nec partium craſſities, & tenuitas certa eſt; ſed aliæ ſunt craſſiores, aliæ tenuiores; hoc tamen ſcimus, quòd partes craſſiores requirunt faſcias latiores; tenuiores autem anguſtiores: Et ſi vertebra dorſi eſſet luxata, latitudo faſciæ deberet eſſe ſaltem octo digitorum; ſed rarò accidit hoc. Tamen ego dico, quòd in deligandis articulis digitorum latitudo faſciarum non debet excedere duos digitos, & aliquando ſat eſt, vt latitudo æquet craſſitiem vnius pollicis. In alijs autem articulis certa latitudo ſcribi non poteſt, ait Galenus in primo de fracturis, commento tex. 36. Tamen ſciatis, quòd in craſſis artubus latitudo faſciarum debet eſſe quatuor digitorum; in alijs autem minus craſſis trium digitorum, vt in humero, & toto brachio vſque ad articulum manus ſat eſt, vt faſciæ ſint latæ tribus digitis; in femore autem, & toto crure latitudo debet eſſe quatuor digitorum: Et intelligatis de digitis ipſius ægri; alioqui poſſetis vincire articulum pueruli faſcia latiſſima; & vitum arctiſſima. Igitur ſtatim, cum eritis in loco, vbi eſt æger, faciatis, vt porrigat vobis manum, & obſeruata craſſitie digitorum, & articuli luxati parabitis faſcias ea latitudine, qua dixi.

Numerus. Numerus autem faſciarum, qui nam eſſe debet? Dico, quòd primò in deligatione faſciæ ipſæ diſtinguuntur in duo genera, vt inquit Galenus in primo de fracturis, commento 35. vnum genus dicitur ὑποδεσμίδες, vel ὑπόδεσμοι, hoc eſt, ſubligamina, & ſunt illæ, quæ ſub plagulis collocandæ ſunt: alterum genus ſunt illæ faſciæ, quæ extra plagulas collocantur, quæ ab Hipp. & Galeno in 3. de offic. medic. com. 6. appellantur ἐπίδεσμοι à noſtris autem vocantur exteriores. Vt rem hanc intelligatis, deberis ſcire, quòd ſolemus ligare articulum faſcijs; deinde ſupra has faſcias ponimus ſplenia, & ſupra ſplenia addimus alias faſcias. Illæ, quæ ſunt ſubtus ſplenijs, & tangunt immediatè articulum; vocantur, vt dixi, à Græcis ὑπόδεσμοι, vel ὑποδεσμίδες, id eſt, ſubligamina, & interinſecæ etiam poſſunt vocari: Aliæ autem, quæ apponuntur ſupra ſplenia, vocantur exteriores: Nos autem loquimur primò de illis intimis, quæ ſubligamina nominantur, & de illis quærimus, quot numero eſſe debeant. Antiquorum aliqui vtebantur tribus ex his faſcijs: Hipp. autem duabus tantum, ita Galenus, Celſus, Paulus, & omnes alij optimi reſtauratores: Exterioribus autem faſcijs aliqui vtebantur tribus, aliqui quatuor; ſed Galenus duabus tantum, ita & ego, & aliquando vna tantum, quando ſcilicet articulus non facilis eſt ad lapſum; aliquando nulla, quando ſcilicet non vtor ſplenijs: nam exteriores faſciæ apponuntur cauſa ſpleniorum. hæc de numero faſciarum.

Longitudo. Longitudo autem deſcribi non poteſt, tanta eſt differentia inter partes ligandas, vt nulla ferè detur proportio inter ipſas, vt in luxatione coxæ non ſolum eſt liganda coxa, ſed etiam venter, hoc eſt, ilia ipſa: in luxatione etiam humeri ligandus eſt humerus, & thorax: & ideo nulla eſt proportio inter brachium, & humerum; nec inter crus, & femur: & ideo nec inter faſcias pro his partibus proportio erit, quanta debeat eſſe earum longitudo. Sed dices: quomodo igitur præparabimus nos faſcias, ſi neſcimus, quanta debeat eſſe earum longitudo? Dico, quòd Hipp. in 3. de offic. med. tex. 7. vult faſcias eſſe trium, quatuor, quinque, & ſex cubitorum: nam tanta requiritur longitudo, quantam ſatis eſſe medicus coniectari poterit. Et ſi vultis aliquam certam rationem, dico, quòd pro brachijs lognitudo debet eſſe trium cubitorum; pro cruribus autem quatuor: & per cubitum intelligatis ſpatium illud totum à ſummis digitis ad curuaturam cubiti, illud ſpatium dicitur vnus cubitus; & intelligatis de cubito ipſiuſmet ægri. Ego facio, vt æger extendat volam manus, quantum poteſt, & capio duos dodrantes pro vno cubito: nam duo dodrantes conſtituunt menſuram vnius cubiti. In digitorum autem articulis longitudo faſciæ debet eſſe triplo minor, vt vnius cubiti tantum, vel vnius cum dimidio, vel vnius cum tertia parte.

Si autem cingendus eſſet thorax, vel ilia, ego acciperem faſciam triplo longiorem, vt in deligando crure capiebam faſciam longam quatuor cubitis; in deligando autem fæmore duodecim cubitorum, quia non ſolùm fæmur, ſed etiam ilia ſunt deliganda. Si autem luxatus erit humerus, accipiam faſciam nouem cubitorum; in reliquo autem brachio trium cubitorum. Igitur in deligando humero faſcia debet eſſe nouem cubitorum; in reliquo brachio trium; in fæmore 12. cubitorum; in reliquo crure quatuor; in digitis autem deligandis debet eſſe vnius cubiti, vel paulo plus.

Inflammatio quomodo producatur.

Conſtitutis, & præparatis faſcijs, oportet ligare articulum: quæ delegatio indicatur tum pro conſeruando oſſe in ſuo loco, tum etiam ad arcendam inflammationem, quæ in luxationibus fit, quoniam ex dolore luxationis, & ex dolore extenſionis ſolent ſpiritus, ſanguis, & humores ad locum affectum fluere, qui humores inibi diu contenti præternaturam putreſcunt, & ex putredine incaleſcunt, & faciunt inflammationem: & ideo ne inflammatio fiat, indicatur expreſſio talium humorum, antequam putreſcant: quæ expreſſio fit per deligationem.

Humoris expreſſio ad ſuper. vel inferiorem partem.

Poſſumus autem humores illos exprimere ad duo loca, ſcilicet ad partem inferiorẽ, quæ eſt infra articulum luxatum, & ad partem ſuperiorem: vt ſi luxatus eſſet cubitus, poſſumus humores in cubito contentos exprimere ad brachium verſus manum, & ad partem ſuperiorem verſus humerum.

Verum notare, quòd cum pars inferior ſit breuior, quàm ſuperior, vt de exemplo tradito patet; ideo minor quantitas ſanguinis eſt exprimenda verſus manum, quàm ad partem ſuperiorem verſus humerum: ſi enim multa quantitas humoris exprimeretur ad partem, quæ eſt infra luxationem, fierent in ea parte tumores maligni; at ſi copioſus humor exprimatur ad partem, quæ eſt ſupra luxationem, nullum incommodum poteſt ſuccedere, quia locus eſt ampliſſimus. Itaque deligatio debet ita fieri, vt maior copia ſanguinis exprimatur ad partem ſuperiorem, minor verò ad inferiorem: quâ deligatione fiet, vt ſanguis, qui fluxit, exprimatur, & prohibeatur fluxio ad luxatum articulum illius, qui fluebat, vel fluere poterat.

Dubium, an talis expreſſio cõueniat.

Sed dices: talis expreſſio non videtur tuta, quia & Hipp. & Galenus dicunt, quòd ſi exprimatur ſanguis ille ad partem inferiorem, fient tubercula mala, & inflammatio; ſi autem ad partem ſuperiorem, humor propelletur ad aliquod membrum principale. Dico, quòd expreſſio tuta eſt, ſi moderatè fiat, & pauca quantitas humoris exprimatur ad partem inferiorem, in qua fiet quidem tumor; ſed ille tumor erit ſignum bonæ deligationis, & non erit malus: nam in bona reſtitutione, & deligatione bona ſuccedit, vt partes extremæ intumeſcant; & ſi non intumeſcant, iudicatis, quòd non eſt facta bona deligatio: tumores tamen debent eſſe moderati. Nec ſi exprimatur ad ſuperiora, imminet aliquod periculum, quia vna pars, illa ſcilicet, quæ eſt extrauenata, exprimitur ad cutim; & hinc eſt quòd fiunt liuores in partibus illis; altera pars ſanguinis, quæ non eſt adhuc extrauenata, truditur ad venas illas ſuperiores, & ſi etiam peteret viſcus aliquod, nihil mali faceret, quia eſt ſanguis bonus. præterea, forſan ſanguis ille non perueniret vſque ad viſcera. Igitur ſi in deligatione obſeruetur moderatio, nihil mali poteſt inſequi.

De calefactione, & humectatione faſciarum, eorumq; tempore & materia.

Sed vnum aliud in deligatione eſt obſeruandum ex Auicen. in 5. 4. vbi monet, vt nunquam imponamus faſcias calidas, & ſiccas, quia calefaciunt, inquit, & apoſtemant locum: quam ſententiam accepit à Galeno in primo de fracturis commento tex. 21. Nam ratione caliditatis attrahentur humores; ratione porrò ſiccitatis faſcia diſſoluetur, & præter labitur; & ita diſſoluta, vel laxa reddita, non exprimetur humor, nec conſeruabitur in loco os reſtitutum. Ergo oportet vt faſciæ madefactæ ſint aliquo humido; ſed quonam humido? Paulus in 6. lib. cap. 99. madefaciebat faſcias aqua, vel oxycrato, ideſt poſca: Auicenna autem vino auſtero, quod ponticum vocatur ab ipſo. Celſus madefaciebat faſcias cum oenelaeo, ideſt, vino & oleo: Auicenna etiam inficit faſcias cerato infrigidante. Igitur faſciæ ſunt madefaciendæ, quia corpora madida magis hærent inter ſe, & non fluunt. Sed quodnam dictorum humidorum melius eſt? Ego recurro libenter ad vinum auſterum, & præcipuè album, quia non inficit faſcias colore aliquo, qui ſit nobis impedimento, quo minus cognoſcamus, qualiſnam humor ſit ille, qui reſudat ex articulo; ſed ſi non poſſum habere album, vtor nigro, & pluris facio copulationem, & adhæſionem faſciarum inter ſe, quàm colorem humoris ex articulo reſudantis: ſi nec album, nec nigrum vinum habeam, vtor poſca, & nunquam ſum vſus aqua, quia nunquam defuit, vel vinum, vel poſca. Hac vtor æſtate, quia tunc medicamenta, quibus madefacimus faſcias, debent eſſe frigidiora: hyeme autem vtor vino auſtero admixto oleo aliquo, vel communi, vel roſaceo: nam hoc humido fouetur calor naturalis, & facilius conſeruatur, quàm à vino ſolo, vel à poſca ſola.

Præterea

Cur frigus timendum.

Præterea æſtate vtor illis actu frigidis, vel ſubtepidis; hyeme autem calefacio optimè, deinde in ipſo liquore madefacio faſcias, idque facio, non vt contradicam Auicennæ, & Galeno, ſed quia experientia me docuit, quòd ſi faſciæ in hoc, vel illo humore actu frigido imponantur, fit rigor quidam in illa parte, qui rigor eſt in cauſa, vt chordæ, & ligamenta magis contrahantur, & fiat quidam dolor: nec timenda eſt caliditas, quia citiſſimè præterit. ſed notate quòd ſi vultis vti faſcijs madefactis aliquo humido, non faciatis, vt ego antea ſolebam: nam madefaciebam ſolum faſcias in principio, & inde ad paucas horas, vt ad 10. vel 12. ſiccabantur, & ita laxabantur, diſſoluebanturque: ne igitur hoc fiat, oportet octaua, vel duodecima quaque hora ſuperaffundere humidũ ipſum, vt continuò faſciæ ſtent madidæ, & hyeme ſat erit decima quaque hora, vel duodecima; æſtate autem ſexta, vel octaua.

Impedimentum & prohibens madefactionem.

Verùm ſciatis, quòd ſæpè vrgent frigora, ita, vt non audeamus bis, vel ſemel in die humorem ſuper affundere; nec tutum eſt, quia introducitur intemperies frigida in mẽbro, ad quam ſuccedit, non dicam corruptio membri, ſed perpetua quædam affectio, ita, vt æger perſentiat ſemper mutationes temporum, coniunctiones, & oppoſitiones luminarium, ventos, & ſimilia: quod non aliundè prouenit, quàm quia membrum eſt debile redditum ex frigida intemperie, & hoc potuiſtis obſeruare in omnibus, qui paſſi ſunt, vel fracturas, vel luxationes, & fuerunt malè curati. hac igitur de cauſa ſuperaffuſio hæc humoris eſt aliquando omittenda, & præcipuè etiam, quia miniſtri ſæpiſſimè delinquunt, ita, vt ſi medicus imperet, vt ſuperaffundat ſemel, bisve in die, ipſi, vt videantur diligentiores, affundent ter, & quater; aliquando nec etiam ſemel.

Alteri impedimento quo modo occurreret Hipp.

Aliquando etiam articuli non poſſunt commodè irrigari, vti inguen, humeri articulus, ac ſimiles; & ideo, ne faſciæ ſiccentur, nec plus, quam oporteat, humectentur, Hipp. monet, vt locum illiniamus aliquo cerato humido: ita ipſe faciebat, illinebat enim cerato humido vocato.

Modi arcendæ inflammationis varij.

Igitur madefactis faſcijs obliniendus eſt articulus aliquo, quod habeat vim arcendæ inflammationis, & ſit in cauſa, vt faſcia loco hæreat; hæc autem, quibus illinebatur locus, ſunt plura, vt teſtatur Galenus in primo de fracturis commento 21. & in ſecundo de fracturis commento 10. & 11. Aliqui enim inungebant articulum obligandum vino & oleo ſimul mixtis; aliqui vino tantum; aliqui illinebant albo oui, deinde ſtupas ſuperimponebant, vt faciebant Albucaſis, & Guido; aliqui inungebant aceto puro; aliqui aceto admixto albo oui; aliqui accipiebant, & adhuc viget conſuetudo, bolum Armenum, ſanguinem draconis, album oui, & acetum, & omnia ſimul miſcent, faciuntque veluti polentam; alij antiquorum obliniebant locum emplaſtro quodam duro, & teſtis eſt Galenus. Sed nullum iſtorum bonum eſt: non quidem vinum, nec oleum, quia ſiccatis his ſiccabuntur faſciæ, & diſſoluentur, quod ne ſuccedat, cogemini continuò talem liquorem affundere: Nec illud ex albo oui eſt opportunum, quia faſciæ nimis conglutinantur inter ſe, & nimis validè hærent loco, ita, vt faciant dolorem; & ideo malè faciebant Albucaſis, & Guido, quia glutinatio ex albo oui eſt nimis violenta. De aceto arcet quidem inflammationem, tamen cito ſiccabitur, niſi ſæpè affundas ipſum, & ſi ſæpè affundendo facias, vt faſciæ continuo madeant, excitabitur in parte ipſa pruritus intolerabilis. De illa poſtea meneſtra, vt ita dicam, ex bolo Armeno, ſanguine draconis, albo oui, & aceto; ſciatis, quòd eſt medicamentum diabolicum extractum ex inferno Arabum: nam Arabes nigri ſunt, & veluti diaboli, & ab ipſis acceptum eſt tale medicamentum, quod pro ipſis quidem, qui ruſtici ſunt, habentque cutim duriſſimam, eſſet accommodatum; ſed pro Italicis, & delicatis hominibus eſt peſſimum, & tanquam diabolus fugiendum: nam ſiccat, & frigefacit maximè; & ideo, ſi humor, qui fluxit ad articulum, non poſſit ſtatim ex faſcijs elidi, & exprimi, congelatur inibi ab hoc medicamento, & fit, vt poſtea articulus nec flecti, nec extendi poſſit; tamen videbitis omnes iſtos nebulones, & ruſticos reſtauratores vti hoc diabolo. Nec emplaſtrum illud durum bonum eſt, quia ob duritiem facit dolorem, nec prohibet inflammationem.

Damnandi omnes.

Quo medicamento locus inungendus.

Igitur oportet locum illinire eodem cerato, inquit Hipp. quo illinitur faſcia, & eſt ceratum humidum ab Hipp. vocatum, cuius compoſitionem docet Galenus in 3. lib. de compoſitione medic. per genera, cap. 4. quem locum debetis legere, & obſeruare diligenter, quia nullibi fortaſſe, præterquam ibi, habetis à Galeno, quæ proportio ſit ſeruãda in componendis ceratis: Inquit igitur ibi, quòd ceratum humidum dicitur ceratum, quia recipit ceram; dicitur poſtea humidum, quia eſt molle: Proportio autem eſt, inquit, vt capias vnam partem ceræ, & duas olei, vt verbi gratia vnam vnciam ceræ, & duas olei roſacei, vel alterius. Sed oportet etiam obſeruare, inquit, an cera ſit humidior, vel durior: ſi humidior, capienda eſt vna pars ceræ, & duæ olei; ſi autem cera eſſet durior,

accipienda

accipienda eſt vna pars ceræ, & duæ cum dimidia olei. Sed notate quòd ceratum hoc humidum fiebat duum generum, & vtrumque in vſu erat in luxationibus, vt habemus à Gal. in primo de fracturis comm. 21. Vnum fiebat ex oleo roſaceo, & cera, & dicebatur ceratum humidum album: & dicitur album, quia recipiebat ceram albam, & ad differentiam alterius: & huius medicamenti meminit Hipp. in 3. de artic. tex. 7. & 16. & Galenus in commento. Alterum erat, quod recipiebat oleum, ceram, & parum picis ſiccæ: & ideo vocabatur ceratum humidum picatum, teſte Galeno in primo de fract. commento 21. & hoc nigrum erat, & vocabatur à Græcis ceratum picatum: Et hoc non eſt opportunum in luxationibus; ſed illud album, quoniam Galenus in primo de fract. commento 21. monet, quòd medicamentum, quo oblinitur articulus, debet habere vim non ſolum continendi faſcias in loco; verum etiam arcendi inflammationem: quæ duo præſtantur ex cera, & oleo. Monet etiam, quòd loco cerati iſtius poſſumus vti aliquo alio ex ijs, quæ inflammationem prohibent dummodo molle ſit, & poſſit continere faſcias in loco, & arcere inflammationem.

Ceratum humidum duplex.

Vnde ego non ſemper vtor cerato illo roſaceo; ſed ſemper vtor, deficiente illo, cerato, ſeu vnguento de ceruſa ſine camphora: nam habet ferè eandem conſiſtentiam cum cerato illo albo, & omnia præſtat, quæ & illud. Aliquando, ſi non habeam hoc, nec illud, oblinio partem cum vnguento, quod vocatur linimentum ſimplex, ſi ſint in loco, vbi teneatur confectum, & ſit in vſu; quemadmodum eſt in hac vrbe. Aliquando vtor aliquo alio cerato, vel emplaſtro emollito oleo, aut roſaceo, aut myrtino, vel alio ſimili: vt interdum capio vnguentum de thutia magiſtrale, & emollio admixto aliquo dictorum oleorum. Aliquo igitur iſtorum debetis inungere articulum; ſed pauca quantitas cerati, ait Hippocrates, & Galenus in primo de fracturis, com. 21. eſt oblinienda ſupra articulum, quia, ſicut ceratum additur, vt faſciæ hæreant, & contineant os in loco, ita, ſi copioſus adiungeretur, faſciæ non hærerent, ſed fluerent, & laberentur. Igitur parum eſt inungendus locus.

Alia pro ſ. tinendis faſcijs, & prohibenda inflãmatione.

In exigua quantitate vſurpanda.

Quo facto, ſuperaddenda eſt faſcia inuncta, & præparata, vt ſupra eſt dictum. Sed dices: debeo ne obuoluere faſciam dextrorſum, vel ſiniſtrorſum, hoc eſt, debeo ne obuoluendo declinare cum faſcia ad partem dextram, aut ſiniſtram, ſeu quod idem eſt ad anteriora, an ad poſteriora? Hoc eſt maximi momenti: & Hipp. hoc non clarè explicat, ſed tradit rationẽ, qua medicus poſſit cognoſcere, quando debemus obuoluere faſciam verſus dextram partem, & quando verſus ſiniſtram: nam inquit, & locus eſt in primo de fract. tex. 31. quòd debemus obſeruare, in quam partem membrum inclinet præternaturam, & tunc obuoluenda eſt faſcia non verſus partem, in quam præternaturam membrum inclinat; ſed verſus oppoſitam, vt membrum reducatur prorſus, & inclinet verſus ſitum ſibi naturalem: & ita, ſi genu ſit luxatum, & reſtitutum, inſpiciatis, ad quam partem pes inclinet præternaturam, & ſi inclinat ad dextram, vos obuoluetis faſciam verſus partem ſiniſtram; ſi ad ſiniſtram, verſus dextram, vt omnino inclinet in naturalem ſitum: nam ex obuolutione in partem oppoſitum ſit, vt trahatur cutis, & cutis trahit carnem, & muſculi os. Obſeruato hoc, obuolueris faſciam circum circa articulum bis, & ter, inquit Hipp. Galenus & Celſus, vt fiat conſtrictio validior, & non doloroſa: nam ſi vna tantum obuolutione vinciretur articulus, & velletis ea vnica obuolutione arctiſſime comprehendere, & ligare articulum, tunc deligatio continebit quidem os in loco; ſed erit doloroſa: & ideo melius eſt bis, vel ter obuoluere faſciam circa articulum, & aliqualiter laxius: nam tres obuolutiones laxiores continebunt os in loco, ſicut faceret vna tantum obuolutio arctiſſima, & non facient dolorem. igitur tutius eſt, vt ſint tres obuolutiones, & laxiores quàm una tantùm, & illa ſit arctiſſima. Obuoluto articulo bis, uel ter, aſcendetis ſurſum ad partes ſanas, ita, ut quaſi in cochlea ſerpat faſcia ait Celſus lib. 8. cap. 11. hoc eſt, debet in gyrum obuolui faſcia ſenſim aſcendendo, ut ſint ductus cochleę, in qua cochlea, ſeu in qua obuolutione ſunt quædam obſeruanda. Sed primò ſciatis, quod Hipp. in primo de fracturis text. 25. uult, poſt obuolutam faſciam bis, uel ter circa articulum affectum, aſcendamus ſurſum ad partes ſanas, ut prohibeatur fluxio humorum, & ut, qui expreſſi ſunt ex articulo, per illas duas, uel tres obuolutiones propellantur ſurſum ad partes remotas ab articulo affecto: hoc poſito documento, ſciatis, quòd obuolutiones, quæ fiunt circum circa partes ſanas ſupra articulum ad modum cochleæ, debent tangere ſe ſe, ut ſquammæ piſcium, ita, ut unaquęque obuolutio occupet, & tegat dimidiam partem alterius obuolutionis ſibi adhærentis. Sed quouſque eſt aſcendendum ad partes ſuperiores ſanas? Celſus noluit tradere terminum; at inquit, quòd ſatis erit ſupra articulum aſcendere ad partes ſanas tribus obuolutionibus, ita, quod ſecundum ipſum aſcendendum eſt, donec pertingat tres obuolutiones

Deligationis modus.

In deligatione quouſque ſit aſcendendum.

factæ

factæ in parte ſana. Sed termi nus iſte eſt nimis anguſtus, & nimis certus, quia nos non poſſumus ita certò determinare, & dicere, quòd ſat erunt tres obuolutiones: nam in mẽbris plenioribus debemus exprimere humores ad partes valdè remotas: hoc autem fieri nequit tribus tantum obuolutionibus; ſed plures requiruntur: & ideo Galenus in primo de fract. com. 36. inquit, quòd debemus multam partem ſani membri faſcia occupare, & ita non poſſumus determinare, quot obuolutionibus ſit opus; ſed tot requiruntur, quot ſint ſatis ad obuoluendam multam partem ſanam: quod aliquando multis obuolutionib. aliquando paucis fiet, nam quanto obuolutiones erunt rariores, tanto pauciores requirentur. Hac itaque prima faſcia obuoluendus eſt primò articulus bis, vel ter, deinde ſenſim eſt aſcendendum ita, vt quælibet obuolutio tangat dimidiam partem obuolutionis vicinæ, & eò vſque cum his obuolutionibus eſt aſcendendum, donec multa pars ſana fuerit obuoluta, & tecta.

De ſecunda faſcia præparatione. Poſtea addenda eſt altera faſcia, quæ obuoluenda eſt circa affectum; mox deſcendendum eſt, & obuoluenda eſt circa partem ſanam; deinde ſurſum feratur: nam hac faſcia volumus aliqualiter exprimere humores ad partes inferiores: Prima autem faſcia incipit obuolui circum circa articulum, & aſcendit ſurſum, quia volumus exprimere maiorem partem humoris ad partes ſuperiores, minorem autem ad inferiores: Faſcia hæc ſecunda debet eſſe eodem modo inuncta, & præparata, quo prior, ſed debet eſſe longior priori, quia debet fungi munere duarum faſciarum. Debetis enim ſcire ex Galeno in primo de fracturis commento tex. 30. quòd maior pars antiquorum reſtauratorum vtebatur tribus faſcijs: ſed Hippocrates, Galenus, Celſus, & omnes alij optimi reſtauratores vſi ſunt duabus tantùm, prima illa, & hac ſecunda, quæ fungitur officio illarum duarum, quibus antiquiores illi vtebantur. Vt igitur hæc ſecunda poſſit, quando ex parte ſuperiori ſana deuenerit ad inferiorem pariter ſanam, recurrere ſurſum vſque ad locũ, in quo cepit obuolui, debet eſſe longior, quàm prima: longitudo autem non exprimitur, nec ab Hippoc. nec à Galeno, ſed à Celſo, qui dicit, quòd debet eſſe duplo longior, quam prima, & ita, ſi prima ſit longa tribus cubitis, hæc erit longa quatuor cubitis cum dimidio: ſi prima erit longitudinis quatuor cubitorum, hæc ſecunda debet eſſe ſex cubitorum. Parata hac ſecunda faſcia, obuoluenda eſt circa articulum, & omnes dicunt vnica obuolutione, quia non debet tantum exprimere, quantum prima: nam loca, quæ ſunt infra articulum affectum, non recipiunt multum humorem. præterea obuoluenda eſt ſemel tantum circa articulum, quia non egemus tanta contentione oſſis in loco ex hac faſcia, quanta ex prima. Igitur vnica obuolutione debet ſecunda hæc faſcia volui circa articulum.

Quomodo ducenda ſit faſcia 2. an ſ. aduerſa prio ri, an vero eodem modo. Sed quo modo, eodem ne ductu, quo prior faſcia, an aduerſo? Celſus dicit, quòd hæc ſecunda debet eſſe aduerſa priori, id eſt, contrario modo obuolui. Galenus autem in primo de fracturis commento 33. dicit, quòd eodem ductu eſt obuoluenda. Cum Galeno eſt etiam Paulus. Ratio autem, qua credo motum fuiſſe Celſum, eſt, vt membrum habeat maiorem æqualitatem. Hippoc. in primo de fract. tex. 31. reliquit hoc iudicio Medici, & noluit ſuam ſententiam explicare; ſed inquit, quòd eſt obſeruandum, quæ deligatio conferat figuræ articuli, an ſcilicet aduerſæ deligationes, an ſecundum eundẽ ductum factæ, & ijs, quæ conferunt eſt adhærendum. Sed quid dicendum ſit ad hoc, patebit, ſi rem diligentius obſeruemus: ita enim facientes iudicabimus eſſe faciendum, vti docet Galenus, non autem vt præcipit Celſus: quia cur priorem faſciam dextrorſum voluimus? quoniam volumus vertere articulum, ac inclinare eò, quò prius in contrarium ferebatur; quo modo hoc fit? quia faſcia ſecum ducit cutim, ac carnes ſuperiores articuli, quæ os etiam adnatum ſecum trahunt: iam ſi contrà inuoluamus ſecundam faſciam, carnes inferiores in contrarium tractæ in contrarium etiam articulum trahent ab eo, quod nos inſtituimus, quod non eſt concedendum. Et quamuis ego ductus Celſi auctoritate, cui nimium aliquando tribuo, ſæpiſſimè hoc fecerim, ac maximè in illis fracturis, ac luxationibus, in quibus magna inclinatio non requirebatur; tamen veriorem Galeni ſententiam iudico, vosque moneo, vt vna mecum ipſum imitemini, quoniã Galenus ductus ex natura rei fuit; ideo præcipit, vt faſciæ obuoluantur ſecundum eundem ductum, etiam ſi ex tali obuolutione articulus intorqueretur, & intortus maneret vſque ad ſtatum; tamen nihil incommodi poteſt ſequi, nec eſt error, nam & Hippoc. in diſtorſionibus membrorum monet, vt trahamus non ſolum ad locum propriũ; ſed aliquid etiam vlterius ad partem oppoſitam, quo fit, vt ex tali retractione membrum inclinet ad aliquod latus; tamen Hippoc. hoc non timet. Itaque ſecunda faſcia debet obuolui ſecundum eundem ductum, quo prima.

Obſeruanda in obuolutionibus. Et facta vnica obuolutione ſupra articulum, oportet deſcẽdere ad partem inferiorem

ſanam,

ſanam, & faciendæ ſunt obuolutiones non quidem ita frequenter, vt in prima faſcia, in qua vna obuolutio occupabat dimidiam alterius partem; ſed hoc non eſt faciendum in hac ſecunda faſcia; at ſat eſt, vt vna obuolutio minimam partem alterius obuolutionis occupet, & tegat, quia opus eſt minori expreſſione ad partem inferiorem: Hacque etiam ratione obuolutiones non debent eſſe ita ſtrictæ: Præterea, debent obuolutiones fieri non ita frequentes, vt in prima faſcia, vt faſcia ſufficiat vſque ad partem ſuperiorem ſanam, vbi deſinit prima faſcia: Cum deueneritis cum hac ſecunda faſcia vſque ad multam partem inferiorem ſanam, reuertendum eſt ad ſuperiores partes ſanas, donec eritis ad locum illum vbi finierat prima faſcia: Debet autem ſecunda faſcia recurrere ad ſuperiora, vt maior fiat expreſſio humorum ad partes ſuperiores: & ita duæ erunt expreſſiones ſurſum; vna autem deorſum.

Faſciæ reddũtur ſtabiles per ſplenia.

Obuolutis hoc modo duabus his faſcijs, tentanda ſunt omnia, vt ſtent in loco, & non labantur ſurſum, nec deorſum: hoc autem fiet non quidem appoſito filo per acum, vt ſolent facere iſti reſtauratores; ſed eo modo, quo docet Hippoc. qui monet, vt obuolutis faſcijs duabus, ſtatim apponamus ſplenia, quæ ab Hippoc. vocantur ſplenes ſua lingua; & à Galeno, & à Paulo ſplenia, & hoc modo dicuntur à ſplene animalium, quocum ſimilitudinem habent. Et in hac re notate vnum locum Galeni male tranſlatum, & eſt in tertio de officina medici commento primo, vbi legitur, quòd ſplenia ſunt vocata à ſimilitudine, quam habent cum liene animalis, quę verba addita ſunt ab interprete illo Feliciano, qui in multis alijs locis errauit in ſuis interpretationibus, & longe melior eſt interpretatio Vidi Vidij, quàm Feliciani. Licet igitur verum ſit, quòd ſplenia dicantur à ſimilitudine, quam habent cum liene animalium; tamen hoc non dicit ibi Galenus; ſed declarat tantum ibi cum Hippoc. qualia debeant eſſe ſplenia: Et notate, quòd ſplenia non habent ſimilitudinẽ cum ſplene humano; ſed cum ſplene brutorũ, vt canis, vituli, & ſimiliũ: nam lien in his eſt oblongus, & in extremis ſemicircularis, non eſt valde craſſus, nec admodum latus: talia quoque ſunt ſplenia. A Celſo non vocantur ſplenia, ſed panni duplicati, vel triplicati, ſeu panni duplices, vel triplices: nam hoc lintei genus, ſpleniũ dictum, ſolebat apud Celſum aliquando eſſe ſimplex, aliquando duplicatum, aliquando triplicatum, vel quadruplicatum: & re vera ſplenia nihil aliud ſunt, quàm panni, vel duplicati, vel triplicati, &c. & in talem figurã redacti, qualis eſt figura lienis brutorũ.

Spleniorum forma, et materia.

Vſus varij.

Vtebantur autem antiqui ſplenijs ad varios vſus, & primus erat ad extendenda emplaſtra ſupra ipſa, deinde applicabant ſplenia ita emplaſtro oblinita parti affectæ: vnde legetis ſæpè apud Gal. in lib. de compoſ. medic. per genera, & per loca, quòd medicamẽta ſunt extendenda ſupra ſplenia. Alter vſus erat ad explẽdas cauitates: obuoluebãt ſplenium & ponebant vbi erat cauitas, & idem erat vſus qui eſt plumaceolorum apud nos. Tertius vſus erat ad deliganda mẽbra: nam quędã erant ita longa, ꝙ poterant vincire, & circũdare mẽbra. Quartus vſus erat ad ligandas, & cõtinendas faſcias in loco, ad quẽ vſũ capit ſplenia Hip. & quẽadmodũ vſus eſt varius, & multiplex, ita multiplicia, & varia erãt ſplenia: alia anguſta, alia latiora, alia craſſiora, alia ſubtiliora, alia longiora, alia breuiora.

Compoſitio.

Sed nos loquamur de ijs, quæ accommodata ſunt ad continendas faſcias in loco. Dico igitur quòd non debent eſſe ſimplicia, quia mollia eſſent, & ita non poſſent continere: debent igitur eſſe triplicata, vel quadruplicata, & debent eſſe magis longa, ꝙ̃ lata. Præterea, non debent eſſe ſicca, quia vt Gal. dicit in primo de fract. com. 32. eſſent nimis dura, & ita lęderent articulum: & ideo ſunt inungenda in vtroque latere, ſcilicet tàm interiori, quàm exteriori eodem cerato, quo inungebatur articulus affectus: inunguntur autẽ, vt magis contineant: Verùm non ſunt multũ inungenda, quia laberentur; at ſi moderatè inungantur, erunt mollia, & continebunt in loco faſcias: Longitudo ſpleniorum debet eſſe tanta, quanta eſt pars, quæ occupatur ex deligatione vtriuſque faſciæ, ait Gal. hoc eſt, debent eſſe ita longa, quantum eſt ſpatium cinctum faſcijs ab inferiori ad ſuperiorem partem, & merito quidem debent eſſe longa cum adhibeantur faſciarum cauſa. Latitudo debet eſſe trium, vel quatuor digitorũ, ait Hipp. & Gal. in 3. de offi. med. tex. 1. Verùm nõ ſemper in omnib. articulis debent eſſe ita lata ſplenia: nam in digitis ſat erit, vt latitudo æquet craſſitiem vnius digiti; in crurib. autem debent eſſe lata quatuor digitis; in brachijs verò trib. Numerus autem ſpleniorum quis eſt? Dico, quòd debent eſſe tot, quot requiruntur ad occupandum totum membrum, ita, vt obducant circum circa membrum totũ: neque. n. debent excedere, aut deficere, vt ait Gal. in 1. de fract. com. 36.

Longitudo.

Latitudo.

Numerus.

Modus applicandi.

Quomodo autem ſint applicanda ſplenia docet Gal. per longitudinem membri: nam munus ſpleniorum eſt continere faſcias in loco, ne membrum in hanc, vel illã partẽ inclinet, & non debet vnum ſplenium inſidere ſupra alterum; ſed debent inuicem ſe contangere, & hærere, vt ait Galenus in primo de fracturis com. 32. Sed notate, quòd Cel-

ſus linteo latione vnico loco ſpleniorum cerato imbuto obuoluit: quod quamuis idem efficere videatur, tamen non ita commodè efficit, quia nõ ita aptè adhiberi poteſt; ſemperque rugos facit, ac inæqualitate ſæpe peccat: ideo ſpleniorum vſus eſt commodior.

De faſcijs exterioribus. Itaque obuoluto membro prima, & ſecunda faſcia, vt dictum eſt, apponetis ſplenia parata, vt diximus: quibus impoſitis, ſuperaddendæ ſunt faſciæ, quas dixi vocari exteriores, quæ tres, & quatuor apud aliquot antiquos erant; ſed Galenus Hipp. & Celſus habent in vſu duas tantum, & non ſemper duabus vtebantur: ſed Galenus in primo de fracturis com. 16. à principio vſque ad exactum terminum inflammationis, ideſt, vſque ad ſeptimam: Celſus autem vſque ad tertiam diem. Igitur faſciæ pro deligandis ſplenijs à principio vſque ad exactum terminum inflammationis debent eſſe duæ ita latæ, & longæ, vt dictum eſt de prioribus faſcijs, quæ ſubligamina vocantur. Verùm iſtarum faſciarum exteriorum obuolutio nõ eſt incipienda ſuprà articulum, vt fiebat de prioribus; ſed in parte ſuperiori, & deſcendendum eſt ad inferiorem, vt voluit Celſus; Galenus tamen vult, vt incipiamus obuoluere has faſcias in parte inferiori, & aſcendamus ad ſuperiora: Sed in his non multum refert, à qua parte incipiamus obuoluere; at hoc eſt vtique obſeruandum, vt obuoluantur ſecundum contrarios ductus, quia iſtæ faſciæ debent conſeruare membrum in eo ſitu, in quo reperitur, & non vt inclinet in hanc, vel illam partem; & ideo, dummodo obuoluantur ſecundum ductus oppoſitos, non refert an obuolutio incipiat fieri in parte ſuperiori, & deſcendat ad inferiorem; an è contra.

Epilogus dictorum. Colligatis igitur, & dicatis: primæ faſciæ ſunt obuoluendę articulo, & parti ſanæ ita, vt prima incipiat ab articulo, & aſcendat ſurſum; ſecunda ab eodem loco incipiens deſcendat deorſum, deinde recurrat ſurſum ad eum terminum, in quo finierat prima faſcia, & vtraque ſecundum eundem ductum obuoluenda eſt ad partem oppoſitam parti illi, in quam membrum inclinat præter naturam, vt reducatur in naturalem ſitum; ſupra has deinde faſcias imponenda ſunt ſplenia illinita in exteriori, atque interiori parte eodem cerato, quo illinitus fuit articulus: debent autẽ ſplenia eſſe qualia explicaui, & tot, vt amplexentur totum membrum, & liganda ſunt ſuperadditis faſcijs duabus, quarũ vna debet incipere à parte ſuperiori, & deſcendere ad inferiorẽ; altera è cõtra ab inferiori ad ſuperiora: & cõtrario ductu ſunt obuoluẽdæ, ita, vt vna ducatur introrſum, altera extrorſum.

Quomodo membrorum exæquãdum faſcijs, & ſplenijs, ſi illæ non ſufficiant. In hac autèm deligatione facienda plura ſunt præcepta obſeruanda ex Hipp. & primũ eſt, vt his duabus faſcijs exterioribus exęquemus membrum, quod faciendum eſt propter collocationem: Declaro, quid Hipp. intelligat per exęquationem membri: Membrum luxatum aliquando eſt tale, vt in aliqua parte ſit admodum excarne, tenue, & cauum; in alia ſit præter modum prominens, & craſſum: ob quam inæqualitatem partium fit, vt membrum non poſſit optimè aptari, & ſituari: & ideo Hipp. monet, vt quando in membro eſt talis inæqualitas, exæquemus faſcijs, videlicet obuoluendo faſcias exteriores pluribus obuolutionibus circa partem tenuem, & excauatam membri, vt æqualis reddatur partibus reliquis ipſius membri; verùm hoc non eſt faciendum vna vice, ita, vt vna vice addamus in ea parte excarni tot obuolutiones, quot requiruntur ad reddendam ipſam æqualem, ſed faciendum eſt pluribus vicibus, ita, vt nunc vnam, nunc aliam inter obuoluendum adiungamus obuolutionem; nec faciendum eſt vna faſcia tantum, quia tota ferè abſumeretur in æquanda parte illa, & non poſſet poſtea recurrere, quo debet; ſed faciendum eſt utraque faſcia: & hoc modo exęquabitis membrum. Verùm aliquando partes aliquot luxati membri ſunt ita tenues, & excarnes, ut non ſufficiat utraque faſcia tota ad faciendas ipſas æquales; & ideo tunc ad explendum oportet uti ſplenio aliquo, non quidem per longum applicato, ut fiebat de alijs; ſed per tranſuerſum debet collocari, ita, ut amplectatur, & cingat totam partem excauatam & tenuem, & hoc eſt faciendum ſplenio, quando non poſſumus explere obuolutionibus faſciarum extrinſecarum: Dico extrinſecarum, quoniam æquatio membri non debet fieri faſcijs internis, quæ ſubligamina dicuntur: Nam cum internę faſciæ factæ ſint ad retinendum reſtitutum os in eo ſitu, & ad exprimendum, ſi pars earum abſumeretur in æquando membro, tunc non optimè continerent, quia deligatio in parte aliqua eſſet nimis laxa: præterea, ob multas obuolutiones factas in parte tenuiori ad exæquandum, fieret nimia expreſſio. At ſi æquatio fiat, vt fieri debet, faſcijs extrinſecis, os continebitur optimè in loco, & non fiet nimia expreſſio in parte tenuiori, ubi ſunt multæ obuolutiones, quia obuolutiones ſunt laxiores. Igitur primũ præceptũ pertinet ad exæquationẽ membri, quæ æquatio neceſſaria eſt ad optimã membri collocationẽ, quia niſi membrũ æquetur, nunq̃ poterit rectè collocari.

Alia duo præcepta. Secundum præceptum in deligatione obſeruandum eſt, quòd faſciæ exteriores debent eſſe laxiores, quàm faſciæ internæ, quia externæ non ſunt factæ, vt ita contineant, & exprimant, ſicut internæ; non debent tamen externæ faſciæ eſſe nimis laxæ, quia uti,

ſi nimis ſint ſtrictæ,fit inflammatio,& membri mors,ita ſi ſint nimis laxæ fluunt humores,& recipiuntur, fitque inflammatio, & oſſium lapſus.

Tertium præceptum eſt,quòd intrinſecarũ faſciarum ſecunda debet laxior eſſe,quàm prima. His obſeruatis facietis optimam deligationem,quæ deligatio optima facit ad bonam, & citam reſtaurationem,& ſanationem: mala autem e contra eſt in cauſa reſtaurationis malæ, tardæ, & aliquando corruptionis membri, & gangrænæ; & ideo maximi refert, bona, an mala fiat deligatio.

Sed dicetis: quomodo cognoſcemus quando deligatio eſt bona, & quando mala? Dico ex ſignis, & primum eſt reſponſum ipſiuſmet ægri: nam, dum ligatis, & obuoluitis tum primas,tum ſecundas faſcias,& facta etiam deligatione, debetis ægrum interrogare, an membrum ſit nimis ſtrictum, nec ne, & non ſemel tantum, ſed ſæpè inter deligandum, & poſt deligationem etiam debetis ægrum de hoc interrogare; & ideo in hac re requiritur medicus diligens,& qui amore ægrum proſequatur,ſicut etiam requiritur in tota chirurgica arte,quæ,cum ſit quaſi manus Dei, ſemper pietate, & amore eſt exercenda. Itaque inter ligandum, & poſt deligationem interrogate diligenter, & amore, an videatur ſibi,quòd ligatio ſit nimis arcta,vel laxa; & ſi reſpondeat, ſe ſentire non magnam compreſſionem,& aliquem leuem dolorem,non quidem circa partem luxatam; ſed in alijs partibus ſanis,dicatis,quòd deligatio eſt bona: Contrà autem,ſi dicat ſe perſentire compreſſionem magnam,vel dolorem in loco ipſo affecto,ſignum eſt, quòd deligatio eſt mala; & ideo ſtatim ſoluendum eſt membrum, & religandum. Secundum ſignum bonæ deligationis eſt, ſi ſecunda die poſt factam deligationem petatis ab ægro, quomodo ſe habuerit, reſpondeatque, quòd poſt diſceſſum veſtrum perſenſerit membrum magis comprimi, &, quòd talem compreſſionem perſenſerit tota illa die, & nocte; ſed altera die vobis iam præſentibus dicat, nunc non ſentio amplius illam compreſſionem, quam ſentiebam heri, & hac nocte; ſed videtur, quòd deligatio ſit laxior: cum hæc intelligetis,dicatis,quòd deligatio eſt bona: nam prima die,& nocte percepit compreſſionem illam,quia faſciæ exprimebant copioſum illum humorem,qui erat in loco, & ideo humor agitabatur, agitatus efferueſcebat, & efferueſcens augebat molem membri: ſed poſtea, facta expreſſione, moles membri eſt imminuta, & ideo altera die deligatio viſa eſt laxior, & non amplius percepit compreſſionem illam. Tertium ſignum eſt, ſecunda die poſt deligationem, cum acceditis, obſeruate partes extremas membri affecti, vt ſi luxatio eſſet in cubito obſeruate manum; ſi in genu, pedem: & ſi videbitis extremas partes intumuiſſe, & quòd tumor oedema ſit, ita, vt remaneat veſtigium, ſed tumor mollis ſit, & ſine dolore, indicatur quòd deligatio eſt bona, quia fuit facta leuis expreſſio humorum; ſi autem tumor erit durus, aderitque dolor, vel adſint tubercula dura, & tenitentia, vt ſolet accidere, dicatis, quòd deligatio eſt mala, & nimis arcta: nam tumores illi duri facti ſunt ob nimiam expreſſionem humorum ad partes illas. pariter,ſi in extremis partibus nullus ſit tumor, nulluſque dolor,dicatis,quòd mala eſt deligatio, quia eſt nimis laxa, ita, vt nulla ſit facta expreſſio ad partes inferiores, & ob id ſoluendum eſt ſtatim membrum, & denuo ligandum.

Signa bonæ, vel malæ deligationis.

Hæc pertinebant ad deligationem, quæ erat ſecundum caput agendorum. quare iam ſatisfactum eſt duobus propoſitis, ſcilicet prohibitioni inflammationis, & retentioni oſſis reſtituti in loco illo.

Tertium adiungebatur caput pertinens ad poſitionem membri, quæ poſitio, ſeu collocatio ab Hippoc. in tertio de officina medici text.17. vocatur θέσις, & à Paulo in 6. lib. cap.100. ἀνάθεσις, quo etiam nomine vocatur à Galeno multis in locis, & præcipuè in primo de fracturis commento primo, quæ voces ſonant poſitio, ſeu collocatio, cuius finis eſt quies, & ſicut motus eſt maximè noxius membro cuique luxato, quia fit dolor, & attractio humorum, quam attractionem ſequitur inflammatio; ita quies eſt maximè amica, & vtilis, & præcipuè quies illa, quæ eſt finis optimæ collocationis, quæ collocatio triplex eſt apud reſtauratores: Vna eſt, quando ita collocamus membrum luxatum deligationibus, vt adligatum ſit alteri parti,& quieſcat ſupra aliud membrum, qualis eſt collocatio, quam Paulus tradit humero luxato: nam faſcijs, & linteolis ligat ipſum thoraci, vt ſupra ipſum quieſcat. hæc eſt vna ſpecies poſitionis.

Poſitio eſt triplex.

Secunda eſt, quando ſuſpendimus luxatum membrum de parte aliqua, vt quando luxatus eſt articulus manus, vel humeri, & ſuſpendimus brachium de collo appoſita mitella, vel vitta, & iſta ſpecies collocationis vocatur ἀνάληψις à Galeno in 3.de officina medici com.tex.17. Tertia ſpecies poſitionis eſt,quando ſimpliciter collocamus membrum affectum vel ſupra partem aliquam corporis,vt brachium ſupra thoracem, vel ſupra ſtragulum aliquod. Ex his tribus ſpecieb. poſitionis duæ priores ſunt accommodatæ

luxationibus artuum ſuperiorum, ſcilicet brachiorum, licet & tertia poſſit etiam ipſis congruere: tertia verò luxationibus crurium.

1. Requiſitũ ad poſitionẽ eſt, vt retineatur figura partis.

In vna quaque harum trium poſitionum plura requirit Hipp. & primum, quod requirit in primo de fract. tex. primo, eſt figura partis: niſi enim membrum habuerit naturalem figuram, nunquam poterimus ipſum rectè collocare, vt verbi gratia, poſſumus manum ſuſpendere de collo ſupinam, & pronam, ſi ſupina collocetur, poſitio mala erit, quia figura illa ſupina non eſt manui naturalis, neque enim eſt indolens: pariter poſſumus collocare crus ita, vt inclinet, & producatur vel ad anteriora, vel ad poſteriora, &c. & tunc malè collocabitur, quia non ſeruatur bona, ac indolens cruris figura: nam bona figura eſt, quæ ſeruat muſculos rectos: ſimiliter & alias partes, ne ad hanc, vel illã partem inclinent, & intorqueantur. Igitur rectè collocabitis adhibita naturali figura membri.

2. vt ſit mollis.

Secundum requiſitum ab Hipp. eſt, vt collocatio ſit mollis, vt fuit ſententia ipſius, & Galeni in 3. de officina medici 17. Nam poſitio ſupra durum contundit membrum; contuſionem ſequitur dolor; dolorem attractio humorum ad locum affectum; & attractionem ſequitur inflammatio; ſecundò ex poſitione ſupra rem duram fit, vt æger nequeat diu continere membrum in eo ſitu, propter dolorem; ſed cogitur ſæpe mutare locum: ex quo fit, vt diſtorqueatur membrum, & quaſi impoſſibile eſt, vt membrum non mutetur loco ab ægro, propter dolorem, ſi collocatum ſit ſupra rem duram, niſi æger ſit Galenus, qui tulit 40. diebus dolorem ex fracta clauicula, quia erat præſtantiſſimus & Philoſophus & Medicus: at rari reperiuntur Galeni, & ego quidem non eſſem Galenus, vt igitur collocatio mollis fiat, requiruntur, ait Hipp. puluinaria, vel ceruicalia plena lino, ſtupaue, aut lana; ita tamen ſint plena, vt mollia exiſtant; ſed præſtantiora erunt ea, quæ ſunt pluma repleta: debent autem puluinaria, vel ceruicalia hæc eſſe longa pro longitudine membri, & lata etiam ita, vt membrum poſſit commodè ſupra ipſa quieſcere, & ſi fieri poſſit, debent eſſe ex corio molli: ſed ſi non haberetis puluinaria ex molli corio, inſternatis ſupra puluinar, quod haberis, pellem aliquam mollem, vel chartam membraneam, vt ego ſoleo facere, præcipue, quando volo, vt faſciæ continuò ſint madidæ: vt cum non vtor cerato aliquo; ſed ſuperaffundimus ſæpe ſæpius humidum aliquod: niſi enim corium, vel membranea charta eſſet ſupra puluinar, humor colligeretur in ſtupa, vel lana, vel pluma, & ſic puluinar putreſieret, & durum redderetur: ſed ſi ſupra ipſum ſit charta membranea, vel corium, humor præterlabetur.

3. vt ſit æqualis.

Tertium, quod Hipp. in hac collocatione requirit, eſt, vt poſitio, ſeu collocatio ſit æqualis ita, vt omnes partes membri æqualiter comprimantur; non autẽ vna pars comprimatur, alia ſuſpenſa ſit: & hoc eſt obſeruandũ in quacunque ſpecie collocationis: nam ſi inæqualiter collocentur, ita, vt in aliquo loco pendeant ſine ſtabilimento, in aliquo alio fulciantur, ac comprimantur, fit, vt partes, quæ non habent, quo ſuſtententur, trahantur deorſum ſuomet pondere: ad quod ſequitur dolor, attractio humorum, & inflammatio, vt dicit Galenus in 3. de officina medici com. 17. Et ſi alicubi cauenda eſt hæc inæqualitas, præcipuè reformidanda in ſuſpenſione brachij; & ideo aliquot veſtrum potuerunt in praxi obſeruare, quanta ego diligentia vtar, & quantum laborem, vt in ſuſpenſione brachij omnes rugæ linteoli ſint æquales, vt omnes partes brachij fulciantur: ſi enim media tantum pars ſuſtentaretur à linteo, extremæ partes laborarent, quia à ſuo pondere traherentur deorſum, & ita fieret dolor, & ex dolore attractio humorum, & tandem inflammatio: idem fieret ſi fulcirentur partes brachij extremæ & non media.

Aequalitas in ſuſpenſione brachij eſt maximi momenti.

4. vt ſurſum vergat.

Quartum, quod requirit Hipp. eodem loco, & in 3. de fract. tex. 27. eſt, vt collocatio ſit ἀνάῤῥοπος, ait ipſe, id eſt, ſurſum vergat: poſſumus enim ſuſpendere brachium ita, vt manus deorſum vergat, vel ſurſum, vel ſit æqualis; ita & crus collocari poteſt, vt vergat vel ſurſum, vel deorſum, vel æquale ſit, tunc inquit Hipp. quòd membrum debet ita collocari, vt ſurſum aliqualiter vergat manus, vel pes; nam ſi deorſum vergeret, fieret fluxio humorum, & ex fluxione inflammatio. itaque poſitio debet eſſe talis, vt membrum circa extremum ſit aliquãtulum elatius, & hoc obſeruandũ eſt in quacunq; ſpecie poſitionis.

Quies poſt poſitionẽ conueniens.

His omnibus obſeruatis; optimè collocabitur membrum, & erat quartum caput; quam collocationem ſequitur quies, quæ ita neceſſaria eſt, vt antiquorum aliqui voluerint in magnis luxationibus, vt æger ne tantillũ quidem moueretur; & ideo Paulus lib. 6. c. 106. inquit, quòd aliqui volebant, vt perforarentur ſtragula, & lectus, & per foramen illud æger egereret feces, ſed notate, quòd ſunt aliquot partes, quæ, ſi continuò eidem ſtragulo hæreant, & in ſumma quiete ſeruentur, ſolent contrahere quædam vlcera, quæ ab Hipp. in 3. de fracturis tex. 26. vocantur ἐκθύμματα; à noſtris autem intertrigines: ſecundò ſolent contrahere ſtuporem, quem ſequitur obſtructio non ſolum neruorum, ſed etiam venarum, & arteriarum; quam obſtructionem ſequitur deinde gangræna,

Intertrigines, & ſtuporem euitandi ratio.

&

& exulceratio: iſtæ autem partes ſunt, vt dorſum, os ſacrum, iſchium, & pars poſterior humeri: Iſtæ partes ſi luxatæ ſint, & continuò hæreant eidem rei, vt eidem ſtragulo, fit, vt ſtragulum durum fiat, & incaleſcat, & ita incaleſcunt partes, & contrahunt ea, quę dixi ex ſententia Hippocritis & Galeni. Ne igitur hæc incommoda ſuccedant, oportet in luxatione harum partium, ſi non alternis diebus, ſaltem tertia, aut quarta quaque die immutare ea, quæ ſunt his partibus ſubiecta, & ita ſi ſtragula erunt molliora, euitabuntur intertrigines, & gangræna: & non ſolum oportet immutare ſtragula; ſed etiam applicare medicamentum aliquod, quod inhibeat feruorem illum. Vnde ſoleo ego accipere lanam, vel cotonem, & circumuoluo, facioque veluti ſphæram, & in parte exteriori oblinio vnguento de ceruſa, & ſubijcio parti affectæ, & hoc facio ſingulis tribus, vel quatuor dieb. & hoc modo effugio intertrigines: Quæ ſi ſuccedant, ſunt difficillimę curationis, & eò magis, quia non poſſumus reperire ſitũ, qui opportunus ſit & vlceri, & articulo luxato; & ideo in harum partium luxationib. oportet, vt admodum cauti ſitis.

De luxatorũ diæta, quæ in flammationẽ præcauere debet.

His modis, ſcilicet per repoſitionem, per deligationem, per figuram, per poſitionẽ, ſeu ſitum, per quietem, & per medicamenta arcebitis inflammationem, qui erat propoſitus ſcopus, & præcipuus. At non ſolum his; ſed etiam communibus capitibus inhibebitis ipſam, vt ratione victus, euacuatione, & reliquis: Sed prius dicamus de ratione victus, quæ debet eſſe attenuans, vt corpus attenuetur, ne redundet humoribus, & ſanguine, qui poſſit facere inflammationem. Vnde Hippoc. in ſecundo de fracturis tex. 57. & in 4. de articulis tex. 64. inquit, quòd in omni luxatione attenuandum eſt corpus: Quod & Celſus confirmat in 8. lib. cap. 17. Vnde Hippoc. in 4. de artic. tex. 37. ait, victus ſit attenuans, & non febriculoſus, id eſt, qui ſua qualitate non poſſit accendere febrem: nam attenuantia calida ſunt; & ideo dicit, quòd conueniunt quidem attenuantia; ſed non ea attenuantia, quæ calefaciant; at ea, quæ refrigerant. Igitur conuenit victus attenuans, refrigerans, id eſt, victus tenuis & frigidus. Sed victus tenuis alius eſt ſimpliciter tenuis, alius extreme tenuis, alius mediocris, qui nam igitur ex his conueniat in luxationibus? Dico, quòd obſeruare debetis regulam traditam ab Hippocrate in ſecundo de fracturis tex. 57. vbi inquit: Corpus verò pro ratione magnitudinis luxationis extenuandum eſt, quædam enim parum, quædam plurimum dimouentur: » ita ait Hippoc. Vbi notate, quòd Hippoc. per magnam luxationem, ſeu violentam intelligit, vel quia extenſio ſit difficilis propter copioſos muſculos, qui circundant articulum; vel intelligit magnam, quia adſit fractura; vel quia adſit vulnus, & os prominens; vel quia adſit febris, vel quid ſimile.

Magna luxatio multis dicitur.

Victus tenuiſſimus.

Si igitur reſtitutio fuerit difficilima, adſit inflammatio, & os detectum, & huiuſmodi; in hoc caſu vtendum eſt victu tenuiſſimo, ita, vt ſat ſit exhibere melicratum, & ſorbitionem alicæ, vel hordei: talis quoque victus conuenit, ſi poſt reſtitutionem accenſa fuiſſet febris alicuius momenti: & hoc eſt, quod voluit Celſus quando dixit lib. 8. cap. 17. quòd in luxationibus, ſi febris adſit, debemus detinere ægrum ſine cibo vſque ad tertiam, vel quintam diem, intelligens, non quòd nihil eſſet exhibendum; ſed quòd vtendum eſſet victu extenuante.

Victus mediocriter tenuis, ſeu non admodum exquiſitus.

Si autem reſtitutio non fuerit valdè difficilis, & non adſit febris, nec aliquod aliud, quod ſit momenti; ſed ſit ſimplex, qualem nos tractamus nunc, vtendum eſt victu mediocriter tenui; refrigerans ſit tamen & attenuans: qui victus ab Hippoc. in primo de fracturis 45. & 46. vocatur non admodum exquiſitus, qualis eſt victus, qui conſtat, vt dicit ibi Galenus, ptiſana integra, alica integra, piſcibus molliſſimæ carnis, beta, malua, blito, & atriplice coctis, & cucurbitis, vt dicit: nam hæc parum nutriunt, refrigerant, & aluum ſubducunt moderatè, quæ ſubductio in luxationibus conuenit, vt fuit ſententia Hippocratis in primo de fract. 45. vbi ſic ait: Mollibus obſonijs vtantur, quæ » ad deiectionem moderate faciant. »

Terminus vtriuſque victus.

Debet autem æger vti victu tenuiſſimo, vel hoc mediocriter tenui vſque ad ſeptimũ, vt monet Hipp. in 4. de art. tex. 65. qui eſt primus terminus inflammationis; alius terminus eſt nonus dies; & ideo tutius erit cum Hipp. etiã vti tali victu vſque ad decimã: qua tranſacta poteritis exhibere pleniorem victum, vt vinum, & carnes: In quibus obſeruate vnũ, quod notat Auic. in 5. 4. qui inquit, quòd exhibendæ ſunt illæ carnes, quæ faciunt ad confortationem, & colligationem iuncturæ, & iſta ſunt extrema animaliũ, vt pedes, & cartilagineæ, neruoſæque partes: nam generant alimentum robuſtum, & tenax; & ideo vinum refrigerans, & craſſum erit opportunum; & hac victus ratione vtetur à decima die vſque ad finem ſanationis: Hoc tamen obſeruato, quòd gradatim eſt incedendũ, tũ in quantitate, tũ in qualitate ciborũ, & potus: neque. n. ſtatim, tranſacta decima, debetis copioſum cibũ exhibere; ſed paucũ, & quotidie ſenſim augebitis ipſum: idem

dico & de vino, nec ſtatim, tranſacta decima, exhibendæ ſunt carnes fiſcidæ; & vinum craſſum; ſed primum incipietis exhibere carnes ſimpliciter, ita & vinum; poſtea ſenſim aſcendetis ad vinum craſſum, & ad carnes, quæ tenuem ſuccum generent.

Iam ſuccedit ſomnus & vigilia, in quibus moderatio, & mediocritas requiritur.

Ambientis quoque maxima ratio eſt habenda, vt non ſit præter modum frigidus, nec prætermodum calidus; ſed ſi æſtas ſit, maneat æger in aere frigido; ſi autem hyems, maneat in aere non calido quidem; ſed tepido & non frigido: Nam frigiditas eſt in cauſa, vt frigeſcant luxationes, quam frigefactionem, & veluti congelationem ſequitur dolor, & humorum congelatio: Aer quoque calidus prætermodum obeſt, quia calefacit viſcera, quam calefactionem ſequitur febris, & inflammatio.

Aliæ res nõ [n]aturales. Animi motus euitandi maximè ſunt: nam obſunt ſummopere, & ego ſum teſtis: nam hac æſtate, veſtrum etiam aliquot præſentibus, reſtitui fractum crus Patritio cuidam Veneto, filio Clariſſimi D. Stephani Theupoli, & omnia vſque ad ſeptimam feliciter ſucceſſere; ſed ſuperueniente morte patris illius Nobiliſſimi Patritij mœrore maximo affectus eſt, & ita facta eſt febris, inflammatio, & tumor, & difficilè poſtea ſanatus eſt. Itaque & in fracturis, & in luxationibus requiritur ſumma quies animi, quæ vt adſit ſpondeatis ægro ſanitatem, & quidem celerem; & ſi caſu nõ poteritis à principio membrum luxatum reſtituere, & hoc ſit faciendum tranſacta inflammatione, proponatis ægro reſtitutionem fore facilem, vt animo quieſcat, nam animi motus valde faciunt ad inflammationem.

Venerea fugiat, quia prætermodum nocent, tum ratione motus, & calefactionis, & inflãmationis, tum ratione refrigerationis repentinæ ſpirituũ, ac humorũ, quæ inſequitur.

An in ſimplici luxatione ſecanda vena. Vacuatio ſuccedit per ſectam venam, & per pharmacum. In ſimplici luxatione nulla mentio de ſectione venæ facta eſt ab Hippocrate, nec à Celſo, nec à Paulo, nec ab alio optimo reſtauratore, nec à Galeno in commentarijs illis in lib. de articulis, & de fracturis: ſed ſolus Albucaſis in libro chirurgico dicit, quòd ſi cum luxatione ſit inflammatio, ſecanda eſt vena ſtatim; ſed de hoc non eſt dubium, quia etiam ſi non adeſſet luxatio, ſed ſola inflammatio in parte aliqua, ſecanda eſt vena, quia morbus eſt magnus, & cum materia; ideo indicatur euacuatio per ſectam venam. At dubium eſt, vtrum ſecanda ſit vena in ſimplici luxatione? Dico ego, quòd ſi luxatio ſit in articulo alicuius momenti, & luxatio ſit facta cum dolore, reſtitutio pariter facta ſit, & cum dolore, vt ſolet vt plurimum eſſe, tunc ſtatim, facta reſtitutione, & deligatione, ſecanda eſt vena prima die; impoſito tamen prius enemate, vel clyſteri: *Indicantia venæ ſectionem.* Quæ venæ ſectio indicatur primò, quia articulus reſtitutus eſt cum dolore: ſecundò, quia talis luxatio eſt morbus magnus, ideo eget magno auxilio, celeri, & tuto: tertiò indicatur ſectio venæ, quia timemus inflammationem ratione doloris, qui fuit in luxatione ipſa, & in reſtitutione; & ideo ſtatim, facta deligatione, ſecanda eſt: Quod quamuis ex inſtituto non dixerit Galenus; tamen dixit per accidens in quarto de ratione victus in acutis commento 19. vbi per accidens loquens de ſectione venæ, inquit contra Menodotum empiricum, quòd non ſolùm in plethorica ſyndrome ſanguinis, hoc eſt, in magna ſanguinis plenitudine, ſecanda eſt vena; ſed etiam maxima illa plenitudine non exiſtente, cum dolor maximus eſt, vel pars aliqua eſt fracta, vel os ex ſuo loco luxatum; vel aliquis alius articulus contractus, ac reductus ſit. Igitur etiam ſi non adſint ſigna magnæ plenitudinis ſanguinis; tamen in omni luxatione ſecanda eſt vena, ne fiat inflammatio, vt fieret ratione doloris, qui præceſſit, & qui adeſt. Si itaque digitus eſſet luxatus, & reſtitutus ſine dolore, non erit ſecanda vena, ſiue digitus fuerit manus, ſiue pedis: ſimiliter ſi luxatus eſſet humerus, & facilè quidem, & reſtitueretur facilè, & ſine dolore, non erit ſecanda vena, quia non timemus inflammationem. Si autem è contra luxatio & reſtitutio fuit doloroſa, & grauis, vt ſolet eſſe in omnibus alijs articulis, ſecanda ſtatim eſt vena impoſita prius glande, vel clyſteri. Vena autem ſecetur in oppoſito latere ſuperiori, vel inferiori.

Euacuatio per pharmacum. Succedit iam euacuatio per pharmacum, quæ probatur ab Hippocrate in quarto de articulis, textu trigeſimoprimo. vbi inquit, quòd ſi luxatio ſit cum vulnere, ita, vt os luxatum diruperit carnem, & cutim, & egreſſum ſit, & promineat extra cutim, exhibendum eſt pharmacum euacuans per ſuperiora, exhibendum, inquit, eſt, ſiue facta fuerit reſtitutio luxati oſſis, ſiue non potuerit fieri: Et exhibet Hippocrates in tertio de fracturis, 48. veratri mollem potionem eadem die, qua repoſitum eſt os fractum, ac prominens: Et ratio cur exhibeat medicamentum per ſuperiora euacuans, eſt, quia timet conuulſionem: nam in luxatione cum detecto oſſe multum patiuntur chordæ, & ligamenta, & nerui illi; & ideo facilè ſuccedit conuulſio, & mors. igitur in luxatione cum detectione oſſis ex mente Hippocratis exhibendum eſt pharmacum.

Præterea,

Præterea, idem Hipp. in magna contuſione oſſis calcanei purgat cum veratro, vt videre eſt apud ipſum in 2. de fracturis tex. 27. vt quando quis ex alto concidit in calcem, & os calcis luxatur; contunditurque, dicit exhibendum eſſe helleborum album, vt fiat euacuatio per ſuperiora: Exhibet quidem pharmacum, primò, quia timet gangrenam; ſecundò, quia timet conuulſiones lethales. In his duobus caſibus Hipp. exhibet pharmacum; alibi autèm nunquam, quod ego ſciam, meminit de exhibitione pharmaci; nec Galenus; nec Celſus; tamen ego ex his duobus locis Hipp. colligo medicamentum purgans, quod electiuè, & à longinquo educat non eſſe exhibendum, niſi quando ingens imminet periculum citiſſimæ conuulſionis, vel mortis, vt patet, quia ipſe Hipp. exhibet validiſſimum medicamentum ducens per ſuperiora, quod non eſt agendum, niſi imminentiſſimum eſſet periculum. Colligo igitur, quòd non eſt exhibendum validum illud medicamentum, niſi in vehementiſſimis luxationibus: in leuioribus autèm ſat eſt ſecare venam loco exhibitionis pharmaci; quia non imminet periculum gangrænæ per ſe; dico per ſe, quoniam poſſet errore medici ſuccedere gangræna, vt ſi nimis arcte deligaſſet membrum: nec imminet periculum conuulſionis: & ideo ego in luxationibus mediocribus non exhiberem pharmacum purgans, quia agitat prætermodum humores, & cogit corpus ad motum, qui eſt inutilis, ſi luxatio ſit in partibus inferioribus; ſed in luxationibus vehementiſſimis vtique exhiberem, non tamen helleborum album, quia nos, vt dicit etiam Galenus, ignoramus modum, quo Hipp. helleborum ipſum præparabat. Vidi ego bis, vel ter exhibitam radicem hellebori albi à fœminis his, quæ profitentur expellere ſpiritus, quos dicunt affligere corpora, quando ipſa ingrediuntur; & ideo exhibent incantatis mulieribus, quas vulgo vocant inſpiritatas, & vidi factum vomitum duorum dierum, & aliquot incantatarum mulierum fuiſſe ſanatas: Attamen non auderem tale medicamentum exhibere, quia vidi tales mulieres ex vomitu illo aliquando remanſiſſe veluti mortuas, & periculum fuiſſe, ne morerentur. Vidi etiam exhibitum helleborum album præparatum cum radicula eo modo, quo docet Galenus, & eſt, vt perforemus raphani radicem, & in ipſo foramine ponamus helleborum album, & inibi relinquamus per ſpatium aliquod, deinde exhibeamus radiculam comedendam, Verum nec hoc modo exhiberem tale medicamentum; ſed loco hellebori albi deuenirem ad ſcammoneata Recentiorum. Verùm, vt dixi, non vterer medicamentis validiſſimis, niſi in vehementiſſimis luxationibus. Medicamenta autèm illa mitiſſima, quæ liberant ventriculum, primaſque venas à cruditatibus, & inteſtina à fecibus, probo omnia.

Quando valentibus, aut debilibus purgantibus vtendum.

Ellebori albi vires, & præparatio.

His factis prima die, permittatis, vt altera die quieſcat æger, niſi accidat aliquid, quod indicet oppoſitum: nam poſſet accidere aliquid, quod cogeret vos aliquid circa ægrum agere, vt eſt tumor durus in parte extrema infra deligationem: ſi enim ſecunda die videbitis partem extremam intumuiſſe, & tumorem eſſe laxum, æger quieſcat ita, vt vos nihil circa ipſum agatis: at ſi tumor eſſet durus, ſignum eſt malæ deligationis, nam nimis arcta eſt: & ideo ſtatim debetis ſoluere, & religare; prius tamen, quam religetis, debetis accipere multam aquam calidam, & multum oleum, & copiosè, & diu affundere ſupra tumorem, vt dicit Hipp. & affundenda eſt tam diu, donec locus incaleſcat, & tumor aliqualiter ſubſideat: affundenda autèm eſt aqua hæc mixta cum oleo, vt reuocetur calor naturalis ad partem, qui ob nimiam expreſsionem fuerat aliò propulſus, niſi enim calor reuocaretur, ſuccederet gangræna: ſecundò affundenda eſt aqua cum oleo, vt mitigetur dolor aliquis, qui aderit: tertio talis affuſio impediet inflammationem in parte tumente: quartò diſcutiet aliqualiter materiam facientem tuberculum. Facta affuſione, inungendus, vel obliniendus eſt articulus eodem medicamento, quo prima die fuit oblinitus, deinde ligandus eſt per primas faſcias, quibus addenda ſunt ſplenia, deinde exteriores faſciæ; deligatio tamen debet fieri laxior, quam prima vice fuerit facta.

Prima deligatio nimis arcta diſſoluenda & hydrelæum affundendum.

Sed ſi ſecunda die non adſit tumor in parte extrema, nec bonus, nec malus, ſignum, eſt, quòd mala eſt deligatio, & error deligationis eſt, quia eſt nimis laxa, & tunc non eſt ſoluenda, ſed quieſcendum eſt vſque ad tertiam diem: & tertia die ſoluetis, & affundetis copioſam aquam; quæ tamen non habeat admixtum oleum: nam in hoc caſu non egemus mitigatione facta per oleum: affundenda igitur eſt aqua pura calida ob tres vſus: primus eſt, vt mitigetur dolor aliquis: nam ſemper ex dolore præcedenti ſolet relinqui aliquis dolor lenis. Secundò, quia aqua diſcutit humores ſeroſos, qui relicti ſunt in articulo: nam licet ex deligatione exprimatur ſanguis; tamen ſemper relinquitur humor aliquis ſeroſus: Tertiò affundenda eſt aqua, quia remouet pruriginem, quæ ſolet adeſſe: Debetis enim ſcire, quòd ex deligatione exprimuntur humores, ex quibus eleuatur acris vapor, qui cum non poſsit per cutim exhalare, ratione meatuum, qui obſtructi

Membro nimis laxè deligato, & ſoluto aqua ſola affundenda.

ſunt

ſunt propter inunctionem, generant pruritum, qui tollitur ex affuſione aquę calidæ, quia aperit poros, & præbet iter vaporibus acribus. his de cauſis affundenda eſt aqua ſupra articulum, quando ſoluitur, inquit Hippocrates: Quibus cauſis addatis vos quartam, & eſt, quòd affuſio aquæ roborat ligamenta articuli, quia ſiccat humiditates illas.

In quibus caſibus protrahenda ſit diſſolutio ligaturæ.

Sed notate vnum ex Galeno in primo de fracturis, commen. 38. & 40. & eſt, quòd aliquando poſſumus producere religationem nō ſolum vſque ad tertiam; ſed etiam vſque ad quartam, & quintam diem, vt dicit ſe factitaſſe. quod licet proponat de fracturis; tamen intelligendum eſt etiam de luxationibus, & ponit conditiones, quando poſſumus protrahere vſque ad quartam, vel quintam: Prima eſt, ſi ſit frigida tempeſtas, vt hyems, tunc ne refrigeretur articulus, non ſoluimus, nec religamus, niſi vſque ad quartam, vel quintam diem, quia hyeme non ita cita timenda eſt inflammatio, neque tam citò inuadit pruritus; & ob id in hyeme producimus religationem, quia in hyeme non generantur tot fuligines aeres, nec tam citò, quia non ita ebulliunt humores in articulo, & omnes actiones naturæ ſunt tardiores in hyeme, quàm æſtate; & ideo dicit Hippocrates, quod in vulneribus capitis hyeme expectanda eſt inflammatio vſque ad 14. æſtate autem vſque ad ſeptimam. Altera conditio eſt, ſi ſit corpus robuſtum, quale ruſticum eſt, tunc poſſumus protrahere religationem vſque ad quartam, vel quintam diem, quia talia corpora robuſta non ita facilè, vt corpora delicata, patiuntur pruriginem; nec in huiuſmodi robuſtis corporibus timemus putredines, vt in mollioribus, quia in ipſis non abundant tot humiditates. Tertia conditio eſt, ſi corpus ſit aſſuetum lotionibus, oportet citius diſſoluere, & religare, quàm ſi non ſit aſſuetum: Antiqui enim ſolebant quotidie, vel alternis ſaltem diebus lauari: Si igitur æger eſſet aſſuetus ablui, ſoluatis, & religetis tertia die; alioqui non poſſet tandiu perferre, quin exceterentur, & exhalarent vapores illi acres: Sed ſi non ſit aſſuetus ablutioni, protrahere poteritis vſque ad quintum diem, & noſtris his temporibus in omnibus ferè viris ego protraho ſolutionem, & religationem vſque ad quartam, vel quintam, ſiue fuerit autumnus, ſiue hyems, ſiue ver, dummodo non ſit æſtas: nam æſtate ſoluo tertia die. Vnde notate errore recentium reſtauratorum, qui non ſoluunt, niſi ad vigeſimum diem, & aliquando tardius, donec ſuboriantur pediculi in linteis.

Notanda in religatione.

Facta ſolutione, & affuſione aquæ, ſiccandum eſt membrum, inungendum, & ligandum eodem modo, quo prima vice. Hoc tamen eſt obſeruandum, quòd ſecunda hæc deligatio, ſi prima non fuit doloroſa, debet eſſe aliquantulum ſtrictior, quàm fuerit prima, quia tutius poſſumus in ſecunda deligatione, ideſt, quæ ſecunda vice fit, humores exprimere. Fiat igitur aliquantulum arctior, dummodo non fiat doloroſa: quod patefiet interrogando ſæpe ſæpius ægrum, an arcta, vel laxa nimis ſit; in reliquis eadem conuenit deligatio: nam apponendæ ſunt priores faſciæ; deinde ſplenia; tertiò poſteriores faſcię. Notat & vnum Celſus, & eſt, quòd in deligatione, quæ ſecunda vice fit, debemus augere numerum ſecundarum faſciarum, ita, vt tres ſint: quod quamuis Hippocrates non dicat; tamen faciendum eſt, vt Celſus monet: & poteſt etiam colligi ex Hippocrate in primo de fracturis, tex. 40. vbi inquit, quòd in ſecunda deligatione augendus eſt numerus linteolorum, & faſciarum, licet numerum non determinet. Igitur faſciæ interiores erũt duæ; exteriores autem tres: Sed notate, dummodo non adſit inflammatio, inquit Celſus, quia ſi adſit, ſat erunt duæ exteriores. Ita ergo quarta die ſoluetis, affundetis aquam, inungetis, & religabitis eodem modo, quo prima vice, adhibitis primis faſcijs, ſplenijs, & ſecundis faſcijs.

Quinta die reſoluatur, ſi laxiores erunt faſciæ, abluatur copioſa aqua, & ſi careat inflammatione, iiſdem linteis vtendum eſt, ait Hippocrates, quod confirmat Gal. in primo de fracturis, comm. tex. 40. ſin autem aliqua adſit inflammatio, quintam auferemus faſciam: at ſi nulla penitus adſit inflammatio, ſexta adiungetur faſcia, vt vult Celſus, vel dimittemus vſque in ſeptimam diem; ſexta die quieſcat æger.

Septima aut undecima die dimittenda mitigatoria, & applicanda corroborãtia, & conſolidantia.

Septima die, quæ eſt terminus tranſactæ inflammationis, ſoluetis iterum, & affundetis aquam; ſed non amplius inungendus eſt articulus cerato illo roſ. nec alio ex mitigatorijs, quia iam ſatisfactum eſt inflammationi, cuius gratia his vtebamur: ſed ſeptima die indicatur roboratio, & conſolidatio ligamentorum, & chordarum; & ideo opus eſt inungere partem non illis mitigatorijs; ſed aliquo agglutinante, quod valde ſiccet, & ſtringat. Verùm notate, quòd ſi ſeptima die eſſet adhuc aliqua ſuſpicio inflammationis, vel adeſſet tumor aliquis, aut inflammatio, differatis vſum aſtringentium, & roborantium vſque ad vndecimam: at non præſente inflammatione, dimiſſis, quæ dolorem ſedant, & inflammationem arcent, imponatis quæ glutinatoriam vim habent, & ſiccant.

Talia autem medicamenta multa probantur; ſed ego referam vobis tantum ea, quæ

mihi

Digitized by Google

mihi ſunt familiaria,& primum eſt medicamentum deſcriptum à Galeno in ſecundo de compoſ.medic.per genera, cap.17.& vocatur pharmacum Moſchionis: hoc optimum eſt,& ego ſoleo vti: Deſcriptionem autem videbitis apud Galenum. Alterum,quod magis probo, eſt illud, quod deſcribitur à Galeno in 5. de compoſitione medic. ſecundum genera, cap.3. & vocatur emplaſtrum Iceſij: Cuius deſcriptionem, quia longa eſt, ego non referam; ſed tantum adnotabo quædam circa ipſam: Et primum eſt, quòd recipit terram ampelitim, quam terram habemus nos, & eſt illa terra nigra; & veluti bituminoſa,quam tenent,& vendunt pigmentarij iſti,qui vendunt colores;& vocant ipſam terram nigram: illa eſt vera terra ampelitis. Secundum notandum eſt, quòd recipit bitumen Iudaicum,quo caremus nos; ſed loco ipſius poteritis vti terra nigra dicta, quæ eſt, vt dixi, ampelitis terra, non autem loco bituminis Iudaici vtamini piſaſphalto, vt iſti faciunt,quia eſt nimis acre, ita, vt faciat puſtulas. Cognoſcetis autem an medicamentum habeat piſaſphaltũ, necne,quia ſi habebit, ſentietis odorem malum,& acrem, ita,vt vellicet nares. Recipit & alumen ſciſſile, cuius loco capietis alumen rochæ combuſtum: Recipit & chalcitim,cuius loco capietis chalcanthum Romanum ſemiuſtum,ita,vt non fiat rubrum. Tertium medicamentum,quo vtor ego frequenter,& poteſt conferri cum quolibet alio,eſt ceratum barbarum. Quartum eſt emplaſtrum ſacrum.

Emplaſtrum Iceſij.

Inunctio articuli.

Igitur ſeptima die aliquo ex his quatuor poteritis vti, & ſi volueritis eſſe cautiores,& prudentiores, expectabitis ſecundum terminum inflammationis, & tunc imponetis ea, quæ diximus, vel aliquod ex ipſis, non quidem durum; ſed diſſolutum cerato vel roſaceo,vel myrtino: Capiatis oleum myrtinum,& ceram,& faciatis ceratum humidum,ac molle. hoc ergo,vel illo diſſoluetis aliquod ex quatuor dictis medicamentis: Et in mollioribus corporib. accipiatis vnam partem emplaſtri;& tres cerati: in duris autem vnam cerati, & duas emplaſtri, & hoc medicamento diſſoluto inungetis articulum, & manibus eodem inunctis fricabitis diligentiſſimè, & fortiter (ita tamen,vt non fiat dolor) articulum ipſum: nam,vt dicit Hippocrates in primo de articulis,tex.91.articuli ligantur, & glutinantur etiam frictionibus: nam frictio,ſi mollis ſit,laxat; ſi autem durior,ſiccat; & ſiccando roborat, & glutinat. Itaque inunctis manibus medicamento, quod habet vim glutinandi, fricetis articulum valde, dummodo non excitetis dolorem. nam ex tali frictione ſiccantur ligamenta, & chordæ, & ſic vniuntur, & glutinantur.

Leuis articuli motio.

Facta inunctione, & fricatione, mouendus leniter ad hanc, atque illam partem eſt articulus: leniter, dico, ita, vt non fiat dolor, & hoc faciendum eſt in ſeptima, vel octaua die: nam ex tali motatione humor, qui eſt in cauitate articuli, eliditur foras ad latera; qui, ſi in cauitate manſiſſet, potuiſſet inibi concreſcere, & indurari, & ligare ita articulum, vt poſtea eſſet immobilis, vt aliquando accidit; ſed ex leni motatione euitatur hoc periculum, quia eliditur ad latera, & cum tenuis ſit humor, incaleſcit ob motationem, & ſic facile poſtea exhalat.

Igitur ſeptima, vel octaua die ſoluetis membrum, affundetis plurimam aquam calidam,deinde inungetis medicamento glutinante, perfricabitis, & leniter articulum huc, illuc mouebitis; deinde adactis duabus faſcijs internis ligabitis, quibus addetis ſplenia, & his quatuor faſcias extrinſecas, & ligabitis, vt ſupra diximus: deligatio tamen debet eſſe aliquantulum arctior alijs deligationibus prioribus; non ita tamen arcta eſſe debet, vt faciat dolorem: & tunc, ſcilicet ſeptima, vel nona die, præcognoſcere debetis terminum,quo articulus ſoleat eſſe optimè reſtitutus,& conſolidatus: nam à ſeptima, vel nona die non eſt amplius ſoluendus vſque ad terminum vltimum, in quo ſolet eſſe conglutinatus, & ſanatus, caſibus quibuſdam exceptis, vt dicam infra; & ideo oportet terminum hunc præcognoſcere.

Diagnoſtice termini cõſolidationis articulorũ triũ generum.

Itaque, vt cognoſcatis terminum conſolidatarum luxationum, debetis ſcire, quòd dantur tres gradus articulorum: Alij enim ſunt articuli parui momenti faciles ad reſtaurationem,& ad conglutinationem: alij ſunt mediocres,qui ſunt pluris momenti,& non ita faciles ad reſtaurationem, & agglutinationem: alij ſunt magni momenti & maximi laboris in corpore, & difficiles admodũ ſunt ad reſtaurationem,& ad agglutinationem. Cum itaque tres ſint gradus articulorum, tres quoque erunt termini agglutinatarum luxationum: Nam articuli primi gradus agglutinati ſunt decimaquarta die, ita, quòd terminus eorum eſt decimaquarta dies: terminus articulorum ſecundi gradus eſt vigeſima dies: terminus articulorum tertij gradus eſt quadrageſima dies. Leues itaque articuli agglutinati ſunt decimaquarta die. Vnde Hippocrates in 4.de artic.tex.65.ait,quòd omnes articuli digitorum tam manuum,quàm pedum, ſi luxati ſint,& repoſiti, agglutinantur quatuordecim diebus: & propterea in luxatione talium articulorum à ſeptima, vel nona die vſque ad decimumquartum non oportet vnquam ſoluere. Terminus autem

articu-

articulorum mediocrium eſt viginti dierum. Quamobrem Hipp. in 2. de fract. tex. 12. inquit, quòd omnia oſſa pedis, excepto illo, quo pes iungitur cum tibia, quia non eſt os pedis, ſed tibiæ, omnia, inquam, illo excepto, agglutinantur, & ſtabiliuntur ſpatio viginti dierum: & hoc idem intelligendum eſt, quamuis non dicat Hipp. de oſſibus manuum, quia oſſa carpi, & poſt brachialis luxata habent ſuum terminum agglutinationis vigeſimum diem: idcirco a ſeptima, vel nona die iſti articuli mediocres non ſunt amplius ſoluendi vſque ad vigeſimum, niſi conditiones aliquot cogant, quas conditiones infra enumerabo, & proponam. Articulorum autèm illorum, qui ſunt maximi momenti, & multum laborant vel ſuſtinendo corpus, vel amplectendo, vel alio quouis modo, terminus agglutinationis eſt quadraginta dierum; quo fit, vt ſi luxatum ſit os, quo coniungitur manus cum cubito, vel cubitus, vel humerus, vel os copulans pedem cum tibia, vel genu, vel femur à ſeptima, aut nona die non ſunt ſoluendi hi articuli vſque ad quadrageſimum. Quapropter Hipp. in 2. de fract. tex. 15. & 38. inquit, quòd luxatio articuli illius, quo iungitur pes cum tibia, non agglutinatur, niſi ſpatio quadraginta dierum: idem intelligatis de genu, de fæmore, atque de alijs magnis articulis, quos à ſeptima, vel nona die vſque ad quadrageſimum non ſolueris, niſi vrgeant conditiones aliquot, quæ cogant aperire, ſeu ſoluere.

Conditiones, quæ vltra nonam ante cõſolidationis terminũ nos deligationem aperire cogant.

Solent enim aliquando ſuperuenire aliqua, quæ cogunt interim diſſoluere, & inter hæc primus eſt pruritus magnus, qui ſolet fere ſemper ſuperuenire oſſi luxato à principio vſque ad ſeptimum, vel nonum diem; ſed tollitur affuſa aqua, vti diximus: aliquando etiam accidit, vt huiuſmodi pruritus ſuperueniat vltra nonam diem, licet rarò id contingat, ſed fermè ſemper in principio, & cauſam affert Galenus in 1. de fract. com. 41. vbi inquit, quòd in principio ſunt plures humiditates in articulo quæ efferueſcunt, & efferueſcendo gignunt ſpiritum acrem, qui eſt in cauſa pruritus; at tranſacta nona die extenuatus eſt articulus, & pars ipſa, nec ita humores ebulliunt: tamen & poſt nonam

1. Pruritus.

aliquando accidit pruritus, vt dixi, & tunc non eſt protrahenda ſolutio articuli vſque ad ſuum terminum agglutinationis; ſed tertia, vel quarta quaque die ad ſummum oportet detegere, & crebrius etiam, vel rarius, prout maior aut minor erit pruritus; atque detecto articulo affundenda eſt multa aqua calida; inungendus eſt articulus eodem medicamento, & religandus eadem ratione. pruritus igitur erit prima conditio, quæ coget nos vltra nonam diem articulum ſoluere.

2. Vlcus.

Altera conditio eſt vlcus: nam in parte ligata ſolent oboriri vlcuſcula, quæ aliquando ſcimus inibi oborta eſſe; aliquando id ignoramus, ſed ſuſpicamur, & timemus, quòd ſint oborta, & coniecturam accipimus ex humiditate, quæ inficit faſcias. Quoties igitur cunque ſcieritis, vel ſuſpicabimini, quòd in parte deligata ſint vlcuſcula, detegatis articulum vltra nonam tertio, vel quarto quolibet die, & abluatis ipſum aqua calida, deinde inungatis eodem medicamento glutinante, quod ſanabit etiam vlcuſcula, & moueris leniter articulum; deinde ligate ipſum eodem modo.

3. Callus ſuccreſcens, & articulum ligans.

Tertia conditio, quæ cogit nos ſoluere antè terminum agglutinationis articuli eſt timor, quòd nimis citò ſuccreſcat callus, poruſue oſſeus, & reddat poſtea ligando articulum immobilem: & ita, quando quadrageſima die ſolueretis, & putaretis articulum eſſe conſolidatum, & ſanatum, reperiretis ipſum ligatum, atque immobilem factum; ſunt enim aliquot articuli ita benigni, vt quamuis malè tractentur; tamen citò conglutinentur, & non concreſcat in ipſis callus ligans ipſos; aliquot contra ſunt ita mali, vt quamquàm rectè tractantur; attamen ſtatim in ipſis concreſcit callus, & ligantur, vt ſolet accidere articulo cubiti; vt dicit Celſus lib. 8. cap. 22. & Hipp. lib. 3. de fract. tex. 63. nam citò circa cubitum concreſcit humor, fit quæ callus ligans & immobilem reddens cubitum ipſum. Quoties igitur videritis quòd articulus habet materiam adiunctam, & timetis, quòd materia illa concreſcat circa articulum, ipſumque liget, & ſuo motu priuet; non debetis protrahere ſolutionem vſque ad quadrageſimum diem; ſed oportet, inquit Celſus, frequenter ſoluere, vt tertio, vel quarto quoque die, & affundere aquam non ſolum copioſam, ſed etiam copioſiſſimam, vt validè reſoluat materiam illam mucoſam, & eſt præceptum ſanè aureum. Monet quoque idem Celſus, vt capiamus oleum & cum ipſo miſceamus nitrum, uel ſalem loco nitri, & hoc oleo inungamus articulum & manibus eodem inunctis fricemus diligenter articulum ipſum: nam ope nitri, uel ſalis materia, quæ intùs eſt, & aliqualiter craſſa, attenuabitur, attraheturque ad cutim, & digeretur. Hoc facto inungendus eſt articulus cum emplaſtro ſacro diſſoluto oleo chamomelino, uel maſticino, ut & ratione huiuſmodi olei fiat aliqua diſcuſſio.

Die 40. ablutio qualis eſſe debeat.

Quadrageſima poſtea die ſoluetis rurſus, & abluetis locum aqua calida; non magna tamen fiat ablutio, ſed mediocris, vt fiat potius attractio alimenti, quàm diſcuſſio, quia

tunc

Digitized by Google

tunc membrum eget potius nutritione, quàm diſcuſſione. Debetis namque ſcire, quòd ex longa deligatione, præcipuè quadraginta dierum, pars membri, quæ eſt infra deligationem, & ea etiam, quæ deligata eſt, redditur gracilior, vt ſi luxatus ſit cubitus, incipiet vltra vigeſimum diem extenuari, & gracilis fieri, & hoc præcipuè patietur manus; & hanc ob cauſam quadrageſima die cum ſolutis, oportet articulum mediocriter abluere, vt fiat alimenti attractio potius, quàm diſcuſſio: nec tunc facienda eſt frictio, quia præcipitaretur alimentum ad partem extenuatam, atque in ea excitaret tumorem: Hac eadem de cauſa, ne ſcilicet alimentum copioſum præcipitetur in articulum, non eſt quadrageſima die, facta ablutione, relinquendum membrum ſine faſciis, at iterum religandum eſt; laxius tamen, & paucioribus faſciis, quàm antea: atque ſecunda die poſt hanc vltimam deligationem, id eſt poſt quadrageſimam, quieſcat æger: tertia poſtea die denuo ſolutetis, abluetisque membrum mediocriter, & adhuc minuetis faſcias ligando iterum membrum: quarta die nihil agetis: quinta ſoluetis iterum, & abiicietis omnes faſcias, ac abluetis mediocriter membrum, mandabitisque ægro, vt ſenſim, & moderatè incipiat vti articulo, vt ſi ſit articulus aliquis inferior incipiet paulatim; & mediocriter ambulare; ſin autem eſſet articulus brachii, incipiet ſenſim, ac mediocriter ipſo vti amplexando. Hæc ad luxationem ſimplicem pertinent: iam ſequuntur compoſitæ, & primò illa, quæ coniuncta eſt cum inflammatione.

Quomodo paulatim faſcię minuendæ.

De luxatione cum inflammatione. *Cap. VII.*

IAM non ſit ſimplex luxatio, ſed adiunctam habeat inflammationem, vt ſæpe ſolet, quid agendum? Primò ſciatis, quòd inflammatio fit vel ante reſtitutionem, vel poſt reſtitutionem: accidit enim interdum, vt ante, quàm medicus manum apponere poſſit, fiat inflammatio, & tunc duos magnos morbos habemus, vnus eſt luxatio, alter inflammatio, & ſic duæ etiam ſunt indicationes: ſed quia magis vrget inflammatio; ideo ipſi primò incumbendum eſt, & ipſa eſt profliganda: ſi enim tentaremus repoſitionem oſſis, non ſuperata prius inflammatione, ſuccederet conuulſio, quàm ſequitur gangræna, & gangrænam ſequitur corruptio, atque mors ipſius membri. Et ob id Celſus, Paulus, Auicenna, Albucaſis, Galenus, & Hippocrates præcipiunt, vt non tentemus extenſionem, neque reſtitutionem ante, quàm remota ſit inflammatio. Cur autem ſuccedat conuulſio, ſi tentetur repoſitio ante, quàm ſuperetur inflammatio, docet Galenus noſter, quia ex inflammatione muſculi tenduntur; ſi poſtea medicus tentet repoſitionem luxati articuli, ex extenſione, & repoſitione fit noua tenſio muſculorum, & chordarum, ligamentorumque, ac neruorum, quam tenſionem duplicem, atque inſignem ſequitur neceſſariò conuulſio ipſa. Ne igitur hoc ſuccedat, oportet prius remouere inflammationem, deinde tentanda erit repoſitio luxati articuli. Itaque in luxatione cum inflammatione dimittatis in principio, ſtante inflammatione ipſa, extenſionem, repoſitionem, & deligationem, & primum collocabitis optimè luxatam partem in ſitu minimè doloroſo; vel ſuſpendatis membrũ ipſum affectum, ita, vt ſeruetur immobile, & non ſentiat dolorem; & ſi opus ſit, ſubiiciatur corium, vel charta membranea, vt ſupra dictum eſt propter irrigationes faciendas.

Quomodo repoſitionem inflammatæ partis ſequatur Conuulſio.

Hoc facto, ſtatim ſecanda eſt vena, ſiue adſit plethora, ſiue non, dummodo conſentiat virtus, & ætas, necnon anni conſtitutio, & alia requiſita: Sed antea leniatur aluus glande, vel clyſtere iniecto, vel alia ratione. Lenita aluo, & ſecta vena, purgandum erit corpus, ſi videlicet luxatio fuerit in membro, quod ſit alicuius momenti, vt in cubito; & ſi cum luxatione coniuncta erit magna contuſio. Sed notate, quòd quamuis Hipp. in contuſo calcaneo exhibeat pharmacum purgans in principio; tamen Galen. inquit, quòd debemus præexhibere aliquid, quod attenuet, & præparet aliqualiter vias, & humores: idcirco lenita aluo, & ſecta vena prima die, altera exhibebitis decoctum aliquod, quod habeat vim attenuandi, aperiendique, & hoc exhibebitis quatuor, aut quinque diebus; deinde propinabitis pharmacum: quod tamen mite ſit, quoniam & ratione agitationis humorum, & ratione motus ego valde timeo robuſta pharmaca, etiam ſi adſit magna contuſio, & luxatum ſit os in membro aliquo nobili; nam per pharmacum robuſtum exagitat valde humores; deinde multũ affligitur æger ſi cogatur ſæpe ſurgere, vel mouere ſe. Victus ſit maximè attenuans, & refrigerans ita, vt conſtet ſolis ſorbitionibus, & aqua, aut priſana pura, vel herbaceis ſupradictis in curatione ſimplicis luxationis.

Venæ ſectio.

Præparatio.

Purgatio.

Victus ratio.

Atque

Digitized by Google

Localia Anodyna.

Atque præhabita ratione ambientis, atque aliarum rerum non naturalium deuenietis ad medicamenta, quibus vtendum eſt in membro ipſo affecto. Medicamentum autem, quo primum debetis vti, eſt hydrelçon, ideſt, aqua, & oleum: capiatis igitur copioſam aquam calidam, & copioſum oleum roſaceum, miſceatisque ſimul, & perfundatis ſæpiſſimè, & ferè continuò membrum affectum: capiatis etiam lanam ſuccidam, & imponatis membro, deinde continuò ſupetaffundatis hydrelçum calidum; nam ratione aquæ mitigabitur aliqualiter dolor, laxabitur pars, & diſcutientur aliquantulum humores: oleum etiam ſedabit aliquantulum dolorem, & repellendo impediet maiorem inflammationem: lana quoque ſuccida in re hac ſuum habet vſum, nam in ipſa eſt ſordes, quæ eſt diuerſarum partium; vnde fit vt ratione vnius partis habeat vim ſedandi doloris; ratione autem alterius impediat inflammationem. quare iure optimo debetis ponere lanam ſuccidam ſupra articulum, & ſuperfundere copioſum hydrelçum calidum, vel purum oleum roſaceum, vel purum oleum commune, & dulce, vt fecit Galenus in ſeipſo, quando paſſus eſt luxationem clauiculæ.

Emollientia & Diſcutientia.

Sed notate, quòd interea, dum inflammatio incipit remitti ex ſuperinfuſione dictorũ, humores redduntur aliquantulum craſſiores: hac de cauſa, ne in articulo concreſcant, & ligent ipſum, oportet vti aliquo, quod poſſit continuò ipſos emollire, & aliqualiter diſcutere. vnde Auicenna, & Albucaſis, ne humores ſiccèſcant, areſiant, & ligent articulum loco hydrelçi affundunt decoctum, quod poſſit emollire, & aliquantulum diſcutere, quale eſt decoctum maluarum, radicum altheæ, ſeminum lini, fenugræci, & ſimilium; & cum hoc decocto poteritis miſcere oleum commune, vel amygdalarum dulcium; & inclinante inflammatione, vel cum iam ex toto eſt fermè remiſſa, quod tutius fuerit, facietis cum decocto dicto veluti embrocham, quæ emolliet, & moderatè diſcutiet tumorem, ſi quis remanſerit, vt ſolet. Similiter cum talis tumoris emollitio, & diſcuſſio non poſſit fieri per motum ipſius membri affecti, optimum erit, vt ipſum leniter fricetis manibus inunctis, vt diſcutiatur inflammationis reliquum: & hæc facienda ſunt quando inflammatio iam inclinat.

Malagmata optima ex Gal. declinãte inflammatione.

His factis, imponendum eſt aliquid, quod perpetuò maneat in loco affecto, quod habeat vim emolliendi, euocandi, & diſcutiendi, qualia ſunt duo medicamenta propoſita à Galeno in 8. de compoſ. medic. per loca, cap. 5. & vnum vocatur malagma Nili, alterum malagma Nilei, & vtrunque optimum eſt, cum vnumquodque recipiat ea, quæ poſſint emollire, trahere ex alto, atque diſcutere; recipiunt enim ambo ceram, oleum, ammoniacum, crocum, & acetum multum. Itaque, inclinante inflammatione, capiatis aliquod iſtorum, & diſſoluatis cum cerato facto ex cera, & oleo chamomelino, vel maſticino, vel picato dicto, non autem cerato myrtino, vel roſaceo: nam hæc duo in hoc caſu non ſunt opportuna: diſſoluto medicamento inungatis totum membrum, vel obliniatis ſplenium magnum hoc eodem, & ſplenium applicetis.

Oxycroceũ Nicolai quibus conueniat.

Quòd ſi nolletis vti his, vel non haberetis, habetis in officinis vnum, quod tenetur ſemper paratũ, & vocatur oxycroceum Nicolai, & optimum ſanè eſt medicamentum: nam emollit, diſcutit moderatè, & trahit ſummopere ex alto, quod requiritur in hoc caſu, vt ſi qua materia ſit in partibus internis faciens inflammationem, ope huius medicamenti trahatur ad cutim, & reſoluatur. Trahunt etiam ex alto malagmata iſta duo propoſita, ſed non ita vt iſtud, quod ſicuti eſt præſtantiſſimum in luxationibus cum inflammatione, quando inflammatio inclinat, & intentio medici eſt diſcutere aliqualiter, emollire, & ex alto euocare; ita peſſimum eſt in quacunque dearticulatione, ſeu luxatione, atque in omni fractura ipſo vti: hoc dico, quoniam inepti iſti reſtauratores in qualibet luxatione, & fractura confugiunt ſtatim ad oxycroceum, ita, vt videatur communis bracca: at errant valde, quoniam conuenit ſolùm, quando opus eſt emollitione, moderata diſcuſſione, atque euocatione humoris ab intimis partibus ad cutim.

Superata inflammatione extendatis membrum, reponatis os in ſuam ſedem, & omnia alia agatis, quæ diximus eſſe agenda in ſimplici luxatione. & hoc modo occurretis inflammationi ortæ ante repoſitionem.

Si inflammatio ſuccedat poſt reſtitutionem.

Quòd ſi inflammatio ſuperueniat non ante reſtitutionem, ſed iam facta repoſitione oſſis, vt ſolet ſæpius fieri, ratione extenſionis; & doloris perpetui, quid agendum? Dico, quòd ſtatim, ſiue ſitis in prima, ſiue in ſecunda die, inſtituendus eſt victus tenuis, ſecanda eſt vena; & alia vniuerſalia capita obſeruanda; deinde, immò ſtatim, cum acceditis, & cognoueritis factam fuiſſe inflammationem, detegendum eſt membrum, & remouendæ ſunt omnes faſciæ, affundendaq; eſt copioſiſſima aqua mixta cum oleo, donec æger percipiat commodum, & iuuamentum aliquod, & tunc religandum eſt membrum; laxius tamen, vt minor fiat compreſſio: Et facta deligatione, affundendum eſt continuò hydre-

læum

læuni ſupra faſcias; & ſi oleum, quod admiſcetur aquæ, fuerit roſaceum, erit certè melius; hoc ſecundo loco eſt agendum: Tertio autem, frequentius membrum eſt diſſoluendum, & affundendum hydrelçum, frequentius dico, quàm fieret in ſimplici luxatione, ita quòd ſi in ſimplici luxatione, & vbi nulla ſit inflammatio, diſſoluebamus quarta, vel quinta die, in hoc caſu diſſoluendum erit membrum quotidie, vel tertio ſaltem quoque die: Diſſoluto membro Celſus deuenit minimè ad hydrelçum; ſed monet, vt vſque ad quintam diem imponamus membro lanam ſuccidam, & ſuperaffundamus acetum, quia acetum valde repellit, & repellendo inflammationem arcet. Sed hæc illius medendi ratio mihi non placet, niſi corpus eſſet robuſtiſſimum, & magis laudo, in corpore præſertim molli, curationem Hippocratis, vt loco aceti vtamur hydrelço. *De aceti ſuperaffuſione quid ſentiendum.*

Tranſacta quinta die, Celſus accipit ceratum citrinum, & cum ipſo miſcet nitrum, & imponit, quia vult diſcutere humores, ne ſint impedimento ipſi articulo: Verùm mihi magis arridet, vt tranſacta quinta, vel ſeptima die, affundamus cum Hippocrate multam aquam, & valde calidam; vel affundatis oleum calidum, cui admixtum ſit nitrum, vel ſal: Et tranſacta quinta, vel ſeptima, mouebitis etiam leniter articulum, affundetisque, vt dixi, aquam, vel oleum, donec ſuperata ex toto fuerit inflammatio, & tunc redibitis ad curationem ſimplicis luxationis, atque ea omnia agetis, quæ ſupra diximus.

Luxatio cum fractura eſſet nunc tractanda, ſed de illa non loquar, niſi cum docuerim modum fracturæ ſanandæ. Succedit modò luxatio cum vulnere, ideſt cum apertione cutis, atque oſſis, ſcilicet articuli detectione ac apparentia, in qua ingens admodum periculum exiſtit, & de ipſa agam in ſequenti.

De luxatione cum vulnere, & oſſe detecto. Cap. VIII.

SI os luxetur, diſrumpat neruos, chordas, muſculos, & cutim, atq; extra pellem aliqualiter promineat ita, vt cum luxatione coniunctum ſit vulnus, & os detectum, prominensque, ſed paruum extra cutim, affectus eſt periculoſiſſimus, ac lethalis, & periculum maius eſt in curatione, quàm ſi non curetur, hoc eſt, periculoſum eſt magis, ſi os reſtituatur in ſuum locum, quàm ſi non reſtituatur, quia ſi non reponatur, hæc ſequuntur incommoda, teſte Hippocrate in quarto de articulis, tex. 28. & 29. primum remanet turpitudo membri, & re vera, quamuis huiuſmodi luxationes rarò accidant, quia omiſſa eſt iam luctatio, tamen cum accidunt, ſi non fiat repoſitio, remanet ſemper membri turpitudo. Alterum incommodum eſt, quòd ſolet remanere vlcuſculum quaſi perpetuum in loco, quod eſt maximus ſtimulus ipſius ægri: Tertium eſt, quòd ſi caſu vlcuſculum illud cicatrice obducatur, cicatrix illa eſt ita mollis, ac tenera, vt ex quauis leui occaſione, & citiſſimè renouetur vlcus. hæc ſunt incommoda quæ ſequuntur, ſi non fiat repoſitio. Contrà autem, ſi fiat, ſpes nulla eſt, ait Celſus lib. 8. cap. 30. & quamuis aliquis reſtitutus ſanatus ſit, ait Hippocrates in 4. de articulis, textu 16. 17. & 18. & Galenus in comm. & Paulus lib. 7. tamen vt plurimum ſuccedit conuulſio, gangræna, atque mors ipſa, quæ ſolet eſſe præ foribus in ipſa reſtitutione, ita vt aliquando miſeri ægri moriātur inter manus reſtauratorum: ſique contingat, vt mors totius non ſuccedat; tamen ſuccedit mors, & corruptio ipſius membri, vt neceſſarium ſit illud amputare: vnde difficultatem rei colligere cuique licet. Hæc quamuis ita ſe habeant; tamen, qui ſcripſerunt de re hac, diſtinguunt, & dicunt, quòd difficultas quidem maxima, & periculum eſt in omnib. articulis luxatis cum detectione oſſis; tamen non æque in omnibus eſt, quia aliquot articuli ſunt, qui non habent vicinos, adiunctosve magnos neruos, nec magnas venas, & arterias, nec multam carnem ſuprapoſitam: aliquot verò è contra: Et propterea dicunt, quòd quanto articuli erunt remotiores à partibus muſculoſis, à venis, ab arterijs, ac neruis magnis, tanto minus periculum erit: & viceuerſa tanto erit maius periculum, quanto articulus erit partibus his vicinior. Quare digitorum pedis, & manus articuli luxati & detecti non ita lethales ſunt, teſte Hippocrate, Paulo, & omnibus; reliqui verò omnes articuli luxati, & detecti maximè moleſti ſunt, ac lethales. Cum ergo articulorū non omnes ſint eiuſdem generis; ſed alij ſint maioris momenti, alij minoris, iure optimo dicendum eſt, quòd periculum in reſtitutione ipſorū non eſt idem, nec æquale: nam articulorum aliqui ſunt vicini, & adhærentes viſcerib. principalibus, ob idq; magna habent vaſa, magnosq; neruos, quorum merito, ſi reſtituantur, ſunt periculoſſimi: huius

Quæſtio: An curari debeat hic affectus, nec ne?

Diſtinctio articulorum.

generis ſunt articuli circa manum, circa cubitum, circa humerum, circa pedem, circa genu, & circa femur: qui verò à viſceribus principalioribus remoti magis ſunt, cum vaſis minoribus hæreant, minoribuſque neruis, minoremque carnis quantitatem ſupraposſitam habeant, minus etiam periculoſi ſunt; periculoſi quidem & ipſi ſunt; non tamen ita, vt illi: & ſub hoc ſecundo genere continentur, vt dixi, articuli digitorum tum pedis, tum manus.

Solutio quæſtionis.

Hac diſtinctione præmiſſa, dicunt Scriptores, quòd ſi articulus luxatus ſit de genere illorum priorum, qui vicini ſunt magnis vaſis, & neruis magnis, nullo pacto tentanda eſt reſtitutio, quia imminet maximum periculum, & mors vicina eſt, ſi præſertim laceratum ſit vas aliquod magnum, vel magnus neruus: & in his articulis dicunt Hippocratem intelligere, non eſſe tentandam reſtitutionem; non autem in alijs articulis ſecundi generis, qui non ſunt tanti momenti, quales ſunt articuli digitorum, in quibus dicunt repoſitionem eſſe tentandam. Addit etiam Celſus oſſa pedum, & manuum, in quibus etiam videtur velle, quod ſit tentanda repoſitio: & intelligit de oſſibus pedis, & poſtbrachialis, quæ oſſa ſunt viciniora oſſibus digitorum; non autem intelligit de oſſibus carpi, nec de ijs, quæ ſunt vicina tibiæ.

Quid igitur agendum, quando luxatio cum detecto oſſe accidit in aliquo articulo prioris, aut poſterioris generis? Reſpondeo, quòd eſt videndum an articulus reponi poſſit, necne: Hippocrates enim articulos digitorum, &, vt etiam interpretatur Celſus, manus, & plantarum, cum præfatione periculi, atq; addita omni cura affirmat reſtituendos eſſe, quoniam non ita lethales, ac noxij ſunt; reliquos verò omnes non eſſe attingendos præcipit, quia mors imminet, quamuis Celſus lib. 8. c. 30. aſſerat aliquot repertos fuiſſe, qui brachia, & crura repoſuerint, & Paulus lib. 6. cap. penultimo dicat, nos poſſe omnes reponere, inter initia ſtatim, ante quàm inflammentur, quoniam ſi diſtenſionem videamus ſuperuenire, poterimus ſtatim iterum luxare: verum ſi hæc luxatio facienda à Medico difficilis videatur, monet & ipſe, vt à repoſitione ſuperſedeamus. Sed Paulus hac in re videtur mihi nimis audax, & quòd nullo modo ſit accipienda ipſius ſententia, quia ſi os reponatur, raro accidit, quòd non ſuccedat conuulſio; & cum repoſitum fuerit, raro contingit, vt poſſit liberè, & facilè ex cauitate propria extrudi, & luxari iterum, ſi præſertim ſit facta conuulſio inſignis, vt ſolet. Et propterea ex Celſi, & Hippocratis auctoritate vos moneo, vt in magnis articulis nunquam tentetis repoſitionem, niſi ægri, & aſtantes, propinqui, ac cõſanguinei vrgeant, vt ſæpe vrgere ſolent: nam cum vos prędicitis, quòd niſi os reponatur, æger non poterit amplius articulo illo vti, & remanebit, verbi gratia, claudus, & turpitudo perpetua, tunc æger, & cognati cogunt aliquando medicum, vt reponat; atque in eo caſu laudo, vt interdum tentetis, præfati tamen prius bis, ter, aut quater coram teſtibus fide dignis, quòd ſuccedet inflammatio, gangræna, & fortaſſe mors; & hac præcipuè de cauſa debetis, quando rogamini, tentare repoſitionem, ne poſtea æger, & aſtantes dicant, vos noluiſſe reſtituere, vt æger remaneret claudus. In hoc ergo caſu præfati periculum maximum tentetis reſtitutionem. Qua facta, ſi ſuccedat conuulſio, iterum luxetis, ſi poteſtis.

Contra Paulum magnos articulos nõ eſſe reponendos, niſi cogamur.

Cæterum ſi articulus luxatus ſit de illis, in quibus nullo pacto debemus, nec poſſumus tentare repoſitionem, quid agendum? Dico, quòd primò habenda eſt ratio communium capitum, quæ reſpiciunt ea, quæ agenda ſunt circa totum corpus, vt eſt euacuatio, victus ratio, & ſimilia: quibus ſuppoſitis, & rectè diſpoſitis, veniendum eſt ad articulum affectum, in quo omittenda eſt omnis extenſio, omniſque deligatio; ſed tantum collocabimus membrum, ait Celſus, ita vt cubantem maxime iuuat: debet namque ita collocari, vt nullum ſi fieri poſſit, ſentiat dolorem: hacque etiam ratione omittenda eſt deligatio omnis, quamuis Hippocrates dicat, quòd aliquot fuere deligati, & ſunt ſanati, & quòd aliqui etiam ſunt deligandi. ſed poſtea non docet rationem deligationis, nec in quibus caſibus, & quando ſit deligatio facienda. Collocato itaque optimè membro ita, vt non doleat, ſubijciatur ſibi corium, vel charta membranea propter irrigationem faciendam, quæ irrigatio eſt neceſſariò facienda: idcirco debet aliquid ſub membro collocari, quod impediat receptionem humorum affundendorum in ſtrato.

Non reſtituti quomodo tractandi & collocandi.

Hoc facto, videndum eſt, quiſnam ſit principalis ſcopus circa locum affectum, cui primo ſit incumbendum. Dico igitur, quòd ſcopus præcipuus non eſt vlcus, nec luxatio (neque enim hæc maximè vrgent) ſed adſunt duo alij ſcopi, quibus omni ſtudio danda eſt opera, cum vehementiſſimè vrgeant, & vnus eſt conuulſio imminens; alter eſt inflammatio futura: & tam illius, quàm iſtius aduentus eſt impediendus, & in hoc oportet vos eſſe maximè ſollicitos; non neglecto tamen vulnere, atque luxatione: nam & hæc duo vrgent; ſed non ita, vt conuulſio, ac inflammatio imminens: Quas

vt im-

vt impediatis, applicanda ſunt illa, quæ dolorem mulceant, concoquant, refrigerent, *Conuulſionis*
& repellant. Vnde ex mente Hippocratis primò erit applicandum ceratum picatum, *& Inflam-*
& illud quidem tepidum, vt habemus ab ipſo in quarto de artic. 21. & 23. Ratio autem, *mationis præ*
cur tale ceratum ſit tepidum applicandum, non autem valde frigidum, aut calidum, red- *cautio.*
ditur à Galeno in commento, & eſt, quia ſi imponeretur calidum, faceret magnam attra *Ceratum pi-*
ctionem, & medicamentum diſſolueretur; ſi autem frigidiſſimum, prouocaret, vt Hipp. *catum.*
ipſe ait, conuulſionem. Sed cur vult, vt potius ceratum picatum applicemus, quam ceratum ſimplex, ſeu album vocatum? Galenus in 3. de fract. com. 3. reddit rationem, dicens, quia in cerato picato recipitur oleum, & cera, quæ ambo dolorem leniunt; recipitur & pix, quæ concoquit, habetque vim aliquam ſiccandi, qua leni ſiccatione eſt opus, ratione vulneris, quod non eſt derelinquendum, quamuis non ſit primus ſcopus. Modus autem imponendi cerati eſt, quod debet primo eſſe tepidum, vt dixi; ſecundò debet, inquit Hipp. extendi ſupra ſplenium imbutum vino nigro adſtringente non admodum frigido, nec admodum calido; frigido tamen potius, quàm calido, quia arcet inflammationem, quod non faceret, ſi eſſet vel frigidiſſimum, vel calidum. debet igitur eſſe quidem frigidum; ſed non frigidiſſimum. Itaque accipiendum eſt linteum duplicatum imbutum tali vino, & ſupra ipſum extendendum eſt ceratum, & applicandum. Vult autem Hipp. vt ſplenium ſit madidum vino nigro adſtringente, vt & ratione ipſius impediatur inflammatio: qua etiam ratione, ſicuti etiam ne fiat vulneris mordicatio, accipit potius vinum auſterum nigrum, quàm album auſterum, nam, vt dicit Galenus, ibi in commento, vinum nigrum auſterum habet terreſtrem frigiditatem, id eſt, habet multas partes terreas, & craſſas, quibus fit, vt non mordicet vlcus; ſecus autem fieret ſi vinum eſſet album, quoniam talia vina, etiam ſi ſint auſtera, habent partes calidas, & acres, quibus mordicando vlcus dolorem excitarent, hacque ratione inflammationem potius allicerent, quam impedirent. Impoſito ſplenio parato, vt dictum eſt, & tecto vulnere ex impoſitione eiuſdem ſplenij, habenda eſt ratio partium circumſtantium, ne inflammentur: quamuis etenim ſint ſanæ, tamen dolent per conſenſum partis affectæ, cui hærent: atque ob id applicandum ipſis eſt aliquid, quod repellat. Et quia aliqua etiam materia defluxit; idcirco opus eſt etiam aliqua diſcuſſione, quamobrem maximus Hipp. ad hæc reſpiciens applicat ea, quæ repellunt, digeruntque moderatè, & aliqualiter ſiccant; nam accipiebat folia tuſſilaginis, & betæ viridia, ipſaque ſemicoquebat in vino nigro auſtero, & partibus adiacentibus admouebat. & quia dicit, quòd imponenda ſunt iſta folia, vel aliquid aliud ſimile; ideo conſideremus facultatem huius medicamenti, vt poſſimus & alia inuenire opportuna, quibus tunc ſaltem vti valeamus, quando foliorum illorum non adeſſet copia. Accipit igitur folia tuſſilaginis viridia, quia digerunt aliqualiter; ſicca *Folia Tuſſi-*
autem ſi forent, haberent in ſe aliquam acredinem qua excitarent dolorem; dum verò *laginis.*
viridia ſunt, ſiccant, & detergunt moderatè; at exiccata habent has vires robuſtiores, quia, dum viridia ſunt, habent admixtam multam ſubſtantiam aqueam; quæ retundit acredinem & caliditatem, qua aquea ſubſtantia carent cum ſiccata ſunt, vt fuit ſententia Galeni, in ſexto de facult. ſimpl. medic. cap. de Tuſſilagine. Folia betarum debent *Folia beta-*
& ipſa eſſe viridia, quia habent aliquam nitroſam facultatem, cuius merito detergunt *rum.*
aliqualiter, & ſiccant, quam etiam vim, & validiorem etiam haberent, ſi eſſent ſicca. Ex his folijs non componit Hipp. emplaſtrum, vt ego iudico, quia non coquit ipſa ita, vt diſſoluantur, & quaſi abſumantur; ſed ſemicoquit, quod credo ipſum facere propter duas cauſas, prima eſt ob commoditatem: nam ex ſemicoctura redduntur tractabilia, *Cur ſemico-*
& flaccida, ita, vt commodè poſſint applicari, partique hærere, quod non fieret, ſi per- *quantur.*
fectè coquerentur, quoniam non remanerent folia integra, ſed conſumerentur: altera cauſa eſt, ne folia ex toto amittant ſuam vim, vt fieret, ſi integrè, & perfectè coquerentur: eorum namque facultas remaneret in vino tantum. Vt igitur folia remanerent integra, & integra poſſent applicari commodèque adhærerent; & vt ſuam facultatem conſeruarent integram, Hipp. præcipit, vt ſemicoquantur duntaxat, & quidem in vino *In vino ni-*
auſtero nigro, vt ex ipſo accipiant vim adſtrictoriam. His conſideratis facilè eſt modò *gro auſtero.*
inuenire alia medicamenta, quæ huic ſint ſimilia, vt hoc tempore eſſet neceſſarium, quoniam præ frigore omnia ſunt areſacta. Inter alia igitur, quæ eiuſdem ſunt facultatis, & *Folia braſſi-*
poteſtis vti loco tuſſilaginis, & betæ, ſunt folia braſſicæ, quæ, ſi alia deerunt, nullo *cæ.*
anni tempore vobis deerunt, ſemper namque, & vbique habere poteritis braſſicæ folia, & præſtantiſſima ſunt, ſi & ipſa ſemicoquantur in vino auſtero nigro, vt fiebat de alijs. Folia etiam hederæ habent eaſdem vires cocta eodem modo, nam partim ſiccabunt, digerentque moderate, partim etiam repellent. Aliquando ego ſum vſus folijs *Hederæ.*
vitium loco dictorum, ſiue ſint vitis nigræ, ſiue albæ, non refert. *Vitium.*

Digitized by Google

Emplaſtrũ. *Lana ſuccida.*

Interdum ſum vſus emplaſtro facto ex farina hordei, ex lenticula paluſtri, ſi haberi poſſit, & carne citoniorum, quæ omnia coquo in vino nigro auſtero, & facio emplaſtrum, quod repellit, ſiccat, & digerit moderatè. Quòd ſi omnia alia deſunt, non deerit lana ſuccida, quam vino nigro auſtero imbuetis, & ſupra partes, quæ luxato articulo circunſtant, extenderis.

4. requiſita, vt ænema medicamẽta ſint accõmodata.

Cæterùm ſciatis, quòd ego non ſemper vtor hac curandi ratione, quia non ſemper talia medicamenta ſunt ad manus; & ideo ſupra vlcus colloco aliquod ænemon, ideſt, aliquod ex ijs medicamentis, quæ imponuntur cruentis vulneribus, & hac curandi ratione vt plurimum vtor; de quibus medicamentis ænemis habetis magnam ſyluam à Gal. in 2. de compoſ. medic. per genera, & plura etiam habuiſtis à me anno ſuperiori, cum tractatem de vulneribus. Sed notate ex Hippocrate & Galeno, quòd in eligendis his medicamentis ænemis opportunis pro his luxationibus quatuor ſunt præcepta obſeruanda, & primum eſt, quòd medicamenta, quæ cruentis vulneribus imponuntur, ſolent validiſſimè ſiccare: in hoc autem caſu non debent eſſe talia, nam ſi validiſſimè ſiccarent, contraherent partes, & cõtrahendo facerent potius conuulſionem, quàm illam inhiberent: & hac de cauſa Sizicenum vocatum medicamentum licet inter medicamenta ſit pretioſum; tamen non eſt in hoc caſu opportunum, quia ſiccat præter modum, vt dicit Gal. in quarto de artic. comm. 24. Igitur prima conditio, quæ in his ænemis medicamentis pro hoc affectu requiritur, eſt, quòd moderatè debent ſiccare.

Secundò debent eſſe talia, vt eorum vis diu perduret in loco; alioqui neceſſe erit quotidie locum detegere, & medicamentum nouum applicare, quæ detectio frequenter facta maximè ſolet obeſſe. Et hac de cauſa medicamenta hæc ænema debent habere facultatem diu durabilem, quæque non facilè euaneſcat: talia erunt, ſi recipiant gummata illa ſolidiora, metallica, & reſinas illas ſolidas.

Tertium præceptum ſeu tertium, quod requiritur, vt habemus ab Hippocr. in 3. de fractu. 23. eſt, quòd medicamentum debet eſſe tale, vt connutriatur cum irrigatione: debetis namque ſcire, quòd ſunt aliquot ænema medicamenta, quæ impoſita vlceri ſtatim, cum vtimur irrigatione, eluuntur, cuiuſmodi ſunt pulueres. Prætetea, etiam ſi medicamentum applicatum non ſit ſub forma pulueris, dummodo non habeat reſinas, vt bitumen, vel alia, quæ reſiſtunt humido, ab irrigatione diſſoluitur, eluiturq;. & hac ratione ænema medicamenta debent tertio loco eſſe talia, vt non poſſint elui, nec diſſolui ab irrigatione facienda. Quarta conditio eſt, quòd debent eſſe conſiſtentia molli. Inter omnia autem ænema, quæ habent has conditiones, principatũ obtinet ceratum illud barbarum Gal. quod certè præſtantiſſimũ, ac veluti diuinum medicamentum, ex cuius vſu vidi ego ſæpe miros effectus: ipſo igitur vtamini. verùm quia eſt conſiſtentia durum, oportebit, vt ipſum emolliatis admixto aliquo cerato molli, vel oleo myrtino, aut maſticino, aliove conſimili; atque emollitio ſit talis, vt redigatur ad mediocrem conſiſtentiam.

Itaque optimè collocata parte, verbi cauſa crure, in lecto ita, vt collocatio ſit indolens, extendatis ceratum barbatum præmollitum ſupra linteolum, & applicetis vulneri: ita ſolco ego facere; deinde loco foliorum vtor ſolis lanis ſuccidis infuſis in vino nigro auſtero, & continuò eas irrigo.

Sed dicetis: cur vtendum eſt lana ſuccida potius, quàm lana ſimpliciter non ſuccida, vel cotone ipſo? Galenus in quarto de artic. comm. 24. reddit rationem; monet ibi Hippocrates vtendum eſſe lana ſuccida, & affert cauſam dicens, quia in lana ſuccida eſt oeſypus, ſordes ſcilicet illa, quam in officinis vocant hyſſopum humidam, Græci verò oeſypũ, quem Galenus in comm. illius contextus dicit habere diuerſas, & contrarias facultates, ſcilicet adſtringentem, & moderatè calefacientem, quæ facultas vtraq; requiritur in hoc

An oeſypus habeat cõtrarias facultates aſtringentem, & emollientem difficultas ex Galeno.

affectu, cum opus ſit tum repulſione, tum digeſtione aliqua: & dicit etiam ibi Galenus (notate optimè locum) ſe oſtendiſſe in lib. de facult. ſimplic. medicam. quòd oeſypus adſtringit, moderatcque calefacit; & habet contrarias facultates: attamen ego nullibi vnquam in libris illis potui inuenire Galenum dicentem oeſypum habere aut per ſe, aut per accidens mixtas, ac contrarias facultates, atque vim adſtringentem. Reperio quidem de oeſypo varijs in locis Galenum feciſſe mentionem, vt in lib. de compoſitio. medicam. per genera, & in lib. de facultat. ſimplic. cap. de ſorde, ſeu de oeſypo, & in cap. de lana: Sed nullibi reperio quod ipſe aſcribat huic medicamento contrariam facultatem, & vim adſtringentem, præterquam in loco præcitato, ſcilicet in quarto de articu. commen. 24. vnde contradictio manifeſta eſt, & maxima: Nam in quarto lib. de compoſ. medic. per genera, cap. 5. loquens de medicamentis emollientibus, dicit illa moderatè calefacere, & humectare, & inter cętera connumerat butyrum, ſeuum, oleum, & oeſypum.

Præterea, in ſeptimo lib. eiuſdem operis cap. 4. enumerans medicamenta emollientia

per gra-

Digitized by Google

per gradus, & ordines, collocat oeſypum in ſecundo ordine emollientium. Item in 14. meth.cap.7.componens medicamentum ad inflammationes muſculorum ob contuſiones recipit oeſypum, tanquam medicamentum laxans; & emolliens. Inſuper in 10.lib. de facult. ſimpl. medic.cap. de ſorde inquit, quòd oeſypus habet eaſdem ferè vires, quas & butyrum, ſcilicet concoquendi moderate, atque emolliendi. Præterea, Aetius, Paulus, Oribaſius, & omnes aſcribunt oeſypo eaſdem vires, & nullus eſt, qui mentionem aliquam faciat de adſtrictione; ſolum fatentur omnes, quòd oeſypus habet aliquam vim concoquendi, emolliendi, ac digerendi. Solus Galenus, vt dixi, in 4. de artic.24. ait oeſypum habere vim contrariam adſtringentem, & calefacientem: adſtringens autem facultas eſt contraria emollienti, ac concoquenti. Quare, vt videtis maxima eſt contradictio, ita, vt ego neſciam ipſam ſoluere, niſi dicam, quòd locus ille in 4. de artic.24. eſt corruptus: certiſſimus namque ſum, quòd oeſypus emollit, concoquit, laxatq́;, atque hęc prę ſtando conuulſionem impedit; & propterea Hippocrates vtitur lana ſuccida. quòd autem tales habeat facultates, inde patet, quòd nihil aliud eſt, quàm pinguedo collecta in lanis ſordidis, atque in ipſis concreta ex fuliginibus illis, quæ continuò exhalant ex corpore ouium; & ipſum colligunt ex lanis illis eo modo, quo docet Dioſc.in 2.lib.cap.66. vbi agit de ipſo oeſypo: Accipiunt enim lanā ſordidam, ponunt ipſam in aqua, & aquam illam concutiunt: qua concuſſione fit, vt aqua ſpumeſcat, & pinguedo ſupernatet ſpumæ, quę pinguedo collecta dicitur oeſypus, & nihil aliud eſt, quàm pinguedo, & quidem pars purior ipſius pinguedinis, & magis aerea, quæ exhalat ex corpore ouili cum ſudore, & vapore ſicciori, & cutim petens hæret pilis. Vnde ſcio etiam oeſypum pinguedinis ouillæ temperiem continere, quæ quidem ratione habitus humani calefacit, laxat, emollit, & ſiccat aliquantiſper; & eò etiam magis hæc agit oeſypus, quò huius pinguedinis tenues, ac magis aereas partes in ſe continet. *Auctoris ſententia.*

Sed diceret aliquis; lana illa ſordida habet puluerem copioſum admixtum, cuius pulueris ratione oeſypus adſtringet, quia terra frigida eſt, & ſicca, atque adſtringens. Dico, quòd puluiſ, & terreum illud totum, quod lana ſordida habet, deſidet, & concidit in fundum vaſis, dum lana abluitur, & conficitur oeſypus; & vt facilius etiam ſubſtantia illa terrea ſeparetur, Dioſcorides monet, vt affundamus aquam marinam: Eapropter dico, quòd pinguedo ſupernatans eſt ſeparata ab omni parte terreſtri, & eſt corpus ſimilare, non autem diſſimilare.

Atqui rurſus diceris: Dioſc. lib.2.cap. de oeſypo inquit, quòd quādo fit oeſypus, & pinguedo eſt ſeparata à lana, debemus ipſam pinguedinem manibus emollire, & tamdiu aquam ſuperaffundere, donec oeſypus ad tactum linguę adſtringat: nam cum leuiter adſtringit, indicium eſt, ait, quòd eſt bonus. Reſpondeo, quòd in eo loco neſcio quid per adſtringens intelligat Dioſc. cum in ſequenti capite aſſerat, adipem bubulū, taurinum, & vitulinum adſtringere, & multò magis hircinum; in qua re Gal. reprehendit ipſum, vocatq́; barbarum, eò quod ſiccitatem appellet adſtrictionem: nam Dioſc. per adſtrictionē intelligit ibi ſiccitatem, vt etiam facit in ſubſequenti cap. dum dicit, quòd adeps hircinus adſtringit magis, quàm omnis alius adeps, accipiens adſtrictionem, pro ſiccitate, quod non eſt faciendum: ideo meritò accuſatur à Galeno. Præterea, Dioſc. inibi inquit, quòd oeſypus emollit; ergo non adſtringit, quia ſi adſtringeret, non emolliret.

At rurſus inſtabitis: Dioſc. & omnes laudant ſummopere oeſypum in defluuio ciliorum, & pilorum palpebrarum; ea autem quæ faciunt ad tale defluuium, conducunt ratione adſtrictionis: ergo oeſypus adſtringit. Dico, quòd facit quidē ad defluuia illa, quæ obueniunt propter calloſitatem genarum, & duritiem ſiccam, quoniam emolliendo laxat, & aperit meatus, ac duritiem illam tollit, & ad hoc aſſumit ipſum Dioſcorides.

Quare colligo pinguedinē lanarum emollire, concoquere, & moderatiſſimè ſiccare. Et quoniā Hipp. intendebat in hoc affectu lenimen doloris, ac impedimentum conuulſionis; ideo accipit ſuccidas lanas, vt vino aliquid addant: ipſe namq; & Gal. cum ipſo in 11. de facult.ſimpl.med. dicebat, & optimè, lanas lotas in irrigationib. habere tantum rationem materiæ continentis; ſuccidas verò addere vim irrigationibus; vnde ex lana ſuccida, & vino fit medicamentū mixtum partim emolliens, laxanſq́;, & mitigatorium; partim ſiccans, ac repellens: quod medicamentum maximè cōuenit in caſu propoſito. Itaq; poſt ceratū imponemus lanas ſuccidas, eaſq; continuò irrigabimus vino nigro auſtero. Quòd ſi has non habeamus, inungemus oeſypo accepto ex officinis, additis deinde irrigationib. cū vino nigro auſtero, ſi videlicet æſtas ſit, ita ait Hipp. Hyeme autē eadem omnia erūt agenda per picatū ceratum, per folia herbarū, aut per impoſitas lanas ſuccidas, hoc vno excepto, quod irrigationes non ſunt hyeme faciendæ vino nigro auſtero; ſed oenelęo tepido, vt magis calidum ſit medicamentū, ac magis leniens, ac mitigatorium. *Lana ſuccida cur adhibeatur.* *Irrigationes.*

Igitur ex præcepto Hipp. æſtate, cum tempus eſt calidum, Irrigabitis membrum totum vino nigro auſtero; hyeme autem oenelæo,i, vino, & oleo ſimul mixtis.

Præcepta in irrigationibus, & ſcopi in ipſis ſpectandi.

Verum in huiuſmodi irrigatione ſunt hæc præcepta obſeruanda: Primum vt irrigemus pro ratione ſiccitatis, nam ſtatim cum lanæ ſiccari inceperint, aut incaleſcere, ſunt nouo liquore irrigandæ, vt æſtate vino nigro auſtero;hyeme autem oeneleo; neque vnquam permittendum eſt, vt ſiccentur, aut incaleſcant. Alterum præceptum eſt, quod irrigatio debet aliquando eſſe calidior, aliquando frigidior, id eſt, tepidior, vti poſtulat occaſio, quæ occaſio ſubminiſtratur, teſte Galeno in 4. de artic. com. 24. primò ab ambiente aere, qui ſi ſit calidus, irrigatio debet eſſe frigida, id eſt, tepida; ſi autem ſit frigidus, debet eſſe calida: ſecundò ſumitur ab ætate, quia ſi æger ſit puer, uel adoleſcens calidus, irrigatio debet eſſe frigida:ſi autem ſit ſenex frigidus, debet eſſe calida: tertium quod ſubminiſtrat occaſionem eſt regio, quoniam in regione calida conuenit irrigatio frigida; in frigida conuenit calida: quartum eſt temperatura, quæ ſi calida ſit, irrigationem poſcit frigidam;ſi frigida, calidam, & per frigidam intelligatis ſemper tepidam: quintum eſt conſuetudo, quoniam, ſi æger eſſet aſſuetus nudus incedere, uel eſſet piſcator, uel alia de cauſa, & ob aliud exercitium eſſet aſſuetus degere in aquis, tunc irrigatio conuenit calida, etiam ſi alia, ut ætas, temperatura & alia dicta, non conſentirent; contrà autem, ſi aſſuetus eſſet exercere ſe ad ignem, ut uitrearij, irrigatio eſt facienda frigida. Hoc modo procedetis in hac curatione, hanc normam ſeruantes, ut alternis diebus medicamentum immutetis, & ulcus goſſipio detergatis; deinde renouabitis ceratum, & medicamenta omnia, inſiſtentes in eiſdem irrigationibus: hancque regulam ſeruabitis uſque ad primum, uel ſecundum inflammationis terminum, id eſt, uſque ad ſeptimum, uel nonum diem.

Cibus.

Sed interea, dum hęc fiunt, non ſunt deſpicienda communia capita, ut ratio uictus, euacuatio, & reliqua, inter quæ primum locum tenet cibus, ac potus, qui qualis eſſe debeat, docet Hipp. in 3. de fract. tex. 12. ubi in fracturis cum uulnere uictu exquiſitiore, ac longiori tempore opus eſſe teſtatur, quam in ſimpliciori fractura. Cum itaque nos tractemus affectum ſimilem, immò magis periculoſum, ſequitur quòd eodem victu, & paulò etiam tenuiori erit vtendum. Vnde primis diebus victum inſtituetis maximè tenuem, ſolas ſorbitiones concedentes, quoniam & Celſus lib.8. cap. 30. inquit: in omnique tali morbo magnum ex longa fame præſidium eſt, ita ait, vbi per longam famem intelligit victum tenuiſſimum. quapropter ego ſoleo exhibere ſolas ſorbitiones ex hordeo, vel ex pane deraſo, ſeu trito, vel ſimiles ſorbitiones.

Potus.

De potu autem extinguatur ſitis aqua copioſa, inquit Hipp. ſed in 3. de fract. text. 39. monet, vt in exhibenda aqua obſeruemus, ne aqua obſit: nam ſi picrocholis, id eſt, ijs, in quibus abundat bilis, exhibeamus copioſam aquam, augebimus (ſi Hipp. credamus, vt certè credimus) inflammationem; vel ſi non adſit, eam accerſemus: quod ne fiat, non oportet климатbilioſis habitibus exhibere aquam puram, ſed mixtam cum aliquo,quod ſit in cauſa, vt non moretur diu in ventriculo, & inibi ferueat; ſed attrahatur citiſſimè per venas extra ventriculum, & ſi vultis ſcire, quid incommodi ſequatur ex potu aquæ puræ, & copioſæ in corporibus bile refertis, legatis Galenum in tertium de ratione victus acutorum com. 40. Itaque bilioſis non eſt danda aqua pura; alijs autem exhiberi poteſt: ſed ſit optimè decocta, nam ex tali potu refrigerabitur corpus, & tenue reddetur: pro bilioſis autem miſcendum eſt aquæ ὀξυγλύκιον ait Hipp. id eſt, dulce, & acre, hoc eſt, mel mixtum cum aceto, videlicet oxymel: nam Antiqui ſolebant parare potionem quandam ex aceto, & melle, quam vocabant ὀξυγλύκιον, hoc eſt acre dulce; & faciebant hoc modo: Accipiebant mel, & admiſcebant acetum, & faciebant ebullire donec coqueretur, deinde colabant: vel capiebant fauos mellis, & affundebant acetum, & coquebant eodem modo, colabantque, & talis potio vocabatur, vt dixi, ὀξυγλύκιον, & apomeli etiam, atque oxymel. Iſtud igitur monet Hipp. vt miſceamus cum aqua. Verum Galenus, in 3. de fract. 49. monet, vt admiſceamus oxymel illud, quod non ſit nimis acidum; alioqui læderet neruos: Et propterea, quamuis oxyſaccarum, quod habetur in officinis, atque oxymel noſtrum, ſint oportuna, tamen in calidis habitibus ego timeo ipſa, quia habent multum aceti. Vnde ego ſoleo deuenire ad ſyrupum acetoſum ſimplicem; & ſi vultis admiſceatis ſolum ſaccharum: dummodo enim aliquid admiſceatur aquæ, quod ſit in cauſa, vt non moretur in ventriculo, ſed potius citò egrediatur ex ipſo, & attrahatur à venis meſaraicis, nihil refert, an ſit ſyrupus, vel ſaccharum, vel aliud ſimile.

Aqua pura ne bileſcat.

Terminus victus tenuiſſimi.

Tempus autem, ac terminus, quouſque ſit vtendum hac viuendi ratione tenuiſſima, eſt duplex: vnus, qui præſcribitur ratione inflammationis; alter ratione febris. Si igitur in quarta non ſuperueniat febris, vtendum eſt tali victu vſque ad ſeptimam, vel ad ſummum

mum

mum vſque ad nonam, quæ eſt ſecundus terminus inflammationis: tranſacta nona vtendum eſt victu pleniori, & ita exhibebitis olera illa, de quibus ſuperius diximus, piſces ſaxatiles, & ſimilia, dummodo parum nutriant, refrigerent, & humectent; atq; aquę decoctæ tantillum vini commiſcere poteritis. Quòd ſi in quarta ſuperueniat febris (quam febrem certò ſciatis, quod erit longa, & mihi in re hac credatis,) perſeuerandum eſt, inquit Hippocrates in tali victu tenuiſſimo vſque ad quadrageſimum diem, hac ratione, ne febris figatur, & totum ardeat ægrum; vel dicatis vſque quò perdurauerit febris. Hęc ad victum pertinent.

Venæ ſectio. De euacuatione autem dico, quòd ſtatim rectè collocato membro, & impoſito medicamento, & lanis, atque reliquis peractis, quæ diximus, ſtatim, inquam, ſecanda eſt vena, lenita prius aluo cum clyſtere: ſi enim Galenus in ſimplici luxatione ſecabat venam, tanto magis eſt ſecanda in hoc caſu, vt impediatur inflammatio, & conuulſio. Quare dico, quòd licet Hippocrates & Galenus nihil dicant de venæ ſectione in luxatione hac cũ detecto oſſe; tamen ſtatim, lenita aluo, & impoſitis medicamentis ſupra vlcus, vt dixi, audacter ſecretam venam, quia & Celſus 8. lib. cap. 16. & 30. ex mente aliorũ dicit, quòd in omnibus luxationibus cum vulnere ſubitò ſecanda eſt vena, niſi copioſus ſanguis effluxerit e vulnere, inquit. Itaque ſi virtus, ætas, tempeſtas, locus, & conſuetudo conſentiant, ſecate quamprimum venam.

Purgatio. Quòd ſi indicationes ad venam ſecandam requiſitæ non adſint, vel venam eſſe ſecandam prohibeant, vtamini loco ſectionis venæ euacuatione per pharmacum Hippocratem imitantes, qui in fractura cum oſſe prominente, & nõ reſtituto exhibet ſtatim lib. 3. de fract. tex. 50. potionem veratri mollis: luxatio autem cum oſſe detecto eſt fermè eadem affectio cum fractura illa, vbi os eſt detectum, & non repoſitum; & propterea pharmaci exhibitio vtrobique conuenit. Sed non laboretis ſcire, quid ſit potio veratri mollioris, quia cum Hippocrates inibi in comm. dicat ſe ignorare, quid ſit, ego pariter ignoro; atque ob id deuenietis ad alia pharmaca, vti eſt caſſia ſimul cum confectione Hamech, electuarium roſatum, electuarium de ſucco roſarum, diaſebeſten completum, diaphenicon, & alia his ſimilia; dummodo eligatur illud, quod calidos, & acres humores euacuare ſit aptum. Ego tamen habeo vnum peculiare remedium, & eſt, quòd ſi poſſum ſecare venam, libentius hac via euacuo, quàm per exhibitum pharmacum, quia corpus minus concutitur.

De motu, & quiete, ac de aliјs rebus non naturalibus vocatis, nemini eſt dubiũ, quòd æger debet quieſcere, & quod paſſiones animi, ſomnus, & aer, omnia hæc mediocria eſſe debent: ſed Venus fugienda eſt prorſus; aluus autem reddatur lubrica alternis ſaltem diebus.

Nota. Hæc vſque ad nonam diem ſunt agenda, qua tranſacta Paulus monet, vt iterum tentemus repoſitionem præfati periculũ, quia iam elapſum eſt tempus inflammationis. Ego autem moneo ex auctoritate Hippocratis, & Celſi, vt dimittatis repoſitionem, & procedatis in curatione cum eodem medicamento vſque ad eam ſanitatem, inquit Celſus, quæ ſola poteſt haberi in hoc caſu, & ficta quaſi ſanitas eſt & imperfecta. quare tranſacta ſeptima non tentetis reſtituere; ſed conſiſtatis in eodem ænemo, vel mutabitis illud, & imponetis aliud, donec concreſcat caro; vel vnà cum Celſo imponetis ſupra os detectum plagulas ſiccas, ideſt, linamenta ſicca, deinde ſupra plagulas, & in partibus vlceri adiacentibus non eſt amplius imponendum aliquod pingue; ſed quod moderatè ſiccet, & aliquantulum reprimat. quare tranſacta ſeptima, aut nona, vel relinquetis ſupra vlcus ceratum barbarum; vel, ipſo ablato, explebitis vlcus linamentis ſiccis: & ſenſim, ac ſenſim omittetis irrigationes, atque loco ipſarum, & lanarum applicabitis partibus circunſtantibus medicamentum illud, quod vocatur diapalma; quod tamen non ſit ita purum, vt habetur; ſed ebullierit aliquantiſper in vino auſtero, & cum ebullierit, emolliatur manibus, ſeu, vt iſti dicunt, malaxetur cum vino pariter auſtero: & ſic habebitis medicamentum, quod moderatè ſiccabit, concoquet, & repellet.

Si os ſit ſquamam emiſſurum. Sed notate, quòd quando perueneritis ad ſeptimam, vel nonam diem, debetis conſiderare, & diligenter obſeruare, an os emiſſurum ſit ſquamam vllam, necne: ſi cognoueritis, quòd nihil oſſis eſt abſceſſurum, procedetis in curatione eo modo, quo dictum eſt: ſi autem os ſit emiſſurum ſquamam aliquam, eſt aliter procedendum. *Signa.* Cognoſceris autem os emiſſurum eſſe ſquamam, quia quando eſt emiſſurum, os turget. ſecundò non contraxit carnem, ideſt, habet minus carnis ſupra ipſum, ita, vt ſit minus tectum carne: tertiò labra vulneris ſunt diducta, & ad ſuperiora vergentia. quartò egreditur pus copioſum. quintò adeſt liuor, vel nigredo oſſis aliqua. Os itaque emiſſurum ſquamam turget, ait Hippocrates, videatis iam, quid ſignificet turgor apud Hippocratem, & an ſit affectio, quę

Turgere qd apud Hipp. quæ ſit in humoribus tantum calidis, vt iſti dicunt, & ſcio vos ſæpe audiuiſſe Medicos iſtos dicentes, humor turget, vel non turget, & quod ſolus humor calidus, eſt, qui turget. ſed, omiſſa auctoritate Hipp. quod etiam pituita dicatur turgere, habemus apud eundem in 3. de fract. text. 18. quòd & oſſa turgent, & Galenus, in com. inquit, quòd Hipp. per turgorẽ, vel turgentiam oſſis intelligit neſcio quid inditum parti affectæ, quo indicatur ægro naturam velle expellere, cum turgor ſit impetus, & commotio, qua agitantur humores, vel partes ad expulſionem. Sed omittamus nunc hanc rem: de ipſa namque egi diligenter, cum tractarem aliàs de medicamentis purgantibus ſimplicibus.

Quoties igitur æger dicet ſe ſentire neſcio quid turgens, quaſi quod aliquid expellendum ſit, dicatis, quod os eſt abſceſſurum: ſimiliter ſi cras, verbi gratia, reperiatis os minus tectum carne, & labia magis dilatata, atque inuerſa ad partem poſteriorem, ſignum *Iuuãtia ſquamationem.* clarum eſt, quod os emiſſurum eſt ſquamam. Et tunc ſupra os ponendum eſt aliquod cephalicum, quod iuuet ſeparationem ſquamæ: cuiuſmodi eſt puluis iridis, peucedani, ariſtolochiæ rotundæ, farina orobi, thus, & ſimilia, quæ ſiccant, & concoquunt, inſpergatis igitur púluerem ex his ſupra os, & ſuperponatis lintea ſicca explendo vlcus, vel imponatis barbarum vlceri, & poſtea addatis diapalma ſupradictum.

De luxatione cum vulnere, & oſſis, prominentia. Cap. VIIII.

ACCIDIT aliquando, vt cum oſſis luxatione adſit non modo oſſis ipſius detectio; ſed etiam prominentia. Si igitur os ſit non ſolum detectum; verum etiam promineat extra cutim, oportet ne illud reſtituere, an inibi ita ipſum relinquere, aut ſecare, ab radereue? *Conſideranda quæ, ante operationem* Reſpondeo, quòd debetis primò obſeruare, an os luxatum, & prominens poſſit reſtitui, vel ſecus: ſecundò, an multum promineat, extetque, & inuolutum ſit membranis, & an poſſit abradi, vel incidi ſine nocumento partium adiacentium, tertiò, an os extans aggrauet partes neruoſas, quibus hæret, vel illas pungat. quartò obſeruandum eſt, an os luxatum, & prominens ſit de illis oſſibus, quæ cito & facilè recedunt, ac ſeparantur, an de illorum numero, quæ difficilè, & tardè: omne enim nudatum os receſſurum eſſe conſtat, auctore Hipp. in 3. de fracturis 44. ſed aliquot ſunt, quæ cito recedunt; aliquot quæ tardè: recedunt tardè oſſa maiora, vel quæ durioris, ſolidioriſque ſunt ſubſtantiæ; citius verò ſeparantur oſſa minora, vel quę rarioris ſunt ſubſtantiæ.

Terminus oſſium receſſurorum. Sed dicetis: quis eſt terminus oſſium receſſurorum? Dico, quòd eſt incertus, nam aliquando recedunt triginta dierum ſpatio, aliquando quadraginta aliquando octuaginta.

Os quando ſit excidendũ, per quæ, quomodo. Itaque ſi videamus non poſſe reſtitui, poſſe tamen præcidi commodè, cognoſcamuſque ipſum pungere partes, & tardè eſſe receſſurum, tunc ex præcepto Hipp. in 3. de fract. tex. 46. & conſentiente Celſo lib. 8. cap. 10. ad exciſionem partis extantis ſcalpris oppoſitis, aut ſerra, aut alio inſtrumento; atque ſtatim ad illam deueniemus. Igitur ſtatim, adactis ſcalpris exciſoriis, vno ſcilicet in vna parte, altero in altera ſibi oppoſita, & adhibito malleo, os prominens auferetis, vel hoc idem ſerra, alioue organo præſtabitis. Sed dicetis videtur abſurdum os ſecare, quia detegemus medullam, quæ poſſet corrumpi, & corrupta parere multa incommoda. Hipp. in 4. de artic. tex. 35. reſpondet, quod nullum adeſt ex ſectione periculum, niſi ſtatim, aut, dum ſecatur os, accidat animi deliquium, aut quarto die continua febris: quæ tamen duo nos non debemus expectare; *Periculum ex febre, & lipothymia graue eſſe.* ſed actionem prius moliri. Et ſi contingeret, vt interea, dum fit oſſis ſectio, æger caderet in animi deliquium, immineret certè maximum, & quaſi certum vitæ periculum atque ob id debetis eſſe admodum oculati, & diligentes in collocando ægrum, ita, vt non inſpiciat actionem, nec ferramenta, aut aliud quidpiam, quod ſibi pauorem incutere poſſit; ſed habeat caput, & oculos tectos. Secundum periculum, quod imminet eſt de febre, quæ ſi quarta die poſt actionem ſuperueniat, ſolet eſſe continua, & uitam in diſcrimen ponere. Imminet quidem periculum ex defectu animi, quia in ea defectione animi abſumuntur multi ſpiritus, quam conſumptionem ſequitur conuulſio, & conuulſionem mors ipſa. Ex febre porrò ſuperueniente imminet quoque periculum vitæ, quia eſt in cauſa, vt pars affecta inflammetur, pariter vt inflammentur membranæ os ipſum veſtientes. Quare, vt hæc pro viribus veſtris euitentur, inſtituatis optimè ſex res non naturales, atque facta exciſione, medebimur eodem modo fere, quo dictum eſt

in

in oſſe detecto, collocato optimè articulo, & ſupra os ſectum ponetis, vel butyrum, vel linamenta ſicca, atque vſque ad ſeptimam, vel nonam vtemini faſcijs, & lanis eodem modo, quo ſupra eſt dictum: tranſacta autem nona, vtamini eadem penitus curatione, quam diximus conuenire in luxatione cum detecto oſſe, conuenire, inquam, poſt nonam diem.

Quòd ſi præciſionis non dabitur bona occaſio, adhibebimus eandem curationem, quam adhibendam eſſe diximus in luxatione cum oſſe detecto. Ita procedetis in magnis articulis.

Repoſitio paruorũ articulorum.

Cæterùm ſi articuli parui, vt manus, vel pedis ſint luxati, & promineant extra cutim, vel etiam articulo ipſo non prominente, ſtatim prima, aut ſecunda die ſacienda eſt repoſitio: ita enim præcipit Hippoc. in quarto de art. tex. 31. & conſentit Celſus, Paulus, & omnes: ſed cum præfatione tentanda eſt talis reſtitutio, inquit Hippoc. quia actio eſt periculoſa; aggredienda tamen eſt ſtatim prima, aut ſecunda die; tertia autem, & quarta non eſt tentanda; ſed vlterius eſt procedendum, vt prætereat ſeptima, vel nona dies ad ſummum, qua tranſacta, poterit tentari reſtitutio, niſi adſit inflammatio. Addit Hippoc. quòd ſi reſtituamus hos articulos ante decimam, ſolent benè aptari, & feliciter curatio conſueuit ſuccedere. Facta repoſitione ea ratione, qua ſuperius vos docui, imponetis vlceri, & circa articulum ceratum barbarum emollitum, ita ego ſoleo ſemper facere; aut imponetis aliud ænemon irrigandum, aut aliquod ex illis medicamentis, quæ cephalica, & καταγμάτικα vocant, quia in fracturis capitis conueniant, de quibus diffusè egit Galenus in ſecundo de compoſit. medic. per genera, cap. 16. 17. 18. 19. & 20. in quibus capitibus reperietis primò methodicam explicationem medicamentorum chatagmaticorum, deinde enumerationem, & compoſitionem multorum medicamentorum, quæ partim à Galeno tradita ſunt ex mente propria; partim ex ſententia aliorum. Impoſito barbato, vel alio medicamento, obuoluendus eſt articulus faſcijs, ſeruata eadem obuoluendi ratione, & eodem numero faſciarum, atque adhibitis iiſdem ſplenijs, & lotionibus cum vino auſtero, aut oenelæo, ſi hyems ſit; quæ diximus conuenire in ſimplici luxatione: nam poſt reſtitutionem, & impoſitionem barbari eadem eſt penitus curatio, hoc excepto, quòd in hac luxatione cum vulnere articulus eſt laxius vinciendus, quam fieret in luxatione ſimplici, & frequentius ſimiliter in hoc caſu detegendus eſt locus, vt ſaltem tertia quaque die iſtud fiat; non autem vlterius protrahenda eſt detectio, propter ſaniem, quæ retinetetur: in ſimplici autem luxatione poteramus, ſi eſtis memores, protrahere detectionem vſque ad quintam diem; in hoc verò caſu detegenda eſt pars, vt dixi, ſaltem de tertio in tertium, affundendaque eſt aqua, ac reliqua agenda vſque ad ſanationem, quæ agebamus in luxatione ſimplici.

Catagmatica, ſeu Cephalica.

Quid differat hæc curatio à curõne ſimplicis luxationis.

De luxatione cum conuulſione. *Cap. X.*

LVXATIONI ſuperuenit interdum conuulſio, in qua hærent ſæpenumero Medici, & torquentur, ita tamen tractanda eſt: os reſtitutum ſua de ſede dimouendum eſt, ita, vt fiat iterum luxatio, vt præcipit Hippoc. in quarto de artic. tex. 32. quo facto, opus eſt habere paratam copioſam aquam, vel aquam cum oleo mixtam, & optimè, ac diu abluendus eſt articulus, ita, vt multa aqua, ac ſæpè foueatur: nec ſat eſt hoc feciſſe, ſed monet Hipp. vt calefaciamus vniuerſum corpus, ita, vt incipiat ſudare; & quãtũ poſſibile eſt, calefacere etiam oportet articulos omnes, quoniam conſenſum habent cum articulo affecto. & ſi vos vultis eſſe cautiores, diligentioresque, inungatis principia neruorum cum aliquo, quod ſummè calefaciat, cuiuſmodi eſt medicamentum illud Meſue, quod balſamum vocatur: vel, illo deficiente, inungatis cum oleo abietino, vel de terebinthina, vel oleo de euphorbio, vel oleo liliorum completo, quod vocatur cum aromatibus: vel vtamini oleo irino completo, ideſt, cum aromatibus, vel alio ſimili, quo inungetis totam ſpinam, & dorſum ab occipite vſque ad extremam caudam: inungatis etiam axillas, & inguina: & hoc modo ſcilicet inungendo, & calefaciendo totum corpus, & articulum affectum; atque ipſum pariter diu fouendo ſuperabitis conuulſionem: Qua remota, agetis ea omnia, quæ dicta ſunt conuenire in luxatione articuli magni cum detecto oſſe, vel cum oſſe prominente non reſtituto.

Calefactio, et Fotus articuli, & totius corporis ad ſudorem vſque.

Oleã, & partes inungendæ.

De luxatione cum oſſe detecto, & inflammatione. Cap. XI.

Quod nō debeat eſſe terrori.

LVXATIONI articulorum paruorū cum oſſe detecto, & iam facta repoſitione, ſuperuenit quandoque inflammatio, quæ cum ſuperuenit, non debet Medicus deterreri, inquit Hippoc. quoniam recedet os, & aliud non erit, quòd ſequatur incommodū, nōn eſt ob id relinquendus articulus ſine remedijs; ſed oportet ſæpè locum detegere, aquā affundere, & applicare vlceri medicamentū aut cephalicum, aut ænemon: in cuius vſu conſiſtendum eſt tam diu, donec os recedat: atque interim inſtituatur recta victus ratio, expurgetur corpus, & habeatur diligentiſſima ratio omnium aliarum rerum non naturalium: ita enim agentes, non erit vobis timendum de inflammatione. Circa locum autem affectum ea agere debetis, quæ præcepi in inflammatione ſuborta poſt luxationem ſimplicem; ſeruato tamen medicamento eodem ſupra vlcus tantum, etiam quòd expectemus receſſurum os.

Agenda.

De luxatione cum gangræna. Cap. XII.

Quib. luxationibus ſuperueniat.

NON ſolum conuulſio, & inflammatio; ſed etiam gangræna ſolet ſæpè luxationi ſuperuenire, luxationi, inquam, cum vlcere coniunctæ, atque illi, quæ eſt ſine vulnere, quemadmodum etiā luxationi, in qua os eſt duntaxat detectum, nec non illi, in qua os prominet. Omnibus namque his luxationibus contingit, vt coniungantur cum gangræna.

Cauſæ gangrænæ.

Cuius cauſa varia eſt, ac multiplex, vt dicit Hippoc. in quarto de artic. tex. 35. vbi habetur, quòd gangræna ſolet luxationi ſuperuenire propter copiam ſanguinis fluxi ad articulum, atque inibi concreti, extra ſcilicet vaſa, vbi putreſcens partes corrumpit: vel propter deligationes nimis ſtrictas, vt ſolet accidere in fracturis oſſium; & ego aliàs vidi gangrænam ex huiuſmodi cauſa ortam, ſicuti etiam interdum genitam ex impoſitione illius defenſiui Recentiorum, quod conſtat ex bolo Armeno, ſanguine draconis, & aceto. his de cauſis ſolet gangręna luxationi ſuperuenire. Addatis vos ingentem inflammationem, quæ excitata ſit ratione doloris facti, vel ob tentatam reſtitutionem, vel ob ingentem contuſionem: ex ſummo namque dolore orto propter difficilem reſtaurationem tentatam fit magna humorum attractio, quam attractionem ſequitur inflammatio, & inflammationem ſequitur gangræna: quæ etiam naſci ſolet, vt dixi, ex contuſionibus, & denigrationibus magnis in articulo exiſtentibus.

Quæ totum corpus reſpiciunt.

Si itaque facta, vel non facta luxati oſſis repoſitione appareat, vel incipiat fieri gangræna, quid agendum? Dico, quòd debetis reuocare ad memoriam curationem gangrænæ, & ſphaceli a me aliàs traditam, quando egi de tumoribus præternaturam, quæ curatio conſiſtebat in his, quòd primò inſtituenda eſt recta victus ratio, quæ ſiccet, ac reſiſtat putredini.

Secundò, lenita aluo, ſecanda eſt vena; vel, ſi vena ſecari non poſſit, exhibebitis pharmacum, quod habeat facultatem educendi humores feruentes, qualis eſt confectio Hamech.

Tertiò inſtituenda ſunt reliqua omnia, quæ totum corpus alterant, atque reliquas res non naturales reſpiciunt.

Quæ partē affectam, q̄que gangrænā inhibent.

His peractis, deueniendum eſt ad locum affectum, in quo ſi videritis gangrænam incipientem, vel incipientem ſphacelum debetis primò ſcarificare totam illam partem, quæ incipit corrumpi, & mori, & ſcarificationes ſint ſatis profundæ: Factis ſcarificationibus abluatis optimè locum cum aliquo decocto, quod habeat magnam vim ſiccādi & reſiſtendi putredini, vti eſt decoctum lupinorum, lolij, & orobi: quibus decoctionibus poteritis commiſcere ægyptiacum, vel ſalem, vel acetum: Poſt ablutionem verò imponatis aliquod medicamentum robuſtum, cuiuſmodi ſunt trochiſci illi, de quibus mentionem fecimus aliàs in curatione herpetis, vel imponatis emplaſtrum factum ex oxymelite, farina orobi, lupinorum, & lolij; vel deueniatis ad cauſticum medicamentum: ſciatis tamen, quòd cauſticum in principio non eſt tutum.

Quòd

Si corruptæ iam partes, Recentiorũ curatio.

Quòd ſi non poſſitis impedire gangrænam, ſed iam emortuæ ſint carnes, & quicquid infra articulum exiſtit. Recentiores, & qui ſcripſit librum introductorium inſcriptum, cap. 19. quem librum non credatis eſſe Galeni, vt quidam falsò dicunt: iſti itaque dicunt, amputandam eſſe totam partem corruptam, & obſeruandum eſſe confinium, ſeu terminum ſani, & corrupti, & in eo confinio dicunt membrum eſſe incidendum; in parte tamen potius ſana inter laqueum, & laqueum, eo modo, quo vos docui in curatione gangrænæ, & ſphaceli: Facta amputatione, dicunt, partem membri, quæ relicta eſt, eſſe ferro ignito inurendam, & poſt exuſtionem imponendum eſſe ſuccum porri, vel chalcanthum exuſtum, vel aliud ſimile, quod ſanguinem ſiſtere valeat: inſtrumentum autem, quo membrum corruptum reſecant, eſt ſerra ipſam hæc facienda ſunt iuxta ſententiam Recentiorum atque introductorii.

Curatio Hippoc. melior.

Sed longè melius Hippoc. rem hanc nouit, & præſtantiorem curationem docet, qui monet, vt nouacula auferamus carnes corruptas; ea tamen ratione, vt ſemper caueamus à partibus ſanis, ac viuis, aliter excitaretur maximus dolor, qui eſſet in cauſa magni defectus animi, & tantæ ſpirituum reſolutionis, quòd ſuccederet mors, quæ vt euitetur, ſemper eſt relinquendum aliquid partis corruptæ in parte ſana potius quam è contra.

Quomodo totum mẽbr. amputandũ.

At ſi totum membrum eſſet amputandum, ſectio non eſt facienda in medio ſtremodio; ſed in articulo tantum, vt, ſi luxatio eſſet in genu, & corruptum eſſet totum crus infra genu, & aliqua portio ſupra genu: Hippoc. vult, vt ſectio fiat circa articulum genu, hac ratione, vt cita fiat actio, & pars emortua citò ſecari poſſit, relictis oſſibus ipſis, vt per ſe poſtea recedant: Si autem ſectio fieret ſupra genu, oporteret etiam ſecare os, quòd non poſſet fieri; niſi longo tempore: quo fiet, vt ex longa, & violenta actione deficiant ſpiritus ipſi miſero ægro: atque ob id ſectio eſt ſemper facienda in articulo.

Et ſi quid partis corruptæ remanſerit cum ſano, Hippoc. non meminit deuſtione in ea corrupta parte relicta facienda; ſed præcipit imponenda eſſe medicamenta, quæ auferunt putredinem, & valdè ſiccant: ita enim partes illæ corruptæ, & mortuæ per ſe concident, & os ipſum recedet, atque interim vlceris purgationi, atque ſanationi erit incumbendum. His factis, Hippoc. ponit magnam ſpem in optima collocatione, & ſitu membri derelicti, quæ collocatio debet, vt inquit ipſe, eſſe talis, vt extrema pars attollatur aliquantulum, & ſit elatior, ne fiat fluxio humorum ad partem illam, vt ſolet fieri copioſiſſima in præciſis partibus: hac de cauſa debet pars reſecta eſſe elatior, quam ſuperior: Atque in tali ſitu ſeruanda eſt, donec illud, quòd eſt corruptum, recedat, & fiat bona caro; & tunc extrema illa pars membri derelicti debet collocari non amplius elatior; ſed decliuior: Et circa locum imponeris ea, quibus vtebamini ſuprà, quando expectabamus os receſſurum.

Sed notate vnum magni momenti ex Galen. auctoritate, & eſt, quòd quando quis eſt paſſus huiuſmodi morbum, & ſibi amputatus eſt artus aliquis, ſolet cadere in ſymptomata, morbóſque pernitioſos, & valde periculoſos.

Morbi & ſymptomata mutilatorũ.

Et primum, quod ſolet his miſeris hominibus accidere poſt ſanationem, eſt eruptio ſanguinis per varias partes, vt aliquando per inteſtina, aliquando per hæmorrhoidas, aliquando per nares, aliquando per arteriam aſperam: Alterum quòd ipſis ſolet accidere eſt peripneumonia: Tertium eſt pleuritis: Quartum eſt cholera vocata: Quorum omnium cauſam affert Galenus dicens, quòd hepar gignit ſanguinem pro ſingulis corporis partibus, vt & antè reſectionem membri ſolebat: ſed cum vnus deficiat artus, non poteſt ſanguinis pars illa, quæ pro illo artu gignitur, abſumi: hinc fit, vt coaceruetur in corpore, & pariat poſtea illa, quæ retulimus.

Quomodo iis occurrendum ſit.

Quo circa moneatis hominem, cui præciſus eſt artus, vt impoſterum minus comedat, quàm conſueuiſſet; vtaturque ſæpè euacuationibus per pharmacum; idque faciat per aliquot ſaltem annos, donec hepar contrahat talem diſpoſitionem, vt non tantum ſanguinis generet: euacuetur etiam per ſectam venam, præſertim verè: exerceat ſe validiſſimè: vtatur frictionibus robuſtis, & copioſis: lauetur antè cibum ſæpè; poſt cibum verò nunquam: & aliquando vtatur pro balneo aquis vim digerendi habentibus, vti eſt ſalſa, nitroſa, ſulphurea, & ſimiles, in quibus contulerit, vt interdum natet, & immergatur.

De luxatione cum poro oſſeo ligante articulum. Cap. XIII.

Quomodo fiat callus.

IN luxationibus ſolet aliquando callus, quem porum Græci vocant, ſuperuenire, poſtquam reſtitutæ ſunt, veterum malè poſt reſtitutionem tractatæ, ita, vt callus liget articulum, & motu proprio ipſum priuet, ita, vt aliquando melius eſſet, ſi non reſtitutus fuiſſet articulus: quorſum enim reſtitutio illa, ſi articulus ligatus eſt, & omni motu priuatus? Ne igitur id accidat, vt accidere ſæpe ſolet his nebulonibus reſtauratoribus, quod poſtea maximè exagitat doctos Medicos; eſtote, quæſo, iuuenes amantiſſimi, admodum oculati, & vigiles, & nunquam permittatis ineptos hos reſtauratores violenter nimis articulum tractare, aut antè, aut poſt repoſitionem; neque ſinatis, vt ſua quædam robuſtiſſima applicent medicamenta, quæ articulum ligare ſint apta: & ſi caſu iam oborſus fuiſſet callus, ſtudeatis, vt auferatur omnino. Callus iſte eſt duum generum: nam aliquando in articulis tam reſtitutis, quàm non reſtitutis concreſcit ita durus, vt videatur lapis, vel os duriſſimum; & hic erit vnus callus, duriſſimus videlicet. Alter verò eſt, qui in eiſdem articulis reſtitutis, aut non reſtitutis ſolet concreſcere, ſed non ita durus, vt prior, atque impedit repoſitionem, ſi non ſit facta; ſi verò ſit facta, impedit motum articuli. Vterque autem iſte callus ſolet, vt dixi, concreſcere in omnibus articulis, ſiue reſtituti fuerint, ſiue non; ſed præcipuè, & frequentiſſime ſolet concreſcere in articulo cubiti, teſte Hipp. in 3. de fract. text. 63. Atque ob id quoties ſcieritis amicum aliquem veſtrum pati luxationem articuli cubiti, vltrò ingeratis vos ipſos ad illum, etiam ſi non aduocaremini, vt ipſum commone faciatis de periculo imminente. Nam ex centum (& notate hæc verba) qui patiuntur luxationem articuli cubiti, vix vnus, aut alter euadit liber à callo, vt habemus ab Hipp. loco præcitato. Alij quoque articuli ſolent pati callum, vt genu, pes, & ſimiles, ſed nullus ligatur facilius, quam cubitus. Atticulus autem humeri, & fęmoris patiuntur quidem & ipſi callum hunc; rarius tamen, quia ſunt carne multa obducti.

Callus eſt duplex.

Vbi præcipuè callus cõcreſcat.

Proponatur igitur nobis articulus ligatus iſto poro, quid erit agendum? Dico, quòd primo cognoſcere debetis, qualis ſit callus, an ſcilicet ille antiquatus, & lapidoſus; an verò alter, qui non ita durus eſt. Iſtud autem cognoſcetis per propria ſigna vtriuſque, & primum ſignum colli inueterati, & petroſi eſt extenuatio, & gracilitas articuli, ita, vt ſicciſſimus appareat. Vnde quoties videritis atticulum tenuiorem factum, ac ſicciorem, quam pro naturali habitu deberet eſſe, colligetis, quòd contraxit callum, & quidem valde durum, ſi præſertim cum ſiccatione, & gracilitate erit coniuncta totalis priuatio motus, ita, vt non ſolum deſit motus voluntarius, adeo, quòd æger non poſsit articulum mouere; ſed etiam ſi apponatis manum vtramque genu (exempli cauſa) ne tantillum quidem poſsitis articulum mouere: cum hæc videritis, dicatis quòd articulus eſt ligatus callo lapidoſo. Aliud ſignum eſt diuturnitas affectus, id eſt, ligationis, gracilitatis, & ſiccationis, nam ſi ſcieritis quod atticulus iam duos; aut tres annos ſuit ita gracilis, ita exiccatus, ſuoque motu omnino priuatus, non eſt dubitandum, ſtante eadem motus priuatione, gracilitate, & exiccatione, quod callus ſit lapidoſus.

Signa calli petroſi.

His ſignis addatis & iſtud, & eſt, quòd ſi ſcieritis reſtauratorem applicaſſe medicamenta, quæ ſtipant, refrigerant, & ſiccant præter modum, cuiuſmodi eſt medicamentum illud ex bolo Armeno, albo oui, & aceto: vel applicaſſe ea, quæ ſtrenuè calefaciunt, & ſiccant, indicium eſt callum eſſe inueteratum, & petroſum. hæc ſunt ſigna pori lapidei.

Signa calli minus duri.

Signa autem alterius minus duri, minimeque inueterati ſunt hæc: primum accipitur à nouitate morbi, vt ſi non multum temporis elapſum ſit, quòd facta fuit reſtauratio, indicatur, quod callus non poteſt eſſe lapidoſus, quia ad hoc, vt fiat petroſus, requiritur longum tempus. Alterum ſignum eſt, aliquot reliquiæ motus, qui motus, quamuis non ſit voluntarius, tamen à Medico, correptis internodijs, fieri manifeſtè poſsit, vt ſi appoſitis manibus genu ſentietis aliquam motationem, dicatis, quòd callus non eſt lapidoſus, etiam ſi æger non poſſet genu voluntarie mouere. His addatis, quòd in loco aderit tumor, quamuis non adſit voluntarius motus, at tumor non erit oſſeus; ſed erit maior, quam pro ratione articuli requiratur, qui tamen totus tofaccus non ſit. Quartum ſignum eſt: ſi æger dicat, quod reſtaurator applicauit opportuna medicamenta, vt

ta, vt primò adhibuit lenientia, deinde ænema, & quòd vſus eſt opportunis lotionibus, ac deligationibus rite factis; dicatis, cum hæc noueritis, quòd callus non eſt oſſeus.

Callus petroſus curari nõ debet contra Celſ.

Itaque ſi callus fuerit lapidoſus, quid agendum? Dico, quòd nihil debetis agere, ſed relinquere cum benedictione Domini, quõniam nulla adeſt ſpes ſalutis, niſi vna pericu-loſiſſima, quam ego numquam tentaui, nec vllo modo tentarem, quamuis Celſus il-lam proponat, & eſt talis: Vult, vt duobus locis, ſi excarnis fuerit articulus, aperiamus cutim, & detecto articulo cum ſcalpris rumpamus callum, auferamuſque, deinde vult, vt expleamus vulnus carne, & obducamus cicatrice. Sed ego iudico Celſum in hoc fuiſſe nimis audacem, neque enim poſſum vlla ratione probare hanc curationem: atque ob id numquam ipſam tentaui, vt dixi, nec tentarem vnquam, quia, præter quam quòd eſt nimis violenta, credo etiam, quòd ſit impoſſibilis: Exiſtimo etenim, quòd quamuis re-moueretur callus ille eo modo, quo dictum eſt ex præcepto Celſi; tamen poſt calli ab-lationem immobilis adhuc remaneret articulus, quia eſſet præter modum refrigeratus. Præterea puto, quòd non poſſemus explere vlcus illud. Quare ſi ligatus ſit articulus callo duriſſimo, nihil vnquam agatis, quia in vanum laboraueritis.

Calli mollioris curatio.

Quòd ſi callus eſſet mollior, tunc curatio eſt ſuſcipienda, quia licet talis callus impe-diat motum; eſt tamen ſuperabilis. Primum itaque, quod nobis eſt agendum in curatio-ne talis calli, eſt euacuatio totius corporis, præmiſſa inſtitutione rationis victus: quo fa-cto, lenienda eſt aluus, & ſecanda vena, ſi adſit plenitudo: quòd ſi non adſint indicatio-nes deſecanda vena, præparabitis humores, ac vias, & deinde exhibebitis pharmacum, & ex arte inſtituetis alias ſex res non naturales. Quo facto, veniendum eſt ad locum aſ-fectum, vt tentemus remotionem calli, quo remoto reſtituetis articulum, ſi non fuerit reſtitutus, vel, ſi ſit in ſua ſede, ſtudebitis, vt adipiſcatur proprium motum: In remotio ne autem calli mixta, atque duplex eſt indicatio, nempe emollitio, ac diſcuſſio; ſed prius incumbendum eſt emollitioni, laxationique, deinde diſcuſſioni: niſi enim materia illa dura, atque calloſa laxetur, molliaturque prius, numquam poterit in halitum verti, ac digeri: Et propterea incumbendum eſt primo emollitioni, quam tentabitis medicamen

Emollitio p affuſionẽ olei dulcis.

to aliquo liquido, quo irrigetis, ac foueatis articulum: Medicamentum autem hoc liqui dum multiplex eſt: Ego tamen proponam vobis tria tantum: duo quidem compoſita, & vnum ſimpliciſſimũ, quamuis plura alia poſſem proponere; Simpliciſſimum eſt oleum, quod debet eſſe dulce, maximeque maturum, ita, vt nihil adſtrictionis habeat: & hoc oleo vtemini affundendo ipſum bis in die matutina, & veſpertina hora ſupra articulum: vel ſeruet æger articulum ipſum immerſum in oleo ipſo bis in die per horam integram ad ſummum pro ſingula vice: vel ſi nolitis vti oleo, præparabitis medicamenta compo-ſita: quorum vnum erit hoc.

Fotus humidus & vaporoſus.

℞. Caput vnum veruecis pinguioris.
Foliorum { Maluarum, Atriplicis }
Radicum { Altheæ, Maluarum } añ. M. iij.
Seminum { Fænugræci, Lini, Altheæ } añ. ℥. ij.
Nucleorum pineorum, ℥. iij.
Aquæ multam quantitatem.

Miſce, & bulliant ad integram coctionem capitis, deinde coletur decoctum, & ipſo calido foueatur articulus; vel foueatur vapore ipſius decocti, faciendo, vt vapor, qui ef-fertur, petat articulum ipſnm, idque facietis bis in die, mane & veſperi: Vel vtami hoc altero decocto compoſito, quod parabitis hoc pacto.

Alius.

℞. Radicum { Altheæ, Maluarum } añ. m. iij.
Seminum { Lini, Fænugræci }
Nucleorum pineorum } añ. ℥. ij.
Radicum { Cucumeris aſinini, Bryoniæ } añ. ℥. j. s.
Aquæ communis. q. ſ.

Miſce, & bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, deinde coletur, & addatur aliqua quantitas olei cõmunis, vel amygdalarũ dulcium; & hoc decocto vtamini eodẽ modo, quo dictũ eſt de altero. Itaque cũ aliquo dictorũ medicamẽtorũ tentabitis emollitionẽ,

Frictio, quæ fit manibus inunctis.

& facto balneo, vel fomentatione, vel ſuffitu, abſtergetis membrum, ſiccabitisque, & fricabitis moderatiſſimè (ſed diu) tumorem manibus inunctis, vt materia attenuetur, & digeratur aliqualiter: Frictiones autem non ſunt faciendæ panno; ſed manibus, vt dixi, quoniam debent eſſe molles, & lenes, ita, vt non multum comprimatur artus ex manu; debetque manus eſſe inuncta medicamento, quod iam iam dicam. Sunt autem frictiones hæ faciendæ ſingula vice poſt fotum per tertiam, vel quartam partem horæ ad minus, manibus, vt dixi, inunctis medicamento iſto:

℞. Olei amygdalarum dulcium }
Pinguedinis anſeris recentis } añ. ℥. s.
Salis albi }
Salis nitri } añ. ʒ. j.

Miſcentur, & ducuntur optimè in mortario per dimidiam horam, & hoc inungantur manus, quibus faciendæ ſunt moderatæ frictiones.

Emollientia ſimul & Diſcutientia.

Quibus factis imponendum eſt articulo aliquod ex ijs medicamentis, quæ diximus applicanda eſſe articulo luxato in fine inflammationis, vti eſt malagma, vel aliud, quod habeat vim partim emolliendi, partim diſcutiendi, ac trahendi ex alto, quale eſt malagma Nili, & malagma Nilei: vel vtamini oxycroceo illo: Sed cum his miſceatis mucilaginem althææ, & fænugræci, vel pinguedinem anſeris recentem, vel gallinaceam, vel etiam humanam, dummodo recens ſit. Hæc autem ſunt cum malagmatibus, vel cum oxycroceo miſcenda, vt validiſſimè laxent, & emolliant: Vel loco iſtorum vtamini aliquo, quo obuoluatis totum articulum, cuiuſmodi eſt hoc:

Linimentũ.

℞. Mucilaginis { Altheæ, Fænugræci, Seminum lini } añ. ℥. j.
Pinguedinis { Anſerinæ recentis, Gallinaceæ recentis } añ. ℥. s.
Olei amygdalarum dulcium
Olei reſolutiui }
Ammoniaci præparati } añ. ʒ. j.
Styracis pinguioris }
Ceræ citrinæ. q. ſ.

Oleum reſolutiuũ quod nam.

Miſce, & coque ad conſiſtentiam linimenti, quod extendatur ſupra linteum, & linteum obuoluatur articulo. Et notate, quòd per oleum reſolutiuum intelligo illud, quod fit ex oleo vetuſtiſſimo, radice bryoniæ, ariſtolochiæ, & altheæ. Cum tribus, aut quatuor diebus vſi eritis his laxantibus, & emollientibus, deuenietis ad diſcutientia: quibus pariter cum vſi fueritis totidem diebus, reuertemini ad emollientia, & laxantia; poſtea rurſus ad diſcutientia: nam hoc modo procedendum eſt à principio vſque ad ſuperationem calli: hoc animaduertentes, quòd, cum vlterius proceditis, ſemper vti debetis medicamentis, quæ validius diſcutiant; in principio autem inchoandum eſt à mitioribus.

Quomodo per vices emollient. attenuant. & diſcutientibus vtendũ, & quamdiu tàm his, quã illis immorandum.

Suffitus Galeni.

Itaque poſt primam emollitionem factam medicamentis prędictis poſt tres, aut quatuor dies, vtendum eſt ſuffitu ex aceto inſperſo ſupra lapidem pyritidem, vel molarem, vel alium, qui ſulphur ſapiat, vtendum, inquam, per totidẽ dies, tres, vel quatuor: & hoc medicamentum eſt Gal. in 14. meth. cap. 5. vbi etiam monet, quòd ſi non habeamus lapidem pyritim (marcheſita vulgo dictum) accipiamus lapidem molarem: & eodẽ modo vtamini, affundendo ſcilicet acetum ſupra ipſum ignitum, & faciendo, vt vapor, qui effertur, petat articulum: Verum in aceto ponatis portiunculam ammoniaci, vt non ſolum attenuet, & diſſecet; ſed etiam emolliat. Vult autem Gal. vt, deficiente lapide pyritide, accipiamus lapidem molarem, ideſt, illum, ex quo conficiuntur molæ, quia eius ſcopus eſt, vt lapis habeat vim ſulphuream, & per conſequens emollientẽ, & attenuantem, quæ facultas eſt tùm in pyritide, tùm in molari lapide. Præterea accipit lapidem hunc vel illum, quia non facilè vertuntur in calcem igniti, & madefacti; nec facilè diſſoluuntur, quod non accidit de alijs lapidibus. Vnde legetis de Hannibale Carthaginenſi, quòd diſrumpebat ſaxa adacto igne, & affuſo aceto, & hoc modo parauit ſibi iter ad hoſtes. Suffito articulo hoc modo per quartam partem horæ, vel per dimidiam horã, imponendũ eſt aliquid, quod attenuet, & digerat. Vnde ego hac prima vice ſoleo applicare emplaſtrum factũ ex furfurib. & puro oxymelite: coquo hæc ſimul, &, facto emplaſtro, applico articulo prius inuncto oleo reſolutiuo, & renouo iſtud emplaſtrũ ſemper poſt factum ſuffitũ, & in hoc ſuffitu, quo vtor bis in die, atque in emplaſtro perſiſto per duos, vel tres dies: poſtea reuertor ad eadẽ emollientia per tres, vel quatuor dies, vt ad perfuſionẽ, vel ad balneum, vel ſuffitum; & ad frictionẽ, atque ad alia emollientia ſupra dicta;

Emplaſtrũ auctoris attenuãs, & digerens.

deinde

Digitized by Google

deinde iterum per totidẽ dies redeo ad diſcutiẽtia, & vtor eodem ſuffitu; poſtea accipio ammoniacum præparatum, & parum ſtyraeis pinguioris, & miſceo cum aceto, & facio platiſma; idest, dilato medicamentum veluti in laminam, & circumpono ipſi articulo; vel vtor ipſo extenſo ſupra linteum: atque in his conſiſto tribus, vel quatuor diebus: tertia viee redeo ad emollientia, quibus pariter vtor totidem diebus: vltimo venio ad illa, quæ validiſſimè diſcutiunt; vtor tamen eodem ſuffitu bis in die; ſed poſt ſuffitum applico emplaſtrum, quod validiſſimè diſcutit, & fit hoc modo. *Platiſma.*

℞. Caricarum pinguium lib. j.
Stercoris columbini lib. s.
Oxymellis ſimp. q.ſ. *Emplaſtrũ Auctoris validiſſ.*

Miſce optimè, & tere in mortario, & facto emplaſtro, applicetur calidum articulo poſt ſuffitum: Vel loco iſtius vtamini medicamento Galeni, præſtantiſſimo tradito ab ipſo in 10. de compoſit. medic. per genera, & recipit caſeum caprinum vetuſtum, quem coquimus in iure pernæ ſalitæ: & ſi deſit caprinus caſeus, accipiatis ouinum, vel vaccinum, vel alterius, generis, dummodo ſit vetuſtus: recipit etiam caricas, & oxymel, & fit emplaſtrum hoc modo.

℞. Caricarum pinguium.
Caſei vetuſtiſſimi macerati in iure pernæ ſalitæ } an̄. lib. s. *Aliud Galeni.*
Oxymellis ſimplicis. q. ſ.

Miſ. & fiat emplaſtrum. ſ. a. & applicetur calidum. Poſſumus etiam addere cum vtilitate pinguedinem ſtillantem ex oſſe pernæ ſalitæ, vel ex perna ipſa, dum coquitur ſupra craticulam, & erit emplaſtrum validius? Atque in his medicamentis inſiſteris per tres, quatuorue dies: poſtea ſi aliquid calloſæ ſubſtantiæ remanebit, redeatis iterum ad emollientia; deinde ad validè diſcutientia.

Cæterùm aliquando accidit vt callus his non cedat, & tunc cogimur deuenire ad anchoram ſactam, videlicet ad lutum balneorum metallicorũ; non credaris tamen, quòd omnium balneorum thermalium lutum ſit bonum in hoc caſu; ſed illud mihi probatur, quod habetur in balneo Montis ferrati: ibi enim eſt balneũ de Aquis vocatum à nomine Ciuitatis, propè quam eſt, in quo balneo eſt lutum, quòd habet vim emolliendi. In hoc etiam agro Patauino lutum habemus opportunum, vti in balneo propè ædem S. Petri, quòd lutum optimum eſt; ſed longè præſtantius luto Aquenſi, & luto S. Petri eſt lutum exiſtens in balneo S. Bartholomei in hoc pariter agro Patauino, de quo luto vidi ego ſæpe veluti miracula, & ideo deueniatis ad vſum ipſius, & ſi non diſſipet callum, dicatis illum eſſe immedicabilem. *Luta emollientia.*

Sed notate, quòd interim dum vtimini his medicamentis propoſitis tum emollientibus, tum diſcutientibus, debet æger motare articulum aliqua etiam violentia, dummodo motatio non ſit doloroſa, vt, ſi quid ex calloſa ſubſtantia ope medicamentorũ fuerit eliquatum, illud illidatur ad partes externas, & laterales, inibique diſcutiatur. *Articulum identidẽ mouendum.*

Superato callo, ſi articulus fuerit reſtitutus, per ſe ſanabitur: ſi verò ſit extra propriam ſedem, reponendus eſt, & adhibenda poſtea eſt ea curandi ratio, quam ſupra tradidimus.

De luxatione recidiuante. *Cap. XIIII.*

ACCIDIT articulis, vt cum luxati fuerint, ac reſtituti iterum cadant de ſua ſede, atque iterum, & minimè poſſint in ſuo loco contineri, ſed ex leui quocunque motu iterum prolabantur, fiantque recidiuæ, & quaſi ſpontaneæ luxationes, quæ difficiles admodum eſſe conſueuerunt: & difficultas non eſt in ipſa repoſitione, ſed in conſeruatione articuli in propria ſede poſt factam reſtitutionem vel ab ægro ipſo (nam & ægri ſolent ſibi ipſis luxata oſſa reponere) vel à docto, ac exercitato medico.

Cauſa harum luxationum, quæ recidiuantes, & quaſi ſpõtaneę vocantur, multiplex eſſe ſolet: nam aliquando cauſa eſt violenta aliqua luxatio, quę præceſſit, eò, quod reliquerit ligamenta relaxata, ac debilitata ita, vt ſponte quodã modo os ſua de ſede labatur: quod tunc præcipue accidere ſolet, quando non fuit adhibita euratio conueniens prioris luxationis, vt, exempli gratia, quãdo humerus ex violentia aliqua luxatus eſt, deinde reſtitutus; ſed nõ benè ſiccatus, & confirmatus articulus in ſua ſede per medicamenta opportuna, & per faſcias, tunc ſolet cubitus iterum luxari, propter laxitatem, ac imbecillitatem in ligamentis relictam; & hæc luxatio ferè ſpontanea à violenta *Cauſa. 1.*

luxatione, quæ præceſſerit, oborta, ſolet accidere omnibus articulis, præcipuè cubito.

Secunda. Altera cauſa luxationis recidiuantis eſt humor receptus in articulo, & humectans ligamenta, & chordas ipſius, cuius luxationis à tali cauſa ortæ habetis exemplum ab Hippoc. in 6. aphor. 59. & 60. vbi habetur, quòd quoties ſuperuenit dolor coxendicus, fluentibus ratione doloris ad articulum illum humoribus, fit, vt ligamenta humectentur, laxentur, & effæminentur, quo ſequitur, vt articulus, etiam ſi non præceſſerit violentia aliqua, cadat per ſe, ac ſponte ex propria ſede; & quamuis reponatur, tamen ob effæminationem illorum ligamentorum iterum concidit.

Tertia. Tertia cauſa luxationis recidiuantis eſt inflammatio, aliusve tumor longus, & diuturnus obortus circa articulum, & malè curatus. Quare tres erunt cauſæ luxationis recidiuantis, prima quarum eſt præcedens luxatio aliqua violenta, ſecunda eſt effæminatio ligamentorum, tertia tumor præternaturam: at effæminatio eſt cauſa potiſſima, quia ipſa preſente ſolet articulus ex loco proprio labi, licet non præceſſerit violenta luxatio, nec adſit tumor aliquis circa articulum.

Curatio. In his autem omnibus luxationibus recidiuantib. vnica proponitur curatio ab Hipp. tum de humero, tùm de fæmore: de humero quidem in primo de artic. à tex. 41. vſque ad 48. & vltrà; de coxa verò, ſeu de articulo fæmoris in ſexto aphor. 60. & curatio eſt per vſtionem: poſſetis quidem tentare curationem per medicamenta ſiccantia, & roborantia, vt ligamenta illa redderentur ſicca, ac robuſta; tamen ſciatis, quòd quando articulus patitur recidiuam, & illam frequentem, vera curatio eſt, quæ proponitur ab Hippoc. per vſtionem, quæ quamuis acerba ſit, & videatur violenta; tuta tamen eſt admodum. *Indicationes* Itaque purgato corpore, ſecta vena, & inſtitutis optimè reliquis, quæ ad capita vniuerſalia attinent, deueniendum eſt ad locum affectum, in quo adminiſtranda eſt vſtio, qua vtimur, præcognita cauſa, quæ duplex eſt: vna eſt relaxatio, & elongatio nimia partium, quæ per vſtionem ſunt contrahendæ, ac denſandæ; altera eſt copia humiditatum, quæ ſunt ſiccandæ, & euacuandæ per vſtionem: ſi enim obſeruaſtis vnquam in articulo recidiuante ſunt duo, videlicet elongatio ligamentorum, & mollities, ſeu effæminatio eorundem; & ſicut mollities, & effæminatio eſt in cauſa elongationis; ita elongatio ligamentorum eſt in cauſa, vt articulus non poſſit in ſua ſede contineri, ſed labatur denuo extrà ipſam. Vnde, ſi volumus curare luxationem recidiuantem, oportet auferre omnem humorem, & mucum, qui circa articulum continetur, & imbibitus eſt in ligamentis ipſis: ad cuius humoris, & muci ablationem ſequetur contractio, abbreuiatio, & roboratio ligamentorum, atque ſubinde articulus retinebitur in ſua ſede, quia remota erit mollities, & effæminatio ligamentorum: hæc autem omnia præſtat nobis vſtio, quoniam auferendo mollitiem, & effæminationem, efficit, vt ligamenta retrahantur, ac breuiora fiant: *Vſtionē ſcopis omnibus ſatisfacere.* Vſtio poſtea inducit eſcharam, qua ablata remanet vlcus cauum: omne autem cauum vlcus obducitur cicatrice breui, anguſta, & contracta, quæ ſtringit articulum: vnde talis cicatrix erit in cauſa, vt ligamenta reddantur ſpiſſiora, validioraq; & talia reddita retinebunt articulum in ſua ſede. Accedit quòd per vſtionem auſertur duobus modis mucor, & humiditas circa articulum & ligamenta contenta: vnus modus eſt quòd per vlcus euacuatur ſenſibiliter per partem poſt partem; altèr verò eſt, quia vſtio cum calefaciat, & ſiccet abſumit humores illos: quo fit vt effæminationē ligamentorum atque articuli auferat, & ſtabilem ipſum reddat.

Vſtio in partibus neruoſis cum cautela facienda. Et propterea dico, quòd nihil in hoc caſu eſt præſtantius vſtione: ad quam hortor vos vt deueniatis; non tamen ſine ruminatione, & animaduerſione, quia ignis, vt inquit Hippoc. eſt inimicus neruis, quo fit, vt ipſius vſus in articulis, & articulorum partibus, non ſit valdè tutus: atque ob id maxima cum diligentia, & cautela vtendum eſt vſtione: Quod facietis, obſeruatis iis præceptis, quæ neceſſariò ſunt obſeruanda, & primum eſt, *Præcepta obſeruanda in vſtione.* quod debet præcipuè vri illa pars, in quam cadit articulus, ſiue os, & quieſcit; non autem eſt inurenda pars, quæ eſt circa articulum, vt ſi humerus eſſet luxatus, & cecidiſſet in alam, tunc vrenda eſt ala, quia tota laxitas, & effæminatio eſt in parte illa, in quam os labitur. Vnde Hippoc. iure reprehendit illos, qui in luxatione humeri recidiuante exurebant partem epomidis ſuperiorem, & poſteriorem, non autem alam, in quam conciderat humerus, qua vſtione luxationem potius generabant, quam ſanarent.

Alterum præceptum eſt, vt in vrendo obſeruemus diligentiſſime, ne vramus partes neruoſas, vel neruos ipſos magnos, vel magnas venas, aut arterias, aut glandulas, quarū partium omnium maxima habenda eſt ratio, & præſertim neruorum, ac chordarum, ne exurantur, quia ignis eſt illis inimicus, vt teſtatur Hippocrates in primo de articul. tex. 48. non quidem ita caliditate, ſed ſiccitate, ita, vt ſi vrerentur, fieret illa difficillima conuulſionis ſpecies, quæ vocatur conuulſio ex ſiccitate. quare erit ſecundo loco

obſeruan-

obſeruandum, an circa partem articuli vrendam adſint vaſa magna,venæ,arteriæ,nerui, chordæ, aut glandulæ, & illas fugiamus,ne vramus vllo modo.

Tertium præceptum eſt,vt exuramus cum ferramentis,quę non faciant eſcharas valdè magnas. Ferramenta autem tribus modis inducunt magnas cruſtas, aut paruas.

Primus modus eſt, ſi ferrum ſit magnum, quia ob ſuam magnitudinem multam partem exuret. Ne igitur fiat magna cruſta, debet primò ferramentum eſſe paruum. Secundò ferramenta faciunt magnam eſcharam, quando ſunt præter modum rotunda: cum enim non poſſint citò penetrare, morantur diu in loco, & ex mora exurunt valdè laterales partes. Ne igitur hoc fiat, debent ſecundo loco ferramenta in ſummo eſſe acuminata, & penetrantia. Tertiò fit cruſta magna, quando ferrum non eſt candens, nec album, ac lucidum: ferrum namque ſemiignitum maiorem excitat eſcharã, quàm ignitum,& valdè candens: videbitur vobis hoc parodoxum; tamen ſciatis,quòd ita eſt: & ratio eſt, quia ferrum candens citius permeat,quam ferrum ſemiignitum. Et propterea, vt fiat parua eſchara, non ſolum requiritur, vt ferrum ſit paruum, & acuminatum; ſed etiam, vt ſit valdè candens, ignitum, ac lucidum: ita enim cruſta excitabitur parua, & actio citò expedietur. *Quæ ferramẽta faciãt cruſtas magnas, quæ paruas.*

Itaque tertium præceptũ obſeruandum in exurendo locum eſt, vt vtamur ferramentis illis, quæ inducant paruam cruſtam: ſi enim magna excitaretur, fieret quoque magnum vlcus,& magna cicatrix,quæ poſtea diſrumperetur.

Quartum præceptum eſt, vt poſt vſtionem vſque ad integram ſanationem vlceris in quiete ſit articulus, ac contineatur, aut ſuſpenſus, aut alio modo; & poſt ſanationem etiam per aliquot dies, antequam ad vſum veniat, quia ſi caſu poſt vſtionem luxaretur iterum, inſanabilis profectò eſſet affectus. hæc ſunt præcepta obſeruanda in ſacienda vſtione.

Modus autem quo vritur humerus traditur à Paulo, lib.6.cap.42.& ab Hippoc.in primo de articulis à tex.41. vſque ad 48. at quo modo exuratur coxa habetis pariter à Paulo in ſecundo lib.cap.76. *Modus vrendi.*

Sequuntur iam duo alij affectus, qui ſolent accidere articulis, & vnus eſt elongatio, de qua agam in ſequenti capite.

De articuli elongatione. Cap. XV.

ACCIDIT articulis affectus quidam, qui elongatio vocatur, & affectus talis eſt, vt producatur articulus, osque deſcendat, non tamen luxetur. Cognoſcitur autem huiuſmodi affectus, quia ſpatium apparet inter oſſa,quod ſpatium manu præſertim appoſita cognoſcitur, ſique locum inſpiciatis, videbitis in medio vtriuſque oſſis cauitatem quandam rotundam, vel oblongam. *Cognitio.*

Præterea, ſi manum adigatis,& impellatis articulum, videbitis, quòd articulus impulſus facillimè reuertetur in ſuum locũ; ſed ablata manu, iterum relabetur: non credatis tamen, quòd adſit luxatio; at adeſt elongatio tantum: verum eſt, quòd periculum ſemper imminet luxationis, & quidem illius, quæ recidiuare conſueuit. His ſignis accedit aliud, & eſt motus incertus,ac fallax, ita, vt ſemper videantur labi in vtranque partem: ſi enim obſeruabitis illos, qui huiuſmodi elongationem patiuntur in articulis crurium, videbitis,quòd nunquam ſolidè incedunt, ſed ſemper quaſi inundantes, ac fluctuantes, quoniam habent ligamenta illorum articulorum laxiſſima.

Auicenna ſolus, quòd ego ſciam, locutus eſt de hoc affectu, & eius curationem tradit, quæ conſiſtit in ligamentorum conſtrictione conſpiſſationeue, & ſiccatione; per medicamenta tamen illa, quæ adſtringunt, & ſiccant calefaciendo, non autem refrigerando; alioqui ex frigiditate rigidus redderetur articulus,ac ineptus ad motum. Ob id medicamenta applicanda debent ſiccare, & adſtringere calefaciendo, non autem refrigerando. Sed nullum ſimplex medicamentum reperietis, quod habeat has omnes facultates: ea propter oportet, vt ipſa componatis, miſcentes ea, quæ validiſſimè conſtipant & ſiccant,cum ijs,quæ robuſtæ calefaciunt, dummodo non exurant. Quæ adſtringunt,& refrigerant, ſunt gallæ,balauſtia,citini, malicorium, hypociſtis, cupreſſus, myrtilli, & ſimilia: quibus admiſcebitis ea, quæ calefaciunt, & ſiccant validiſſimè, & inter hæc eligatis illa, quæ habent facultatem roborandi neruos, inter quæ primum locum obtinet caſtoreum: addatis coſtum officinarum tam amarum, quàm dulcem, muſcum *Indicatio ſiccandi & adſtringendi, cum calefactione.*

odoratum arborum, & præcipuè ex larice, baccas iuniperi, baccas cedri, picem liquidam, picem ſiccam, bitumen ſiccum, i. Iudaicũ vocatum piſaſphaltum: his & addatis metallicà impedimenta, vt ſquammas omnes, diphrygẽ quemcumque, ſ. tam illum, qui fit ex pyritide lapide, quam alterum, qui coquitur in fornace æris; alumen vſtum, & chalcanthum vſtum; ſed hæc duo vltima debent admiſceri in pauca quantitate, quoniam exurũt: Ex his calefacientibus, & illis adſtringentibus poteritis varia vobis parare medicamenta opportuna in hoc caſu: Vel ſi tædio afficeremini componendorũ medicamentorum, vtamini emplaſtro ſacro, quod tenetur paratum in officinis, & præſtantiſſimum eſt medicamentum, vel vtamini barbaro mixto cum emplaſtro ſacro, aut vtamini altero, quod pariter in officinis habetur paratum, & vocatur emplaſtrum ex pelle arietina pro crepatis, & optimè adſtringit, & ſiccat.

Vſtio. Quòd ſi res cum medicamentis non ſuccedat, deueniatis aduſtionem, & exuratis articulum duobus, aut tribus in locis ſeruata norma exurendi ſuperius tradita: aduertentes etiam, quòd vſtiones debent eſſe cutaneæ, & debent fieri circumcirca articulum; non autem in vno tantùm latere; euitatis tamen partibus illis neruoſis, aut alijs, quas ſupra retulimus.

Faſcia. Hoc etiam vnum notare debetis, quòd poſt applicationem medicamentorum dictorum debet ſuperaddi faſcia, quæ diligentiſſimè articulum vinciat, ac viuat. ſequitur modò articuli diſtorſio, & poſtea agemus de fracturis.

De articuli diſtorſione. Cap. XVI.

Diſtorſio in vtero. VLTIMO articulis, & præcipuè puerorum accidere ſolent diſtorſiones, διάστροφαι Græcis vocatæ, de quibus meminit Hipp. in principio quarti de articulis: diſtorſionum autem alię fiunt ob luxationes, de quibus non loquimur, quia curatio ipſarum luxationem reſpicit: aliæ autem fiunt vt plurimum in puerulis ſine luxatione, in pueris dico vel dum ſunt in vtero, vel extra vterum. Accidit enim interdum, vt, dum puerulì ſunt in vtero, aliquot ligamenta alicuius articuli fiant laxa, & longa; aliquot verò breuia, quia ligamentorum inæqualitate fit, vt artus ille, in quo talis inæqualitas eſt, intorqueatur: Verum raró accidunt diſtorſiones ob hanc cauſam; *Facta in partu ab obſtetricibus.* vt plurimum autem fiunt propter negligentiam obſtetricum, dum ex vtero puerulos extrahunt, eoſque extractos malè tractant: Nam cum oſſa in ipſis cerea quaſi ſint, ſi negligenter, & malè tractentur, contrahunt prauam conformationem, & articuli, ac membra intorquentur: *A nutricibus.* Quod non tantum ob negligentiam & imperitiam obſtetricum accidit; ſed etiam ob errorem nutricum, dum puerulos faſcijs malè ligando, vel abluendo, vel alia ratione praue tractant, eò, quòd vt plurimum ebriæ ſint, cuius ebrietatis in cauſa eſſe ſolent puerulorum matres, quæ volunt, vt nutrices ſemper comedant, & bibant, vt lac copioſum generent: hoc ſolet fieri in mea patria: neſcio, an idem fiat in alijs locis.

De hac ergo diſtorſione, quæ accidit ſine luxatione, & præcipuè puerulis vel in vtero, vel extra vterum, loquimur nos, quæ præſertim ſolet accidere circa pedes & crura: vnde fit, vt ſi pedes extra inclinent, valgi appellentur huiuſmodi homines: contra autem manci, & græcè κυλλοὶ nominantur, quando pedes introrſum cadunt. *Valgi. Manci.* Hic affectus accidit etiam in genibus ipſis, manibus, ac cubito; quorum tamen maxima pars corrigitur à deligatione nutricum diligenter facta: plurimos enim puerulos diſtortos circa genua, ac brachia vidi ab ortu, qui ſola diligentia matrum optimè diſtentis articulis; ac thoraci, ſi ſuperiores ſint, admotis, aut ſimul, ſi ſint inferiores, ligatis, ac collectis, ſanati ſunt.

Si quis tamen articulus rebellis, ac difficilis eſt, vt poſſit ſanari, & qui medicos requirat, eſt pedis articulus. Si igitur diſtorſio nequeat corrigi à diligentia matris, vel nutricis, vos ipſi occurratis præcepta hæc obſeruantes: *Regulæ 5. curationis.* Primum vt os ad ſuam ſedem reducatis, & ſi non poteſt integrè prima vice, id fiat ſecunda, tertia, quarta, quinta, aut ſexta: nam violentia nihil eſt faciundum, atque ob id prima uice tentabitis ſenſim reductionem oſſis in ſuam ſedem, & figuram naturalem; quæ tamen reductio non eſt facienda una uice tantum; ſed prima vice parum: ſecunda uice reducetis aliquanto magis; & ſic procedetis ſenſim, ac ſenſim augentes, donec quinta, aut ſexta uice integra fuerit facta reductio per faſcias aut per manus.

2. Reg. Secundum præceptum eſt, quòd non ſat eſt reduxiſſe articulum in ſuam ſedem, habitumque

tumque naturalem, ac iuſtum; ſed oportet etiam, ita præcipiente Hipp. in 4. de artic. tex. 8. reducere ipſum aliquantulum in partem oppoſitam; alioqui rediret ad eundem habitum, ad quem inclinabat: at diducto aliqualiter ad oppoſitam partem, natura poſtea iuſtiſſima reuocabit ipſum in ſuam ſedem, habitumque naturalem, atque inibi ipſum confirmabit.

Tertium præceptum eſt, vt poſtquam reduxeritis articulum aliqualiter ad oppoſitam 3
partem, debetis ipſum optimè obuoluere linteis, aut faſcijs; vel vtemini etiã alijs inſtrumentis, vti corijs duris, aut laminis plumbeis, de quibus meminit Hippocrates in loco dicto: ſcopus namque deligationis, aut aliorum inſtrumentorum in hoc caſu eſt, vt articulus firmiter contineatur in ea ſede. Et propterea in deligatione facienda debetis notare vnum magni momenti, & eſt, quòd cum oſſa puerulorum, quibus potiſſimum ſolet accidere iſte affectus, ſint tenera, & veluti cerea, ſi arctè ligarentur, proculdubio ſiccarentur, fieretque pruritus, ac intertrigines: ſi autem deligationes fiant laxæ, articulus non poterit contineri in eo habitu, ad quem reuocatus eſt. vnde Hippocrates vt omnibus incommodis occurreret, monet, vt, quod non poſſumus facere per vnam, vel duas arctas obuolutiones faſciarum, illud agamus per plures laxas: magis namque continent decem, verbi gratia, obuolutiones laxæ, quàm vna arctiſſima, & de hoc non dubitetis, Domini, licet videatur paradoxum, quoniam verum eſt; immò obuolutiones plures, & laxæ non ſolum ſtringunt magis, & firmiùs continent; ſed illud etiam agunt ſine dolore: vna autem, aut altera obuolutio valde ſtricta minus continet, & dolorem efficit. Et ob id membra puerulorum liganda ſunt pluribus obuolutionibus laxis; non autem vna, vel altera tantum arctiſſima.

Plures obuolutiones laxæ plus continent, quàm vna arctiſſima.

Quartum præceptum eſt, vt articulo applicemus medicamenta, quæ ipſum ſiccent; 4
moderatè tamen.

Quintum, & vltimum præceptum eſt, vt facta reſtitutione membri in naturalem ha- 5
bitum, tentemus aliquo indumento conſeruationem ipſius.

Eſto igitur, quòd puer habeat intortum pedem, quid agendum? Primò tentabitis reductionem leniter, ac ſenſim per plures vices; & ad partem aliquantulum oppoſitam; deinde applicabitis medicamentum moderatè ſiccans, & hoc erit ceratum picatum, ait Hippocrates, qui non accipit ceratum purum, quia non ſiccat; picatum autem ſiccat moderatè: & cum glutinoſum etiam ſit, continet faſcias in loco. ipſo igitur vtamini: Sed ſi puer eſſet ætatis prouectioris, vtamini medicamento aliquo validiori: Sciatis tamen, quòd raró eſt tentanda curatio diſtorſionis in adultis, quoniam non ſuccedit. Applicato cerato, obuoluetis membrum prima, & ſecunda faſcia, vt fiebat in ſimplici luxatione; tertiò admouebitis ſplenia illinita cerato picato, vt contineant faſcias in loco: ſupra ſplenia deinceps obuoluetis tertiam faſciam, & quartam etiam, vt fiebat in luxatione ſimplici; & poſt quartam faſciam imponetis ferulas, vel aliquot laminas ex plumbo, aut ex corio duro, quia non ſufficiunt ſplenia, & faſciæ ad continendum articulum in eo habitu, in quem reuocatus eſt. Verum nec iſta aliquando ſufficiunt: & idcirco oportet articulum iungere, & ligare cum aliqua parte ſuperiori, vt ſi pes ſit intortus, & inclinet ad anteriora, ego aptabo faſciolam propè minimum digitum, & iungam ſutura, aliave ratione cum partibus ſuperioribus prope genu; ſi autem inclinet ad exteriora, aptabo vinculum ad pollicem, & iungam vinculum partibus ſuperioribus, atque hoc modo pars trahetur in oppoſitum latus. Hoc facto prima vice, quieſcat duobus, aut tribus diebus; deinde detegatur locus, & abluatur aqua calida; & ſi non adſit pruritus, cum aqua ſalita: facta ablutione detergatur, ſicceturque membrum, appliceturque medicamentum, ac fiant ea omnia, quæ prima vice acta ſunt; atque iterum quieſcet totidem diebus; poſtea denuo detegatur articulus, & fiant circa ipſum eadem.

Ratio flectendi.

Medicamentum moderatè ſiccans.

Splenia & Faſciæ.

Atque hoc modo procedetis vſque ad quadrageſimum: nam tunc erit ſanatus articulus: atque ob id eo tempore opus eſt ſolùm cingere articulum aliqua re, quæ conſeruet ipſum in habitu illo. Vnde antiqui vtebantur calceis quibuſdam, quos vocabant πηλοπατίδας, ideſt, calceos ad lutum, qui calcei aſcendebãt vſque ad partes ſuperiores crurium, & inſeruiebant pueris primum ad hoc, quòd, dum incauti incedebant, vt puerorum mos eſt, non inficiebantur luto, nec humectabantur: ſecundò conſeruabant articulos benè conformatos in eo ſitu, atque habitu. Itaque & vos poteritis huiuſmodi calceis munire crura, atque articulos. At ſi brachia patiantur diſtorſionem, parabitis manicas aliquas, quæ poſſint ipſa munire, ac conſeruare. Hæc de luxatis, iam ſequuntur fracturæ.

Agenda poſt 40.

Digitized by Google

De ſimplici fractura. Cap. XVII.

Ratio compoſitionis ac diuiſionis oſſiũ.

VTI dicebam in principio harum lectionum, quæ ad oſſa non naturaliter affecta pertinent, vt homo eſſet vnum animal integrè, Natura fecit ipſum ex vno complicatoque venarum genere, & ex vno, ac complicato arteriarum, & neruorum congerie, quæ à deſtinato, ac certo principio originē ducerent: ita etiam idem homo ex vno oſſeo corpore, ac rigido erat conflandus, quia vnus eſt, & vti vnus erat ſuſtentandus: verum inſtabat motus neceſſarius, & præcipuè motus progreſſiuus, ad quem natura prouida, & ſagax reſpiciens diuiſit oſſa in plures partes, & quidem tales, vt moueri poſſint ad motum aliorum inſtrumentorum, quod minimè fieri potuiſſet, niſi natuta oſſa ipſa diuiſiſſet in partes plures, atque pet articulos, qui habent certos, ac ſtatutos locos, in quibus oſſa ipſa ſunt ſeparata, & in quibus vnita; ita tamen conformata, vt animal modò moueatur, modò ſtare, ac rigere tam validè poſſit, quaſi vnum ſit tantum os ex pluribus ſactum. Et quemadmodum natura inſtituit certos, ac determinatos locos, in quibus oſſa deberent eſſe vnum, & in quibus plura, & ſeparata; ita inſtituit ſedes, ac locos quoſdam, in quibus oſſium partes ſimul vnitæ eſſe deberent: in quibus ſedibus ſi non ſint vnitæ, ac non ſint integræ, neceſſario fit affectus præternaturam, qui Luxatio vocatur articulorum, atque Fractura. Vocatur quidem Fractura, quando oſſa ipſa, ſeu oſſium partes, non ſunt integræ, neque vnitæ, ac continuæ: nam vbi non ſunt articuli, natura voluit, vt oſſa eſſent ſolida, vnita, ac continua in ſua ſubſtantia; & cum talia ſunt, ſecundum naturam ſe habere dicuntur; ſin autem contrà patiantur ſolutionem continui, dicuntur affici præternaturam, atque curationem requirunt certam, qua iterum vniantut, vt ſolidiora adhue reddita poſſint aptari ad munia propria. Opus iſtud ac officium ad eundem pertinet, ad quem etiam articulorum paſſiones curandæ pertinent.

Solutio oſſis ſubſtantiæ multiplex.

Itaque cum abſoluta ſit de luxatis tractatio, ſequitur iure optimo, ut nunc tractemus de oſſium ſoluta unitate: Et primum diſtinguendum eſſe cenſemus inter ſolutiones continui, uel ſolutas continuitates oſſium, quoniam non unius generis ſunt: Aliquando enim oſſea ſubſtantia ſoluitur tantum, & nihil aliud patitur, & hæc oſſis affectio, in qua amittitur ſola unio, ac connexio partium, uocatur ſimplex ſolurio continni in oſſe: Aliquando ueto non ſolum ſoluitur continuitas, ſed comminuitut, & abſumitur etiam ſubſtantia aliqua ipſius oſſis, quia eliquatur, uel eroditur: hæcque aut illa eſt, quæ exaſperatio, & croſio à noſtris uocatur, & teredo à Græcis, in qua abeſt unitas, & immunita eſt quantitas ſubſtantiæ, & eliquata; aut illa eſt, quæ ἐκκοπὴ à Græcis vocatur, à Latinis autem exciſio. Vnde ſoluta continuitas in oſſe alia erit compoſita cum quantitate ablata: alia ſimplex tantum, Hæc ſimplex diuiſio rurſus diſtinguitur ab Hippocrate in illam, qua os ſenſui diuiſum non apparer, latenſque ſolutioeſt, & immanifeſta, quæ θλάσις, θλάσμα, vel φλάσμα à Græcis vocatur; à noſtris autem iliſio, vel contuſio, & hæc ſpecies ſolutæ vnitatis in oſſibus ignota fuit multis Recentioribus, ita, vt irrideant nos, quando facimus mentionem de oſſe contuſo, non animaduertentes boni iſti viri, quod non me; ſed Hipp. irrident, & ueritatem contemnunt: nam diuinus Hippocrates cognouit huiuſmodi ſolutionem continui in oſſibus, & præcipuè in oſſibus capitis. Illa ergo ſimplex continui ſolutio in oſsibus diuiditur uel in eam ſolutionem oſsis, quæ ſenſum ſubterfugit, & eſt contuſio, ut diximus, uel in illam, qua ſenſu patet os eſſe diuiſum, atque ſolutum. Hæcque rurſus diſtinguitur in illam, quæ ſedes teli ferientis eſt, quæ à Græcis uocatur ἕδρα, id eſt, ſedes, & διακοπὴ, id eſt diſſectio, quia talis eſt, quale eſt feriens corpus, immo eſt ipſius ſedes, in qua fuerit reconditum telum ſecans, aut perforans: & in illam, quæ fractura dicitur à Latinis, & à Græcis ἀγμὸν, uel κάταγμα, ut ab Hipp. in lib. de fracturis; & à Paulo uocatut etiam ῥῆξις, id eſt ruptura: Hæc ſpecies ſolutionis continui in oſsibus habet, ut dicit Galenus, in 6. meth. cap. 5. duo nomina: unum uulgare, & eſt κάταγμα: alterum receptum apud Medicos tantum; & eſt κάταγμα: à noſtris autem ſpecies hæc nominatur Fractura, & Ruptuta, & de hac nos loquimur, ſcilicet de Fractura oſsium; non omnium tamen oſsium, quia excipitur caput, cum de fractura oſsium capitis actum ſit à nobis aliàs inter vulneta.

Teredo.

Exciſio.

Contuſio.

Sedes, & diſſectio.

Fractura, ſeu Ruptura.

Itaque de fracturis teliquorum omnium oſsium erit præſens ſermo: quæ fractura etiam uatiat, neque una eſt duntaxat, quoniam non uno modo tantum, ſed uario, atque multi-

Digitized by Google

multiplici: unde quamuis ſpecies hæc ſolutæ unitatis ſit una; tamen habet differentias plures, ac diuerſas, pro vario modo ac ratione, quia accidit, vt oſſa frangantur: Nam aliquando frangitur os per longum, atque finditur, neque ſeparantur partes oſſium à ſe inuicem; ſed vnitæ manent, quamuis ſolutum ſit os in aliqua parte; & hæc fractura κάταγμα σχιδακηδὸν vocatur à Græcis, ideſt, quaſi Fiſſura, & aſſularis, quia eſt ſolutio cadens in iis corporibus, quæ ſunt compacta per aſſulas, ac veluti per laminas: ſolutio hæc per longum facta non priuat membrum, nec os, in quo eſt, ſuo munere, vt patet de dentibus, quorum aliqui licet in quibuſdam ſint ſciſſi à ſummo ad imum; tamen atterunt cibum non minus, ac ſi eſſent integri: ita etiam, ſi os tibiæ ſit per longum fractum, non impediet motum, quamuis partes non ſint vnitæ; nec vllum aliud afferet incommodum, niſi fractura hæc ſit ſine detectione oſſis; quia tunc poſſet gigni pus, & colligi, & collectum corrumpere medullam; quod non fiet, ſi os ſit detectum, quia ſanies egredietur per vlcus. De hac ſpecie ſolutionis continui nos non loquimur, quoniam quamuis in capite, aut alibi detecto oſſe appareat; eo tamen tecto, Medicus ipſam ignorat, atque niſi ſaniem producat, cui inflammatio, aut quid ſimile ſuccedat, nihil incommodi affert. *Fiſſura.*

Aliquando os frangitur per tranſuerſum ab vna ſuperficie ad alteram oppoſitam, ita, vt pars oſſis ſeparetur ab oſſe, atque inuicem diducantur. hæc fractura vocatur à Græcis καυληδὸν: σικυηδὸν etiam, & ῥαφανηδὸν nominatur à Paulo, quamquam Galenus in 6. meth. cap. 5. κάταγμα ῥαφανηδὸν dicat capi à quibuſdam pro fractura tranſuerſa, ac varia. Sed, vt intelligatis ſignificationem dictarum vocum, & ſimul etiam differentiam hanc fracturæ, quæ fit per tranſuerſum, debetis ſcire, quòd fractura hæc oſſium per tranſuerſum fit aliquando eo modo, quo caules arborum, & plantarum franguntur, ſi concidant; & hinc factum eſt, vt fractura hæc oſſium per trāſuerſum vocata à Græcis κάταγμα καυληδὸν, ideſt, fractura facta ad modum caulium. Similiter, ſi æſtate accipiatis cucumerem tenerum, ac recentem, & flectatis, videbitis, quòd frangetur per tranſuerſum: quo etiam modo ſolent interdum oſſa frangi; atque ob id huiuſmodi fracturam vocant etiam σικυηδὸν, ideſt cucumeralem, vel cucurbitalem: necnon ῥαφανηδὸν, quia os frangitur per tranſuerſum, vti frangitur radix raphani, quamuis Galenus in 6. methodi cap. 5. velit, quòd aliqui ideo raphanida hanc fracturam vocarint, quia ſit inæqualis, ac varia, vt dixi: ſed hoc nihil, aut parui admodum refert. *Fractura cucurbitalis, caulides, ſeu raphanoides.*

Vltimò franguntur oſſa per tranſuerſum quidem; ſed in multas partes, ac in minuta fruſtula, quæ fractura frequens eſt, quamquam non ita frequens, vt alia modò dicta per tranſuerſum pariter facta: hæcque fractura in minutas partes facta vocatur à Græcis ἀλφιτηδὸν, quaſi farinoſa, vel farinalis, quia os comminuitur non ſecus, atque triticum comminuitur à mola, dum fit farina. Et de his duabus poſtremis differentiis fracturæ ſum ego tractaturus, quarum prior facilior, ac ſimplicior eſt; poſterior autem maioris momenti, ac compoſitior. *Farinalis.*

Vtriuſque autem iſtius differentiæ fracturarum cauſę internę nullę habentur, ſed omnes cauſæ ſunt externæ: vtraque enim ſemper habet pro cauſa violentiam, vel corpus violentum extrinſecum, ſiue fuerit caſus hominis ſupra aliquod durum, ſiue fuerit caſus corporis duri ſupra oſſa. *Cauſę fracturæ curandæ.*

Vtraque ſimiliter hæc fractura per tranſuerſum habet has differentias, quòd alia eſt fractura ſimplex, alia compoſita: Compoſita porrò eſt multiplex: nam alia eſt fractura per tranſuerſum compoſita cum aliquo ſymptomate, aut morbo, vt cum inflammatione, alia cum vlcere, alia cum prominente oſſe, alia cum conuulſione, alia cum gangræna, alia cum luxatione: quibus etiam addatis malam reſtaurationem: cum omnibus namque his vtraque fractura per tranſuerſum facta ſolet copulari. *Differentiæ.*

Sed veniamus iam ad ſimplicem fracturam, quam cognoſcetis per propria ſigna accepta primò à cauſis ipſis, vt à caſu violento, vel à corpore contundente, vt ſi quis receperit iſtum magnum ex ligno duro ſupra cubitum, vel conciderit violenter de ſcala, ſtatim coniectabimi os eſſe fractum. Alterum ſignum ſumitur à ſtrepitu, quem perſenſit æger, aut ſocij in percuſſione, aut caſu, quod ſignum habebitis ex relatu: ſi etenim æger, vel ij, qui aderant, referant ſe perſenſiſſe magnum ſtrepitum, indicatur os eſſe fractum. Tertium ſignum ſumitur à caſu ipſius membri, & tale ſignum eſt quaſi demonſtratiuum: nam ſtatim, cum os per tranſuerſum eſt fractum, inuertitur membrum, & cadit infra fracturam, ac non poteſt amplius attolli; cum hoc videritis, dicatis os eſſe fractū, dummodo membrum non habeat niſi vnum os: ſi enim gemina haberet oſſa, & vnum tantum eſſet fractum, tunc ex fractura illius per tranſuerſum non concidet pars, quia ſuſtinebitur ab altero oſſe: at ſi ambo oſſa fracta ſint per tranſuerſum, dubio procul pars concidet. Et, vt rem melius intelligatis, reuocetis iam ad memoriam, quę membra in corpore *Signa fracturæ ſimplicis.*

habeant

habeant vnum os tantum, & quæ duo: Habent quidem vnum humerus, & fęmur; brachia autem, & crura habent gemina: In his ergo membris, quæ duo habent oſſa, ſi debeant membra ipſa concidere, requiritur, vt vtrumque os ſit per tranſuerſum fractum: & propterea in his caueatis, ne decipiamini, quia membrum aliquando non concidet; attamen alterum os erit fractum. Quartum ſignum accipitur ex manu appoſita, quia ſi fractum ſit os, perſentiuntur capita oſſium fractorum extantia: ſimiliter perſentietis oſſa inibi craſſiora, ac veluti reduplicationem. Quintò, ſi non extent partes, nec adſit reduplicatio, dimoueatis aliqualiter membrum, & os, & ſi aderit fractura per tranſuerſum, ſentietis oſſium crepitus, & æger in illa parte percipiet puncturam ingentem. Sed hoc ſignum acceptum à crepitu non inſeruit ſurdaſtris, qualis ſum ego; at ijs, qui audiunt: attamen ego ratione continui vſus, quem habeo in hac re, perſentio crepitum manu ipſa, licet non auribus. Sextum ſignum eſt, ſi tranſuerſo membro ſupponatis manum, & ſuſpendatis, videbitis, quòd ſi adſit fractura, incuruabitur circa fractum locum, & dolor aderit, ac punctio quædam. Vltimò, ſi medicus circumquaque vertat membrum ipſum, ſequitur, ſi adſit fractura, atque circumuertitur cum dolore loci. His ſignis cognoſcetis fractum eſſe os aliquod.

Reliquos verò morbos adiunctos cognoſcetis per propria ſigna cuiuſcunque morbi.

Curatio. Iam igitur deſcendamus ad curationem, in qua primus ſcopus eſt ille, qui accipitur à natura affectus, natura autem affectus eſt ſoluta vnitas oſſis per tranſuerſum: ergo primus ſcopus, cui eſt pro curatione ſatisfaciendum, erit vnio, & coalitus. Sed notate, quòd coalitus eſt duplex: vnus, qui dicitur primum intentum, ſiue primæ intentionis: alter vocatur ſecundum intentum, ſiue coalitus ſecundæ intentionis: Coalitus, ſiue vnio primæ intentionis eſt, quo oſſa molliora fracta humiditate propria, ac viſcida ſubſtantia copulantur: quando autem oſſa fracta ligantur non per propriam humiditatem, ac per proprium gluten; ſed aliquo corpore medio ſuperueniente circumquaque, vel etiam in medium cadente, ac vniente, tunc huiuſmodi vnio vocatur coalitus ſecundæ intẽtionis. *Coalitus fit duplici modo.*

Per primã intẽtionem, vt in mollibus. Priori coalitu non vniuntur oſſa duriora, vti iuuenum, virorum, ac ſenum, quia duriſſima ſunt, & ſicciſſima, ob idque carent humiditate illa viſcida, qua poſſint coaleſcere: at puerulorum oſſa hoc coalitu etiam primæ intentionis poſſe hærere, ac vniri non dubitauit Galenus lib. 6. methodi cap. 5. & ego etiam aſſentior, cum videam in puerulis appendices oſſium, ac partes inter ſe ſeparatas in generatione vniri vſque ad decimũquartum annum per priorem coalitum: quod maximè conſtat in maxilla inferiori, ac multis alijs in oſſibus: Et ratio eſt, quia humida adhuc ſunt, & valde mollia: Sed, vt dixi, hoc maximè conſtat in interiori maxilla, quæ quamuis in omnibus pueris ſit diuiſa in duo oſſa; tamen ſucceſſu temporis oſſa illa duo coaleſcere ita, vt ſolus Deus poſſit cognoſcere in qua parte fuerint ſimul coniuncta. Quo fit, vt non ſit dubitandum, oſſa puerorum coaleſcere per primum coalitum, ideſt, per coalitum primæ intentionis, hocque ſolet fieri vſque ad decimumquartum, vt dixi, annum, quo tempore fiũt appendices. Et propterea, ſi os puerile ſit, tentare coniunctionem per primum coalitum: ſi verò durum, per ſecundum, quia per primum non ſuccederet.

Per ſecundam, vt in durioribus. Quòd autem oſſa duriora non coniungantur per primum coalitum, probat Galenus in primo de fract. comm. 51. quoniam inquit in brutis, vt in ſuibus, videmus oſſa conferruminata callo, ac ligata, quæ ſi deradamus, apparet rima manifeſta, atque partes oſſium disiunctæ: ſi enim accipiatis os ſuis, quod os aliàs paſſum ſit fracturam, fueritque callo ligatum, & abradatis circumcirca, donec totus callus exterior fuerit ablatus, videbitis, inquit Galenus, quòd, ablato callo exteriori, apparebit rima inter vtrumque os per tranſuerſum: quod indicat, oſſa ligari tantummodo extrinſecus circumquaque, quemadmodum ligatur germen, quando inſeritur in arbore. *Galeni ſentẽtia de callo.*

Ego quid dicam in hoc caſu, non habeo, quia non habui oſſa ſuum, nec aliorum brutorum fracta, & ferruminata, in quibus potuerim id, quod dicit Galenus, experiri: habui quidem oſſa gallinarum; ſed callus erat adhuc nouus, ac recens, ita, vt non potuerim periculum vllum de re hac facere: quod tamen feci in oſſibus humanis, in quibus, deraſo callo, exteriori ita vidi intus conferruminatas partes oſſium, vt nulla diuiſio, aut rima appareret; ſed erant tam intus, quàm foris optimè ligatæ: Et ratio etiam dictat, non poſſe aliter eſſe, quoniam, cum callus in principio ſit vti oleum, & pinguedo quædam emanans ex oſſe, & concreſcens poſtea inſtar caſei, non video, cur debeat concreſcere in partibus tantum extrinſecis circumquaque, non autem in ſpatio medio fracturę, cum præſertim pinguis illa ſubſtantia in callum concreſcens emanet ex partibus oſſium non modò extrinſecis, ſed etiam internis; immò reſudat potius ab intrinſecis ad extrinſecas, quàm ſecus: & ob id non videtur rationi conſonum, quòd callus debeat concreſcere in *Propria opinio.*

partibus

Digitized by Google

partibus tantum extrinſecis. Neque ob id accuſo Galenum, neque colligo, quòd dura oſſa coaleſcant priori coalitu: nam ob duritiem, atque ariditatem non poſſe illud fieri aſſero; ſed dico, probationem eius in hominum oſſibus non habere valorem, quotieſcunque corfirmatus fuerit callus, & durus factus.

Colligitur ſcopus prim⁹ qui eſt Vnio.

Scopus itaque curatiuus in fracto oſſe eſt, vt ſi os fuerit tenerum, tentetis vnionem per primum coalitum, quæ ſuccedere conſueuit ob mollitiem, ac humiditatem illorum oſſium, deinde etiam in eiſdem oſſibus tentabitis unionem per ſecundum coalitum, vt validior fiat colligatio: Si verò oſſa fuerint dura, vti ſunt in adultis, tentabitis à principio vnionem per ſecundum coalitum, id eſt, per callum, qui primo concreſcit in intimis partibus, & obliterat rimam, deinde ad maiorem colligationem, & fortitudinem natura voluit, vt concreſceret in partibus externis circumquaque.

2. Scop. qui eſt Repoſitio.

Verum ſciatis, quòd numquam ſcopum hunc aſſequi poſſemus, niſi oſſa fracta iuncta ſimul ſint in propria ſede, atque illis partibus, quibus prius iuncta erant: nam vt plurimum oſſa fracta per tranſuerſum dimouentur ex ſuis ſedibus, aut antrorſum, aut retrorſum, aut introrſum, aut extrorſum, atque interdum ſurſum etiam feruntur, & fit duplicatio, ſeu ſupraposítio, quia vna oſſis pars ſupraponitur alteri: Vnde inſurgit ſecundus ſcopus, vel ſecunda indicatio agendorum, quæ eſt, vt iungamus iſta oſſa ſimul, ac aptemus, dirigamuſque ita, vt pars anterior vnius oſſis correſpondeat parti anteriori alterius oſſis, & poſterior poſteriori, & ſic de reliquis: ita enim fiet bona conformatio, quæ a Græcis vocatur διάπλασις, in qua conformatione partes oſsis directæ manent, vti manebant, antequam os ſuiſſet fractum: Conformatio autem hæc fit manibus medici comprimentibus, ac impellentibus ad partem illam propoſitam.

3. Scopus, qui eſt extenſio, indagatur.

Verum accidit vt plurimum, quòd oſſa ipſa duplicata ſunt & vna pars ſurſum, altera deorſum fluxerit, trahentibus muſculis: & tunc partes iſtæ non poſſunt dirigi manibus impellentibus, atque conformantibus ipſius Medici. Præterea, frequentius accidit, vt partes oſsis non ex toto moueantur a ſua directione; ſed aliqua ex parte tantum, neque ſurſum, aut deorſum ferantur: & hęc pariter dirigenda ſunt. Verum vnum impedit, quòd ſuperficies vtriuſque oſsis non eſt leuis, nec æqualis, vti æqualis eſſet, ſi os fuiſſet ſectum ſerra; immo ſæpiſsimè, & quaſi ſemper eſt inæqualis, fruſtuliſque prædita, ac veluti ſpiculis, & particulis extantibus, quæ impediunt impulſionem, & reſtitutionem partium oſsis in ſuam ſedem: & ſi partes illæ extantes oſsium fractorum, & acuminatæ frangerentur, dum fit impulſio, & ſepararentur, caderent vel intra fracturam, vel extra: ſi intra, videlicet inter os & os, impedirent ne partes oſsis ſe contingant inuicem, & vniantur, ſi verò caderent extra in ſpatia muſculorum, eſſent ſimiliter impedimento, ne callus concreſceret æqualiter circa fracturam, & perpetua adeſſet punctio in partibus illis tum antè, tum poſt ſanationem; Quæ incommoda ne ſequantur, debetis, quando tentabitis reſtitutionem oſsis in ſuam ſedem, obſeruare diligentiſsimè, ne ex impulſione, & reſtitutione partes illæ oſsium extantes frangantur, & euellantur: quod obtinebitis, ſi obſeruaueritis, quo minus oſſa fracta illidantur: non fiet autem illiſio, ſi trahetis, & extenderis membrum, ita, ut cadat ſpatium medium inter vtrumque os fractum, Vnde tertius inſurgit ſcopus, qui ἀντίτασις à Græcis vocatur, à noſtris autèm extenſio, quæ in oppoſitas partes eſt facienda, vt ſuperficies inæquales rectè conformari poſsint.

Tres ſcopi curationis.

Tres igitur ſunt ſcopi curatiui fracturæ ſimplicis per tranſuerſum, primus quorum eſt colligatio: quem ſcopum impoſsibile eſt aſſequi, niſi prius ſit facta repoſitio, & hinc inſurgit ſecundus ſcopus, qui eſt reſtitutio oſsis fracti in ſuam ſedem: ſed nec ſcopum hunc ſecundum obtinere vnquam poterimus, niſi membrum trahatur, extendaturque, vt partes fracti oſsis diducantur aliquantulum; mox, facta impulſione, os redeat in ſuum locum: ea propter inſurgit tertius ſcopus, qui eſt extenſio membri in partes oppoſitas: qui tertius ſcopus licet fuerit vltimo loco inuentus; tamen in operatione eſt primus, quoniam ſine extenſione os non poteſt reponi in ſedem propriam, ſicut non poteſt fieri colligatio, niſi os fuerit prius in ſuam ſedem reſtitutum.

Extēſio quo modo facienda.

Proponatur itaque nobis humerus in medio ſui per tranſuerſum fractus, quid agendum? Statim, cognita fractura per propria ſigna, oportet membrum extendere, in qua extenſione obſeruabitis omnia illa præcepta, quæ diximus eſſe obſeruanda in extenſione luxationis ſimplicis, vt ſcilicet obſeruetur tempus extenſionis faciendæ, quia non eſt facienda præſente inflammatione; ſed antè, vel poſt, vt habemus à Celſo lib. 8. cap. 11. Secundò ad extenſionem diximus obſeruanda eſſe organa, quæ ſunt vel manus Medici, vel miniſtri; lora, & ſimilia: tertio loco obſeruandus erat modus extenſionis, qui modus duplex eſt, vnus palæſtricus, alter medicus, & dixi extenſiones eſſe faciendas rectas admodum, ex Hipp. præcepto in primo de fract. textu primo: magni etenim refert, vt

ſeruetur

vel tibiæ luxatæ, Hippocrates in fracto femore, vel tibia, vltra hæc omnia requirit aliud, ſi optimè debeat collocari. Nam in 2. de fract. tex. 64. inquit, quòd Antiquiores ſolebant, vt ęgri poſſent ferre crus, quocũq; vellent, ſolebant, inquam, in collocandis artubus inferioribus vti canalibus quibuſdam ligneis rotundis, quos vocabant ſolinas, in quibus canalibus accuſat medicos illos, qui credebant vſu puri canalis crus poſſe penitus contineri immobile; & tamen decipiebantur, præterquàm quòd huiuſmodi canales nimis robuſtè continebant artus in loco: & quamuis ex hoc Hippocrates videatur hos canales reprobare; tamen videtur, quòd poſtea eos accipiat, dummodo non ita robuſtè contineant: Et certè eorum vſus bonus eſt, primò, quia continent, & molliter quidem continent, ſi ſubſternantur molli aliqua materia, vt cotone copioſo, vel lana, vel alia materia ſimili. Secundò, quia canales inſeruiunt ægro ad geſtandum crus ipſum ob neceſſarios vſus: niſi enim adeſſet canalis, crus profectò non ſeruaretur immobile; ſed moueretur facillimè: ex quo motu impediretur recta obligatio oſſium per callum, & tunc præcipue moueretur, quando æger cogitur aluum exonerare, vel ſurgere, vt inſtruatur ſibi cubile. Addit Hippocrates, quòd hac etiam de cauſa vtendum eſt canalibus, quia ipſi ſunt in vſu etiam apud omnes vulgares.

Inſtrumenta antiquorum pro locandis membris.

Galenus autem in comm. illo 64. tex. 2. de fract. inquit, quòd recentiores, ideſt, Medici ſui temporis inuenere aliud organum ad collocãdos artus fractos, quod vocatur gloſſocomium, vel glottocomium mechanicum, ideſt, capſula, vel arcula mechanica, quod inſtrumentum deſcribitur à Galeno in 6. metho. med. cap. 5. & in commento illo citato, vbi etiam in codicibus Iuntarum habetur imago depicta, quam etiam videre poteritis apud Oribaſium in libro de machinamentis: & ſi vultis videre organum ipſum præparatum, accedatis domum meam: nam ego habeo ipſum, & non curaui, vt huc deferretur, tum quia multi iam ex vobis ipſum viderunt, tum quia organum eſt ſatis magnum, & ponderoſum. hoc igitur organo aliquot Medici vtebantur ad collocandos artus fractos Galeni tempore, quod organum Galenus ipſe laudat magis, quàm canales.

Sed Galenus in ſexto methodi, capite 5. proponit nobis aliam capſulam glottocomion etiam vocatam, quæ non eſt mechanica; & capſula hæc non eſt rotunda, ſed quadrangula: eſt enim ſatis longa, & habet latera, vel ſaltem vnum latus tantum, mobilia, quæ diduci poſſunt, nam ſunt coniuncta per fibulas: habetque capſula hæc in interiori tabellam, cui pes hæret, quæ tabella dimoueri ſimiliter poteſt. Fiunt autem laterales tabellæ, vel vna ex ipſis, & pariter anterior, mobiles, vt faciliùs poſſint auferri, & aptari, ſicuti opportunum videbitur. Itaque tria ſunt organa, quibus antiqui vtebantur ad collocandos artus fractos.

Sed nos non vtimur quocunque iſtorum, non illo quidem rotundo, quod propriè canalis dicitur, quoniam, ante quàm paretur, requirit longum tempus. Præterea opus eſſet, vt ait Galenus, habere apothecam plenam his canalibus, ſicuti habetur plena calceis, vt ſi vnus non poſſet aptari huic cruri affecto, aptaretur, & quadraret ſaltem alius: difficile namque iſti canales aptantur, & non multum commodè pars aptari poteſt in tam anguſta capſula. his de cauſis ceſſit horum canalium vſus. Nec vtimur gloſſocomio mechanico, quia licet ſit commodum organum ad reſtaurandos artus fractos, & ego vtar aliquando ipſo in hoc; tamen ad collocandos artus fractos eſt ineptum, quia incommodum eſſet detinere continuo in lecto inſtrumentum tam magnum: eſt enim ferè maius ipſo homine.

Tertium autem inſtrumentum glottocomium vocatum, & ita laudatum à Galeno eſt in vſu, & eſt, vt dixi, capſula quadrangula, quæ habet tabellam anteriorem mobilem; ſimiliter autem & latera, vel ſaltem alterum latus tantum: hanc igitur capſulam parare vobis ad collocandum membrum fractum, & in ipſa collocetis multam lanam, aut goſſipium, aut aliam materiam mollem: & habeat latera, ac tabellam anteriorem, quæ poſſint diduci, ac reponi: & certè præcipuus eſt huius organi vſus in collocandis artubus.

Capſula, quę nunc in vſu

Sed in hoc organo obſeruate præceptum Hippocratis in tertio de offic. medici, textu decimooctauo, & in ſecundo de fracturis, textu 75. quòd organum, in quo collocatur membrum fractum, non debet eſſe breue: non enim ſtabile maneret membrum affectum; at ſit longum ita, vt totum membrum à ſummo ad imum occupet. Secundum præceptum ad idem organum pertinens eſt, vt non ſit nimis anguſtum, nec nimis latum, quia ſi eſſet nimis anguſtum comprimeret malleolos, & excitaret intertrigines: ſi autem eſſet nimis latum, non contineret membrum immobile. Tertiò organum iſtud debet habere, vt dixi, latera, quæ diduci, ac reponi poſſint: & propterea oportet, vt ſint ligata fibulis validis: idem dico de tabella anteriori, cui pes innititur,

Præcepta in vſu capſulæ.

& hæret. Quartò in hoc eodem organo eſt obſeruandum eius robur, & commoditas ægri: nam non debet eſſe nimis ponderoſum: & ob id tabulæ, ex quibus conſtruitur, & fit, non debent eſſe valde craſſæ, nec ita etiam ſubtiles, vt frangantur, ſed mediocritas eſt affectanda. hoc igitur eſt illud organum à Galeno laudatum, quo debetis vti in colloeandis artubus fractis.

Cum autem tria ſint gloſſocomij genera, primum illud rotundum: ſecundum mechanicum appellatum: & tertium quadrangulare, notate, quòd quando legeritis apud authores gloſſocomium mechanicum, intelligatis ſemper de ſecundo: cum verò deerit vox illa, mechanicum, intelligatis de tertio, quod nunc eſt in vſu, & in hoc collocabitis membrum: Vel cum recentioribus dimittetis has arculas, & vtemini puluillis delicatiſſimis, vt ſolemus in brachijs pro commoditate ægri hominis.

Puluilli.

Prouidentia totius corporis.

Itaque iam vobis apparuit, quo modo oſſa fracta ſint tractanda, quo modo dirigenda, liganda, & collocanda: qua etiam ratione communia capita ſint tractanda, potuit vobis eſſe manifeſtum ex ijs, quæ ſuperius diximus, quando agebamus de luxatione ſimplici: nam ibi docuimus id, quod pertinet ad venæ ſectionem, ad ſolutionem alui per pharmacum purgans, atque ad reliquas ſex res non naturales, quę ratio omnium iſtorum eadem conuenit in hac fractura ſimplici, quam in ſimplici luxatione congruere diximus vſque ad ſeptimam.

Terminus deligationis, detectionis, affuſionis aquæ, religationis.

Ferulæ quando ſint apponendæ.

Pariter & in hac fractura oportet tertia quaque die detegere membrum, affundere aquam, mox religandus eſt, atque eodem modo collocandus; idque eſt faciendum ex mente Hippocratis vſque ad ſeptimum, vel nonum, vel vndecimum: Nam Hippocrates in aliquot oſſibus fractis ſeruat hanc normam, ſcilicet detegendi locum, affundendi aquam, & reliquorum tertia quaque die vſque ad ſeptimam: in aliquot vſque ad nonam: in aliquot vſque ad vndecimam: idque ab ipſo fit duplici ratione: primò ratione inflammationis: ſecundò ratione extenuationis membri: Ratione quidem inflammationis, quia, cum opus ſit imponere ferulas, quæ ſi debeant continere membrū immobile, oportet, vt comprimant, non eſt tutum eas applicare, ante quàm præterierit inflammationis terminus, qui eſt ſeptimus, vel nonus dies. hac ergo de cauſa Hippo. vtitur ea norma medendi vſque ad ſeptimam, vel vſque ad nonam in aliquot, vt expectet tempus tranſactæ inflammationis. Secundò ratione extenuationis, quoniam, quando membrū eſt pingue, & plenum, non poſſunt benè aptari ferulæ: ideirco expectat Hippocr. extenuationem, quæ non fit æqualiter in omnibus, cum in aliquot non fiat niſi in ſeptima; in aliquot extenuationis terminus ſit nona dies; in aliquot vndecima.

Membra fracta quãdo extenuantur.

De tertio igitur in tertium detegatis membrum, affundatis aquam, atque eodem modo religetis: & hæc norma in aliquot oſſibus eſt ſeruanda vſque ad ſeptimam, vt in digitis, & vlna, in quibus extenuationis terminus eſt ſeptima, cum ſeptem dieb. gracileſcant; in aliquot vſque ad nonam, vt in humero, quia terminus extenuationis, & inflammationis in hoc eſt nona dies; femur autem, & tibia extenuantur vndecim diebus, vt fuit ſententia Hippocratis, & Galeni in ſecundo de fract. ideo in ipſis ſeruabitis eam normam medendi vſque ad vndecimam.

Callus quãdo generetur, et quomodo.

Tranſacto termino & inflammationis & extenuationis, tunc debetis ſcire, quòd callus incipit concreſcere, & ligare fracturam. Sed quid eſt iſte callus, diceret aliquis? Galenus in 6. meth. med. cap. 5. & in primo de fract. comm. tex. 41. inquit, quòd callus eſt id, quod oſſa ligat, & quòd eſt excrementum redundans in nutritione oſſium. Vnde, quale eſt alimentum oſſium, tale quoque eſt excrementum, quod in callum abit, & concreſcit: alimentum autem oſſium eſt ſuccus, ſeu ſanguis terreſtris, craſſiſſimus, frigidiſſimus, & ſicciſſimus: & ideo excrementum quoque erit ſicciſſimum, ac frigidiſſimum, quod excrementum, ſi quando in corpore abundet, exprimitur, & exſudat per cutim membri illius, vbi eſt os fractum, & inficit faſcias ſuo colore; &, vt inquit Galenus, excrementum iſtud eſt ſanguis craſſiſſimus, & nigerrimus: Excrementum iſtud expreſſum ex partibus fracti oſſis ſolet feruere, & efferueſcendo labris oſſium hærere, & ſenſim, ac ſenſim concreſcere inſtar caſei, & mutari ab oſſe in oſſeam ſubſtantiam, quod os ambiens, ac amplexans ligat, cum fractura adeſt: Et hæc ſubſtantia oſſea ex ea materia genita, & oſſium fractorum partes inter ſe ligans eſt illa, quæ πῶρος, ideſt, toſus, & callus nominatur.

De noua extenſione & directione in ſeptima, vel nona, uel undecima.

Cum itaque callus iſte incipiat concreſcere poſt tempus inflãmationis, & extenuationis, oportet, vt cum deueneritis ad ſeptimam, vel nonã, vel vndecimam, detegatis membrũ, abluatisq́;, &, ablutum cum fuerit, obſeruetis diligentiſſimè, an ea adſit membri rectitudo, quæ requiritur: nam in ipſa reſtitutione aliquando non dirigitur adamuſſim: nec id multum curamus, quia poſteà in ſeptima, vel nona, vel vndecima eſt optimè dirigendum: Cum itaq; ſciamus, quod id eſt faciendum, tranſacto termino inflammationis, non

curamus

curamus à principio de exacta rectitudine. Accedit, quod, quamuis in priori reſtitutione membrum rectè dirigatur; tamen ex motu fit, vt intorqueatur, & ob id, cum eritis in vndecima, vel nona, vel ſeptima, & ablueritis partem affectam, dirigatis eam diligentiſſimè, & ad amuſſim, ita, vt ne per capillum quidem recedat à ſua æqualitate: nec dubitetis vos poſſe aſſequi hanc abſolutiſſimam directionem, quia, cum membrum ſit extenuatum, & macrum, facile eſt cognoſcere omnem lapſum, & omnem inæqualitatem, etiam minimam, & eò etiam magis, quia nec dolor impedit, vt antea ſolebat. Facta optima directione, deligabitis, & apponetis ferulas.

Primum itaque quod debetis obſeruare, cum deueneritis ad tempus, quo incipit gigni callus, eſt, vt faciatis optimam directionem, & abluatis. *Obſeruanda, & facienda tẽpore generationis calli*

Secundum eſt, vt obſeruetis, an adſit materia pro generatione calli, quia, ſi non adeſſet, & vos velletis, vt æger ſeruaret eandem victus rationem, quam vſque ad illud tempus ſeruauit, non aderit profectò materia pro callo generando, vel, ſi aderit, non erit bona: tria namque, vt dicit Galenus, ſunt neceſſaria ad generationem calli: primum quantitas materiæ opportunæ: ſecundum qualitas eiuſdem materiæ opportuna: tertium facultas oſſis generans callum ipſum: ſi itaque ſeruaretur idem victus, non adeſſet tanta materia, quanta requiritur, quia victus, quo eſt vſus, eſt ſubmediocris, inquit Hippocrates, quia exhibebat herbas, piſces, & ſimilia, quæ generant ſuccum aquoſum, & impurum: callus autem debet fieri ex humore craſſo, viſcido, ac tenaciore.

Et ideo cum callus incipit concreſcere, exhibenda ſunt illa, quæ multum nutriunt, & generant alimentum viſcidum, ac ſolidum: quæ autem hæc ſint, explicat Galenus, in primo de fracturis commento dicto, & inquit, quòd carnes debent eſſe boni ſucci, & ſolidæ, multumque nutrientes: ſed ſunt quædam carnes, quæ generant quidem alimentum craſſum; illud tamen eſt friabile, vt eſt alimentum genitum ex carne bouina, & ex piſcibus ſalitis: & ideo iſta cibaria non ſunt opportuna; Contrà autem caro vitulina eſt accommodata; ita etiam ex veruece, ex auibus maioribus, & ſimilibus: Sed præcipuè commendantur extremæ partes dictorum animalium: ea propter reſtauratores recentiores tempore generationis calli, quando oſſa ferruminantur, exhibent pedes vitulorum, & optimè faciunt; mirum tamen eſt, quòd etiam in hoc non errent. Vinum craſſum, ac potens eſt opportunum; ſed primis diebus diluatur aqua; poſtea concedatur purum; modus tamen addatur in quantitate. Itaque ſeptima, vel nona, vel vndecima die, cum inquit gigni callus, oportet immutare victum, & exhibere ea, quæ dicta ſunt, & alia illis ſimilia.

In qua re obſeruanda eſt etiam temperies, ætas, deligatio, tempeſtas, & regio: nam & hæc faciunt ad generationem calli copioſi, aut pauci, quoniam ad callum hunc, vt ſupra dixi, requiruntur tria, ait Galenus, in primo de fract. com. 42. videlicet materiæ quantitas: qualitas craſſa vel tenuis: tertiò facultas oſſis congelantis. Quæ omnia ſolent variari ratione temperaturæ, ætatis, victus, deligationis, tempeſtatis, & regionis.

Tertium præceptum obſeruandum eſt, vt medicus cognoſcat, ac videat, an opus ſit callo copioſo, an pauco: nam in conferruminandis oſſibus, ſi oſſa ſint parua, & non attrita, comminutaue in multas partes, paucus requiritur callus: contrà autem, ſi oſſa ſint magna, & in multas partes fracta, requiritur copioſus. Et idem debet medicus præcognoſcere, an opus ſit multo, vel pauco callo: Si multo, oportet, vt augeat victum; deinde, vt ſeptima, vel nona, vel vndecima die, cum abluit membrum, eo vſque abluat, donec fiat rubrum, & intumuerit, & tunc ſtatim ceſſet ab ablutione, & non ſinat, vt tumor deſideat, ne materia multa attracta ad locum, pro generatione calli, reſoluatur: Et ideo, ne hoc fiat, Galenus poſt ablutionem vſque ad dictum terminum vult, vt ſtatim applicemus membro aliquid, quod habeat vim ſtipandi poros, & attrahendi materiam ad locum. In qua re commendatur ceratum picatum, quia attrahit, non multum digerit, & ſua viſciditate obſtruit poros: bonum eſt & retrapharmacum, baſilicum vocatum, & diachylon emplaſtrum mixtum cum tetrapharmaco. Igitur, quando vultis multum callum, augeatis victum, perfundatis aqua membrum, & deſiſtatis à perfuſione, antequam membrum incipiat deſidere: tertiò medicamentum imponatis opportunum ad nutriendum callum, quod modicè calefaciat, & ſit emplaſticum. *Si multus callus ſit generationis.*

Si autem opus ſit pauco callo, vti quando nolumus, vt corrumpatur habitus partis, ſicut in cubito, & digitis (multus namque callus deturpat conformationem partium) tunc præſente extenſione, eouſque abluendum eſt membrum aqua calida, donec rubrum fiat, intumeſcatque, & tumor deſideat, vt materia, quæ ex alto attracta eſt, reſoluatur: deinde, imminuto victu, imponatis aliquid, quod habeat vim ſiccandi, & reſoluendi callum: Inter quæ primas obtinet emplaſtrum ſacrum diſſolutum cum unguento roſaceo: *Si paruus callus requiritur.*

ceo: optimum etiam eſt vnguentum Iſidis; vel accipiatis ex ijs reſoluentibus, & abſumentibus callum, de quibus diximus ſuprà, quando egimus de callo ligante articulum: loquor nunc de reſoluentibus; non autem de emollientibus callum.

Si mediocris, vt accidit pleruſque. Verùm ſciatis, quòd rarò medicus vult multum, aut paucum callum; ſed vt plurimum ſtudet, vt mediocris callus generetur: ſi igitur volueritis, vt gignatur mediocris callus, abluatis mediocriter, ne fiat magna diſcuſſio materiei; deinde ſtatim imponatis aliquod, quod congelet, ſiccetque callum moderatè, quale dicit Galenus eſt aliquod ex ijs, quæ imponuntur cruentis vulneribus, quæ œnema Græcè dicuntur, quod moderatè ſiccando, & adſtringendo faciat concreſcere, & coagulari callum mediocriter: inter quæ principatum obtinet ceratum barbarum diſſolutum vnguento roſaceo. Et licet Hippocrates non faciat mentionem de tempore mutandi medicamentum, immò poſſit fermè ex ipſo colligi, quòd etiam, quando callus incipit gigni, vtendum ſit eodem cerato puro, quo antea fuimus vſi; tamen methodus à Galeno propoſita monet nos, & ego etiam ita moneo vos, vt ſemper ſeptima, vel nona, vel vndecima immutetis medicamentum, & imponatis emplaſtrum barbarum.

Itaque colligamus: Cum incipit gigni callus, abluatur humerus, dato, quòd ipſe ſit, qui patiatur; ſiccetur, & ſupra fracturam imponatur ceratum barbarum diſſolutum vnguento roſaceo, niſi cogamini ſiccare magis, aut augere callum, quod rarò accidit: deinde addatis primam faſciam, quæ incipiat deorſum, & finiat ſurſum; poſt hanc addatis ſecundam faſciam, quę incipiat ſurſum, & deſinat deorſum: poſtea imponatis ſplenia imbuta eodem emplaſtro barbaro; quo facto, addatis tertiam faſciam, quæ incipiat obuolui in parte ſuperiori, & deſinat in inferiori: mox adiungatur quarta faſcia, quæ incipiat obuolui inferius, & finiat ſuperius: ſi volueritis, poteritis ſecundum Galenum addere quintam faſciam, vel etiam ſextam, ſecundum dogma Celſi; attamen tres erunt ſatis, & iſtæ debent arctè obuolui; ita tamen, vt non excitent dolorem: requiritur etenim, vt faſciæ contineant membrum ita, vt ne per filum quidem moueatur; aliter non fieret recta agglutinatio.

Ferularum materia. Vnde antiqui, vt membrum immobile prorſus maneret, accipiebant ferulas, ſcindebantque per longum, & ablata medulla imponebant, & ſtringebant validè membrum: Accipiebant autem ferulas potius, quàm alias materias ex alia planta, quia erant leuiſſimæ; ſecundò, quia habebant corticem tenuem, ac durum; tertiò, quia erant excauatæ in medio: & ideo aptabantur optime, præcipuè partibus gracilibus: & has ferulas admouebant ſeptima die, vel nona, vel vndecima. Iſtæ ferulæ non creſcunt omnibus locis: nam in partibus his Longobardicis, etiam ſi ferantur, non naſcuntur; ſed in partibus calidioribus, vt in Apulia, Calabria, Sicilia, & huiuſmodi habentur copioſę. Et ideo in locis, vbi ferulæ non habentur, vtuntur reſtauratores loco ipſarum tabellis, vel corticibus, & regulis ligneis, & vocant aſſulas, quibus & nos ſolemus vti, & felici cum ſucceſſu: ſi qua tamen materia opportuna eſt pro ferulis, eſt certè abies tam maſcula, quàm fœmina, quia materia pro ferulis his, ideſt pro aſſulis, debet eſſe tenuis, leuis, ac ſtabilis, quæ omnia reperiuntur in abiete.

Tempus. Tempus imponendi ferulas eſt, vt dixi, ſeptima, vel nona, vel vndecima dies, iuxta decretum Hippocratis, Galeni, Celſi, & omnium, quamuis Paulus in ſexto libro, capite 93. dicat, quòd ſuis temporibus recentiores imponebant prima die: Sed illi errabant, ſicut errant noſtri reſtauratores, vel potius corruptores, qui prima die imponunt ſtupam imbutam ſua quadam meneſtra, vt ita dicam, imponunt, inquam, ipſi fracturæ, & ſupra ponunt ferulas malè dolatas, vel imponunt cortices, vel ligna hæc, aut illa, ſtupa tantum obuoluta; hæcque ita obuoluta ligna, vel cortices collocant ſupra carnem, vbi eſt fractum os. Alij obuoluunt fracturam ſtupa imbuta bolo Armeno, ſanguine draconis, terebinthina, & ſimilibus; deinde ligna imponunt, & faſcias addunt.

Numerus. De numero autem ferularum dico, quòd imponendæ ſunt tot, quot ſufficiant, & poſſint in orbem amplecti membrum, non debent tamen ſe inuicem contangere, ſed inter vtramque debet cadere ſpatium vnius digiti per tranſuerſum, quanta videlicet eſt craſſities vnius digiti, vt voluit Paulus lib. 6. cap. 99.

Longitudo. Longitudo earum ſit tanta, quantum eſt ſpatium amplexatum ex deligatione, hoc excepto, quod in partibus, vbi prominent tubercula articulorum, ferulæ debent eſſe breuiores, vel reſimæ, quemadmodum etiam, vbi ſunt flexuræ articulorum, aliter exulcerarent, & poſſent facere gangrænam.

Craſſities. Non debent ferulæ eſſe eiuſdem craſſitiei, & tenuitatis in omnibus partibus, quoniam in ea parte, ad quam inclinat membrum; & in ea, ad quam lapſa ſunt oſſa, debent ferulę eſſe craſſiores, vel duplicari: in alijs verò partibus è contra.

Præterea,

Præterea, ſi æger eſſet delicatus,& mollis,vel pars deberet decumbere ſupra ferulam, vt in fęmore, tibia, & cubito accidere ſolet, non debent regulæ, ideſt, ferulæ hæ imponi nudæ, ſed veſtitæ lana, vel ſtupa, vel alia tomentoſa materia,quamuis imponantur ſupra faſcias: at ſi æger non ſit delicatus, vel non cogatur decumbere ſupra ferulam, vt eſt in humero, non refert, an ferulæ ſint veſtitæ, an ſecus. *Inuolucra.*

Inſuper ferulæ non ſunt ligandæ faſcijs, vt faciunt iſti, ſed habenis, vinculiſve; & ligandæ ſunt in tribus locis, videlicet in ſuperiori, in inferiori, atque in media parte ſupra fracturam,in qua etiam parte arctius ſunt ligandæ,quàm in alijs duabus;laxis tamen vin culis in omnibus locis ſunt ligandæ prima vice, ſed minus laxis in media parte. *Vincula.*

Igitur ſeptima die, vel nona, vel vndecima abluetis, imponetis emplaſtrum barbarum, primam,& ſecundam faſciam,deinde ſplenia, & ſupra ſplenia obuoluetis tertiam, & quartam faſciam, & ſupra hanc collocabitis ferulas, & deligationes facietis arctiores, quàm antea fierent: hoc facto collocabitis optimè membrum, neque amplius diſſoluetis de tertio in tertium, vti prius fiebat; niſi aliquid vrgeat ex ijs, quæ dicam infrà; ſed relinquetis ita ligatum vſque ad terminum ſanationis, qui terminus in vlna, ſcilicet in brachio, & cubito eſt trigeſimus dies, vt habemus ab Hippocrate in primo de fractu. tex.41. in humero autem eſt quadrageſimus, vt idem Hippocrates teſtatur ſecundo de fractur.tex.6.qui terminus quadrageſimus eſt etiam in tibia, & fęmore, vt habemus ex Hippocrate in ſecundo de fract.tex.65.& 68. iuguli verò os conſolidatur viginti diebus, vt inquit Paulus lib. 6. cap. 93. ſub quo termino comprehendetis etiam oſſa digitorum manus, ac pedis. Ligati igitur ſeruentur artus vſque ad terminum ſanationis, niſi aliquid vrgeat, & cogat vos aperire, ac detegere; & ſemper viſitetis ægrum tertia quaque die, interrogetiſque ipſum diligenter, an dolorem aliqua in parte percipiat, an compreſſionem, an calorem, ac ſimilia, & ſimul etiam inſpiciatis, an ferulæ laxæ ſint, & ſi laxas eas nimium eſſe cognoueritis, ſtringatis ipſas; non tamen auferatis faſcias, nec detegatis: & ſtringatis magis ferulas ſupra fracturam, quàm alijs in locis. Cum deueneritis ad terminum inflammationis, auferatis ferulas, faſcias, & reliqua, & affundatis aquam calidam ex præcepto Hippocratis primo de fractu. tex. 43. vt callus genitus nutriatur: niſi enim callus inciperet trahere ad ſe alimentum,abſumeretur: & ideo,ne hoc fiat, opus eſt affundere aquam, quam affundetis, donec membrum intumeſcat, & fiat rubrum, & non deſideat tumor; mox religabitis, ſed laxius, additaque tantum prima, & ſecunda faſcia, & ſupra ipſas collocabitis ferulas, quæ etiam poterunt omitti, quia tunc non ſunt neceſſariæ: hoc facto, quieſcat æger tres dies; deinde iterum detegatur pars, & affundatur aqua, ligeturq́; prima, & ſecunda faſcia tantum, abiectis alijs; ſitque deligatio adhuc laxior: & cum rurſum quieuerit per tres dies, ſoluantur vincula, deteganturq́; pars, abluatur, & abijciantur omnes faſciæ, vel addatur vna tantum, & inde ad tres dies illa quoque abijciatur, atque tunc incipiat æger parum, ac parum membro vti. *Summa curationis.* *Terminus ſanationis fracturarum.*

Verum ſciatis, quòd membrum fractum non poteſt aliquando quieſcere, & ligatum ſeruari vſque ad terminum ſanationis, quia ſuccedunt aliqua, quæ cogunt nos ſoluere, & ſunt illa, quæ diximus etiam in luxatione, & primum eſt pruritus maximus, ac intolerabilis, qui vt plurimum ſolet accidere ante ſeptimam, aliquando tamen accidit poſt; & tunc cogit nos aperire locum, & affundere aquam, vt dictum eſt in curatione luxationum. *Quibus de cauſis cogatur Medicus diſſoluere ante ſanationē.*

Alterum, quod nos cogit aliquando detegere ante terminum conſolidationis eſt ſuſpicio alicuius vlceris, orti aut propter acredinem vaporum, aut ob compreſſionem, vel ob aliam cauſam: tunc pariter oportet ſoluere, & affundere aquam, & alia omnia agere, quæ dicta ſunt ſuprà, quando egimus de ſimplici luxatione.

Tertiò aliquando ſuſpicamur,quòd partes oſſis fracti non ſint optimè directæ;ſed aliquantulum diſtent, & membrum inclinet ad aliquam partem; tunc opus eſt ſoluere, & conformare artum, & in ea parte, ad quam inclinat ponenda eſt ferula duplicata, vel craſſior; & ſi humerus (ipſi enim ſolet hoc præcipuè accidere) inclinet ad partem aliquam,oportet ponere plumaceolum ſub ipſo ligatum ad pectus cum faſcia, vt cogatur potius flecti ad partem oppoſitam. Quando igitur adeſt ſuſpicio non rectè contentorum,aut directorum oſſium,vel adeſt dolor; diſſoluendum eſt membrum,aqua perfundendum, reſtaurandum, & alia omnia ex arte agenda, vt alibi diximus.

Vltimò, quando eſt ſuſpicio, quòd callus concreſcat vel copioſior,vel paucior,quàm oporteat, cogimur aperire: & ſi copioſior concreſcat,affundenda eſt aqua, & applicandum medicamentum ſiccans, diſſipanſque callum, de quibus medicamentis ſuprà dixi. Si autem paucior concreſcat,vtamini ijs, quæ copioſum ipſum gignunt, de quibus pariter ſuprà tractauimus.

De fractura cum vlcere. Cap. XVIII.

Duplex vlcus cum fractura.

SI Fracturæ adiungatur inflammatio, vel tumores grauiores partium extremarum, ea omnia agetis, quæ diximus eſſe agenda in curatione luxationis coniunctæ cum inflammatione, vel cum tumoribus rebellioribus. Si autem frangantur oſſa, & accedat vlcus, vt ſcilicet os detegatur, aperto corio, & laceratis muſculis, ac ligamentis; non tamen os promineat, receſſurumq; ſit: Duo enim ſunt genera fracturarum cum vlcere: vnum eſt, in quo os non eſt denudatum, etiam ſi adſit vlcus, nec os extat extra cutim; alterum eſt, in quo os eſt detectum, ſeu nudatum, & prominet multum, extatq; extra partes, quia validè muſculi conuulſi ſunt: hæc enim eſt ratio prominentiæ: de vtroque hoc genere eſt nobis dicendum, prius tamen de priori. Si igitur adſit fractura cum vlcere, abſque oſſis prominentia, quid agendum? Hippocrates in tertio de fract. textu primo, ſecundo, & ſubſequentibus, proponit quaſdam curationes antiquorum, quarum vna eſt in qua primò curabatur vlcus, poſtea curabatur fractura. Verum hæc, & reliquæ curationes damnantur ab Hippocrate; ideo & nos omittamus ipſas tanquam malas, & veniamus ad veram, ac bonam curationem, quæ talis eſt.

Si os prominеat, cura antiquorũ.

Conſiderãda ante rectam curationem.

Cum occurritis fracturæ, in qua eſt plaga, ideſt vlcus, inquit Celſus, oportet obſeruare, & conſiderare, an os ſit receſſurum, necne, hoc eſt, an aliqua pars fracti oſſis debeat diuturnitate temporis deſquamari, ac ſeparari: Secundò, ſi os ſit receſſutum, oportet obſeruare, an os illud, quod receſſurum eſt, ſit magnum, an paruum: nam diuerſa eſt curatio: ſi etenim paruum ſit, curatur eodem modo, quo ſi non eſſet receſſurum; ſi autem ſit magnum, opus eſt videre, an ſit receſſurum, necne, quoniam curatio non conuenit eadem, quando eſt receſſurum, & quando non, & de his agendum à nobis eſt. Hippocrates itaque monet, vt ſtatim extendamus membrum, ac reſtituamus eodem modo, quo fiebat in ſimplici fractura: Tertiò Paulus in ſexto lib. cap. 107. inquit, quòd debemus conſuere vlcus ita, vt labia vlceris vniantur ſutura, vel fibulis: hoc non monet Celſus, nec etiam præcipitur à diligentiſſimo Hippocrate: idcirco ego non poſſum cum Paulo conſentire, & præcipuè ob hanc rationem, quia duo tantum ſunt præcipua in hoc morbo agenda: vnum eſt, vt citò concoquamus, ad hunc finem, vt citiſſimè generetur pus; ſecundum eſt, ſi particulæ fractæ adſint, & ſeparatæ, efficiamus, vt citò ſeparentur prorſus, atque recedant: Iſta duo vt plurimum ſunt principio circa talem fracturam agenda: Vnde vnio labiorum, cum fiat per conſolidationem, non poteſt fieri in hoc caſu: & ob id malè conſulit Paulus, labra eſſe conſuenda.

Contra Paulum, non eſſe vlcus cõſuendum.

Recta curatio.

Sed notate, quòd quamuis Hippocrates non conſulat, vt faciamus ſuturam; tamen monet, vt faciamus, quod labia ſtent iuncta, & non hiet vlcus, ne os maneat diu detectum. ergo poſt extenſionem, & conformationem, ſeu reſtitutionem fracti oſſis vnietis labia, ne dehiſcat vlcus: Quo facto, imponendum eſt medicamentum: ſed quodnam medicamentum? illud, inquit Paulus, quod imponitur cruentis vulneribus, barbarum ſcilicet ceratum, vel aliquod aliud œnemon. Hippocrates autem applicandum eſſe inquit vnguentum, ſeu ceratum picatum, vel tetrapharmacum baſilicum, vt exponit Paulus, extenſum ſupra ſplenium duplicatum. at quodlibet iſtorum bonum eſt: dummodo enim fiat cita concoctio, & cita puris generatio, vt celeriter poſſit gigni bona caro, nihil refert, an potius hoc, quàm illud imponatis, dummodo, vt dixi, medicamentum habeat vim cito concoquendi, & macerandi contuſas carnes, quæ adſunt, & debent ſeparari, quod fiet, ſi cita fiat concoctio, & puris generatio. Poſito aliquo iſtorum medicamentorum ſupra fracturam, obuoluetis membrum prima, & ſecunda faſcia; deinde addetis ſplenia oblinita eodem medicamento; poſtea addetis tertiam, quartam, & quintam faſciam, vti fiebat in ſimplici fractura; & eadem norma procedetis, qua in illa diximus eſſe procedendum, aperiendo locum tertia quaque die, & affundendo aquam, & hac via incedetis vſque ad ſeptimam, vel nonam, vel vndecimam diem. Victus pariter tenuis ſit, & idem agetis circa communia capita hic, quæ agebatis in luxatione cum oſſe detecto.

Diſcrimẽ inter curationẽ huius caſus, & fracturæ ſimplicis.

Atqui notate, quòd fractura hæc cum vlcere differt aliquantulum à fractura ſimplici in ipſa curatione, quia in hac cum vlcere faſciæ, & ſplenia non debent eſſe ita ſtricta: ſecundò, membrum in hoc caſu eſt frequentius deregendum: nam in fractura ſimplici poſſumus protrahere detectionem aliquando vſque ad quartam, vel quintam; in fra-

ctura

ctura autem hac cum vlcere ſemper detegendus eſt locus de tertia in tertiam, & nunquam eſt permittendum, vt pertranſeat tertia dies, quin apertus ſit locus: tranſacta ſeptima, vel nona, vel vndecima, Hippocrates monet, vt non imponamus ferulas, vti fiebat in ſimplici fractura, quia adeſt vlcus, quod comprimeretur à ferulis: & ideo præſente vlcere non ſunt imponendæ, ſed poſtquam vlcus ſanatum fuerit; vel non ſunt imponendæ in ea parte, inquit Hippocrates, in qua eſt vlcus, ſed in alijs partibus, debentq; eſſe molliores, & minus ſtringi, quàm in ſimplici fractura: at melius eſt expectare, quòd vlcus ſit ſanatum, & obductum cicatrice, & tunc ipſas imponetis, atque eadem omnia agetis, quæ in ſimplici fractura, quia ſanato vlcere, eadem poſtea eſt curatio.

Cæterum notate, quòd aliquando accidit, vt vlcus reuiuiſcat, ac recrudeſcat aliqualiter, & fractum os minetur deſquammationem: quod cognoſcetis, quia, quando os eſt abſceſſurum, copioſum pro ratione vlceris egreditur pus, ſeu potius mador quidam, qui non eſt ſanies: Secundò adeſt turgor, quid autem turgor ſit, dixi ſupra. *Si vlcus recrudeſcat.*

Si igitur decima quinta die, vel vigeſima, vel alijs ſubſequentibus cognoueritis ex his ſignis, quòd os minatur deſquammationem, non timeatis, inquit Hippoc. ſed procedatis in curando eadem ratione detegendo partem, affundendo aquam, & reliqua agendo. Vnum tamen notare, quòd, quando videbitis adeſſe turgorem, oportet frequentius detegere, apetireque locum: nam in ſimplici fractura à ſeptima, vel nona, vel vndecima die vſque ad integram ſanationem, non aperiebatur locus, niſi aliquod vrgeret: at vbi os eſt receſſurum, vt in caſu propoſito, oportet de tertio in tertium ſoluere, vt ſanies habeat exitum; deinde oportet religare, & quidem laxius, quam in ſimplici fractura: in reliquis verò omnia alia ſunt agenda, quæ in fractura ſimplici. *Si adſit turgor.*

Si autem os, quod eſt receſſurum, ſit magnum, vt ſi ſit totus circulus oſſis in fæmore, aut tibia, aut humero, hoc cognoſcetis in principio, aut poſtea ab ariditate, & nudatione, eò quod pars magna oſſis ſit ſuo perioſtio nudata, & arida reddita; non tamen extet extra cutim (nam de hoc, quando prominet, dicemus infrà) quando igitur videritis, quòd multum oſſis eſt denudatum ſuo perioſtio, & areſactum, indicium eſt certum, quòd illud totum oſſis, quod detectum eſt, recedet. Quid igitur in hoc caſu agendum? Hippoc. ait, quòd oportet membrum extendere, & reſtituere, deinde imponere ceratum picatum, vel aliquod ænemon, vt eſſet barbarum, vel tetrapharmacum: dummodo enim medicamentum ſiccet, & concoquat, nihil refert, an hoc, vel illud imponatur: impoſito medicamento deligandum eſt membrum, non quidem duabus primis faſcijs, additis ſplenijs, & poſterioribus deinde faſcijs, vt fiebat in alijs fracturis; ſed ea deligatione, quæ aſcia vocatur, inquit Hippoc. *Si magnum os ſit receſſurum.*

Eſt enim deligationis quoddam genus, quod cum habeat ſimilitudinem cum figura organi illius ferrei, quo vtuntur fabri lignarij, vocatur aſcia, vel deligatio ad aſciam, vel aſcialis, & Græcè *σκέπαρνον*, de qua deligatione Hippoc. meminit in ſecundo de offic. medici tex. ſecundo & in tertio de fract. 21. & Galenus pariter in illis commentarijs: In qua re non poſſum non mirari ſummoperè de Galeno, qui aliquando in commentarijs ſuis in opera Hippocratis ſit ita diligens, vt cuiuſlibet etiam minimæ vocis Hippocraticæ rationem reddat; & poſtea omittat interdum ea, quæ obſcuriſſima ſunt, & eſſent neceſſariò explicanda, ſicuti fecit in commentis illis, quia ne verbum quidem dixit, quo modo aſcia deligatio fieret, nec quam ob cauſam Hippoc. in iſta fractura ea deligatione vtatur, & non alia communiori, qua vſus eſt in alijs fracturis. Ego autem dicam, quid ſentio. Credo igitur Hippoc. omiſiſſe vſum alterius deligationis, & vſum fuiſſe aſcia, quia cum receſſurum ſit os magnum, idque non ſoleat fieri, niſi diuturno tempore (nam os magnum non ſolet prius recedere, quam ſpatio quadraginta, vel ſexaginta dierum) cum, inquam, os magnum ſit receſſurum, quòd ſit longo tempore, & interim oporteat ſæpè locum detergere, moleſtum valdè, & incommodum ægro fuiſſet, ac doloroſum tot vicibus attollere membrum, ipſumque mouere, ſicuti fuiſſet neceſſarium, ſi vſus fuiſſet prima illa, ac communi deligatione: neque enim poſſunt illæ faſciæ, & ſplenia remoueri, niſi membrum attollatur, ſuſpendaturque: & tamen opus eſt in hoc caſu frequenter aperire locum, idque non paucis diebus, ſed pluribus eſt faciendum: vnde maximus ſingula vice excitatus fuiſſet dolor, quem ſecuta fuiſſet inflammatio. & vt igitur poſſemus membrum detegere, abſque quo attolleretur, & moueretur, Hippocr. omiſit priorem normam ligandi, licet in alijs caſibus optima ſit, quoniam in alijs non eſt opus tam frequenti apertione, nec tam longo tempore; & vſus deligatione aſcia, quæ ideo aſcia vocatur, quia ſicut organum illud ferreum eſt latum circa aciem, & anguſtum in ea parte, qua hæret manubrio, eſtq; flexum, habetque partem ſimam, & partem gibbam, ita deligatio iſta videtur eſſe, ſi rectè conſideretur. *Aſcia deligatio.* *Ratio cur ea fuerit vſus Hippoc.*

Sed

Aſcia deligatio fit duobus modis. Sed notate, quòd deligatio iſta, aſcia vocata à figura illius inſtrumenti, poteſt fieri vna faſcia per duo capita hoc modo: Accipimus faſciam, & mediam ſui partem aptamus oppoſitæ parti ipſius vlceris, vt ſi vlcus ſit in ſuperiori, anteriorique parte brachij, aptabimus poſteriori, & vtroque capite aſcendimus obliquè ad anteriores, ſuperioreſque partes, ita, quod relinquitur ſpatium medium in anteriori parte brachij: poſtea recurrimus deorſum ad eundem locum; deinde iterum ſurſum oblique aſcendimus, & hoc modo procedimus donec faſciæ caput vtrumque perdurat: &, vt videtis, obuolutiones ſecant ſeſe per decuſſationem. Sed Hippocrates in hac fractura cum vlcere, in qua magnum os eſt receſſurum, non vult, vt vtamur aſcia hac facta vna faſcia tantum duobus cum capitibus; ſed altera aſciali deligatione, quæ fit pluribus faſcijs, vt viginti aliquando faſcijs, aliquando triginta, vel quinquaginta, ſi tot requirantur, quæ faſciæ debent etiam eſſe aliqualiter duplicatæ, & breues, ita, vt obuoluant membrum vna obuolutione tantum cum dimidia, ita, quòd faſciæ iſtæ nihil aliud ſunt, quam ſplenia longa. Fit autem deligatio hæc per ſplenia hoc modo: ponimus medium ſplenij circa fracturam in parte inferiori, & aſcendimus cum ſplenio obliquè ad ſuperiora, & vbi hic deſinit, ponatis alium, & oblique deſcendatis; poſtea, appoſito tertio in eadem parte inferiori, aſcendetis eodem modo; quartum deinde addetur deſcendens pariter; & ſic procedetis addendo multa ſplenia, quorum vnum incipiat in parte inferiori, & finiat in ſuperiori oblique aſcendendo; alterum incipiat in ſuperiori, & firmat deſcendendo oblique in inferiori: poſtea, adacto paruo filo cum acu vltimis ſplenijs, illi ſcilicet, quod aſcendit, & alteri, quod deſcendit, cætera omnia ſplenia continebuntur in loco, & optimè etiam ſtrictum, ac deligatum ſeruabunt membrum: Et quoties opus fuerit apertione, ſat erit ſecare puncta illa adacta vltimis ſplenijs, & alia omnia relaxabuntur: & ſic poteritis facile vlcus detergere, abſque quo membrum attollatur, vel tantillum de ſua ſede moueatur. Deligatio hæc optimè continet, vt dixi, quia ſplenia interſecant ſe per decuſſim, & multa ſunt.

Quomodo auctor deuenerit in cognitionis iſtius deligationis. Hæc deligatio, quæ difficilis admodum eſt, non explicatur ab aliquo, atque ego aliàs ipſam ignorabam; ſed poſtea caſu eam inueni, quia cum haberem præ manibus fæmur fractum cum vlcere; & os multum eſſet abſceſſurum, ego deligaui communiori deligatione; ſed poſtea, cum viderem opus eſſe apertione, vt pus egrederetur, & id non poſſet fieri, niſi attolleretur membrum ſingula vice, qua opus erat apertione; ego forcipe ſecui totam deligationem per longum, deinde, extracta ſanie, coniungebam filo adacta acu labia illa deligationis; deinde tertia die, quando iterum volebam locum aperire, ſecabam filum, & eodem modo agebam, & res optimè ſuccedebat. Vnde cum hoc vidiſſem, cæpi mecum conſiderare locum illum Hippocratis, & tandem inueni modum faciendæ deligationis per aſciam, & ea ex illo tempore ſum ſemper vſus, cum data eſt occaſio, feliciſſimo cum ſucceſſu.

Summa curationis. Itaque, cum vocati eritis ad curandam fracturam cum vlcere, & multo cum oſſe detecto, non tamen prominente, quod os receſſurum ſit, extendatis, reſtituatiſque, ſiue ſitis in principio fracturæ, ſiue in alio tempore: facta reſtitutione, imponatis medicamentum, vt vel ceratum picatum, vel barbarum, vel ſimile quid; deinde deligetis per aſciam cum infinitis ferè ſplenijs: quæ ſplenia, ac deligationem totam irrigetis ſæpe vino auſtero frigido, ſi æſtas fuerit; ſi autem hyems, vino auſtero, admixto oleo tepido; & ſub membro collocabitis corium ob irrigationem faciendam: ac tertia quaque die aperietis locum, hocque modo procedetis vſque ad terminum ſeparationis oſſis, qui eſt ſpatium quadraginta, vel ſexaginta dierum. Cadente, vel ſeparato oſſe, ſanabitur vlcus, impoſito eodem medicamento: ſed cum os eſt iam ſeparatum, poteritis applicare ferulas ſaltem ad latera, & vlceri admouere medicamentum, quod habeat maiorem ſiccandi facultatem.

De fractura cum vlcere, & oſſe prominente. Cap. XIX.

SI autem os non ſolum ſit denudatum, verum etiam extet, vt ſolet aliquando accidere in fracturis ex caſu ab alto, vt vidi aliquando, & os ita proruperat extra muſculos, & corium, vt humo eſſet infixum: Si igitur contingat talis fractura, oportet prius conſiderare, an poſſitis os fractum, & extans reſtituere ſine conuulſione, nec ne: ſi poſſit reſtitui ſine periculo conuulſionis, tentetis reſtitutionem: ſi autem videritis, quòd ſucceſſura ſit conuulſio, non tentetis reſtitutionem.

Cognoſcetis autem, an reſtitutioni ſucceſſura ſit conuulſio, nec ne, ex his ſignis: Primò à magna oſſis denudatione, & magna parte oſſis prominente, quia ſi os, verbi gratia, in fæmore promineat per ſpatium quatuor digitorum, ſignum eſt, quòd ſi tentaretis reſtituere os, ſuccederet conuulſio, & ratio eſt, quia magna pars oſſis prominens indicat magnam muſculorum lacerationem, ac contractionem. Secundò, ſi adſit principium aliquod inflammationis, non eſt tentanda reſtitutio, ob eandem cauſam, quia ſcilicet indicatur, quòd ſuccederet conuulſio. Tertiò cognoſcetis futuram conuulſionem à tenſione carnium, & muſculorum: tangatis carnes circa fracturam, quæ ſi contractæ quodammodo, & duræ ſint, non tentetis reſtitutionem, quia fieret conuulſio. *An conuulſio reſtitutioni accidet, quomodo cognoſcēdum.*

Si autem contrà pauca oſſis quantitas eſſet detecta, & pauca etiam promineret, non adſitque principium aliquod inflammationis, & carnes circumpoſitæ non ſint tenſæ, ſed potius laxæ, & molles, reſtituatis audacter, facta prius extenſione, immò ſimul, ac ſemel extenderis, & impelletis os in ſuam ſedem. *Quando reſtituendū os.*

Quòd ſi extendendo non poſſitis os intrudere, Hippoc. monet, vt iuuetis intropulſionem cum vecte: quod organum deſcribitur à Paulo lib. 6. cap. 107. & volſella vocatur à Celſo lib. 8. cap. 6. quo organo vtuntur & iſti fabri, & vocant vulgo, palo di ferro. Sed vectis hic medicus eſt quidem ſimilis illi mechanico, quo ad figuram; ſed non quo ad molem, quia vectis medicus non debet habere maiorem longitudinem, quàm vnius dodrantis: Figura autem eſt, quòd eſt curuus in vna parte, & flexus in altera.

Facta extenſione, & reſtitutione, obſeruandum eſt, an os ſit receſſuum, nec ne: quod cognoſcetis, quia, ſi os parum ſteterit extra ſuam ſedem, & extra corium, indicatur, quòd non recedet: contra autem, ſi diu ſteterit detectum. Si itaque non ſit receſſurum, imponatis ceratum picatum, vel tetrapharmacum, deinde deligetis communi illa deligatione per primam, & ſecundam faſciam, additis ſplenijs, & tribus alijs poſterioribus faſcijs: ſit tamen deligatio laxa. Si verò os ſit receſſurum, curatio eſt eadem, quæ tradita eſt ſupra, quando os magnum receſſurum eſt: & eadem etiam hic eſt facienda deligatio per aſciam, & procedetis ſimiliter detegendo locum, & reliqua agendo, quæ ſupra diximus, donec prominens os ſeparetur, & concidat. *Quid agendum à reſtitutione.*

Tempus autem reſtitutionis faciendæ in hac fractura eſt prima, & ſecunda dies, tertia autem, quarta, & quinta non tentabitis vllo modo reſtitutionem, ex præcepto Hippoc. in tertio de fractura quadrageſimo; ſed cum deueneritis ad ſeptimam, vel nonam, vel vndecimam, tunc tentabitis reſtitutionem, niſi febris impediat, vel inflammatio, vel conuulſio. quod ſi tunc, vel paulo poſt non poſſit tutò fieri, eadem obſeruabitis, & agetis, quæ diximus eſſe agenda in luxatione cum prominentia oſſis, quando os non poteſt reſtitui, imponentes ceratum picatum, folia plantaginis, vel alia, vt dictum eſt, vel aliquod ex illis emplaſtris, ne fiat inflammatio, & vt os recedat: Vel ſi os prominens poſſit ſecari ſcalpris oppoſitis, aut ſerra, melius erit, vt amputetur: poſtea id, quòd remanet reſtituatur, facta moderata extenſione, quod fiet ſine periculo: deinde, ſi reliquum illud oſſis reſtitui non ſit receſſurum, deligetis, & faciatis reliqua, quæ dicta ſunt. *Occaſio reſtitutionis.*

Sed notare, quòd vbi ſit reſectio oſſis prominentis, artus neceſſariò remanet breuior, & decurtatus: quod eſt prædicendum ſemper ante ſectionem, ait Hippoc.

Cæterum quæreret hic veſtrum aliquis: cur Hippoc. concedit repoſitionem in fracturis; in luxationibus autem ſcilicet in magnis oſſibus non concedit? Dico, quòd hoc ſit quia magis certa conuulſio eſt in luxatione, quàm in fractura: nam in fractura etiam per ſe, apertis carnibus, poteſt nudari os, non ita in luxatione. præterea, minor læſio neruorum, & minor contuſio eſt in fractura, quam in luxatione: & ideo in luxatione magni oſſis prominentis conuulſio eſt certa; in fractura autem incerta. *Dubitationis ſolutio.*

Redeo

Refectionem oſſis ſequi abbreuiationē membri.

Redeo nunc ad abbreuiationem artus, quam repeto, & dico remanere neceſſariò. Celſus tamen tentat curationem talis abbreuiationis: nam inquit, quòd inter os, & os inijciendus eſt cuneolus ligneus ex ligno aliquo leui, & tertia quaque die, dum aperitur locus, inijciendus eſt cuneus ſemper aliquanto maior, quouſque magnum ſpatium ceciderit inter os, & os, vt ſpatium poſtea illud repleatur callo: & ita membrum non erit breuius altero. Ego nunquam legi hanc curationem apud alios, nec ipſam tentarem, quoniam puto, quòd non ſuccederet: & ideo potius cum Hippoc. permitterem, vt membrum decurtatum remaneret.

Si fiat malus callus.

Accidit aliquando, vt in fracturis concreſcat malus callus, & tunc auctores monent, vt iterum frangamus os, & callū, deinde reſtituamus: ſed eſt violentiſſima actio, quam ego nunquam auderem tentare.

Si membra facta curua.

Contingit etiam interdum, vt membra intorta reddantur: & tunc, ſi callus non eſt valdè durus, abluatis multa aqua & oleo; deinde fricetis optimè membrum ſale, & nitro; poſtea applicetis ferulam ſolidam ipſi membro, vt ſeruet ipſum rectum.

Si fractura luxatione cō plicetur.

Accidit tertio interdum, vt fractura, & luxatio ſimul iungantur, in quo affectu notate, quòd aliqui prius curant fracturam, deinde luxationem. Ego autem dico, quòd vtrunque ſimul eſt curandum, vt facta reſtitutione vnius per extenſionem, fiat mox alterius per impulſionem: reliquam poſtea curationem accipiatis partim ex luxatione ſimplici, partim ex ſimplici fractura. Et hæc ſint vobis ſatis hoc anno de fracturis, ac de alijs affectibus articulorum. Valete, & me, vt facitis, amate.

FINIS TRACTATVS QVARTI.

GABRIELIS FALLOPPII

MVTINENSIS,

Medici, ac Philoſophi præclariſsimi,

DE MODO CONSVLTANDI,

Tertij Tomi Tractatus Quintus.

CONSVLTATIONVM medicarum geminam eſſe cauſam certum eſt: Vnam quidem inutilem, quæ pompam tantum, ac popularem auram reſpicit, eſtque nobilitas ipſa generis, atque diuitiarum abundantia, qua acti nobiles homines, vt in omnibus alios ſuperent, ſi quis inter iſtos quantumuis leui morbo ægrotet, plurimos tunc medicos accerſunt, hæc, vt pote philoſopho, ac ciuili homine indigna, conſultationum futilis cauſa eſt cenſenda. Altera verò cauſa eſt, cum morbus maximam difficultatem in ſe continet cùm ratione ſui, tùm etiam affecti corporis: nam aliquando ob vehementiam, ob celeritatem, ob ipſam magnitudinem, ob inueteratam diuturnitatem, ac tandem ob quandam naturam, quæ mali moris ſit, aut quæ noua in noſtro orbe videatur, morbi ſolent difficultatem maximam parere. locus etiam affectus, qui aliquando ignoratur; cumque geminus ſit, pro vno ſæpe numero cenſetur. Subiectum etiam ipſum corpus humanum aliàs robuſtius, aliàs imbecillius cum ſit; idque varias ob cauſas accidat; ſolent difficiles morbos reddere. His haud addam aliquando perplexum medici animum, timiditatemque (ne dicam etiam ignorantiam) conſultationum cauſam gignere. Itaque ſi huius negotij leuis cauſa fuerit, non erit medico onus ſubeundum; ſin contrà difficultas ipſa rei conſultationi occaſionem dederit, hæc conſultos medicos monet, vt maximam in inueſtigando morbum diligentiam adhibeant, atque animum aduertant ad ea, quæ dicenda ſunt. At duo ſunt præcipuè capita in hoc obſeruanda: primum, vt rectè medicus ægritudinem cognoſcat: alterum vt rectè conſulat. hoc ſecundum caput tractabimus poſtea; nunc autem de illo priori aliquid dicamus, qua ratione ſcilicet medicus in cognitionem affectionis veniat, quæ res duobus perficitur, quorum vnum eſt, ut diligentiſſimè ab aſtantibus, affinibus, amiciſque, atque ab ipſis etiam medicis, ſi qui illum præceſſere in curanda hac ægritudine, omnia ea perquirat, quæ ad morbi cognitionem faciunt; nec ſolum morbi, ſed etiam cauſarum, eorumque omnium, quæ ſuccedere ſolent. alterum eſt, ut hæc coniungat cum ijs præceptis plurimis, quæ apud optimos Auctores legerit: niſi enim ſit ualde exercitatus in ijs libris, qui de generibus morborum, de cauſis, de ſignis, de ſymptomatibus,

tibus, corumque generibus, & cauſis tractant, fruſtra omnis illa ſolers inueſtigatio erit. Ponamus igitur medicum conſulentem in illis libris ualde eſſe exercitatum, uti certè debet, ſi rectè morbi naturam cognoſcere, illique ita conſulere, ut reliquis medicis, reliquiſque uiris pręſentibus ſatisfacere uelit. Quæ autem erunt inquirenda hoc ordine diſponantur, quamuis poſſent & alio modo ordinari. Primum ab ipſo ægrotante perquirat, quid præternaturam patiatur, & quam grauis ſit affectio, à qua detinetur, an aliàs hac eadem ægritudine laborarit, ſibique familiaris ſit: & ſi familiaris fuerit, an eadem penitus ratione, eodemque modo ſemper inuaſerit: an eadem fuerint ſymptomata, anue aliquod innouatum ſit. Præterea interrogandus eſt, ſi rectè meminerit, qua ratione aliàs fuerit profligatus ſimilis morbus; quam diu durarit; diuturnitas enim præſentis morbi optimè cognoſcenda eſt: neque exquiſitiſſima dierum, horarumque, ſi fieri poſſet, enumeratio in ſatis longo morbo negligenda eſſet: decubitus etiam ipſius tempus: præcedentium laſſitudinum, quæ morbos præcedere ſolent, inueſtigatio non eſt contemnenda; atque horum ab eodem ægroto inquirenda eſt cauſa, num eam ipſe nouerit, vel ſecus. Poſt explicatam cauſam, ſi nota fuerit, ea ſymptomata ſunt indaganda, quæ præceſſere; ſed præcipuè illa, quibus æger affligitur, vti ſunt dolores partium, anxietates, ſummi calores, pulſationes, contractiones, euacuationes inſolitæ, partiumque ipſarum augmenta, aut diminutiones, ac reliqua, quæ hanc naturam poſſident. His cognitis, ſubiecti ratio habenda eſt, & primò habitus corporis optimè cognoſcendus eſt, bonus, an malus, carnoſus, an excarnis ſit, magnus, paruus, an mediocris ſit æger, & ſimilia, quę ad habitum ſpectant, temperaturamue corporis totius: quæ partim per interrogationem, partim per analogiam, ac ſignis plurimis rememoratis cognoſcentur. Poſt hæc viſcerum etiam, quæ primaria ſunt, ratio habenda eſt, vt ſtatim inueſtigetur cerebri temperatura, ſimiliter & cordis: quod fiet obſeruatis partibus circumpoſitis, cognitis excrementis, perpenſis ipſis actionibus, ſentientibus facultatibus examinatis, cognito per appoſitionem manus frigore, aut calore, atque optime obſeruato arteriarum motu: quibus tertiò addendum eſt hepar, cuius temperies, omniſque ipſius habitus inueſtigandus eſt eadem ratione, quam in ſuperioribus viſceribus explicauimus, tactuque præcipuè tentandum hoc viſcus eſt. Tunc etiam opus eſt, vt quadam ingenij alacritate medicus cognoſcat, an aliarum quoque partium natura neceſſario cognoſcenda ſit, vt puta lienis, renum, ac ſimilium, quæ perpetuò non efficiunt, nec fouent morbos, vti principes illæ partes efficere ſolent: quòd ſi illæ ſuſpicionem aliquam præſeferant, & ipſæ optimè cognoſcendæ erunt. His cognitis, ætas diligentiſſimè eſt obſeruanda; vires ſimiliter & actiones, an ætati reſpondeant, videndum eſt; & ſi etiam ſuperioris ætatis haberetur aliqua cognitio, & inquiſitio, haud certè cognitioni morborum obeſſe poſſet. Poſt hæc rerum non naturalium fiat diſquiſitio ſubtilis, quæ res cum per ſe pateant, haud enumerandæ ſunt, in quibus omnibus diligentiſſimus ſit medicus, nihilque penitus prætermittat, ſi velit & cauſas, & morbos, & conſequentia optimè cognoſcere. Facit etiam & ad cognitionem morbi, & ad ſanationem, ſi quis præceſſerit medicus in curando morbo, aut plures, vt rectè cognoſcat medicus conſultaturus, quidnam ab illis ſit actum, quoue tempore morbi, & qua occaſione: accidit autem, vt aliquando non liceat cum ægro colloqui, & tunc ab aſſidentibus, aut ab amicis omnia ſunt petenda. aliquando nec cum ijs loquendi datur occaſio, nec cum ipſis medicis, ſed ex ſcriptis omnia ſunt colligenda; & ideo tunc ſcripta illa ſæpiſſime ſunt legenda, neque præcipiti quodam iudicio ex primis verbis medicus morbi naturam colligat, neque, vt aliqui faciunt, hærens vni tantum ſententiæ, & aliquando illam etiam deprauans, cætera negligat: nam hoc maximum affert miſeris ægris periculum, præcipuè cum ea, quæ in conſultatione continentur, ſint obeunda vt plurimum à medico iuniori, nedum ineptiori. Et quoniam deferuntur interdum ſchedulæ tam breues, tamue anguſtæ, vt vix nomen ægrotantis, atque loci affecti in ipſis contineatur; iccirco medicus conſultans non ita audax eſſe debet, vt non interrogatus reſpondeat; ita enim decurtatæ (vt dicunt) informationes reſponſiones minimè merentur, cum medici hi, qui ex his ſchedulis omnia cognoſcere profitentur, perſimiles illis, mea opinione, ſint, qui ex lotij ſola inſpectione ruſticorum ægritudines diuinare ſe profitentur, quod genus artis ſubdolæ, atque deceptricis eſſe videtur, potiuſque erroneum eſt, quàm Medico, ac Philoſopho dignum ſit cenſendum.

Cognito itaque morbo, atque iis omnibus, quæ dicta ſunt, ad alterum caput deueniendum eſt, ſcilicet ad conſultationem ipſam, in quo capite primum hiſtoria totius ægritudinis proponenda eſt; ea tamen lege, vt conſulens hæc obſeruet: primò, an ſcriptis conſultationem mandet, ſimulque alicui medico reſpondeat: tunc enim tota hi-

ſtoria non eſt repetenda, ſed tantum quaſi ſupponendorum norma, & breuius, quam fieri poterit, proponatur morbus, cauſæ, & reliqua, quæ in hiſtoria erunt enumerata ab eo, qui prius ſcripſerit.

Quòd ſi in circulo, ac inter alios plurimos medicos hoc ſit tractandum negotium, primus medicus, vel qui priori loco dicet, diligentiſſimè morbi hiſtoriam narret, nihilque ex ijs, quæ recitata ſunt prætermittat, nec tantum breuitati ſtudeat, vt aliquam hiſtoriæ partem inexplicatam relinquat: ille autem qui ſecundo loco, tertio, aut vltimo dicturus eſt, non omnem morbi hiſtoriam enarret; ſed ſi quid dubium eſt, ſi quid contrarium, aut repugnans, aut à priori prætermiſſum, aut id, in quo tota ſumma rei nitatur, illud, inquam, enunciet, ne (vt faciunt aliqui, dum ſe nec hoc, nec illud proferre velle affirmant, omnia deinde verbotenus à prioribus prodita repetunt) ſatietatem in repetenda hiſtoria omnibus pariat. Dum hæc narratur hiſtoria, poteſt eloquens medicus omnia ea, quæ ad ætatem, conſuetudinem, corporis habitum, atque temperaturam cùm communem, tùm partium pertinere arbitratur, illicò interſerere. quod ſi commodum non erit, poſt hiſtoriam ſtatim ætatem, conſuetudinem, & ſupradicta omnia proponat.

Et quoniam ſæpe numero ſolent inter ſe diſſentire medici in habitu totius, ac partium temperatura; propterea, qui primo loco dicet, aut qui ſcribet, breui, ac ſuccincta quadam norma ſigna ipſa proponat habitus, ac temperaturæ, doctorumque auctoritates in his aliquando referat, quando inæqualium temperierum aderunt indicia, teſq; tota non ita manifeſta erit; aliàs reliquos medicos pædagogico illo cenſu non infeſtet: illud idem faciant, qui in poſteriori loco dicturi ſunt, dum à ſuperioribus aliqua in re, quæ ad habitum, & temperaturam pertineat, diſceptarint.

Adhæc accedit, vt poſtea medicus videat, atque proponat, an vnus ſit affectus, ac morbus, an plures, illoſque enumeret habita ratione partium, temporis, aut curationis, quæ adhibenda ſit: nam aliquando priores hi erunt morbi, qui nobiliorem partem infeſtant, poſteriores qui ignobiliorem; vel poſtremo loco hi, qui infimam: priori loco illi, qui ſummam infeſtant partem, erunt recenſendi; vel vetuſtiores in numero nouos præcedent morbos; vel ij prius erunt numerandi, qui etiam prius ad ſe medicinam allicient.

Hoc facto, ſi plures erunt morbi, videndum erit, ac diſputandum, breuiter tamen, an vnus ab altero foueatur, atque dependeat ita, vt alter affectus, alter verò cauſæ rationem ſubeat; aut quamuis nec hic, nec ille relationem aliquam inter ſe habeant; vnus tamen alterum foueat.

Quòd ſi vnus tantum ſit morbus, hæc medicum haud infeſtabunt, ſed ſtatim, nullo præexiſtente impedimento, medicus deſcendat ad naturam affectus, illum breuibus diffiniet, ac ſimul cauſas, quæ morbum effecerint, & quæ ipſum conſeruent, enumerabit; ſed primò efficientem cauſam, ſeu efficientes ipſas, ſi plures fuerint: præterea & materiales cauſas proponet. Et quoniam aliquando plures vnius affectus poſſunt eſſe cauſæ & materiales, & efficientes, ob id diligentiſſimè diſquirendum eſt, quæ nam præſentis morbi ſint iſtæ cauſæ: quod fiet per abnegationem aliarum rerum, quæ cauſæ eſſe poſſunt cum ſignis ipſis ſigillatim explicatis. aliquando etiam accidit, vt ſine abnegatione aliarum ſolis ſignis præſentes cauſas aſtruere valeamus. Vnà cum his optimo medico datur occaſio coniungendorum ſymptomata cum ipſo morbo, atque cauſarum addendarum cur hoc, vel illud ſymptoma ad hunc affectum in hac, vel illa parte præcipuè ſequatur, quæ res admirationem parit, ſimulque & facilitatem ſummam ad acquirendam rationem curantem, ac præſagium certum prædicendum: quod hoc in loco ſuccedit: In qua quidem re, niſi diſtinctiſſimè & morbus, & cauſæ ſignaque enucleata fuerint, maxima orietur in præſagiendo difficultas; ſin contrà hæc optimè diſcuſſa fuerint, nulla difficultas, aut ambiguitas apparebit: nihil enim præſagio ipſo familiarius, quod cum non viderint aliqui medici, ſolent ſemper ſatis ambiguè eorum ſententiam ita proferre, vt potius Sybillarum reſponſa, quam Medicorum prænunciationes eſſe videantur: quod tantum decet illos Medicos, qui auram popularem ambientes hoc vnum affectant, vt nunquam in præſagio erraſſe videantur. Alij, vt hoc idem euitent, ſolent prædictionem ipſam prætermittere. Alij, vt cognatis, ægriſque ſimul ſatisfaciant, certam ſalutem ſemper prænuntiant. Alij contra, vt aliquid feciſſe videantur, quod magni ſit momenti, mortem prædicunt, & loco facilis ſanationis difficilem reſtitutionem prognoſticantur, & loco facilioris morbum maiorem faciunt non verbis tantum, ſed vultu etiam tortuoſo, ac nutibus quibuſdam impertinentibus. At pius Medicus ſtudeat, ne in hæc errata incidat, atque iuſtè ſemper, vti ius poſtulat, & ex conſcien-

tia indicet, ſi mors timenda ſit, ſi periculum aliud immineat, ſi ſanitas præſens, aut tardè aduentura ſit, ingenuè fateatur; ſin dubius, incertuſue hæreat, illud idem appoſitis rationibus inter ſe contrarijs aſſerat, atque probet; ſi, quò declinandum ſit, ignoret, illud reliquis medicis, qui poſtea dicturi ſunt, iudicandum relinquat. Quòd ſi poſt alios dixerit, nihilque certi habeat, ab his non diſcrepet, quod ſolent plurimi facere à quodam ſuperbiæ faſtu acti, vt alijs plus ſemper ſapere, videantur. Contra nec illos ego probo, qui timore ducti, ambiguitate etiam rerum ſuccedentium docti, ab alijs haud diſſentire queunt, quamuis ad hoc agendum morbus ipſe, & natura omnium rerum dictarum illos impellat: tam peſſima morum ratio, atque malè ſana pietas inter medicos, qui operam ſuam venditant noſtris temporibus, viget: Non negarim quidem, ne iudicis ſeueriſſimi faciem gerat Medicus, in proferendo præſagio ea, quæ acerbiſſima ſunt, aliqua verborum lenitate eſſe mitiganda; quæ difficilima, pariter oratione mellita eſſe explicanda: at numquam falſum, numquam incertum, aut contrarium erit dicendnm.

Poſt præſagium aggrediemur curationem, quæ primo in veſtibulo continet illa, quæ quamuis morbum non profligent, nec cauſæ naturales ſint; tamen morbum, niſi optimè inſtituantur, cum fouere, tum etiam augere ſolent. quòd ſi ad normam redactæ fuerint, ſummopere ad agendum medico proſunt: hæ res non naturales dictæ ſex ſunt. Inter quas primum locum habeat ambiens aer, qui ſi bonus erit, laudabitur; ſin autem conſentiat aut cum ægritudine, aut cum tempeſtate, aut cum habitu, is damnandus erit, contrariuſque proferendus. in hoc autem dijudicando opus eſt, vt medicus ſit valde diligens in inquirenda natura loci, ideo oportebit, vt loquatur cum ijs, qui loca illa incolunt; ſimiliter etiam, vt legat hiſtorias: ita enim deueniet in notitiam aeris, & naturæ locorum, ſcietque, an aer iſtius illiuſue loci peſtilens ſit, aut aliam malam qualitatem in ſe habeat, ſemperque talem locum fugiendum eſſe pronuntiet, niſi hanc ſententiam mutare faciat ortus, ægrotantiſque educatio aliqua ex parte, atque ipſamet conſuetudo. Poſt hæc diæta ſuccedit, quæ tanti eſt momenti, vt vnam ſpeciem medicinæ diæteticam dictam conſtituerit. Cibus ergo talis, ac tantus inſtituatur exhibendus, qualem, quantumue vires ipſæ aut exiles, aut robuſtæ, aut abundantia, aut defectus, aut etiam morbus ipſe requirat: vires autem in hoc perpendantur tùm naturales, tum vitales, & totius corporis, nec non organorum concoquentium, veluti ventriculi, hepatis, ac ſimilium. tempus ac hora minimè prætermittatur: nam hæc variant cum ratione coctionis tardæ celeriſue, tum ratione morbi inuadentis, aut conſiſtentis, aut declinantis, vel ratione ſympromatum, quæ ſuperuenire ſolent. Quod de cibo dictum eſt, illud intelligas etiam de potu, ac de omnibus ijs, quibus hoc, vel illud condiri ſolet. Tertium tractandum caput ſub ſe motum, & quietem continet, in quo eadem ſunt obſeruanda, quæ in cibo, an motus conueniat, an quies, erit dicendum; quæue ſpecies motus, vel quietis, ſedendo ſcilicet, aut deambulando competat; quantum præterea deambulandum, aut ſedendum ſit, quotaue hora vtrumque aut incipiendum, aut finiendum ſit: nam hæc cum diligentem efficiunt medicum, tùm etiam iuuant ægrotantem. Somni, & vigiliæ ratio quarto loco tradenda erit, cuius norma ſit morbus, cauſæ, ſymptomata, vires, coctiones, atque ipſa conſuetudo: quibus diligentiſſime perpenſis, ſatis patebit, qualis, quantuſue, aut quota hora ſomnus probetur, aut illius contrarium, nempe vigilia. De repletione, vel fecum ipſarum retentione, earumque inanitione quinto capite aliquot fiant verba, & proponatur, quo modo feces ſicciores ſint ducendæ, quibuſue remedijs, an clyſteribus, an glandibus, an per ea, quæ per os aſſumuntur, ſintque inter hæc ea potius eligenda, quæ validas, quam quæ imbecillas vires habent, nec ne: horum iudices erunt vires, morbus, feces tales, aut tot, loca, illorum natura. Vltimo in loco ſunt animi paſſiones, & conſuetudo: non dico tamen quòd animi paſſiones ſint vltimo in loco corrigendæ; neque hæc dixerim, quia Medicus poſſit animo ægri mederi pharmaco, aut alia ratione; ſed quando hæc præuidiſſe opus ſit, & cum præuiderit, ægrum moneat, à quibus perturbationibus animi ſibi cauendum ſit, cognatoſque, ac aſſidentes doceat, quæ cauſæ eſſe poſſint aptæ ad has paſſiones recidendas, quæue contrariatum ſint affectandæ. Poſt res non naturales dictas curatio illa ſuccedit, quæ fir aut euacuatione, aut alteratione: Iſta autem, quæ euacuatione fir, cum duplex ſit, altera enim ſanguinis miſſione, altera purganti medicamento fit; videndum erit, an euacuatio conueniat: ſi conuenit, an vtraque, an altera tantum: ſi vtraque, quæ nam præcedere debeat: Euacuationem indicabunt morbi, cauſæ materiales, quæ præſentes ſint, aut quas futuras reputamus tum ex mole, tum loco, tum & motu ipſo hanc, vel illam euacuationis ſpeciem fore neceſſariam colliget; Materiæ porrò ipſius

euacua-

euacuationis ſpeciem indicabunt locus, in quo materia continetur, motus, vel quies: Quæ autem ſit euacuationis neceſſitas, monſtrabit, indicata magnitudine morbi, vel acutie vel celeritate; dummodo non contraindicent vires, ætas, locus, tempeſtas, ac ipſa cõſuetudo, à quibus omnibus dictis & indicationes, & contraindicationes tum ſecandæ venæ, tùm exhibendi pharmaci hàc, vel illa hora, hoc vel illo modo, tanta, minoriue quantitate, aſſumuntur: in quibus indicationibus opus eſt, vt valde ſit exercitatus mediens; aliàs quid certò agendum ſit, numquam ſciet: Si ſectionem venæ probauerit conſulens medicus, rationem afferat, cur id affirmet: neque prætermittat ea, quæ ob cruditates contentas in ventriculo, aut ob feces alui ante ſectionem venæ, vel etiam poſt requiruntur pharmaca lenientia, vel clyſteres: Et niſi materia furens ſit, quo modo ſit præparanda, viæque ſint reddendæ laxiores, doceat, vti ſcilicet prius laxanda ſit aluus, & quo lenienti medicamento laxanda, in quo affectus, viſcerumque natura, & conſuetudo ſummopere obſeruentur: deinde proponenda ſunt concoquentia in primis leuiora, deinde validiora; ea tamen eligantur, quæ aliquod viſcus princeps offendere minimè valeant, neque ventriculum ſubuertere poſſint: nam in his medicus, quantum fieri poteſt, iucunditatem affectare debet, ac ea cæteris medicamentis præferre, quæ ægro conſueta ſunt, & materiam præparare facilimè poſſunt. Poſt hæc, quænam medicamenta purgantia conueniant, edoceat, nec prætermittat horam, tempus, quantitatemque exhibendi pharmaci; & niſi per ſe medicamenta hæc ſint correcta, mentionem faciat de ipſorum correctione, & normam corrigendorum tradat: nec omittat dicere, an ſemel, vel per vices humores hi ſint euacuandi; an per ſuperiora, vel inferiora: quorum omnium indicationes teneat tanquam indices certos à materia ſumptos, & ab ipſius materiei natura, à quantitate, à loco, vel à locis, & partibus, à quibus, & per quas ducenda eſt materia ipſa; vel à morbo, à viribus, ætate, loco, tempeſtate, aut conſuetudine ipſa. Poſt euacuationem, ſi quid corrigendum erit ratione pharmaci, aut reſtituendum fuerit, illud non prætermittatur à medico conſulente. Quo facto deueniet ad enucleationem eorum, quæ alteranda, immutandaue ſunt, nec non ad localia dicta medicamenta, in quibus enumerandis hæc obſeruabit: primum qualitatem medicamenti, in quo notet, quòd ſemper à leuioribus eſt incipiendum, mox ad mediocria, & tandem ad grauiora aſcendendum: ſecundum, medicamenti quantitatem non deſpiciat: modum temporiſque terminum tractet; ac ſi qua in præparando peculiaris requiratur ratio, eandem enunciet, exquiſitaque, quantum fieri poterit, maximè affectet. horum autem indicationes accipiet à morbo, à parte læſa, à tempeſtate, loco, conſuetudine, medicamento etiam ipſo, atque illius potiſſimum conſiſtentia, quarum, vt cum ratione loqui videatur, breuem faciat mentionem. Si poſt loci immutationem in meliorem naturam robur aliquod adiungendum etiam videatur, illius meminiſſe oportet, & etiam medicamentorum, quibus illud addi poſſit. Et quoniam inter exquiſita validaque medicamenta ſolent eſſe thermarum aquæ aut epotæ, aut ſtillicidio affuſæ, aut per totum, ſuffitumue adhibitæ; ideo & harum aquarum faciat mentionem, quemadmodum & ſuffituum ſiccorum, & humidorum, vnctionum, potionum diuturnarum, & ſimilium. hęc omnia, aut aliqua ex iſtis minimè obſtinatè deſpiciat medicus, ſicuti nonnulli facere ſolent; ſed, ſi quæ apta videantur, illa apertè approbet: ſique contra ab alijs probata ineptiora videantur, ea modeſtè admodum improbet: quam normam pariter ſeruabit in omnibus alijs propoſitis medicamentis, aut modis curationis. Et quia aliquando accidit, vt & chirurgica aliqua actio requiratur; ideo & huius meminiſſe debet in conſultatione. Et quoniam in vno, eodemque morbo, ac affecto loco plures, variæque actiones proponuntur; ideo Mdicus in conſultatione ſemper & leuiorem, & certiorem, atque illam, quæ citius capi poſſit, proponat, cumque medicamentorum leuium, mediocrium, validiſſimorumque mentionem fecerit, ad aliorum commemorationem tranſeat, ac tandem ſectionis, aut alterius chirurgici operis, etiam ſi igne vri oporteret, illum non deſpiciat: & quoniam acerbiſſimum medicamenti genus eſt, illud verbis mitius, quam fieri poterit, reddat; &, ſi idem ſit, potius potentia talem, quam actu ignem proponat, dummodo ſanitas certa ſit propoſita, hanc duobus verbis extollendo, vt medicamenti acerbitatem leniat, & finem ſermoni, aut ſcripturæ imponat.

FINIS TRACTATI QVINTI.

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS,

Medici, ac Philoſophi præclariſsimi,

DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM,

Tertij Tomi Tractatus Sextus.

Libri propoſitum, & vtilitas. *Cap. I.*

CVM Anno ſuperiori inſtituiſſem tractationem de medicamẽtorum compoſitione, iuuenes ſtudioſiſſimi, in qua duo requiruntur, eorum nempè explicatio, quæ communia ſunt, quibus notis, cognoſcimus poſtmodũ, qua ratione medicamenta ſimul commiſceri ac fermentari valeant, & ſingularium notitia, quo certo ſcimus quo nam pacto hæc vel illa inuicem miſceantur. aggreſſus eram communia præcepta, eorumque ferme tractationem abſolueram; verum cum plurimos viderim non inter fuiſſe, ſatius eſſe putaui ſumma capita repetere, vt deinceps quæ dicturus ſum clarius à vobis intelligantur. Primum autem, quod vobis proponam, id eſt, de quo tractaturus ſum, hoc quidem ex ſe patet, nimirum de medicamentorum compoſitione, cõpoſitiſq; medicamentis: quæ quidem tractatio (difficilis) admodum eſt, quandoquidem neminẽ ex ſcriptorib. antiquis materiam hanc abſolutam tractaſſe reperio. & quamuis Galenus in tot libris eadem tractarit, non tamen exacta eſt, atque perfecta: præcepta namque illa particularia ſunt ad loca ſeu ad partes, parciterque de hac pertractarunt, confuſe, ſparſim, diminuteque admodum proceſſerunt. Cum igitur hoc ita ſit, duplex mihi erit negotium ſubeundum; alterum quidem, vt quæ ſparſim ab alijs dicta ſunt, in vnum colligam; alterum vero, vt quę carent & in alijs deſiderantur, abſoluam, ob id vt de ea difficile admodum tractandi munus eſt, ita valdè vtile nobis videtur, vt nil ea tractatione vtilius ſit ex his, quæ in arte medica recenſentur. medicus namque aptus efficitur ad artem capeſſendam, exercendamq; ita vt abſque hac cognitione neque medicus ſit, neque medicus dici promereatur. etenim medicina non eſt medicina niſi medicamentis, tum ſimplicibus, tum compoſitis quibus ea vtitur, veruntamen compoſitorum pharmacorũ notitia magis vtilis eſt ac neceſſaria; quoniã cum ex morbis quam plurimi ſint compoſiti, non ſimplicibus à natura factis vti cogimur, ſed cõpoſitis. ipſis plerunque, quæ ex natura talia perpauca ſunt, plurima vero arte conſtituuntur, & ob id ne-

ceſſaria quoque ac mirum in modum vtilis tractatio hæc erit. Sed dicet forte quis, cum tot Galeni, Aetij, aliorumque volumina habeamus, ſuperfluum vtique de his agendum videtur. At ſi caſu hi perirent auctores? exempli gratia ſi medicus nauigaturus libros de perdat omnes in mari, aderit quidem medicus, non tamen medicamenta habere poterit, ſi quidem libros perdidit, vbi aderant medicamenta. Quid igitur aget, ſi eorum cognitionem non callebit? medicus certè proprie non erit, vt antea dicebamus; neceſſaria ergo hæc eſt cognitio, vt ſine libris ex nobis ipſis medicamẽta componere poſſimus. præterea cum multa ab antiquis compoſita ſint, atque magis quam res expoſtulet, his vtique non vtimur; quoniam non omnia bona ſunt, iccirco in his delectu opus eſt; hic autem delectus ſine hac cognitione minime fieri poteſt; ergo cognitio hæc neceſſaria eſt. verum demus quod omnes antiquorum compoſitiones bonæ ſint, reperietis tamen quod non omnes conueniunt. nam in extractione oſſis, exempli gratia, reperietis ab aliquibus medicamenta calida & ſicca applicari: rurſus apud eoſdem authores in extrahendis oſſium ſquammis frigidum medicamentum apponi. quæro ego in hac controuerſia & ambiguitate, quonam pacto, quod nam medicamentum bonum ſit, atque conueniens, ſcire poſſimus? niſi velimus facere vt magiſter Grillus, qui experiebatur vnum, & ſi non iuuabat, ad aliud tranſitabat cum maximo artis dedecore, nulla alia certe via quam medicamentorum compoſitorum cognitione, quæ ex ſcopis habetur. Poſtremo ſi non alia ratione, potiſſimum hac notitia iſta neceſſaria eſt, vt naturam ſimplicium medicamentorum ſaltem cognoſcatis; non enim compoſita habere poſſumus, niſi cognitis ſimplicibus, quod ſi hanc habebitis compoſitorum cognitionem, ſimplicium quoque ea vobis innoteſcet.

Medicamenti diffinitio eiuſque examinatio. *Cap. II.*

AD rem itaque tam vtilem condeſcendamus, in qua quidem tractatione talis à nobis ſeruandus eſt ordo; primum quidem vt quid ſit medicamentum perpendamus: ſecundum autem quæ medicamenti materia; tertium vero, vt quotuplex ſit, & quid efficiat, & ad quem vſum aſſumatur, habeamus. In primis autem medicamentum ex Galeni ſententia tum primo, tum quinto de ſimplic. medic. facult. cap. 1. diffiniamus, quod quidem medicamentum placet nominare, vel pharmacum, vt Græci vocant, vel medicinam, vt recẽtiores nuncupant. idem enim penitus eſt. proinde huius talis eſt natura, ſeu diffinitio, quod illud ſit, quod naturam noſtram alterare poteſt. per alterationem autem æquè bonã, & malam intelligimus; ſiquidem omne quod ad malum corpus noſtrum alterare poteſt (vt eſt venenum) medicamenrum appellatur: iuxta quem intellectum Platonis tempore venenum pharmacum nuncupabatur.

Ego vero puto quod venenum prius pharmacum fuerit appellatum, quam ipſummet pharmacum. vnde dicunt nõnulli quod medicamenta pharmacoſa ſunt illa quæ aliquid veneni ſapiunt. at quoniam homo diuinam ſapiens naturam inuenit modum quo, venena alijs commiſcendo abſque eius detrimento, ſuperataque eorum malitia, tute ipſis vti poſſimus, hinc factum eſt vt medicamentum poſtmodum pharmacum nominatum ſit. Sed quicquid ſit, ſatis eſt ſciuiſſe quod medicamentum eſt quodcunque corpus noſtrum alterare poteſt. Sed dicet aliquis, nonne ſunt aliqua quæ corpus noſtrum alterant, veruntamen medicamenta non ſunt, vt victus ratio, cibus, & potus & huiuſmodi.

Etenim cum tria ſint inſtrumenta quibus ars medica vtitur, diæta, medicamentum & chirurgia: diæta quidem & chirurgia medicamento diſtinguuntur, corpus tamen noſtrum immutant; tales namque res non naturales, vt ait Gal. aer nimirum, cibus & potus, ſomnus & vigilia, & iſtiuſmodi corpus alterant, neq; ob id medicamenta ſunt: inſuper virum, ſpina, gladius, arundines, & quæcunque corpora contundunt, confringunt, & premunt: ferramenta quin etiam chirurgica, lintea calida, pannus, ſtuppa, & conſimilia alterant atq; immutant; nullus tamen ea omnia medicamenta nominabit. Ex quo conſequitur diffinitionem hanc nimis latã eſſe, cum res has non naturales, & alia quæcunq; enarrauimus, complectetur. Ego vero dico diffinitionem hanc perfectam admodum eſſe, indigere tamen interpretatione; quod ſi nos alteratione ipſam diſtinxerimns, noſcetis, iuuenes ſtudioſiſſimi, in ea nihil deficere, aut abundare. Cęterum, ex quinto Phyſicorũ con text. 1. & 2. habuiſtis ab Ariſtotele plures eſſe mutationis ſpecies, cum de ipſa alteratione ibidem verba facit. quod enim mutatur cum trifariam alterationẽ ſuſcipiat, tres conſur-

ſunt etiam ſpecies mutationis. nam aliæ per accidens mutationes dicuntur, quando quis ex immuſico muſicus efficitur; talis enim mutatio muſici de loco ad locum per accidens eſt, cum homo ſit qui vere moueatur, cui quidem eſſe muſicum accidit. aliæ autem ſecundum partem dicuntur, non autem per accidens, quando homo cruribus aut manu ſanatur, aliqua enim ipſius particula, non totum ſanatur, vtpote manus mea, quæ intemperie calida affecta ex ægritudine in ſanitatem mutatur; atque hæc per accidens mutatio non eſt, ſed partis mutatio. aliæ vero poſtremo mutationes ſunt non quidem per accidens, neque ſecundum partem, ſed per ſe, vt mutatio ex ægritudine totius corporis in ſanitatem totius, & ea ex pane, ac vino in ſanguinem. Cum ergo habemus has tres mutationes alterationeſque, dicimus nos Galenum loqui de alteratione, quæ per ſe fit, non autem de illa quæ eſt ratione partis; aut de ea ſecundum accidens: atque hoc pacto res non naturales medicamenta non ſunt, etſi corpus immutent. qui etenim vinum bibit, aut piper comedit, aut lactucam, incaleſcit quidem, aut refrigerabitur, verum ſi quæram à vobis, qua ratione incaleſcit, dicetis proculdubio ratione qualitatis & quantitatis, non tamen per ſe; ſi quidem adiungitur non ſubſtantia, ſed quantitas & qualitas; quarum ratione tale corpus calidum, & frigidum fit: & ob id hæc alteratio per accidens eſt: quoniam corpori adiungitur illud quod eſt calidum, non quidem vt alimentum, ſed vt caliditatem aut frigiditatem obtinet: ſomnus pariter & vigilia non ſunt medicamenta, proptereaque in ſomno viſcera per accidens incaleſcunt: ibidem namque ſpiritus coaceruantur, ac concentrantur. De motu quid dicemus, nonne per ſe partes incaleſcunt dum mouentur? Dico quod hoc ratione rarefactionis prouenit; quandoquidem motus maxime illidit & atterit aerem: is vero maxime illiſus & attritus maxime rareſcit; rarefactus autem incaleſcit. Et cum de aere loquor, intelligatis de eo in corporum poroſitatibus incluſo, quamuis & aer exterior hac ratione incaleſcere poſſit, quæ quidem alteratio per ſe non eſt, ſed per accidens: quoniam calefactus eſt ratione ſpirituum illiſorum, & attritorum. partes namque, vt dictum eſt, prius attritæ ſunt, quæ poſtmodum ſpiritus calefecerunt. Quod ſi hoc verum eſt, idem quoque de excrementis dicendum eſt, quę alterius ratione corpus immutant, atque ob id medicamenta, quæ per ſe alterant, dici non merentur. Sed de vitro & ſpina contundente, compungenteque quid dicendum? nonne per ſe alterant? Nulli certe dubium eſt quod per ſe alterationes ſunt, ſed diſtinguatis ipſam alterationem per ſe ſecundum philoſophos & medicos diuerſimode deſumptam. nam Gal. tertio de ſimplic. medic. capit. 4. dicebat; quod alterationes hæ quibus corpus noſtrum immutatur duplices ſunt; altera quidem quæ ſpecifica dicitur, altera non ſpecifica. ſi quis enim dicat medicamentum ſpecifica immutare alteratione, is vtique id ab eo diſtinguit quod non ſpecifica alteratione corpora immutat, atque Galenus hanc alterationem ſpecificam appellat, quamcunque mutationē præuiam ad ſpeciem quandam introducendam. etenim abſque his præuijs diſpoſitionibus nequaquam ſpecifica forma introduci poſſet. exempli gratia, habemus panem, qui carnis ſpecies fieri debet, in hoc vtique multæ præcedunt alterationes, antequam caro efficiatur, omneſque hæ alterationes per ſe & ſpecificæ nuncupantur, vtpote eliquatio panis, calefactio, attritio, confectio, agglutinatio & huiuſmodi cum igitur ea quæ ſecant, aut vrunt, aut compungunt, & ſimilia ad ſpecificam non perueniant alterationem, neque illius gratia aliquid agant, ideo inter medicamenta numeranda non ſunt, vt recte à nobis concludendum ſit, medicamentum ipſum alterare, ſeu immutare non ſecundum accidens, neque ſecundum partem, ſed per ſe, & ſpecifica alteratione; quam quidem diffinitionem ſi hoc modo limitabimus, laxa, & ampla vtique non erit, ſed ſtricta, & maxime concinna. Sed quid dicendum de his quæ ſpecifica alteratione immutant, vt eſt ſtuppa calida, lateres concalefacti, balnea arte facta calida, inſtrumenta chirurgica, & huiuſmodi, quæ per ſe, & ſpecifice inalterant. Dicendum equidem cenſeo reuera medicamenta hęc non eſſe, neque appellati. Sed obſeruate quid dicat Galenus 8. Method. capit. 1. cum de medicamenti loquitur natura. vtitur enim duobus his verbis μεταβάλλειν πέφυκε, hoc eſt, *mutari aptum eſt*, quaſi inferat, quod natura comparatum eſt, non arte factum vt medicamentum immutet. Ex quibus quidem verbis colligo ego, quod illud medicamentum dicendum eſt quod alterat corpus ita vt alteratio hæc ſibi inſita ſit, atque connaturalis, id vero quod aſcititia quædam natura hunc producit effectum, nequaquam medicamentum dicetur. nam ſi aſcititia natura agit, id vtique vt inſtrumentum efficiet, non autem vt hac præditum facultate; ob id balnea, inſtrumenta chirurgica, ſtuppa, & alia conſimilia cum ex eorum natura non calefaciant, hęc eſſe medicamenta dicendum non eſt. quod autem de his dixi, id ipſum de omnibus alijs intelligendum eſt, quæ per inſitam naturam non immutant; nulla etenim inter hæc differentia eſt niſi ex parte materiæ; quandoquidem alia

eſt materia ſtuppæ, alia inſtrumenti chirurgici, & alia alterius talis. atque hac ratione omnia iſta excludimus in medicamenti diffinitione, quæ talis eſt,quod illud ſit, quod alterat corpus per ſe, & inſita quadam ac innata facultate.

Sed ſuperſunt elementa, quæ inſitam & actu facultatem habent, hæc quidem calefaciendi, illa vero infrigidandi, illa humectandi,atque illa exiccandi. ob id videntur medicamenta, ſi Galeni dogma inſequi voluerimus;verum tamen magna videtur de his difficultas, in nonnullis enim locis Galenus reſtatur elementa eſſe medicamenta, in alijs verò ea à medicamentis ſeiungit. Ego autem cum viderem plures vtrinque rationes adeſſe, ſuperiori anno dicebam quod elementa nón ſunt medicamenta, ſed qua ratione ab his erant ſequeſtranda dicebam in medicamenti diffinitione aliquid ſtatuendum,quo indicaretur medicamentum etiam quid prius à calore natiuo pati, antequam corpus noſtrum immutet. erant autem complures rationes quæ me ad hanc ſententiam ſuſtinendam promouebant, inter quas prima erat ex Galeno deſumpta lib. 6. de ſimplic.medic. facult. à principio, qui omnia medicamenta ad tria tantum genera refert his verbis:Cæterum quoniam medicamenta omnia partim ſunt partes animalium,aut plantarum,aut fructuum,aut horum liquores, quos ὀπὼς Græci vocant, aut ſucci, partim vero ex metallis ſumuntur; optimum mihi viſum eſt de plantis ante omnia diſſerere, tum quod numeroſiſſimum illarum eſt genus, tum quod virium robore præcellentiſſimum; inde de metallis tractare, atque hinc ad animalium partes tranſire, ſi omnia medicamenta ad animalia, plantas, & metalla referuntur; elementa vtique ad nullum ex his minime reduci poterit; non enim ſunt animalium partes, aut animalia. neque minus plantæ, aut quæpiam ex metallicis, ergo medicamenta non ſunt.

Secunda erat ratio ex 2. de facult.ſimplic.medic. nam omne calidum alterans corpus eſt actu calidum, vt ignis & aer;aut poteſtate calidum, vt alimentum,vt pannus,aut medicamentum. obſeruate, quęſo, ſub quo genere Gal.ſtatuat medicamentum,ac elementū: ſub diuerſo ſane. vtrumque medicamentum enim ſub corpore calido,quod tale ſit poteſtate, elementa vero ſub eo quod actu tale ſit, ſi ergo ſub diuerſo genere ſtatuuntur,ergo elementa non ſunt medicamenta, quoniam ſub eodem genere ponerentur. at quod hæc vera ſit Galeni ſententia, ex eius verbis colligebam, quandoquidem medicamentum omne calidum requirit, vt momentum ac principium à calore noſtro calefaciendi ſuſcipiat, vt ex hoc clare colligendum ſit elementa non eſſe medicamenta. Addebam & tertiam Gal.author.ex 2.de facult.medic.ſimplic. cap. 24. ſumptam, vbi dicebat aerem calefactum actu corpus noſtrum calidum reddere, ait medicamenta calida poteſtate corpora noſtra calefaciunt,prius tamen ab ipſis excitata, quod quidem neque igni neque aeri contingit.Addatis Galeni author.ex 3.de ſimplic.medic.facult.cap.20. & infra. vbi inquirit ipſe, qua ratione veteres dixere medicamenta frigida talia eſſe poteſtate,non autem actu.& ſubdit, quoniam quadantenus eandem vim refrigerandi a corpore noſtro ſuſcipiunt,quemadmodum calida calefaciēdi. Tunc quæro ego,terra & aqua ſunt frigida,hæc autē frigiditas eſt ne in actu,an in potentia? Si dixeris in potentia,mentiris,ſenſus enim contrarium atteſtatur:ſi actu,ergo non ſunt medicamenta.hæc namq; non ſtatim agunt,ſed in futuro; elementa vero ſtatim alterant non autem in futuro; inſuper medicamenta agunt excitata prius à calore noſtro, elementa vero nequaquam ab eo excitantur.Hæc ſunt quæ à nobis ſuperiori anno interpretabantur, atq; hæc maxima proculdubio difficultas eſt.nam ſi ita eſt,vt dixi,ac rationibus comprobaui,primum quidem infinita præcipua medicamenta excludimus,vtpote balnea naturalia,quæ actu calida ſunt,atque medicamenta, præterea alexiteria, & deleteria, quæ à corpore noſtro vim non accipiunt.Inſuper quid dicendum de radice pęoniæ, quæ ſi collo ſuſpendatur, motus epilepticos prohibet? atque hoc verum eſt, veruntamen ea à corpore non incaleſcit; quia exterius ſuſpenſa apponitur, non ergo dicere poſſumus quod illa non ſint medicamenta,neq; minus,quod à calore noſtro alterentur,ſiquidem regula germanica eſt,quod exterius appoſita liberant apoplecticos abſque eo quod à calore noſtro concaleſcant.præterea primo de elementis,c.7.inquit Gal. elementa eſſe medicamenta, cum in ſummo volumus calefacere,aut refrigerare, aut aliam qualitatē in ſummo inducere. Secundo,primo de ſimpl.med.facult.cap.1.ait Gal.nos tractamus de facult. ſimpl. med. ſimplex autem medicamentum id eſt,quod relatum ad aliud compoſitum non eſt, corpuſque alterare poteſt ob ſuam facultatem, quæ ei aut in actu, aut in potentia ineſt; in actu quidem veluti eſt in igne facultas, in potentia vero, vt in pyrethro. Videte ergo quomodo clara eſt Galeni ſententia,elementa nimirum eſſe medicamenta.tertio Gal.3. de temp. capit. 1. 2. & 3. medicamentorum diuiſionem facit, & inquit, quod alia ſunt medicamenta in actu, alia in potentia. ſi igitur nos habemus medicamentum in actu,

hoc eſt, quod corporis noſtri ope non egeat, cuiuſmodi ſunt elementa, ergo elementa medicamenta ſunt. Quid dicemus in hac quæſtione, cum hinc inde ſint rationes?

Quotieſcunque habemus probatum auctorem apertè dicentem elementa eſſe medicamenta, ſemper debemus præponere eius dicta aperta, & clara demonſtratiuis etiam rationibus, quæ ex ſuis dictis elici poſſint. at ſententia Galeni manifeſta eſt, vt nulla egeat declaratione. elementa enim rei veritate ipſi medicamento præbent vſum, & ob id medicamenta dici promerentur. Ad primam autem aduerſus hanc ſententiam rationem dicamus, quod in primis probandum eſt diuiſionem illam integram eſſe, atq; perfectam, & tunc valebit ratio; verum diuiſio illa integra non eſt. nam cum Gal. eo ſexto de ſimplic. medic. facult. à principio inquit omnia medicamenta aut ſunt partes animalium, aut plantarum, aut metallorum, non meminit excremẽtorum animalium, quę medicamenta reuera ſunt: in plantis quinetiam reliquit adnata, fungos, viſcus, & alia huiuſmodi. ecce igitur, quòd diuiſio illa integra non eſt, & ideo probandum diuiſionem eam eſſe perfectam, & poſtmodũ inſerre elementa ſub ea non collocari. tunc enim concluſio bene valeret, non continentur elementa ſub ea diuiſione, ergo elementa non ſunt medicamenta; ſed diuiſio integra non eſt, ergo nec ipſa ratio valet. Dico autem ego, quod Gal. eo in loco quandam dedit ſimilitudinem diuiſionis, vt ordinem afferret medicamentorum, qui in plantis, animalibus, atque metallis conſiſtit, vt Gal. prius quidem de plantis, poſtea verò de alijs ſe iure pertractaſſe oſtenderet. Ad ſecundam verò rationem dico, quòd diuiſio illa non eſt à Galeno conſtituta, vt elementum à medicamento ſeiungeret, ſed vt ipſum à ſtuppa, & alijs, quę poteſtate calefaciunt, diſtingueret. elementum enim in genere actus reperitur, quatenus actu conſtat tale, ſuumq́ue opus efficit ex ſe, ac ſine aliquo corporis noſtri adminiculo.

Tertiæ verò rationi reſpondeo, cum dicebat Gal. aer eſt in actu, medicamentum verò in potentia: valet vtiq; conſequentia, quod aer non habet vim in futuro, quodq́; non ſit in potentia, non tamen quod aer medicamentum non ſit in actu. Ad vltimam verò rationem non poſſum ego aliter reſpondere, niſi ex his quæ eo 3. de ſimpl. med. facul. ſcripſit Gal. Legatis eum: nam ipſius mens eſt, quod medicamenta frigida in actu ſunt, & ſi quod à corpore noſtro patiuntur, eſt quod comminuuntur, & atteruntur, ex quo fit motus, hoc pacto eo lib. dixit Gal. de medicamentis frigidis, quod quadantenus vim accipiunt à corpore noſtro, vti dictum eſt, alterant; non autem quod actu frigiditatem adipiſcuntur. nullam enim accipiunt qualitatem, ſed comminutionem, atque attritionem. Quare ex his, quæ hucuſque à nobis ſunt declarata, abſolutam medicamenti diffinitionem colligentes, dicamus, quòd medicamentum eſt illud, quod corpus noſtrum per ſe, ſpecifica alteratione immutare poteſt, quodq́ue vim habet à natura inſitam, vt noſtrum alteret corpus, atque hæc eſt medicamenti abſoluta, perfectaq́ue diffinitio.

Quot ſint in medicamentis alterationis, ſeu facultatum genera, & ſpecies. Cap. III.

HIS ita conſtitutis, ſecundum quod erat explicandũ aggrediamur, quænã ſint alterationes illæ quibus corpus immutatur. Gal. itaq; omnes iſtas triplici genere diſpoſuit; alias quidem primas, ſecundas alias, & alias tertias appellans, loca autem in quibus hæc ſcripſit, ſunt tum 5. de ſimpl. med. fac. paſſim, tum etiam 6. de cõpoſ. med. per genera, vbi triplices has eſſe alterationes pronunciauit, atq; iure merito. nam à facultatibus naturaliter ipſis medicamentis inhærentib. tales alterationes emanant, ita vt primus ordo, ſeu primũ alterationis genus primarum facultatũ eſſe dicat, ſecundũ ſecundarũ, ac tertium tertiarum. Verum poſteriores cũ vidiſſent cõplura alia addi poſſe, quartum quoque facultatis genus, ſeu alterationis adiũxerunt. In primo autem ordine, ſeu genere continentur facultates calefaciendi, refrigerandi, humectandi, & exſiccandi; atq; hę dicuntur primæ alterationes, quæ ex ipſis prædictis proueniunt. in ſecundo verò genere ſunt mollities, & durities, raritas, & dẽſitas, reſolutio, repercuſſio, & attractio, quibus addatis concoctionem, deterſionem, partium extenſionem, putrefactionem, apertionem, obſtructionem, & doloris mitigationem, quæ omnia ſunt alterationes ſecundę, ſeu effectus ab his prouenientes, ſeu facultates has facientes alterationes, quæ in hoc ſecundo cõtinentur genere, vt & voluit Auerr. 5. ſui collig. lib. qui carnis generationem, &

partium

Digitized by Google

partium confortationẽ, vſtionem, & cicatricis generationẽ addendas eſſe putauit, verumtamen mihi videtur, quod hæc minimè addendę ſint, non quidem partium confortatio. Cum enim partiũ alicuius, exempli gratia, ventriculi confortatio dupliciter accipiatur, aut quatenus eam conſeruamus, aut ad melius reſtituimus: ſi primo modo ventriculum alteremus conſeruantes ipſum, neceſſario ipſum calefacimus, aut infrigidamus, & hinc talis alteratio eſt in primo genere. ſi verò ſecũdo modo, vt ſtringimus aut vnimus eum, in ſecundo genere ex prædictis collocanda eſt: neque etiã video quomodo carnis generatio addi poſſit, cum in tertio genere reponatur, vt paulò infra dicemus. atqui ex tertio genere ſunt vulnerũ agglutinatioꝗ, cicatricum obductio, carnis generatio, necnon & lactis, & pilorum reſtitutio. hæ enim omnes alterationes in tertio ſunt genere contentæ, quæ à facultatibus medicamentis inhærentibus proueniunt. Sed Auer. eo. 5. collig. cap. 4. & 20. nonnulla addebat, veluti fractionem lapidis, vrinæ prouocationem, ac lactis, necnon menſtruorum generationem, prouocationemque, ſeminis propagationem, & pectoris expurgationem, cuius quidem ſententiam confirmat Montanus lib. illo de ſimpl. medic. neque mouetur abſque ratione. nam Auerr. id totum à Gal. 5. de ſimplic. medic. facult. cap. 2. aſſumpſiſſe videtur: proponit etenim Auerr. cap. 4. illius libri de ſecundis, & tertijs facultatibus pertractaturum, & eodem lib. cap. 20. inquit, abunde tractauimus de ſecundis; iam ad ea quæ ſecundas conſequuntur, tranſeamus. certum autem eſt ex his verbis, quod Auerr. Galenum inſequens de tertijs poſt ſecundas agit. hæc ratio eſt, quæ hos viros mouit, verũ ego non conſentio his. ratio autem hæc eſt: quoniam cum habeamus quartum facultatum genus, hæc vtique aptius huic quarto, quàm tertio conueniũt, ac ſub eo rectius collocantur. Sed dicet aliquis, ſi Gal. has poſt ſecundas collocat, cur tu in quarto genere ponis? hęc vtiq; obiectio nil valet: quoniã ſicut tu ò Auerroes quartum genus admittis, quod non ſtatuit Gal. ideo liceat mihi has alterationes ſub quarto, quàm ſub tertio, rectius collocare. Cæterum hic eſt vna difficultas. nam Gal. lib. de compoſ. medic. ſecundum genera carniũ productiones, & alia in tertio genere repoſuit. at 5. de ſimplic. medic. facult. ea inter ſecundum genus connumerat. ecce manifeſta contrarietas adeſt. Tollatis vos facile hac ratione, & dicatis, quod lib. de compoſit. medic. per genera ipſe ex inſtituto de ordine harum facultatũ pertractauit, & ideo quæ ſint medicamenta, in 1. & 2. & in 3. ex inſtituto ac propoſito recenſet; at lib. 5. de ſimplic. med. facul. non abſolutè ordinem inſtituit, ſed ſimilitudinem inter ſe. Vultis autẽ hoc videre, ipſum adeatis, qui de diureticis agit, quæ tertium habent ordinem, eaque inter ſecundas facultates vnà cum prouocantibus lac & menſtrua reponit. ſeruat etenim Gal. ſimilitudinẽ, quam quidem prouocantia vrinam, & menſtrua habent, ſecundum quam etiam detergentibus in ſecundo ordine facultatibus ſimilia ſunt. Porrò additur quartum genus ab Auerr. & Montano, & rectè ſane: & in hoc genere ſunt illa, quæ à propria ſubſtantia, & occultè agunt, quæq; magis vnam quam aliam partem reſpiciunt: quandoquidem medici cum ignorant cauſam efficientem, dicunt medicamentum agere à proprietate: ignoramus enim cauſam, aut cum medicamẽtum magis agat in vna parte quàm in alia, dicimus adeſſe proprietatem. atque hæ ſunt omnes medicamentorum purgantium, ac venenorum alterationes, quę vrinã prouocant, ſputum, menſes, & lac ipſum, necnon ſudorem, ſiquidem vnum humorem quàm aliũ magis reſpiciunt: & ideo in quarto genere reperiũtur. Cęterum his enucleatis à vobis vnum eſt adnotandũ, quod cum de his diximus, aliquando qualitatum, nonnunquam facultatum, & quandoque alterationis nominibus vſi ſumus. nam medicamẽti caliditas, vis, potentia, ac facultas eſt, quæ verò ab ea procedit, alteratio, ſicut qualitas, quæ in corpore eſt introducta, vtpotè durities, atq; mollities. Nos verò multoties confundimus nomina ob vocum defectum, prædictas alterationes, medicamenti facultates, opera, effectus, & huiuſmodi nuncupantes: & ideo non immerito diuerſis ſum vſus nominibus, cum tamen, exempli gratia, reſolutionem eam eſſe ſecundum alterationem intelligam, à facultate prouenientem, quæ nomen habet. Notate inſuper ſecundum, quod cum dicimus omnes has facultates corpus alterare, quodq; per ſe alterant, vnum aliud addendum eſt, aliqua quidem primario, alia verò ſecũdario corpus ipſum immutare, alterareq; : vtraque tamen per ſe, quæ primario agunt, ſunt quæcũque in primo ordine à nobis collocata ſunt, vt caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas. primario namque & per ſe caliditas calefacit, ſic & de alijs dicendum eſt. Prætetea venenata omnia, quæ in quarto ſunt ordine, ſeu genere, ac medicamenta quæq; purgantia, quibus hoc ineſt, vt primario ac per ſe agant, alia verò quęcunque ea ſint ſecundariò immutant, quandoquidem cum opus eſt rareſacere corpus, primum opus eſt vt humor incaleſcat, ac ſecũdario corpus rarefiat, & ideo talis alteratio primario facta non dicitur, ſed ſecundario, quoniam ad humorũ calefactionem conſequitur, quod itidem de alijs dicitur.

Sed

Sed aduertendum eſt, quod Gal. 9. de ſimpl. medic. facult. loquens de Ammoniaco dicebat, quod ex operibus medicamentorum (& appellat opus effectum in corpore noſtro exiſtentem) aliqua ſunt re vera medicamentorum opera, vt raritas, mollities, & durities. medicamentorum enim quoduis per ſe aut primo, aut ſecundario in nos agit, neque aliam cauſam reddere poſſumus. nam ſi rarefactum, concaleſactumque corpus eſt, non alia ſanè ex cauſa, niſi quoniam medicamentum id fecit. at generatio carnis, & pilorum inſtauratio ſuntne medicamentorum opera? minimè hercle: ſed naturæ ipſius. natura namque opus ſuum cognoſcens ad ipſum properat, & ita carnem generat, & pilos reſtaurat, ergo male nos hæc in medicamentis, cum naturæ ſint opera, collocauimus? minimè quidem: ſed audiatis quæſo, nō valet ratio ſuperius efformata: quoniam quamuis hæc natura agat, eaq; immutet, non autem medicamentum; ſciatis tamen quod natura operatur ab ipſo medicamento irritata, atque alterata. cum enim non apponitis medicamenta ei qui alopecia laborat, nūquam pili renaſcentur, aut maxima cum difficultate. pariter ſi cuipiam caro regignenda ſit, vtpote in brachio aut altera parte, nunquam caro gignetur, niſi ſordes prius amoueatis, vt medicamentis deterſorijs neceſſario ſit opus, & ideo dico, quòd natura excitata ab horum opere medicamentorum poſtmodum promptius agit, & immutat, quod quidem opus nomen non habuit: ob id rectè fecit Gal. dum hęc in tertio genere collocat: non quia hęc medicamenta ex ſe alterationem moliantur, ſed quoniam partem alterant, exempli gratia, cutem capitis, dum pilos reſtituere exoptamus, aut brachium, aut aliud membrum, dum carnem gignere tentamus. Conſtituto igitur quod iſtæ facultates agant, aliæ quidem primario, aliæ verò ſecundario, quodq; aliæ ſint in primo, nonnullæ in ſecundo, aut tertio, aut quarto genere, ſeu ordine, manifeſto liquet, cur medici tot alterationis ſeu facultatum gradus poſuerint. nam cum primæ facultates ſimplices ſint, & in actu efficiantur, ad omniū aliarum actiones cōcurrunt, ideo in primo merito collocātur, quæ verò ſecundæ, talem habent ordinem: quoniā vt agant primæ requirūtur, exempli gratia, in rarefactione calefactio requiritur, in denſatione verò frigiditas, quibus abſque ſecundæ facultates non agerent. patet quin etiam de tertio genere, cur tali nomine facultates ſub hoc genere inſigniantur. non enim abſq; primis & ſecundis tertiarū actiones fient, vt in carnis generatione, in qua nūquam natura opus ſuum promet, quin prius vlcus detergatur, neque deterſio efficietur, niſi alteratio primi generis, nempè calefactio prius adſit. idem quoque & de alijs dicatis. De quarto autem genere ſciatis, quod id nullis alijs prioribus indiget, vt exempli gratia, ſolutiua quorumcunque excrementorum in alijs ordinibus reponi non poſſunt, quoniam nec primus, nec ſecundus, nec tertius in ipſis ad ſui alterationem concurrunt, pariter & venena, & alexipharmaca, quæ nullo prædictorum gradu, ac ordine indigent: itaque iure hæ primæ facultates dicuntur, aliæ ſecundæ, & aliæ tertiæ: quia primæ nullis egent, ſecundæ primis, & tertiæ primis ac ſecundis, quartæ verò prædictis non indigent, & ad nullam earum reduci poſſunt, vt declaratum eſt.

De gradibus, & ſeu ordinibus, qui in medicamentis reperiuntur, qui, & quot ſint. Cap. IIII.

VIDENDVM autem in primis eſt de caliditate, quam primo locauimus facultatum ordine; nam quamuis vna ſit caliditas qua corpus noſtrum incaleſcit, ſecundum tamen magis & minus diſtinguitur. nam ſi corpori apponamus chamæmelū & anethum, & ſi vtraque calefacere videantur, attamen magis anethum calefaciet, quàm chamæmelum. pariter ſi idem medicamentū diuerſimodè paretur ac propinetur, apponaturve corpori, vt piper. ſi enim ſublimatū paretur, magis aduret, quàm quod ſublimatum non eſt. Cum autem id obſeruaſſent medici, qualitatib. ordinem, & normā ponere coacti ſunt, & ita gradus in vnaquaq; qualitate reperire, quos quidem gradus Græci τάξεις, hoc eſt (ordines) appellant; quoniam has qualitates ordine quodam ſe conſequi videmus: nuncuparunt etiam ἀποστάσεις, hoc eſt (receſſus) quandoquidem qualitates hæ ab habitu temperato recedunt. ſi enim magis aut minus ab ipſo tēperato dilabuntur, noſtri verò appellant gradus, ordines, & exceſſus, qui quatuor in quaq; qualitate numero cōſtituuntur; nam ſiue quis incaleſcat, ſiue frigeſiat, ſiue humectetur, ſiue exſiccetur à quopiam ex medicamentis, inquiūnt hi, talis calefactio, ſiue infrigidatio, ſiue humectatio, ſiue exſiccatio ita intendi poteſt, vt vſque ad quartum gradum procedat.

Dili-

Diffiniuntur autem hoc pacto ordines hi, quoniam primus caliditatis gradus, ſiue ordo eſt, cum caliditas qua corpus noſtrum afficitur, ab nobis percipitur, veruntamen abſque dolore, moleſtia, & ſenſus abhorritione. exempli gratia ſi corpori noſtro chamæmelon, & thus apponamus, id vtique ſine moleſtia, & dolore caliditatem percipiet. atque de hoc primo ordine loquebatur Gal. 2. de ſimpl. med. facul. c. 27. ſecundus autem gradus eſt, cum partes calefiunt, & ſenſus diſplicentiam quandam percipit, & abhorret, non tamen dolet. ſi quidem ſecundus hic gradus dolorem reuera non facit, ſed magis quandam diſplicentiam. exempli gratia, ſi accipiamus ſemina aniſorum, aut fæniculi, eaque confundamus corpori noſtro apponentes, caliditatem vtique percipiemus, à qua ſenſus noſter abhorret, non tamen ei dolorem infert. Tertius vero gradus eſt, vt adſit coniunctus dolor vna cum triſti ſenſatione, & moleſtia ſenſus. Sed notate, quod caliditas hæc iſtius gradus licet dolorem efficiat, non tamen manifeſte partem corrumpit, ſed quadam immanifeſta continui ſolutione, & intemperie quadam occulta nos afficit. At quarti gradus eſt, quod in huiuſmodi medicamentis non ſolum triſtis adſit ſenſatio & dolor, verum quod corpus corrumpatur, & partes adurantur. Et quod dico de calidis, idem & de frigidis, humidis, & ſiccis, ſed in humiditate quidem non ita clare huiuſmodi gradus patent; quoniam humiditas ſola dolorem non affert, quod itidem dicendum eſt de compoſitis pharmacis, in his nanque dantur etiam quatuor prædicti gradus. Sed adeſt vna difficultas à Raymundo Lullo libello illo de quinta eſſentia tacta. diſputat nãque eo libello, an verum ſit quod in medicamentis compoſitis hi quatuor dentur gradus: quoniam exempli gratia in caliditate & humiditate, inquit ipſe, duæ qualitates intenſæ, & in ſummo dari nequeunt, proponitque multa difficilia argumenta, quæ diluere nolo, hoc etenim ad philoſophum potius ſpectat quam ad medicum. At quoniã Galeni dogmate ſuſtinemus in igne intenſam, ac in ſummo gradu eſſe caliditatem, & ſiccitatẽ, ideo tenere debemus idipſum quoque medicamentis compoſitis adeſſe, ita vt in his etiam hi intenſi gradus appareanr. nam cum ex Galeni mente elementa eſſe medicamenta à nobis concluſum ſit, in alijs etiam medicamentis illud ipſum tenendum eſt. Scio ego argumenta, quæ in hac materia adducuntur, ſed ea prætermitto, quæ tamen apud ipſum Raymundum videre poteſtis, & ſuper ea penſitare. In iſtis autem gradibus laudo ego ſummam Gal. diligentiam, primus namque horum inuentor fuit, aut ſi non inuentor, primus tamen expoſitor, ac qui eos primus etiam perfecit. proinde videatis alteram ipſius diligentiam, quod cum animaduertiſſet in hoc primo gradu quandam diſtinctionem & latitudinem, ipſum quidem diſtinxit, vt & omnes alios ſecundos, tertios, & quartos in tres partes, ſeu portiones, principium, medium, & finem, appellauitq; principium gradum incipientem, ſecundum medium ipſius, & tertium gradum intenſum: & ita habemus omnes qualitates primi generis diſtinctas in quatuor gradus, & vnum gradum in tres diuiſum, principium, medium, & finem. Quod autem diximus de qualitatibus primi ordinis, idem ne poſſemus & de ſecundis cenſere? Reuera non datur locus in his ob exiguam earum diuariationem. nam in raritate & denſitate exceſſus hi nequaquã dantur; corpus etenim noſtrum in quarto rarius fieri non poteſt, cum nec in fauillam conuerti poſſit, quæ quidẽ raritas tanta neceſſaria foret, ſi quartus rarefactionis gradus daretur. Et ideo cum ſecundæ qualitates hanc non habeant latitudinem euidentem, Gal. earum diſtinctionem prętermiſit. Multo quinetiam minus gradus iſti dantur in qualitatib. tertij ordinis, atque adhuc minus in eis quæ ſunt in quarto genere. Et ideo non miremini Gal. hos non diſtinxiſſe. quoniam in eis latitudo euidens non adeſt, quã quidem iure merito prætermiſit. Notate autem vnum aliud, quod quędam qualitas adeſt quę dicitur temperies, quæ in æquali contrariarum qualitatum temperamento conſiſtit, atque propria ipſarum partium paſſio eſt, de qua nondum locuti ſumus: quoniã ſi ipſum corpus ſecundum naturam ſe habuerit, à medicamento huiuſmodi temperie prędito minimè alterari poteſt; ſed ſi pręter naturam ſe habuerit, poteſt benè medicamentum id per contrariam qualitatem ad æqualem temperiem id ipſum reducere. Sed vnum adnotandum eſt, quo nam pacto huiuſmodi æqualitas corpus noſtrum calefaciat. Gal. 1. de ſimp. med. cap. 2. inquit, quod iſtæ qualitates ſunt opera cuiuſpiam actionis; cum autem hoc ita ſit, videndum occurrit quæ nam iſta ſit actio. hæc quidem eſt energia quædã in corpore noſtro, qua ipſum incaleſcit, & talis motus actiuus eſt, qui à facultate prouenit. facultas igitur eſt cauſa motus actiui. motus autem actiuus eſt cauſa ipſorũ operum, quia hoc ſibi vult vocabulum illud Græcum δύναμις, hoc eſt potentia. idem enim ſignificat facultas, potentia, ac virtus, quæ ab Arabibus hoc nomine nuncupatur, ita vt colligendum ſit quod medicamenta agant in corpus: quoniam hanc inſitam habent facultatem, quæ motus actiui cauſa eſt, & motus actiuus operis.

Ex quo

Ex quo colligatis ſolutionem ad Gal.ſententiam 1. de ſimpl.med.fac.medicamentum dici ac referri ad aliquid. id namque vt dicebat idem eo lib.cap.4. cauſa eſt; cauſa autem omnis relatiua ad effectum dicitur. Si igitur opus naturale prouenit rationc motus actiui, & iſtius motus facultas eſt cauſa,ſequitur quod facultas ad opus relationem habebit, quoniam medicamenti proprium eſt,quod ad affectum corpus relationem habet. Et dicebat Ariſt. quòd ſubiectorum ſunt actiones, ergo medicamentum hoc,exempli gratia, in quo calefaciendi facultas eſt, cauſa actionis dicitur; ergo motus actiui, & ex conſequenti caliditatis in corpore noſtro. concluſum itaque ſit medicamentũ referri,& hanc relationem eſſe ad corpus noſtrum:quia eſt cauſa illius qualitatis quæ ipſum afficit. Addatis vnum aliud, quod cum opera iſta quatuor ſint generum, nempe calida, frigida,humida,& ſicca,atque hæc quatuor habeant gradus,& vnumquodque tres ordines,meritò medicamēta in tot gradus,& ordines diuidere poſſumus.Et ideo Gal.dixit medicamentum calidũ in primo gradu eſſe, non quod hoc in medicamentis obſeruauit (ſolus enim Deus glorioſus hęc nouit) cum facultates exquiſitè habere nequeamus,ſed ratione operum,quæ in corporibus noſtris efficiuntur,vt hoc quidem medicamentum in primo calidum,illud in ſecundo,& tertio,& quarto dicatur. Et quia medicamentum per facultates agit,ideo Gal.facultates in primo,ſecundo,tertio,& quarto ordine diſtinxit.Quocirca quando reperietis Gal. dicentem facultates medicamentorum in primo gradu,intelligatis medicamentum tale in primo gradu exempli gratia calidum, qui quidem primus gradus vt cæteri alij,ab ipſo rectè in medicamentis conſtituti ſunt. Notate autem vnum aliud,quod vt nos diſtinguebamus opera illa per gradus, ita & Galen.ipſe medicamenta per gradus diſtinxit, nempe primum,ſecundum, tertium,& quartum. Et quia corporis affectiones per gradus diſtinguere non poteramus, hinc eſt, quod in ſecundis medicamentis,ſeu qualitatibus nulla graduum diſtinctio à nobis, atque Gal. poſita eſt.

Quid ſit facultas, & quotupliciter capiatur. Cap. V.

SED quiſpiam quęrat quænam ſit facultas: nam cum omnia reduxerim à poſteriori ad prius, vt facultatem explicarem, pauci ſunt qui,quæ ea ſit,rectè intelligant. Per facultates, domini,vel virtutem,vel potētiam intelligo,id quod Græci δύναμιν, quæ non vnam rem indicat,ſed multiplicem. aliquando enim accipimus facultatem pro qualitatibus actiuis & paſſiuis ſimplicibus proprijs elementorum, & tunc dicimus facultatem eſſe calidam,frigidam,& humidam, & ſiccam, vt & Ariſt. accipit in ſecundo de partib.animalium,cap.1. vbi ait primam corporum compoſitionem fieri ex primis corporib. ſimplicibus,vel potius ex τῶν δυνάμεων, hoc eſt ex facultatibus, & declarat ibidē Philoſophus eas,ſcilicet calidum,frigidum,humidum,& ſiccum. Ex quo loco per facultates elementorum intellexit qualitates primas. Addatis & Galeni authoritatem primo de facultatibus naturalibus,cap.6. facultates enim primæ (inquit) & elementares ſunt caliditas,humiditas,& ſiccitas: addatis & alteram ex primo de ſimplic. medic. facult. cap.1. vbi has facultates appellat οὐσίας, & eſſentias. Si igitur eſſentia iſtarum facultatum eſt eadem cum ſubſtantia (nam eſſentia ligni eſt eadem cum ligno) per facultatē intelligimus qualitates ipſas primas; vnde & Auerr. 12.metaph.commen.18.inquit,quòd iſtæ facultates primæ ſunt primæ qualitates. Alia ratione nos accipimus facultatem non per ſimplicem qualitatem elementorum,quæ in corpore actu,vel potentia eſt, ſed pro quadam re compoſita, in qua omnes adſunt conditiones mixtionis: quæ autem hæ ſint conditiones, legatis Ariſt.primo de gene.& corrup.circa finem:vbi de mixtione pertractat,quam κρᾶσιν appellat: requiruntur autem, inquit,tria neceſſario ad hoc,vt ignis,aqua,aer, & terra inuicem miſceantur. primum quidem,vt illa quæ miſcētur,ſuam integram materiam non ſeruent,quoniam non eſſet craſis,& cōtemperatio, ſed compoſitio verbi gratia ex igne, aere, aqua, & terra debet fieri lignum, dico, quòd nullum horum ſuam materiam integram ſeruare debet,quia eſſet confuſio,non mixtio: idem quoque de qualitatibus. nam ſi remanent integræ,non eſſet craſis,ſed compoſitio.ſecunda conditio eſt,vt illa quę miſcentur, non penitus mutentur, quoniam ſi ex toto periret materia illorum componentium,non eſſet mixtio,ſed generatio, atque corruptio. idipſum dico & de qualitatibus. miſceatur calidum cum frigido, ſi ipſa frigiditas periret, naturalis vtiq; corruptio foret, atq; generatio; frigiditatis quidē corruptio; generatio verò caliditatis,non autē mixtio. Tertia conditio eſt,quod facta mixtione atq; temperamento,illud quod reſultat ex hoc, primum

primum ſit vniforme; ſecundo non ſit aliquod exile, ſed actu exiſtat, hoc eſt, vt ſit ſimilare, & actu tale exiſtat, ac monſtrari poſſit; exempli gratia, in ligno, non oportet vt aer ſolus monſtrari poſſit, quia non eſſet mixtio, ſed vt vnaquæque pars minima reperiatur illa quæ miſceatur, vt ego miſceo ignem cum aqua, ex hac mixtione reſultat quoddam tertium, quod non ſit idem cum ipſo igne & aqua, neque cum eorum qualitatibus. & ſi accipiam partem minimam illius compoſiti, & aliam, oportet vt in vnaquaque parte partes omnes eorum elementorum reperiantur. Itaque per facultatem ſub hoc ſecundo intellectu intelligimus temperamentum corporum mixtorum, quatenus mixta ſunt: atque hoc dixit Hipp. quod & Gal. mille in locis expoſuit, verbi gratia ſicut in harmonia vos obſeruatis graue, acutum & alia, & fit ex his concentus & ſymphonia, ego quæro quis ſit iſte concentus? Diceris ne eſſe vocem acutam, & grauem? minime. Diceris eſſe proportionem grauis & acuti? non, ſed potius mixtionem grauis & acuti: ita & temperamentum eſt corporum compoſitorum, quæ conſtant ex qualitatibus ſimplicibus, quæ corruptæ ſunt, ſed in hoc tertio conueniunt. Et ideo per facultatem ſub hoc ſenſu temperamentum intelligitur, vel temperies corporis mixti, & forma mixti. mixtum enim dicitur mixtum vel per qualitates ſubſtantiam inſequentes, vel per ipſam ſubſtantiam, & ob id merito qualitates hæ mixti forma dicuntur: confirmatur autem id quod à nobis dictum eſt, ex author. Galen. in primo de præſag. ex pulſibus capit. 4. vbi loquens de particulis corporum, quæ ex elementis quatuor compoſita ſunt, & per cōſequens has primas quatuor qualitates in ſe habēt, dicebat propriam οὐσίαν, & ſubſtantiā quatuor qualitatum eſſe facultatem, quæ in commodo illorum temperamento conſiſtit. ecce quod temperamentum eſt partium ſubſtantia. addatis & aliam authoritatem ex eod. ſecundo lib. c. 8. vbi dicebat facultatum eſſentiam nil aliud eſſe præter hanc vel illam temperaturam, & cum dicimus temperaturam, ſemper intelligimus facultatem illam mixtam ex primis qualitatibus. Ecce quod Galenus accipit temperamentum, vel mixtam illam qualitatem pro partis ſubſtantia. idem quoque in libro de plenit. cap. 2. eſſentiam corporum compoſitorum conſiſtere in tali temperamēto voluit, & hoc temperamentum eſſe partis ſubſtantiam intelligit. pariter & in 3. de temp. c. 1. & in libris de locis affectis, vbi de re iſta loquitur. poſita autem ibidem quædam vox eſt, ſcilicet (effectus) quæ legi non debet; quoniam in contextu Græco non reperitur. poſtremo in primo de facultat. natur. cap. 6. hoc aperte ſatis dicebat, nempe quod facultates compoſitæ, ex ipſis conſimplicibus quatuor, frigiditate, caliditate, humiditate, ſiccitate componuntur. vultis ne aliud clarius? iſtæ enim inquit Gal. ſunt proprium temperamentum ipſarum particularum, vt in oſſe quidem ipſius oſſis, in carne verò ipſius carnis, ac in alijs huiuſmodi talium temperamentum. Et ideo in oſſe appellat Gal. oſſificam virtutem ſeu facultatem, ſeu temperamentum, in neruo neruificam, & in carne carnificam, in quibus quidem nil aliud intelligit adeſſe, niſi vnum oſſis vel carnis, vel nerui temperamentum.

Dantur & aliæ facultates, vtpote facultas formatrix, de qua Galenus agit in libro de format. fœtus, c. 6. vbi Galenus inquit, ſe ignorare ipſius ſubſtantiam, & num à duabus prioribus diſtincta ſit. Eſt ergo tertium facultatis ſignificatum: adiungimus autem alias à Philoſophis enucleatas facultates, nimirum loco mouentem, intelligentem, ſentientem, & alias animæ virtutes. Nos autem loquentes de medicamentis eas tantū duas facultates intelligimus, vel ſcilicet elementarem qualitatem, vel temperamentum corporis mixti.

Quæ à facultate proueniant actiones, & quot. Cap. VI.

DICAMVS ergo à facultate prouenire actiones. rerum autem naturalium actiones ſunt, vt ſeipſas ſuſtentent, & augeantur, quod quidem fieri non poteſt, niſi contraria vincant. conſeruatio enim ſui ipſius, aut auctio, quæ ſecundum naturam, eſt, in quas omnia naturalia proprio inſtinctu inclinant, fieri non poteſt, niſi agentia naturalia in contraria pugnent & vincant, alioquin vincerentur: at ideo pugnant, vt ſe ipſa conſeruent. nam calidum pugnat cum frigido, non niſi vt ſe conſeruet. Et ob id non poſſet calidum ſeipſum conſeruare niſi pugnando, atque vincendo, & ad ſuam naturam conuertendo: at ſi calidum exempli gratia non poteſt vincere, hoc eſt non poteſt conuertere ad ſuam naturam, à frigido expellitur; prætereа calidū non poſſet conſeruari, niſi attrahendo familiare, & contrariū expellendo, ac noxium.

Et ideo cum huiuſmodi ſint actiones, illum quidem motum actiuum eſſe intelligo; igitur actionis cauſa eſt pugna, & ſui ipſius conſeruatio. Cum igitur hæc ſint cauſæ actionum ipſarum facultatum, facultates quidem calidæ, frigidæ, humidæ & ſiccæ calefacient, frigefacient, humectabunt, & exiccabunt. pariter & facultates ſecundæ, hoc eſt temperamenta agent, & pugnabunt vt naturam ſuam conſeruent. atque hæ dicentur agere à tota ſubſtantia. Vnde notate Gal. ſententiam ſecundo de temperamentis, cap. 1. qui ait agentia illa, quæ ſimplici qualitate corpus noſtrum alterant, dicuntur manifeſta qualitate agere; illa vero quæ agunt ratione temperamenti, à tota agunt ſubſtantia. Et ideo actiones, quæ à temperamento proueniunt, à tota ſubſtantia emanant.

An in medicamentis ambæ propoſitæ facultates reperiantur.
Cap. VII.

HIS conſtitutis quæretis forte vos, an huiuſmodi facultates duæ propoſitæ in medicamentis reperiantur? nulli dubium eſt, quod primæ reperiuntur, ſi quidem videmus pyrethrum & piper calefacere, de alia autem ſecunda idem videmus, quod reubarbarum ſuo quidem temperamento bilem trahit; & in ipſam agit. Sed optime obſeruate vocem hanc (temperamentum) nam proprie ſemper temperamentum mixtum eſt ex quatuor qualitatibus, & ſi dicimus temperamentum reubarbari eſſe calidum, pariter illud piperis, ac aliorum medicamentorũ ſimplicium atque compoſitorum, improprie loquimur; quoniam aliam vocem non habemus: & ideo per temperamentum formam mixtam ex quatuor qualitatibus intelligere debemus, ſiquidem fel viperæ ſuo occidit temperamento, non autem vt calidum eſt, aut frigidum, aut humidum, aut ſiccum, ſed vt ex his compoſitum. Sed quæretis adhuc, vtrum facultas vtraque in ſimplici medicamento reperiatur. Dico ego quod vtraque reperiatur; nullum enim adeſt medicamentum, quod & qualitatibus, & temperamentis corpus noſtrum non alteret. Sed dices, nonne dantur medicamenta temperata? maxime quidem, ſed erit in tota ſpecie medicamentum illud temperatum, non autem homini comparatum, nam raro temperatus homo reperitur. nam thus puerorum corpus alterabit aliter quam ſenum; & ideo concludendum eſt medicamentum omnes has duas habere facultates. Addetis vos, quod vt medicamentum agat, contrarietate indiget; nam quotieſcunque id reperiet contrarietatem, ſemper aget. ſi autem non adſit contrarietas, non aget; ſed quoniam ſemper adeſt, ideo medicamentum ſemper agit. aget igitur medicamentum humidum in ſiccum, & ſiccum in humidum, ſic & de alijs dicendum.

De ſecunda vero facultate hoc eſt temperamento, clarum etiam eſt quod agit, dummodo contrarium adſit, in quod agere poſſit. Sed hęc temperamenta a poſteriori cognoſcimus: at quando non adeſt in corpore occaſio & contrarietas, vtriq; actio non efficietur; cum ſcil. non reperit aliquod q̃ trahat, aut expellat, aut vincat, non quod in ipſo medicamento facultas non inſit; ibidem nanque adeſt, ſed non agit, propterea quod in corpore noſtro non adinuenit aliquod quod aut trahat, aut expellat, aut alia conſimilia in ſe habeat. Sed aduerſus nos dicet forte quis, tu dicis quod neceſſario in medicamento duæ facultates adſint, ſed aliquando vna agit, quãdoque autem altera, ſi hoc verum eſt, vbi erit iſta facultas ſimplex in hoc medicamento? nam omnes facultates ſimplices ſunt refractę, & caſtigatæ. erit igitur tantum compoſita, & non ſimplex. ſi exempli gratia accipimus reubarbarum, ego quæro (inquit ille) abs te, ex quo conſtare dices, quod ex igne, aqua, aere, & terra, & ex quatuor primis qualitatibus ſimplicibus ſi mixtione omnia iſta refracta ſunt, & inuicem mutata, vt factum ſit corpus vnum vtpote rabarbarum, & non amplius ſit ignis, ſed latens, non quidem actu, ſed refractus; adſit autem tantum tertium illud, hoc eſt temperamentum, quod reubarbari ſubſtantiam conſtituit; ergo non adeſt facultas illa ſimplex ſed tãtum compoſita. ergo falſum eſt quod dicunt medici, & tu cum eis. Dicendum eſt, quod cum ad hoc reſpiciat Gal. 1. de facult. ſimplic. medic. cap. 1. quoniam nõ poterat eſſe gemina facultas eodem modo in actu, duplices namque in actu forent, ſtatim diſtinguebat facultatem ipſam illam, quæ eſſet energia, vel ſimplex, vel compoſita, & in illam quæ eſſet in futuro, quam nos (potentiam) nominamus: facultas quidem in actu ſeu qualitas in actu (inquit Gal.) intelligitur ea ſimplex, quæ ſenſu dignoſcitur, & in actu eſt, vt in elementis caliditas, frigiditas, humiditas & ſiccitas. facultatem vero in potentia nuncupat Gal. 3. de temp. cap. 1. illam, quæ nondum talis eſt, qualis dicitur,

Digitized by Google

vt facultas calefaciendi in pipere: non enim ea calida facultas in eo talis eſt, qualis eſſe dicitur, ſed (ſubiungit Gal.) talis eſſe poteſt, atque ad id habilis eſt, verum adhuc imperfecta. Diſtinguatis ergo facultatem quæ aut eſt in actu, aut in potentia, videbitis recte medicos dicere. nam cum dicebatur, eſt ne facultas illa ſimplex in actu in ipſis medicamentis, de temperamento enim dubium non eſt, quod actu eſt, vt in pipere in quo adeſt temperamentum actu tale, qua piper eſt; ſed de ſimplici illa facultate dico, quod ipſa ſemper in potentia reperitur, non autem in actu. Et ita non habet locum argumentum, quod erat, quod ſequeretur duas eſſe actu facultates: qualitates enim ſimplices in mixto actu non ſunt, ſed in potentia. Et ideo non ex ſe, ſed aliquid requirunt vt agant, nempe vt incitentur, & ſuſcitentur à corpore. temperamentum vero quæ ſecunda facultas eſt, in actu agit, non ſuſcitatum, ſed per ſe.

De medicamentorum actuatione ſecundum aliorum ſententias. Cap. VIII.

ET ideo ſoluta eſt difficultas. verum adhuc maior inſurgit, vtrum facultates ſimplices medicamentorum ſemper in potẽtia eſſe dicantur: Galenus etenim inquit quod ſemper in potentia ſunt, & huic opinioni acceſſit Auer. 5. collig. cap. 3. vbi omnia medicamenta facultates primas in potentia haberi aſſeuerat. acceſſere & philoſophi in hanc ſententiam, vt recenſet Ioan. Grammaticus 1. de gener. & corrupt. contex. 92. ſecundum ipſius diuiſionem, quo quidem loco teſtatur, quod ex omnium antiquorum philoſophorum conſenſu medicamenta facultates ſimplices in ſe omnes potentia habent, non autem actu, & ego videor in hanc deſcendere ſententiam. nam ſi illæ qualitates in mixto eſſent in actu, conſequeretur, quod non adeſſet temperamentum: veruntamen Gal. quamuis videatur dicere medicamenta habere primas in potentia qualitates, voluit tamen quod quædam etiam in actu eas habeant, vt piper quidem habet qualitates potentia calidas, & in frigidis adſunt actu qualitates frigidæ. nam opium & omnia deleteria frigida refrigerant: quia actu frigiditatem habent, ergo non omnes ſunt in potentia, ſed nonnullæ in actu, vt frigidæ. Cum igitur antiqui medici fuerint prioris ſententiæ, quod omnes facultates ſimplices ſint in potentia, non autem in actu, quorum opinioni adhæſerunt Auer. & philoſophi: Gal. vero alteri opinioni aſſentiat, quod quædam etiam ſint in actu, vt in frigidis medicamentis, referendæ ſunt rationes, quibus vtraque ſecta roborari poteſt: & primum eorum rationes in medium afferemus. qui omnes in potentia adeſſe exiſtimarunt, quorum prima ratio eſt. Tota medicorũ philoſophorumque ſchola ſuſtinet facultates ſimplices eſſe in potentia, ſi hoc ſuppoſitũ verum eſt, & quod vnum contrarium in ſe habet reſpectu alterius, vt ſicut vna eſt alterius natura, ita & eadem ſit alterius, cum caliditas in medicamento calido in potentia ſit, cur & in medicamento frigido eadem non erit in potentia? Addatis ſecundam: ſi daretur frigidam in actu adeſſe ſimplicẽ qualitatem in ipſis medicamentis, conſequeretur id quidẽ ſequi, vt in alijs omnibus actualibus, quod ſcilicet appoſita hæc qualitas corpori ſubiecto ſtatim contrario in ipſum ageret. accipiamus enim aquam actu humidam, illa quidem humiditas nõ ſolum corpus humanum, & lignum, & lateres, ſed & omnia ſicca humectabit: quoniã humiditas illa in actu eſt, pariter de ſiccitate, caliditate & frigiditate dicendum eſt. accipiatis autem opium, & ferro apponatis, & ligno, nullum horum refrigerabit. Dicunt nonnulli huic obiecto obuiare contendentes, quod frigiditas hæc actu exiſtens penetrare nõ poteſt. Sed mihi ſat erit quod in ſuperficie refrigeret. veruntamen in ſuperficie non refrigerat, quod quidem ſi actu tale eſſet, efficere deberet, vt in reliquis quæ vere actu ſunt, corporibus. Sed dicet aliquis, medicamentũ tale frigidum agit in corpus humanum, non tamen in aliud ob proprietatẽ quandam ipſi inſitam. Verum hoc dicendum non eſt, quia non loquimur de qualitate & proprietate occulta, ſed manifeſta, & ideo reſponſio nulla, cũ nõ videamus opium efficere vt omnes qualitates in actu frigidæ faciunt. Tertia autem eſt ratio, ſi opium eſſet in actu, ſequeretur quod omnia medicamenta talia eſſent medicamenta diſſimilaria, aut quod elemẽta in illo medicamento nõ forent mixta. probo hanc conſequentiã. ſi enim medicamenta frigida habent in actu frigiditatem, quęro quę ſit? nulli dubiũ quod eſt elementi frigiditas. ſi igitur ita eſt, ergo illa frigiditas non erit mixta cum alijs, neq; corpus mixtũ erit. præterea ſi daretur hæc frigiditas in actu, ſequeretur quod hęc quidem frigiditas in vna eſſet parte, & in altera ſuũ tem-

peramentum, atque hoc modo mixtum foret corpus diſſimilare, non autem ſimilare: ſed hoc eſt abſurdum & inconueniens, ergo frigiditas illa in actu non eſt. Addatis vos rationem hanc. nam ego quæro a Galeno qua ratione, calida (exempli gratia) piper ſublimatum in quarto calefaciat gradu. reſpondebit vtique quod piper hanc in potentia in ſe qualitatem continet. Si autem quæram ab eodem, cur hanc habeat qualitatem; reſpondebit proculdubio quod in mixto latentem in potentia ignem habet, caſtigatumque & refractum, ita vt actu qualitas non appareat. hoc ſtante ſi quæram rurſum ab eo, quomodo opium refrigeret, reſpondebit ſane, quia potentia refrigerandi vim habet: quæram autem rurſus cur? dicet ille quia ſecum habet aquam, vel terram admixtam; quæ ſi in actu eſſet, ſequeretur quod elementa in mixto corpore mixta non reperirentur. amplius aqua & terra actu apparerent: & ideo conſequitur quod omnia medicamenta tam calida quam frigida in potentia facultates habeant, non autem in actu. atque hæc ſunt argumenta quæ pro hac faciunt opinione. dicebam autem contra eſſe Galenũ in 3. de temp. cap. 2. & 3. & 3. de facult. ſimplic. medic. cap. 20. vbi aperte aſſerit medicamenta calida habere in potentia facultates, frigida vero in actu. & quia fuit ſcriptor bonus, ideo eius dicta interpretanda ſunt. nam (inquit ille) dixere antiqui ea medicamenta habere facultates in potentia: quia quamuis in actu ſint, non poſſunt agere in corpus noſtrum, niſi quædam adiungantur. nam requiritur ad hoc vt frigida hæc primo agant, vt per anguſtos meatus penetrent, & quia ipſa talia medicamenta craſſa potiuntur ſubſtantia, ideo penetrare non poſſunt niſi attenuentur, & propterea ſecundum hunc ſenſum in potentia ſunt: præterea requiritur etiam ad hoc vt penetrent, vt penetrandi motum obtineant atque calorem. nam cauſa efficiens penetrationis eſt, aut motus, aut caliditas, aut vacuum, aut quid ſimile. iuuat quidem in medicamentis tenuitas vt penetrent, ſed efficiens cauſa eſt motus & calor: vnde autem habetur motus hic & calor? hoc quidem pacto ex motu ipſarum arteriarum, qui agens in medicamentum ipſum calefacit: atque hoc modo motus acquiritur & calor; ita vt poſtmodum medicamentum excalefactum ac magis tenue redditum penetret: quæ vtique penetratio cum fieri non poſſit niſi cum his, ideo ratione huius dixerunt illi medicamentum frigidum eſſe in potentia, vt & reliqua alia medicamenta: quamuis reuera frigida actu talia ſint. Ratione autem non ſpernenda mouet Galenus: nam ſi medicamenta frigida non eſſent actu talia, non appareret quomodo in actũ reducerentur, ac à quo talis reductio fieret. nam ſi quæratur qua ratione piper in potentia fiat actu, dicemus vtique quod erit naturalis calor ratione ſimilitudinis, qui medicamentum id calidum reddit: at in opio quæ erit facultas, quæ ipſum ad actum deducet? non quidem calor naturalis eſſe poteſt: quoniam is contrarius eſt, non ſimilis: & ideo Galenus hac motus ratione, ſuſtinuit medicamenta frigida eſſe in actu, non autem in potentia. Addit etiam ſecundo alteram rationem: demus nos, quod per poſſibile, vel impoſſibile per accidens calor naturalis ea in actum deducat, complura conſequentur incommoda; inter quæ hoc eſt, quod aſſimilatum corrumpet aſſimilans; & aſſimilans corrumpet aſſimilatum. in frigidis enim medicamentis hoc manifeſte apparet: quoniam ſi accipimus opium, calor naturalis eſt aſſimilans, opium vero aſſimilatum: opium quidem corrumpet aſſimilans, hoc eſt calorem naturalẽ, quod quidem maximum eſt inconueniens: quod autem hoc ita ſit, dicam quid accidit. cum eſſem Piſis, Dux enim corpora iuſtitiæ tradenda anatomicis exhibebat, vt morte quæ ſibi videbatur ab ipſis interficerentur; nos autem vni exhibuimus drachmam opij, & ſpatio ſeptem horarum ipſum interfecimus, exhibuimus autem quãdoque alteri laboranti quartana, qui poſt potum ſtatim rigore affici cœpit, cui maximus calor inde ſucceſſit. neque mortuus eſt, vtpote victo à calore naturali ipſo opio: & ideo neceſſe eſt vt dicamus frigida hæc eſſe actu frigida, non autem poteſtate: Auerroes autem hoc videns 5. collig. c. 6. inquit, Difficultas quidem maxima hæc eſt ſcire quomodo medicamenta frigida agant. nam Gal. concedit medicamenta frigida eſſe in potentia, dummodo reperiatur aliquid quod ad actum deducat: & ideo Auer. dicebat, hoc pacto ſentit Gal. nam quemadmodum cibaria calida ſi vertuntur in chylum, vertuntur quidem in chylum calidum, & cibaria frigida in chylum frigidum, quod ipſum corpus nutrit & refrigerat; ita medicamenta calida & frigida ſe habent: ex quibus quidam ſuccus calidus aut frigidus reſultat, qui poſtea in corpus noſtrum agit. Ego vero quæro ab Auerroe, iſte chylus eſt calidus actu aut potentia ſi eſt actu calidus vel frigidus, quomodo hoc erit? aut enim erit ratione propriæ naturæ, vel ratione efficientis. ſi dices quod chylus hic eſt calidus vel frigidus ratione ſuæ naturæ, hoc quidem eſſe nõ poteſt. ſupponit namque à calore ipſum actuari, reſpondebit forte ratione efficientis; contra dico, quod hoc eſſe non poteſt: quia à calore hunc actum accipere nõ potuit; ſi enim chylus eſt per ſe frigidus, nunquam actu calidus eſſe poterit.

Et

Digitized by Google

Et ideo nec Auer. rationem inuenire potuit, qua frigida medicamenta ad actum redigantur. Galenus autem in 2. de temperamentis cap. 20. & in 3. de facultatibus naturalibus, dum loquitur de medicamentorum actuatione inquit, quod actuantur & frigida, & calida medicamenta, ſed per actuationem calidorum vnum intelligimus, per actuationem vero frigidorum aliud vnum. nam actuatio calidi fit à calore naturali. attenuat enim, exhibet modum, concitat, & actu calefacit, per quam quidem calefactionem irritata potentia illa calida in medicamento ſurgit, & vires ſuas profert. etenim ſi haberem granum frumenti in manu, remoto impedimento id vtique deſcendet, ita & me dicamentum ſe habet, cum in eo partes ſint tenuiores agitatæ, ſtatim incaleſcunt actua li quidem caliditate, ſecundum tamen varium modum. nam ſi medicamentum habet propenſionem ad caliditatem temperatam, manet in eo calore: ſi copioſam caliditatem obtinet, ſtatim vix minima alteratione calida ab innato calore excitata erumpit, & vim ſuam promit, idque euenit, quod tormento illo æneo aduenire ſolet. ſicut enim ex minima ignis ſcintilla, ac pauco calore aut flamma maximus ignis & flamma excitatur; ita & medicamentum à calore noſtro quandam veluti ignis ſcintillam ſuſcipiens ſuam copioſam actionem oſtendit. Vnum autem eſt adnotandum ex 3. de temp. capitulo 3. quod in medicamento aliquid eſſe in potentia primo quidem modo dicitur propenſio quædam tanta, & propinqua, vt addito pauco momento in actum redeat. verbi gratia dicimus bitumen tantam habere ad ignem propenſionem, vt ſtatim ignis efficiatur: eadem quoque vis eſt in aqua vitæ. nam in ea tanta eſt propenſio, & prompta potentia, vt ſtatim ſi igni propinquetur in ipſum vertatur. ſecundus autem modus potentiæ eſt, quando aliquid eſt tale vt immediate ſi alicui alteri appropinquetur, in illud facile conuerti poſſit. exempli gratia, ſanguis eſt in potentia caro, ita vt immediate caro fiat. tertius vero modus potentiæ eſt, quando aliquid mediate in potentia eſt tale, ita vt per varia media tandem ad illud deducatur, vt panis potentia eſt caro: quoniam primo in chylum vertitur, mox in ſanguinem, & tandem caro efficitur. Altero vero modo poſſumus conſiderare aliquid eſſe in potentia, aut quod tale per ſe in potentia ſit, aut per accidens. verbi gratia ſit iuuenis robuſtus, qui in calida aqua vel aere ſit, ſi ponatur in aquam frigidam, is quidem per ſe frigidum ſtatum acquiret, aqua tamen illa per accidens iuuenem calefaciet, cum tamen per ſe calefaciendi potentiam non habeat, calefacit tamen, & ideo per accidens calefacit: quoniam illi hæc per accidens potentia adeſt. Cum ergo inquit Galenus quod medicamenta habent potentiam, intelligendum eſt de prima potentia. nam pipere parum à calore naturali excitato ſtatim in eo magna caliditas erumpit, & effunditur, ac ſe in actum profert. Et narrabat Galenus exemplum de quadam domo, vbi ſtercus columbinum aderat, & feneſtra pice illita: ſol enim incaluit, ſtercus autem calidum in potentia a ſolis calore excitatum ſuam in actu caliditatem effudit, & picem aduſſit & domum totam. Cæterum cum philoſophi dicant, quod tunc, ſi hoc eſſet, ſequeretur hoc, quod calor ageret vltra gradum proprium, hoc quidem non eſſe dicendum eſt: quia ſemper calor ſuo gradu agit, nec ob id medicamentum re agit vltra proprium gradum. ſtercus enim (verbi gratia) columbinum (vt antea diximus) eſt in quarto gradu, ſub ſole autem manet: ſol quidem in 4. gradu calefacere non poteſt, ſed ſtercus ipſum à ſole parum percalefactum, ad eum vſque gradum quartum poſtmodum accenditur, & in 4. eo agit. atque hæc eſt Galeno ſententia de caloris actuatione. De ea vero frigoris ſeu frigiditatis actuatione dico ego, quod in hoc vniuoca actuatio non eſt, ſed æquinoca: quia opus eſt vt medicamenta hæc frigida tantum attenuentur & agitentur, & ita frigida ſunt. actu antur tamen æquiuoca actuatione, hoc eſt attenuatione & agitatione, non autem vt ipſa calida medicamenta. De actuatione vero humidorum & ſiccorum non inuenio apud antiquos vllum locum, & ne verbum quidem. Videtur autem quod omnia medicamenta, quæ corpus noſtrum humectare poſſunt, actu ſint humida: nam diſſoluuntur, attenuantur, & eliquantur à calore naturali, & ita actu ſunt vti metalla eliquata. Et fortaſſe hac ratione moti ſcriptores, voluerunt quod ſupponendum ſit omnia medicamenta quæ corpus humectare poſſunt, actu humida eſſe. De ſiccis quoque eadem ratione videtur dicendum. Cæterum de humidis fortaſſe recte dixerunt: quia humida ad hoc vt humectent corpus noſtrum, aut ſenſu actu humida videantur neceſſum eſt, aut ſaltem à calore noſtro eliquentur: & ſic in actu talia ſint. nam cera vim habet humectandi ſi ab igne liqueſcat. Veruntamen cera à calore noſtro eliquari non poteſt, ſed concreſcit. nam in dyſenteria mittimus clyſterem per inteſtina cum cera quę concreſcit. Et ideo aliud requiritur ad actuationem humidorum & ſiccorum, præter illud quod dictum eſt. Ego igitur colligo dari aliqua medicamenta humida in potentia, quæ eliquari à corpore noſtro nequeunt.

De ſiccis vero quid dicendum? aqua enim marina humida actu eſt, & tamen corpus exiccat: ergo hæc non habent actu facultatem ſiccam, ſed in potentia. Et ideo ex medicorum ſententia ego hæc talia actu eſſe dicere nequeo. Ex ſententia vero Auerrois bene dicere poſſem, quoniam non potuit inuenire cauſam efficientẽ quæ medicamentum illud ad actum deducat. nam cum chylus potentia ſiccus ſit, calor autem naturalis humidæ naturę, non poterit eſſe cauſa efficiens, qua chylus actu ſiccus reddatur. Et ideo dico, quod ratione Auerrois non habeo quod vobis ſatisfaciam. Ex ſententia vero Galen. non inepte dicere poſſumus humida eſſe actu talia. nam ratione humiditatis adiunctæ dum agitatur medicamentum, primum quidem humectatur, & poſtea erumpit, & ſuam actionem proferr. De ſiccis vero dico, quod omnia quæ actu humida ſunt, ſicca quoque potentia eſſe poſſunt: & ita dicimus, quod actuantur humida & ſicca à calore noſtro, vel quod ſaltem maior pars medicamenti humectantis in actu eſt; exiccantis vero minor portio in potentia reperiatur.

De actuatione medicamentorum ſecundum propriam ſententiam. Cap. IX.

HIS conſtitutis, poſtquam egi de medicamentorum actuatione ex aliorum ſententia, reliquum eſt vt meam ſententiam proferam, vtrum ſcilicet reperiantur efficientia actualia. nam Galenus ſi habuiſſet efficiens actuans frigidum, dixiſſet frigida eſſe in potentia, at non potuit cauſam hanc efficientem adinuenire; & ideo videndum eſt ſi eſt aliqua cauſa, qua ſaluari poſſit medicamẽta frigida eſſe potentia talia. Et ſciatis quod non diſſentio à Galeno vt diſſentiam, ſed vt meam ſententiam proferam. In actuatione igitur neceſſarium eſt primo vt medicamenta attenuentur. nam cum craſſæ eorum partes penetrare non poſſint, alterantur per partem poſt partem (& hæc pulcra eſt quæſtio) igitur requiritur vt in partes attenuentur ita paruas, vt per poros carnis, arteriarum, & oſſis penetrare poſſint: iſta autem attenuatio duobus efficitur modis, aut arte, aut natura. arte quidem à ſeplaſiarijs, & nobis ipſis, etenim partim elixatione, partim tritura in puluerem, ſeu ſectione attenuamus: à natura vero, hoc eſt à calore noſtro: quia aliquod integrum corpori noſtro applicamus, calor naturalis agit in illud, & attenuat, & atterit. Quare in medicamentis illis quæ per ſe attenuata ſunt, vel humida, vel calida tenuia, alia non indigent attenuatione, quia talem habent, & agens non niſi in contrarium agit. hæc quidem prima alterationis eſt præparatio: ſecunda vero requiritur, nempe quod omnes iſtæ partes agitentur, vt facilius permeent, & ideo neceſſarius eſt motus. nam medicamentum calefacit inteſtinum, cerebrum, & alias huiuſmodi partes, quia ad has penetrat. igitur ad hanc penetrationem requiritur motus, is vero duobus dari modis poteſt, aut ab arte, aut à natura. ab arte quidem cum imponimus medicamenta tenuia. hinc eſt quod medici moliuntur in dolore capitis, quæ ex alto cadunt. vtuntur quinetiam libenter ſuffumigijs: nam cum aqua cadit ex alto, maiorem facit impreſſionem: quandoquidem ex illo motu facilius tenues partes ad profundum tendunt acquiſito motu & inclinatione. nam hæc erat ſententia Hippoc. libro de natura pueri, vbi proponit quæſtionem, cur interanea terræ hieme ſint calida, æſtate vero frigida, inquit hoc eſſe, quia pluuia penetrat magis intima terræ quando pluit æſtate quam hieme. ergo patet quod per extrinſecam percuſſionem fit penetratio in intimis corporibus: & ſicut acquiſitio motus eſt vna actuatio ab arte facta, ita & quæ à natura fit, & per motum arteriarum ſubminiſtratur; quoniam cum arteriæ continuo moueantur, ita & continuo aerem in corpore concluſum exagitant, ex qua quidem agitatione medicamentum trahitur: atque hoc eſt illud quod dicebat Hippoc. in libello de conceptione fœtus. nam cum calor naturalis mouetur, medicamenti partes incaleſcit, atque diffundit, diffuſis autem ac à motu conquaſſatis, tenuiores fiunt ac facilius penetrant; & ita motus ipſe eſt cauſa vt facile medicamentum penetret. & illud quod faciunt arteriæ cutaneæ, illud etiã & internæ, ita vt minima ipſa corpuſcula vſque ad oſſa penetrent. Verum aliud etiam requiritur diſcutiendum, quomodo minimum illud piperis, vel alterius medicamenti actuetur. Dico ego quod per diſſolutionem formæ actuantur. nam adeſt aqua, terra, aer, & ignis quæ non ſunt compacta, ſed refracta, habentque propriam figuram, quæ eſt veluti ligamentum, & cingulus totius compoſiti, vt eſt etiam Auctor. ſententia primo de anima contex. 90. & 3. phyſ. contex. 57. (non n. eſt meum figmentũ)

Si

Si igitur hoc eſt, dico ꝙ ſtante iſta forma ſemper mixtū,erit mixtum, ſed dum attenuatū eſt iſtud medicamentū, & calor noſter agens, & immutans formam illam diſſoluit, atq; temperamentū, ita vt ignis,aqua,aer,& terra,cum prius erant refracta,diſſoluto ligamēto ſe actu exerant:& ita vnumquodq; eorum actionem ſuam exerat. Sed dicetis vos,nos non credimus quod hoc ita ſit:verum præter multa exempla habeo Ariſt. authoritatem lib.de gener.& corrup.2.vbi inquit,quod ad mixtionem elementa concurrunt,quæ non copulantur,vt antiqui dixerunt,ſed alterantur,ex quibus mixti forma reſultat,quæ poſtmodum quotieſcunque diſſoluitur,& elementa ad propriam reuertuntur naturam: igitur fieri poteſt, vt illa quæ mixta ſunt, diſſoluantur ; ſi diſſoluuntur, hac ratione actuantur,proptereaq; per diſſolutum temperamentum omne elementum in ſuam redit naturam, & vnumquodque agit prout ſua eſt natura. Ex quo colligatis vnū notandum,quod aliquando contingit vt in hac diſſolutione non fiat abſoluta diſſolutio, ita vt omnia elementa æqualiter agant,ſed vt duo elementa mixta ſimul ſint, & ideo accidit,vt operatio ab illis duobus tantum temperatis efficiatur, verbi gratia, ſi reubarbarum actu caleſiat à corpore noſtro,dico quod bilem educere poterit, quia nondum iam diſſolutum eſt temperamentum : & ob id non eſt vt miremini, & cauſam ſciſcitemini ; vnde eſt, quod reubarbarum calefacit, & bilem purgat. dico enim ego quod aliquot ipſius partes adhuc temperamentum habent, & aliquot diſſolutæ ſunt à proprio temperamento,& ita dico, quod cum in hoc medicamento ſint quatuor elementa facilius apparet caloris actio, quàm aliorum ; quia non ex æqua elementorum portione omne mixtum compoſitum eſt. apparet quinetiam facultas illa bilem euacuandi ; quoniam nondum totum temperamentum diſſolutum eſt. Cum igitur aliquod corpus conſtat ex quatuor elementis,fit aliquando vt per diſſolutum vinculum omnia vigeant, & in propriā naturam reſtituantur,ſed ignis(exempli gratia)aqua verò ,terra,aut aer in propriam naturam non reſtituantur ; & ita non ex æquo fiet diſſolutio: hoc autem probare poſſum ex ipſis artificialibus. nam per coctionem aliquando diſſoluimus vnum vel duo elementa, reliqua verò duo non diſſoluimus : quoniam maior erit illorum mixtio, & magis firma : exempli gratia, argentum viuum aeris, & ignis, aquæ, & terræ, ſi ipſum diſſoluamus, ſequeſtrabitur aer & aqua , & tamen partes igneæ, & terreæ non ſequeſtrabuntur : ergo maior erit mixtio in his duobus,quàm in alijs elementis. Si quærat aliquis cauſam,dicendum eſt,quod referetur cauſa ipſa ingenerans,quod ſcilicet maiori coctione generans,miſcuerit illa duo, altera verò duo non. Similiter piper totum non attenuatur atque diſſoluitur. Et hinc eſt,quod ad hepar non permeat.nam cum facimus oleū piperis,ignis à terra ſequeſtrari nūquam poteſt. ſequeſtramus enim in pipere aereas partes, ſed terreas ab igneis nequaquam. poſſemus autem exurere, ſed hæc non erit ſequeſtratio, ſed corruptio : quandoquidem corrumpitur piper, at per coctionem non corrumpitur forma, ſed ſequeſtrantur elementa. Et ideo in artificialibus piper penetrare non poteſt, niſi valde diſſolutum & attritum ſit : & ob id dicebat Galenus,quod id non tranſit meſenterij venas. Quocirca aliqua mixta ſunt quæ quo ad omnes qualitates ſequeſtrātur,alia verò non.ſunt enim aliqua,quorum elementa nunquam ſequeſtrari queunt, vt eſt aurum & vitrum : aliquot quinetiam ſunt quæ facile ſequeſtrari , aliquot verò difficile admodum ſequeſtrari poſſunt. Ex his aliquis poſſet dicere, quod omnes medicamentorum actiones prouenıunt ab elementis, & ideo vis quod lactuca corpus refrigeret : quoniam diſſolutis elementis iam refrigerare poteſt,& ita refers omnes iſtas facultates in ipſa elementa:ſtante autem hoc,ſequetur quod omnia medicamenta omnes agent actiones.nam ſi diſſoluuntur omnia elementa,hęc ipſa quoque agent, ergo frigefacient,humectabunt,& exſiccabunt,neque dabuntur gradus medicamentorum:quia omnia elementa in ſummo ſunt in mixto, ſummeque agent. Hoc quidem (domini) non ſequitur , quia mixta non ex æqualibus elementis ſunt conſtituta,& ideo cum non ſint æqualia,hinc eſt,quòd nonnulla quidem magis, nonnulla verò minus excalefaciunt , pariter alia refrigerant & magis, & minus. præterea ſequitur quòd illa medicamenta quæ non habent exceſſus elementorum , ſint temperata, quæ verò ſunt in exceſſu habeant eorum quoque exceſſus. adhæc ratio gradus reſultat ex elementis. ſi enim tanta ſit ignis moles , vt in pipere & chalcantho , non eſt dubium,quod corpus noſtrum vrent:quia conſumet humiditatem,cum etiā terream partem paucam habeant. Et hinc eſt,quod illa quæ ſunt in quarto gradu calida exurunt: ſimiliter de opio dicendum eſt,in quo eſt tanta quantitas terræ, vt frigidum illud in corpus noſtrum cohæreat,ipſumq; perimat . at ſi tanta caliditas, aut frigiditas non reperiatur,vt noſtro corpori tantum dominari poſſit,neque etiam corpori noſtro adeo cohærebit,aut ipſius humiditatem cōſumet,vt ipſum interimat. Quod ſi ſit aliquod ex iſtis medicamentis, cuius vnum elementum diſſoluatur, & reliqua mixta maneant, non eſt du-

bium

bium quod illa vel illud diſſolutũ aget, reliqua vero non agent. & hinc eſt quod in cantharidibus ſtatim reſoluitur ignis,& veſicas facit,& exulcerat. Accipiatis autem exemplum aliud manifeſtum ex cichorio, in quo hæc mixtio quatuor elementorum ſtatim cum ſumptum eſt in corpore, diſſoluitur, ſed non ex æquo, ſed ſtatim diſſoluitur ignis, & corpus noſtrum excalefacit. ſimiliter in aceto primum diſſoluitur ignis, & calefacit corpus, diuturniori vero temporis ſpatio & cætera elementa diſſoluuntur,& quia in cichorio dominatur terra, hinc eſt quod cichorium tandem refrigerat: calefaciebat tamen in principio propter ignis diſſolutionem, in fine vero refrigerat; quia diſſoluitur terra, quæ ſuam exerat actionem: & ob id amarum primum eſt & calefacit; at quia diſſoluitur illud quod prædominatur, hinc eſt quod tandem refrigerat. hinc etiam deſumitur illud quod dicit Galenus, quod mixta diſſimilium ſunt partium, aliqua quidem tenuium, alia vero craſſarum. nam ſunt aliquot partes in cichorio igneæ, quæ non ita valide ſunt mixtæ, quæ calefaciunt, parum tamen; quia paucæ ſunt, exurerent enim ſi poſſent; at quia perpaucæ ſunt, ideo parum calefaciunt; at cum ex eo qualitas illa robuſta diſſoluitur, tandem refrigerat, & occideret ſi haberet tantum frigiditatis gradum vt habet opium, quod calorem extinguit; quia maxima portio terræ in eo adeſt. Quod autem patet in calidis, id ipſum cenſendum eſt in frigidis, humidis, & ſiccis, quæ diſſoluta tandem agunt. Ex his igitur poſſumus nos ſaluare medicamentorum actuationẽ, quam quidem neque Galenus, neque Auerroes ſaluare potuit. nam Galenus dicebat, quod calor naturalis non poteſt reducere frigidum ad actum: Vos autem dicatis, quod calor naturalis non educit de potentia ad actum ipſa medicamenta per generationem, neque per productionem, ſed deducet per elementorum diſſolutionem; atque illa diſſolutio eſt quæ elementa in actu efficit.

Ad illam vero rationem, qua dicebatur quod ſimile corrumpet ſimile,& efficiens effectum, dicatis domini, quod vana eſt ratio, quæ non recte conſequitur, nam cum calor naturalis medicamenti alterationem intendat, vt fiat nutritio, & faciat pro natura ſubiectæ partis, tunc diſſoluitur medicamentum, eiuſq; forma in ipſa elementa. at quia diſſoluta forma elementa agunt, ideo per accidẽs frigidum corrumpit, ratione ſcilicet quã diſſolutæ ſunt qualitates & ipſa elementa. Nunc autem obiectioni cuidam ſatisfaciendum cenſeo, quæ erat quod ſi darentur iſtæ duæ facultates ſcilicet temperamentum, & primæ qualitates in medicamentis, ſequeretur quod non quatuor eſſent, vt dictum eſt in ſuperioribus. dicebamus enim quatuor eſſe medicamentorum facultates. Verum dicimus, quod nulla eſt contrarietas in meis dictis. nam reuera non dantur niſi duæ facultates, à quibus poſtea reliquæ reſultant; ſecundæ enim à primis oriuntur. nam calefaciendo detergimus & reſoluimus, & frigefaciendo conſtipamus, ſic & calefaciendo & ſiccando efficimus partes ad carnis productionem, & ſic de cæteris dicendum eſt. omnes enim iſtæ ſecundæ & tertiæ à primis enaſcentur, & ad primas conſequuntur. Vnde merito diximus duas tantum eſſe facultates. Sed dicet iterum aliquis, ergò male Galenus qui medicamenta in quatuor genera diſtinxit. Dico ego quod rectè diſtinxit,& quia à poſteriori proceſſit; in natura namque medicamentorum cognoſcenda non ſolum ratione, ſed & experientia vti debemus, quæ ſola efficit vt medicamentorum vim dignoſcamus. Vnde cum ab operibus medicamenta cognoſcamus, & operà quæ in noſtrum corpus agunt, manifeſte quatuor ſint, merito Gal. has operationes in quatuor diſtinxit: atque hæc erant declaranda; verum quoniam hic in cathedra inueni ſchedulam quandam, volo etiam huic reſpondere. Dubitatur hic, quod ſi opium ratione terrei elementi refrigerat corpus noſtrum in quarto, cur etiam ſi quis comedat terram idem non efficiatur, cum terra in quarto ſit frigida: ad hoc dico, quod cum dixi mixta à prædominio agere eius, quod in mixto dominatur per diſſolutionem, animaduertendũ eſt quod alimenta queque habent vim ſuam in ſummo, hoc eſt in quarto gradu, & ex 9. de facult. ſimpl. medicam. cap. de terris non poſſumus reperire aliquod terræ genus quod ſimplex ſit: ideo non poſſumus certo affirmare terram in quarto gradu refrigerare, ſed id quod experimento nouimus: at quia terra frigida in quarto non datur, non tamen valebit quod nec opium talem vim habeat; experimento enim patet hoc. quod quidem de terris immani feſtum eſt. Sed iterum inſtaret iſte dicens, ſi terreum corpus aſſumptum in corpus noſtrum diſſoluitur à mixtis quæ cum ipſo ſunt, ſequetur quod tunc ſaltem aget: ad hoc dico, quod non ſit in iſta exacta diſſolutio in his terreis corporibus admodum ſtricte inuicem mixtis: vnde quamuis fiat aliqua diſsolutio ex aliqua terræ portiuncula, illa tamen portiuncula non eſt apta opus frigidum in quarto reddere in noſtro corpore. Sed iterum inſtaret dicens, cum hoc ſit, demus homini tantam terræ quantitatem, vt ex illa leui diſsolutione ſequeſtretur ſaltem drachma, hæc interficiet nec ne? dico

dico quòd non;quia ad hoc vt quis interficiatur frigore, requiritur non ſolũ vt refrigeretũ pars cui applicetur medicamentum, ſed quod refrigeretur membrũ principale, quod eſt cor, ꝙ terra facere non poteſt; quoniam ratione ſuæ craſſitiei illuc peruenire non poteſt. Vnde dico, quòd non interficiet, ſed potius ratione obſtructionis obſtruet. Sed iterum inſtaret hic dicens opium eſt corpus terreum, ergo nec ipſum exactè diſſolui poterit. Ad hoc dico, quòd opium, quia in tenuiori ſubſtantia conſiſtit, diſſolui optimè poteſt; & terra quæ in ipſo eſt, ſeparari à cæteris partibus: quod autem conſiſtat in tenuiori, & magis elaborata ſubſtantia, ex hoc ſolum manifeſtè patet; quoniam cum iſtud terreum pertranſit per ſubſtantiam plantæ, attenuatum fuit.

Quomodo agant medicamenta in noſtrum corpus.
Cap. X.

CAETERVM iam videndum eſt, quomodo medicamentum in noſtrum corpus agat. nam pharmaca vel agunt vt elementa primo cutim afficiendo, mox carnem, vltimo oſſa; vel agunt potius æque in ſuperiores partes, vt & interiores. Aliqui dicunt, quòd medicamenta agunt à parte poſt partem, ſicut faciunt & elementa, quæ ex Galeno medicamenta ſunt. Opinio hæc quamuis probabilis ſit, à medicis tamen non acceptatur ob incommoda, quæ ſequerentur à nobis dicenda. Sed prius videamus quantum valeat ratio iſtorum; nam elementa dupliciter agere poſſent, aliquando quidem extrinſecè, aliquando verò intrinſece. Sed dico ego quod elementa ex hoc non ſunt medicamenta, quæ per contactum in noſtrum corpus agant, ſed benè medicamenta, quæ ita in nos per contactum interdum agunt. Incommoda verò quæ ſequerentur ſi hoc concederemus, hæc ſunt. primum quidem ſi fieret actio à parte poſt partem ab iſtis medicamentis, ſequeretur quòd nunquam poſſemus dicere in primo, vel ſecundo, vel tertio gradu refrigeratam eſſe partẽ aliquam noſtri corporis. nam cutis à medicamento infrigidante in quarto gradu refrigerabitur in quarto, ſed partes magis intimæ nequaquam: quia in tranſitu ſemper medicamentorum vis exoluitur; & de hoc dubitandum non eſt, vt millies à Galeno dicitur. atque hoc eſt primum incommodum. Amplius eſt locus maximè contrarius his Galeni in arte medicinali, cap. 89. vbi loquens de indicationibus apponendorum medicamentorum parti ait, quòd ſi particula affecta in penitioribus locis ſit, machinari inſuper oportet ſalubre remedium, cuius vis in itinere nequaquam reſoluatur. ſi itaq; calidius eſſe oportuerit eo quod eſt moderatum, non ſolum tantam habeat caliditatem medicamentum, quantam exigit morbus, opus eſt, ſed vltra tantum etiam adiiciendum, quantum ex itinere deperdat antequam ad locum affectum pertingere poſſit. Vnde ex hac authoritate luce meridiana clarius patet, quod minimè concedendum ſit, quod medicamenta à parte poſt partem agant. Aliud etiam eſt incommodum, quòd ſi concedamus medicamentum agere per contactum exteriorum, fiet primo quod non actuetur; ſi autem opus eſt vt à calore noſtro medicamenta actuentur, quomodo ergo poterunt in cuticulam ipſam, & per cõſequens in totum poſtea corpus permeare? Aliud etiam eſt, quòd illa quæ à tota agunt ſubſtantia, ſi agere debent, neceſſarium eſt vt partem primam quam tangunt, in ſui naturam conuertant; & ita humor propinquus ſibi propinquum alterum alliciet, & ſic de cæteris eſſet. hoc tamen concedendum non eſt; medicamentum enim æquè agit in omnes particulas, & ſui ſubſtantia penetrat ad intus, vt non à parte poſt partem agat. quare vt ea euitemus, opus eſt vt dicamus cum alijs, quod medicamenta hæc per extrinſecum contactum nõ agunt, vt à parte poſt partem fiat excalefactio. contactus enim cum duplex ſit, aut externus, aut internus, dicendum eſt, quòd à contactu interno & latente fit actio: quod autem medicamenta iſta in minima contingant, hinc patet, quia videmus totum corpus eſſe perſpirabile, & foraminibus quamplurimis repletum. cum igitur dicunt, quod ſequerentur multa incommoda ſi agerent à parte poſt partem per contactum extrinſecum, & ob id neceſſarium eſt vt agant per internum cõtactum, id ipſum nos quoque dicimus, hunc quidem contactum internum neceſſarium eſſe, cum minimæ particulæ medicamenti per meatus & minimas corporis noſtri particulas permeent: quod quidem fieri poſſe dico, quoniam corpus noſtrum plurimis foraminibus repletum eſt: id verò experimẽto comprobatur, quoniam videmus cutim meatibus ſcatere; & ideo ſudor, & pili erumpunt, vt

non alia indigeamus probatione. quod autem corpus noſtrum ſcateat foraminulis per quæ particulæ minimæ medicamenti in minimas corporis noſtri particulas permeent, ſi vos non creditis, hoc quidem experiamini. inungatis enim in morbo Gallico hydrargyro cuiuſpiam internodia, ſpinam, & crura, vobis quidem primo intuitu videbitur id vtique non penetrare, penetrat tamen. & vultis videre an hoc ita ſit (imponatis ad os ipſius anulum aureum, videbitis ipſum repletum argento viuo, cum tamen inunctum ſit dorſum & internodia, non autem os) ex quo tamen argentum viuum exit. præterea eſt Hippoc. experimentum, qui docet experiri num mulier grauida ſit, necne, cum ſuffitu illo, cum ad partes naturalis mulieris, hoc eſt vuluam apponit, ille autem ſuffitus per os & nares eius exit. Vnde hoc? niſi quia medicamenta per totum penetrant corpus. Et quamuis omnes medici concedant medicamenta penetrare, non tamen concordes ſunt. aliqui enim dicunt quod illa minima medicamentorum attrahuntur: ſed quomodo attrahuntur? ab intrinſeco eius: & alij dicunt quod attractio hæc æquiuoca eſt, nimirum quod ſit pars corporis noſtri, quæ illa minima excitat, vt attrahatur per quandam æquiuocationem, quoniam partes non mouentur, ſed illę minimæ partes per quandam ſimilitudinem minimas medicamenti partes concitant, & ſic attrahunt. Alij qui inſtant aduerſus hoc placitum, dicentes quod hæc per ſimilitudinem attractio fieri non poteſt, cuiuſmodi magnes attrahit ferrum; hæc enim attractio eſt in alimento, non autem medicamento. nam alimentum attrahitur ex ſimilitudine, cum id ſimile ſit; medicamentum vero non modo non ſimile, verum & contrarium: & ideo hanc attractionem medicamento adeſſe non poſſe concludendum eſt. Sed reſpondent qui illam ſuſtinent opinionem, quod medicamenta aſſumuntur in corporibus, quorum partes ſunt ſecundum naturam, aut præter naturam. ſi partes ſint ſecundum naturam, alimenta ex ſimilitudine attrahunt; at ſi partes ſunt præter naturam, tunc poterunt quidem medicamentum attrahere per ſimilitudinem; quia verbi gratia pars calore præter naturam affecta non attrahet frigidum, quia contrarium attrahet, ſed trahet ipſum frigidum quatenus ipſa tentat calidum expellere præter naturam: & ideo videtur quadam ſimilitudine attrahere. Sed reſponſio hæc falſa eſt propter duo incommoda. primum eſt, quia ſequeretur quod particulæ cum cognitione agerent, ſed hoc falſum eſt. propterea quod partes non agunt niſi actæ à natura propria, & ab intelligentia non errante, quæ vniuerſum gubernat. ſi ergo agerent propter expulſionem contrarij, actus hic cum cognitione foret, quod quidem dicendum non eſt. præterea hæc pars ſibi ipſi contrarium attrahit: verbi gratia digitus calidus eſt in tertio, ego appono medicamentum frigidum in quarto, vel tertio (obſeruo enim ego vtriuſque caliditatem & frigiditatem) apponam igitur hoc, penetrabit, attrahetur: ſed à quo? à parte quidem affecta non; nam (vt dixi) pars temperata eſt illa quæ attrahit cum extremis opponatur, & de hac poſtmodum tractabo, neque de ea dubium eſt. cum igitur hoc ſit, & ego ſupponā quod iſta materia digiti ſit intemperata, nō poſſumus dicere hoc modo quod frigidū contrariū attrahat. Aliud etiam eſt incommodum, quia ſequeretur quòd pars ſana non attrahet medicamentum, & ideo opium non attrahetur, & quantum volueritis opij exhibeatis, hac ratione non attrahetur, neque morietur homo. Vtinam hoc eſſet; nam medicamenta ſunt ueluti milites qui pugnant, cum habeant cum quo pugnent, at ſi nō habent, ſunt ciuium latrones. ſic enim medicamenta ſi in corpore reperiunt in quod agant, id quidem expellūt illa, ſed ſi non inueniunt cum quo agant, latrones ſunt, & omnia corrumpunt. Quare dicendum eſt, quòd illa ſit attractio ex Galeno 3. de ſimplic. medic. facult. cap. 18. hoc modo, quia cum noſtrum corpus meatibus ſcateat, meatus illi ſemper vapore aliquo aereo repleti ſunt, qui ſemper eſt frigidior quàm vapor igneus qui in arterijs continetur. quod quidem comprobatur ab eodem Galeno in lib. de pulſibus, & de cauſis reſpir. & alibi ſæpius, hoc autem ſtante, cum nos egeamus refrigeratione, factum eſt à natura vt arteriæ continuò pulſent, & habeant vt ſpiritus illos frigidiores attrahant; attrahunt autem per meatus in ſe ab omnibus corporis partibus. Et ideo fit vt omnes ſpiritus, & vapor in meatibus concitetur & agitetur; iſtis verò concitatis, meatus etiam cutis concitatur, cui ſi appoſitum ſit medicamentum, efficitur vt id agitetur, & ſenſim, & ſenſim attrahatur, & hūc in modum penetret. & ſi vultis exemplum, accipiatis aliquod corpus, ipſumque imponatis in litore maris, ſuccedat autem vnda, ipſumq; impellat, & vlterius ſuccedat alia, quæ ipſum vlterius impellat, poſtea alia, & alia, donec ad mediū maris perueniat; ita vapor in cute ex medicamento concitatur, & parum attrahitur, poſtea alia vice iterum interius attrahitur, & ſic deinde vſque quo per totum corpus deueniat. Sed dicetis vos ipſa medicamenta ſuntne tenuia, an craſſa? dico quòd oportet vt ſint tenuia. nam tunc vapores emittent qui attrahentur, at ſi fuerint craſſa, diſſoluuntur primum, &

eliquan-

eliquantur à calore noſtro,& ſpiritus hunc in modum fiunt, qui poſtmodum penetrant. At dicet aliquis, ſunt plurimæ corporis partes in quibus non apparent arteriæ, vt in oſſibus & alijs, & ideo vapores in ipſis huiuſmodi partibus non penetrabunt. Quamuis(domini) in oſſibus non ſint arteriæ,adſunt tamen arteriç propinquæ:& ideo ratione agitationis propinquarum arteriarum agitatur vapor qui eſt in ſubſtãria oſſis, & ſic penetrat. & non dubitetis, quòd medicamenta in ſubſtantiam oſſis permeent. nam habeo exemplum ex hydrargyro, quod quidem vidi ego conſpicuè ad os ipſum penetraſſe: atq; hæc attractio non eſt æquiuoca,non vniuoca, ſed per accidens. eſt & alia cauſa, hoc eſt motus extrinſecus, quia medicamenta impetum acquirunt, & facilius penetrant: vnde nos facimus ſuffumigia & aquam ſtillatitiam imponimus,quoniam motu illo hæc vtiq; medicamenta impetum acquirunt,& facilius penetrant. Alia preterea eſt cauſa 3. Met.med. cap.4. à Galeno aſſignata, dum loquitur de vulneribus agglutinandis. inquit enim,quod oportet imponere medicamenta ſicca, quæ ſi imponantur tenuiſſima, ac in puluerem reducta, ob id non facile ad centum penetrabunt, & ideo diluẽda erunt aliquo humido: ex quo colligo,quod humiditas actualis facit ad penetrationem,ſed qua ratione?hoc eſt pulcherrimum ſcitu, ego enim vidi aquam calci ſuperpoſitam per totam calcis ſubſtantiam penetrare: præterea cum ſitis domi, accipiatis panem, & medium eius in vino intingatis, videbitis vtique quod vinum penetrabit ad ſummum. Huius quidem cauſa eſt humiditas actualis,quia humiditas per ſeipſam & à ſua natura ſeipſa mouet, vt penetret per corporis ſicci ſpatia. atque hoc comprobat Ariſtot.4. meteo.cap.4. nam & ſicci proprium eſt terminare humidum (ita dicebat Ariſt.) humidum verò natura habere in ſitũ, vt ſiccum terminet, ipſumque copulet; quod ſi hoc non eſſet,non fieret actio. etenim cum omnis actio per minima fieri debeat, non daretur vtique tranſitus corporis vnius per alterum, neque talis effectus corporis penetratio dicitur, ſed tranſitus. Igitur dico cum humidi proprium ſit terminare ſiccum, & minimas ſicci partes inter ſe, quotieſcunq; videmus humidum terminari ex ſua natura in ſuperficie à ſicco, ita & humidum ſui natura ſicci partes colligit, quæ terreæ ſunt. Quare cum noſtrum corpus poroſum ſit, & medicamentum humidum ei apponatur, id quidem humidum facit ad ipſius medicamenti ſubſtantiæ penetrationem. Igitur hac ratione efficietur vt non ſolum medicamentum motu alteretur,neque ſolum extrinſecus,verum cum addita quadam humiditate facilius penetraret,ſiquidem humiditas illa faciet ad penetrationem. vltimo adeſt alia ratio quæ eſt ob alimentum. nam quia ſemper aliquid alimenti adeſt cum medicamento, cum attrahatur alimentum à membris, ea quoque attrahent minimas medicamenti partes, quæ ſimul cum alimentis coniunctæ erant. & experiamini vos cum exhibetis cineres iſtos vſtos, quod videbitis aliquando lotium plenum illo cinere; nam nos in inflammatione lateris ſolemus exhibere ebur exuſtum, & ſyrupos dulces, & huiuſmodi; & tunc videre licet quod ventriculus attrahit ſyrupos illos dulces,qui nutritioni apti ſunt. attrahit quinetiam cinerem illum, & poſtmodum venæ ac renes, & à renibus tantum quod ſuperfluum eſt ad veſicam demandatur.inuenimus autem per vrinã etiam tranſmitti cinerem illum,qui noſtris oculis vnà cum vrina ſubijcitur. Sed dicet aliquis, ventriculus habet vim attrahendi, ſed reliquæ partes,ſeu particulæ nõ habent vim hanc. Dico quòd omnes partes vim attrahendi obtinent, atque hæc eſt ſententia Hippocratis libro de puero, ſeu pueri natura. inquit enim hyeme terra frigida & calida; frigida quidem in ſuperficie, internè verò calida. hoc autem fit vt conſeruentur plantæ, quę attrahunt à terra,atque ab exteriori eius parte etiam aliquid;quare noſtrę partes extrinſeca etiam attrahunt. Itaque habemus nos cauſas penetrationis,primam quidem extrinſecam,cum partes extrinſecę mouentur; ſecundum autem medicamenti miſcellam cum alimento, ex qua ratione alimenti attractio efficitur; tertiam verò cum apponimus humidum aliquod cum ſicco medicamento; ac poſtremam quæ potiſſima eſt, nimirum motum arteriarum agitatis ſpiritibus, & vaporibus attractis: quæ quidem vobis nota eſſe debent, vt ſciatis quomodo medicamenta agunt, quando, & qua ratione.

Deme-

De medicamentorum materia. *Cap. XI.*

RELINQVITVR autem vt videamus quęnam ſit medicamentorum materia, vnde nam ea deſumantur, & num vna an multiplex materia eorum ſit: circa quod quidem caput Gal. 1. de compoſit. medicam. per genera, cap. 1. & 6. de ſimplic. medic. facult. cap. 1. dicebat, quòd omnia medicamenta aſſumuntur vel ex animalibus, vel ex plantis, vel ex metallis: ita vt nos ex his Galeni verbis colligamus, quod materia medicamentorum triplex erit à nobis conſideranda, aut ea ex animalibus, aut illa ex plantis, aut illa ex ipſis metallis: ex animalibus quidem complures ſunt partes, quæ medicamentorum materiam ſubminiſtrant, veluti partes ſimilares, aut excrementitiæ, aut humores: verbi gratia, aſſumimus oſſa ex infinitis animalibus, carnes quinetiam ex multis eorum, vtpote viperarum, & muſtelarum, hepat, inteſtina, vt lupinum inteſtinum, pulmones vt vulpinos; atq; hæ omnes partes carnoſæ ſunt: accipimus etiam partes excrementoſas, & inter eas includimus pilos, pennas, vngues, & cornua: ac tandem nulla fermè eſt pars excrementitia: quæ ad aliquod medicamentum vtilis non ſit. accipimus enim non ſolum prædicta, ſed atram bilem, ſanguinem, lotium, & excrementa illa craſſiora, vt, ſtercus lupinum, caninum, & humanum. Igitur cum videamus, quòd medicamenta ſunt partes ſolidæ animalium, humores, & excrementa, ſequitur animal ipſum eſſe fontem materiæ medicamentorum. Aſſumimus proinde alterum fontem ex ipſis plantis, in quibus habemus folia, caules, flores, radices, ramos, ſurculos, & fructus: addatis & ſemina, cortices, ſuccos, quos χυλοὺς Græci appellant, necnon liquores, quos iidem ὀποὺς vocant, lacrymas, gummata, reſinas, & tandem ipſos cineres. vltimo erat tertius fons medicamentorum ex ipſis metallis: atque in hoc caſu per metalla intelligatis quicquid ſub terra continetur; non autem illud quod eſt ferrum, aut æs, ſed totum illud quod ex terra eruitur inanimatum; & ab hac materia habemus infinita particularia medicamenta. nam eſt vena metalli, vtpote plumbi, argenti, & huiuſmodi; habemus inſuper metallorum liquores: appello autem ego liquores qui ex metallis purgatis fiunt, vt eſt æs purum, plumbum depuratum. etenim cum à terra eruuntur, pura non ſunt. præterea adſunt metallorum excrementa, quæ infinita propemodum ſunt, atque pręcipuè in arte chirurgica. habemus etenim metallorum rubigines, vt æruginem plumbi, quæ ceruſſa eſt, æruginem ferri, ac æris florem. Ad hæc apud nos reperiuntur metallorum cineres, vt hydrargyrum, & ſquama æris exuſta; ſunt enim metallorum cineres, vt & alia. Addatis infinita terrarum genera, vt terram ſigillatam, lemniam, & ſimilia. vltimo adſunt innumera lapidũ genera, vt lapis hæmatitis, & alia fermè infinita ſimilia. Nos itaque colligimus, quod quicquid eſt in vſu medicinæ vtcunque conſideretur aſſumptum, eſt vel ab animalibus, vel plantis, vel ipſis metallis. Sed oritur difficultas de quibuſdam medicamentis, quę à nobis ſub aliquo iſtorum generum aſſumpta non ſunt, primum autem eſt mel, ſecundum manna, tertium ſaccarum, & quartum ipſa elementa; & primum de melle dicet aliquis veſtrum; mel eſt ex animalibus, & ſi non eſt ex animalibus, ſaltem erit ex ipſis plantis; nam eſt quid concretum. ſed contra eſt authoritas Gal. 3. de facult. ſimpl. med. cap. 29. vbi ait, quod mel non eſt ex plantis, neque ex animalibus. De manna pariter quis veſtrum dicere poſſet ipſam eſſe ex plantis, cum mel ſit aereum cadens ſuper ipſas plantas. Attamen in eodem loco præcitato colligere poſſumus, quod manna non eſt ex plantis. Neque dubitate quod manna appellata à Galeno, vel roridum, vel aereum ſit noſtra manna; nos enim habemus duum triumque generum mannam. nam totum illud quod cadit ſupra lapidem concretum eſt, ſed quod cadit ſupra populum, aut fraxinum ſemiliquidum eſt. Dicet aliquis, nos tamen videmus quod totum id quod ad nos defertur, concretum eſt, ſciatis, quod illud quod cadit ſupra fraxinum, ſeu folia, illud non eſt concretum, ſed poſtea concreſcit ob facultatem quæ in eo eſt: at aliud quod cadit ſupra lapides, ſtatim concreſcit ratione frigiditatis lapidis. vnde cũ Gal. appellet ipſum mel, recte facit; inter mellis namque genera liquor ille reponendus eſt. Pariter dicet quis de ſaccaro quod non aſſumendum ſit ex plantis, neque ex animalibus. nam eſt quod concretum in arundinibus exiſtentibus in in India: vnde ſaccarum antiquorum eſt idem cum noſtro ſaccaro. ſi igitur ſaccarum non eſt ex plantis, neque ex animalibus, neceſſario conſequitur vt nos habeamus medicamenta, quæ non ſunt neque ex plantis neque ex animalibus neque ex metallis.

Verum

Verum ſi nos volumus dicere, quòd hęc ſunt ex plantis, aut ex animalibus, tunc errorem in Gal. colligere licet. præterea Gal. non ſibi conſtat; quia cū in principio 6. lib. de facult. ſimpl. med. tractet de melle & cera, quę neque ex animalibus, neque ex plantis deſumuntur, debemus dicere, quòd Galeni temporibus non eſſet ita nota ratio conficiendi ſaccarum: atq; ob id opinatus ipſum eſſe mellis ſpeciem, eo quod concreſceret in arundinibus. nam ſicut mel colligitur in plantis, & in his concreſcit, ita & ſaccarum concreſcat in arundinibus; ideo Gal. excuſandus eſt, qui poſuit ſaccarum eſſe mellis ſpeciem. De manna verò ſciatis, ꝙ eſt ſpecies mellis, & loquebatur Gal. de illa manna aerea, quæ & colore, & ſapore eſt ſemiliquida, eiuſdemq; materiæ cum melle. Quare dico, quod Gal. ait non immerito mel non eſſe ex plantis, neque ex animalibus, ſed alimentū apum, non autem excrementum, & eſt materia cadens ex alto, & concreſcit, ac colligitur ab apibus, ad vſumq; noſtrum ſeruatur. hinc eſt quòd aliquod mel eſt odoratum ex odoratis plantis aſſumptū, cum tamen vna ſit materia, quæ ex alto ſuper plantas cadit, cuiuſmodi quoque manna etiam ipſa cadit. Et cum Galeni temporib. ſaccarum non eſſet cognitum, non ob id ipſe male fecit dicens, ꝙ ſaccarum eſt mellis ſpecies. Hoc ſtante quomodo poterimus ſaluare Galenum, dicentem ꝙ omnia medicamenta aut à plantis, aut ab animalibus, aut metallis deſumuntur? item quomodo tres tantum erunt medicamentorum fontes? Solebam alias ſoluere, ꝙ authoritas illa Gal. non eſt multi facienda, quia nō ex inſtituto tradit medicamentorum diuiſionem; rara etenim ſunt medicamenta quæ ab alijs habeātur quàm ex iſtis tribus, nimirum plantis, animalibus, & metallis; ſiquidem raro igne adurimus, aut aqua refrigeramus, quæ duo ſunt elementa; & ideo cum rara ſint, Gal. eo in loco caput illud dereliquit. Quare nos ſi volemus omnia colligere medicamēta, neceſſarium eſt vt quartum caput addamus, elementum ſcilicet, hunc in modum dicentes, quòd omnis materia medica aut eſt à plantis, aut animalibus, aut metallis, aut ipſis elementis. nam mel & manna eſt quid confectum ex ipſis elementis, quod ſuper plantas & folia cadit, & ab apibus colligitur. Ex hoc colligamus, quod cum habeamus materiam tot capitibus diſtinctam, opus eſt ipſa cognitione, neque ea haberi poteſt niſi longa experientia, & librorum cognitione. Et ideo oportet, vt per campos, hortos, & alia loca peragretis, legatis inſuper libros Dioſcoridis non ſemel, ſed pluries. habeatis etiam rationem collectionis, vt tempore opportuno medicamenta ſimplicia colligatis. tertium adhęc pręceptum ſit, vt ſciatis quo hæc materia præparetur modo; habetis autem pręter Dioſcor. libros, libium ſeruitoris, & Valerium Cordum; præter hos autem habeatis etiam omnes antidotarios: ac quod poſtremum erit caput, erit modus compoſitorum, ſimpliciumq; medicamentorum conſeruationis, ne putreſcant, & ideo libri qui docent præparationem, docent etiam conſeruationem, de quibus omnibus Deo dante nos pertractabimus.

Quid medicamentum ſimplex, quidque compoſitum, & quæ compoſitio & quotuplex. Cap. XII.

PROPOSITA medicamentorum materia fuit atque diſcuſſa, cū à nobis reperti ſint fontes medicamētorum vnde omnis eorum materia ſubminiſtretur; ſuccedit tertio loco vt videamus quænā ſint genera medicamentorū prima, cum potiſſimum diuiſio illa medicamentorum communis ab omnibus ſit approbata, quod medicamentum ſit aut ſimplex aut compoſitum. Videndum igitur quidnam ſimplex medicamētum, deinde quid compoſitum, & in compoſito qua ratione cōpoſitum, & à quo componatur. De ſimplici quidē medicamento loquens Gal. in primo de facul. ſimpl. med. c. 1. dicebat, ꝙ ſimplex medicamentum refertur ad compoſitum per oppoſitionē: quare ex his colligemus, quod nulla alia ratione cognoſcimus ſimplicia pharmaca, niſi ſciamus quidnam compoſitū ſit, cum ſimplex ad compoſitum referatur. Dicendum itaq; quid per compoſitum, & compoſitionem intelligamus. De compoſitione autem cum verba facturus ſim, quæ multiplex eſt, prius diſtinguenda. nam reperio vnam compoſitionē Philoſophorum, & à medicis confirmatam, quæ eſt formæ cum materia. etenim in omni corpore ſolido quod conſtat ex materia & forma, eſt compoſitio: ſecundum hanc compoſitionem nullum eſt reperiri medicamentum ſimplex; accipiatis vos quantum volueritis ex his aliquod ſimpliciſſimum, quia habet materiam & formam.

Secunda autem compoſitionis ſpecies eſt, quæ dicitur mixtio ex elementis: quando

aqua,& terra, & reliqua ſimul contanguntur & commiſcentur, & iuxta hanc cōpoſitionem (exceptis elementis)nullum eſt medicamentum quod ſimplex ſit,ſi vel ab animalibus,vel à metallis, vel ab alijs quibuslibet deſumatur. ſiquidem omne medicamētum ex elementorum commixtione conflatur. Tertia verò compoſitio eſt,quādo in aliquo corpore ſunt mixta diuerſarum naturarum , non tamen ad ſenſum apparent , vt ſunt omnia illa quæ diſſimilaria vocantur ; quoniam mixtam aliquam ſubſtantiā obtinent,qua & refrigerare,& calefacere,& ſimilia efficere poſſit: verbi gratia,cichoriū habet aliquot partes calidas & aliquot frigidas,& ideo diſſimilare eſt,ſed non apparet ad ſenſum : & iuxta hoc ſignificatum aliquot ſimplicia ſunt,aliquot verò compoſita. Eſt & alia compoſitio, cum in aliquo medicamento partes diuerſarum ac contrariarum naturarum miſcentur, idq; pateat ad ſenſum . nam plura ex malis medicis genera à natura facta ſunt, in quibus tamen aliquot partes ſunt ab alijs contrariæ,quæ ſenſui noſtro apertiſſime tales ſe oſtentant : cortex enim calidiſſimus eſt , ſuccus autem frigidiſſimus , & hoc patet ad ſenſum. Quinta illa eſt compoſitio,quæ à natura nō efficitur, ſed ab arte, & talis dicitur quotieſcunque arte operamur , & miſcemus pharmaca ea ratione , vel vt *pateant* ad ſenſum , vel non,dummodo mixta ſint: atque hac ratione habemus pilulas , & ſyrupos compoſitos. Vltima ac poſtrema compoſitio eſt per relationem,& factam ab arte : per relationē quidem dico,nam vos reperietis apud Gal.4.de tuen.ſanit.c.5. mentionem fieri de quodam electuario, quod appellatur diatrionpipereon, ꝙ quidem nominat ſimplex & compoſitum. ſimplex quidem id efficiens ad relationem alterius compoſiti , in quo multo plura quàm in alio pharmaca ingrediuntur.pariter in officinis reperietis ſyrupū acetoſum ſimplicem,& ſyrupum acetoſum cōpoſitum. ſi enim quis à me quærat an ex his ſimplex ſit necne,dicam ego,ꝙ non eſt dubium, ꝙ exempli gratia diatrionpipereon eſt cōpoſitum. nam ex tribus conſtat piperibus. compoſitum verò compoſitum dicitur, quia vltra diatrionpipereon habet aliquid aliud vt compoſitum nominetur, eſt enim magis compoſitum quàm aliud: ſic etiam quando dicimus acetoſum ſimplex,nominamus id,quoniam minus eſt compoſitum,& ex paucioríb. quàm compoſitum. Ex quo colligo,quod datur adhuc alia cōpoſitio,quæ dicitur ſexta,& ex pluribus fit medicamentis. nam quinta non fit ex tot,ſed paucioribus.His conſtitutis quid modo per medicamentum ſimplex intelligamus,videndum eſt;non enim intelligimus illud quod ex natura ſimplex ſit,vtpore forma aut materia,neque illud quod ex mixtione elementorum reſultat,neq; illud ex compoſitione diuerſarū naturarum,quæ aut latent ſenſum,aut ad ſenſum patent,ſed intelligimus ſimplex illud,quod vel quinta,vel ſexta eſt cōpoſitione,hoc eſt,quod non habet aliquod mixtum ab arte : & hoc modo intelligo tale ſimplex medicamentum,hoc eſt dummodo ars aliquid ei non addiderit. nam ſi exuramus medicamentum,cinis ille eſt medicamētum ab arte,& tamen ſimplex: quoniam non habet aliquid ab arte ſibi admixtum. Hoc ſtante dico, quòd medicamentum ſimplex illud,ſecūdum ſuam naturam ſyncerum eſt,hoc eſt,quod illud ſit quod natura ſua tale eſt,nihilq; ab arte illi additum eſt. Ex quo colligimus medicamentum compoſitum illud eſſe,in quo ſyncera medicamenti natura non ineſt, eo quod cum ex multis ſit compactum, & adiunctum ab arte , diſſimilare aliquid erit . Et non credatis, quod quicquid tractatur ab arte compoſitum ſit. nam quamplurima arte parantur,& tamen ſimplicia ſunt,vt aquæ omnes ſtillatitiæ,omnia olea,omnes cineres, & ſucci, quæ quidem ab arte parantur, & tamen ſimplicia ſunt , non autem compoſita. De hoc igitur ſuppoſito & à nobis decerpto medicamentorum compoſitorum genere in præſentiarum tractabimus, non autem de ſimplicibus medicamentis .

De inuentione compoſiti medicamenti, difficultate, & vſu ipſius. Cap. XIII.

PROINDE in tractatione de medicamento compoſito erit problema diſcutiendum perpulchrum , cum compoſitio fiat ab arte, non autem à natura,ſi quidem ars accipit illa quę ſyncerè à natura facta ſunt , ſimulq; ipſa componat , quiſnam fuerit homo ille primus(hoc enim perpulchrum eſt ſcire)qui medicamenta compoſuerit, ſecundo num caſu,& fortuna id factum ſit, ita vt voluerit facere obſonium,ſeu meneſtram quādam,vt vulgò dicitur, fecerit,aut medicamentum. Quoad primum quidem dico, ꝙ ignoratur.neſcitur.n.quis primus fuerit,quia ars medica adeo antiqua eſt,vt hoc è hominū memoria lapſum ſit : ſed tamē habemus apud Plin.lib.7.c.56.ex au-

thoritate

Digitized by Google

thoritate Higinij, qui vult, ꝙ Chiron cẽtaurus, filius Saturni & Phillyridis fuerit primus, qui his medicamentis ſit vſus. habemus poſtea certam authoritatem Gal. in 2. de compo. med. per genera, cap. 1. quod primus, qui ſcripſit de compoſ. med. fuit Manthias; ſed qua ratione miſcuerit (domini) poteſt eſſe quod id caſu fecerit, & poſtea ſuccedente arte, & experimento medicamentum perfectum ſit: caſum verò appello, non quia certas cauſas non habuerit quicunque id fecit, ſed quia illud non intendebat. Ratio autem cur compoſita ſint medicamenta, vel cauſa compoſitionis explicatur à Galeno in primo de comp. medic. per genera, cap. 3. vbi inquit, ſi nos poſſemus ſimplicibus medicamentis quæcũque deſideramus agere, ea non componeremus. nam tantus eſt in componendo lapſus, & tantus labor, vt nullus vnquam componeret ſi ſimplicibus commode vti poſſet. Sed aliquis dicat, ſi omne medicamentum eſt conflatum ex ſimplicibus, & ſine illis fieri componi ve non poteſt, quid ergo componere refert? cum compoſitum ex ipſis ſimplicibus conſtet, nec aliud quàm ſimplicium aggregatio & mixtio. Non hoc quidem negamus; ſed dicimus, quod ſi ſæpe apponeremus medicamentum ſimplex, non illud efficeret ꝙ compoſitum: & ſi imponeremus vnum ſimplex, & poſtea aliud, nil itidem efficeretur ex his quæ deſideraremus. Sed illa quæ impediunt, ne ſimplicibus agamus, duo ſunt, primũ quidem ratio morborum, cauſarum & ſymptomatum complicatorum, atque hęc prima eſt: alia autem cauſa eſt ipſummet medicamentum, & hæc eſt vna ex cauſis, aut mixtio medicamentorum eſt antiquiſſima. nam aliquando à medicamento cogimur nos mixtionem facere. circa primum quidem caput dixi effectum eſſe cauſam, quia ſæpenumero vna particula vno morbo non laborat, ſed duobus & cõtrarijs: exempli gratia, in fluxione alui cum obſtructione hepatis, affectiones ſunt penitus contrariæ, atque opus eſt, vt medicamentum, atque remedium paretur; non enim à natura tale paratur: & ideo & aperientibus & obſtruentibus quodammodo vti neceſſe eſt: præterea in hydrope cum febre idem dicendum: nam hydrops calefacientia, & ſiccantia, febris verò contraria expoſtulat: ideo neceſſarium eſt, vt propter naturam affectus medicamenta componamus. Addatis, quod affectus quandoque contrarius eſt ſuæ cauſæ. exempli gratia in febre quæ prouenit à pituita, indicantur contraria remedia. nam febris calida & ſicca refrigerantia, & humectantia poſtulat, pituita verò cum frigida ſit & humida, calefacientia, & exſiccantia requirit: quare hac etiam ratione medicamenta idonea componere cogimur. Addatis, quòd cauſarum & affectus contrarietates ſunt in cauſa, vt ea componere cogamur, vt in hemitritæo. tunc cauſæ ſunt contrariæ, & ideo medicamentis contrarijs ſunt tractandæ. Addatis etiam quod ſymptomata diuerſa ſunt cauſæ compoſitionis, exempli gratia augetur inflammatio, quæ duo indicat vt repellamus, & conſtringamus: adeſt poſtea dolor, qui indicat vt relaxemus: ob id velimus, nolimus, ea commiſcere cogimur, vt ea contraria, vtriſque indicationibus ſatisfaciant. Sed non ſolum hæc, ſed & partes morboſę cauſæ ſunt compoſitionis aut ratione nobilitatis, aut ratione imbecillitatis, aut ratione ſitus: ratione quidem nobilitatis, nam ſi erit refrigerandum cor, imponemus quidem aquam, vel cichorij, vel plantaginis ſuccum. veruntamen medici dicunt, quod viſcus hoc ſimpliciter refrigerandum eſt, ſed cum frigidis aliquod aromaticum commiſcendum ob ſui nobilitatem: & ideo nobis eſſet ſatis cichorium, & plantago, ſed ratione nobilitatis aromata etiam miſcere cogimur: præterea ratione imbecillitatis, verbi gratia cum pars quæpiam nimis laxæ ſit ſubſtantiæ, vt in ſubſtantia hepatis, & eius imbecillitate ex laxitate videri licet; in hoc enim caſu oportet, aut adſtringentibus vtamur, atque vna aperientibus: cogor enim ex imbecillitate hepatis addere cũ alijs roſaceum, & myrtinum: imbecillitas ergo partis eſt cauſa compoſitionis. Situs etiam eſt huius cauſa: ſi enim medicamentum ad profundam quampiam partem penetrare debebit, non poſſit autem aut quia frigidum ſit, aut craſſum, aut quoniam ſua natura ad partes diuerſas, ſeu contrarias ire properat, cogimur tunc ad penetrationem alia ſimul commiſcere medicamenta; verbi gratia, ego volo quod bolus Armenus pertingat ad pulmones, hoc autem fieri non poteſt, ego mannam cum eo admiſceo, & ita pulmones permeat. item volo, quod oleum roſatum ad cerebrum pertingat, id autem ſi ſolum ſit, non poteſt, acetum cum eo admiſceo, & ita penetrat, & locum deſtinatum attingit: præterea vt ad determinatam perueniat partem, hoc pacto: exempli gratia, ego habeo renes ſupercalefactos, volo vt medicamenta ad renes perueniant, ſum coactus immiſcere liquiritiam, quia ſi accipiam plantaginem, & alia huiuſmodi, vtique non penetrabunt: ob id cogor petroſelinum, aut liquiritiam admiſcere vt penetrent: præterea videte mirum. nam cum volumus frangere lapidẽ in veſica, nonne cogimur admiſcere cantharides? qua ratione? Quia cantharides ſua quadam natura per illas partes penetrant, & vi alia quoque ſecum ducunt, & lapidem frangunt. Secundum caput neceſſitatis componendi medicamenti

eſt ipſummet medicamentũ, quod ſuapte natura tale eſt, vt nos cogat in eo aliquid aliud commiſcere: ſunt autem in eo quatuor, quę hanc neceſſitatem inferunt, ipſius qualitas, ſubſtantia, quantitas, & modus agendi: circa qualitatem verbi gratia nos volumus vti carnibus viperarum in ictu ſerpentis, non eſt dubium quod in his carnibus eſt venenum, & venenoſa qualitas; hæc igitur venenoſa qualitas eſt cauſa, vt alia immiſceamus, & qualitatem hanc mitigemus. & hac etiam ratione ſcãmonium, colocynthida, & alia pharmacoſa componimus: ſecundo eſt odor, & ſapor malus in medicamentis, vt in caſſia, & reubarbaro: & ideo neceſſarium eſt, vt in eis miſceamus vel dulce, vel aliquod aromatum, ne nauſea excitetur: hac autem ratione Hippocr. in 2. de rat. vict. in morbis acutis aromata miſcebat: tertio aliquando medicamentum habet qualitatem, quæ benigna eſt, ſed tamen aut deficiens, aut intenſa: ideo neceſſe eſt vt immiſceamus aliquod, quod aut remittat, aut intendat medicamentum, verbi gratia, ego debeo refrigerare iecur in tertio, habeo cichorium quod refrigerat in primo, opus eſt vt intendam per alicuius medicamenti admixtionem, quod in ſecundo ſit gradu. Sed cur non accipio illud ſimplex duntaxat? Dico quòd illud non erit fortaſſe opportunum, atq; hepati proportionatum, vt eſt ipſum cichorium: aliquando medicamentum eſt nimis intenſum: vt, exempli gratia, habeo piper aut zingiber, quæ in tertio calefaciunt, non tamen mihi licet calefacere niſi in ſecundo, ego igitur alicuius vtar mixtione, quod illam retundat caliditatem. Notate autem quod caliditatem in hoc medicamento bifariam adaugere; aut remittere poſſum, verbi gratia, ipſius piperis vel per medicamẽtum, quod ſit remiſſum in caliditate, vel per medicamentum quod ſit contrarium: intelligimus autem per remiſſum medicamẽtum calidum, ſed minus quàm ſit piper. per contrarium verò intelligimus medicamentũ frigidum, nam Gal. in 1. de compoſ. medi. per genera, cap. 3. inquit, quòd ſi nos accipiamus medicamentum calidum in quinto, & admiſceamus cum medicamẽto calido in tertio, reſultabit medicamẽtum calidum in quarto. videte igitur quòd quintum cum tertio facit quartum. Sed Iſaac Iſraelita in 10. ſui libri tract. cap. 1. idoneum magis profert exemplum. inquit enim, ſi nos accipiamus medicamentum calidum, vt tria, & admiſceamus medicamento calido, vt vnum, habebimus medicamẽtum calidum vt duo: ego quidem volo calefacere hepar in ſecundo, accipio piper quod eſt calidum in tertio, pariter & zingiber quod eodem gradu calidum eſt, & cum his aut eorum altero admiſceo calidum in primo, & fit medicamentum calidum in ſecundo. Quomodo autem remiſſum remittat intenſum, tractabo poſtea; quoniam id eſſe ad ſenſum patens non videtur. Qualis verò remiſſio & intenſio eſt per contrariũ, vt cum calido admiſceo frigidum medicamẽtum, verbi gratia, ſi roſam accipiam, & cum pipere admiſcebo, efficiam vtiq; vt piper in ſecũdo calefaciat: & ideo hac ratione cogemur ipſa medicamenta componere. Sed notate vnum, quod quando volumus iſtas qualitates remittere, requiritur, vt tanta ſit copia remittentis quanta intenſi: exempli gratia, volo vti drachma piperis, ita vt calefaciat in ſecundo, miſceo illi drachmam roſæ, qua vnum gradum à pipere remoueo, & ideò ſi vna ſit drachma piperis, vna quoque erit roſarum, & ſi maior etiam roſis quantitas adſit, magis etiam remittet. Cæterum [in memoriam reuocetis, &] aduertatis, quod intenduntur qualitates duobus modis, vel per intenſam qualitatem, vel per medicamenti confortationem, verbi gratia, volo intendere chamæmelum, id quidem efficiam per intenſam qualitatem, hoc eſt, addito medicamento magis calido. poſſumus etiam alia ratione intendere, videlicet roborare vel confortare medicamentis. appellant autem confortationem iſtam, quia non intenditur qualitas, non enim chamæmelum ob hoc ipſum magis calefaciet, ſed robuſtius, & citius, ac diutius perdurabit. confortantur verò medicamenta per additionem aſtringentis medicamẽti: & ideo ſi vultis quod chamæmelum magis calefaciat, addatis portiunculam aluminis rocchæ: nam tunc diutius caliditas perdurabit, & robuſtius calefiet corpus: ob id intendimus aliquando adaucta qualitate, aliquãdo actionis robore adaucto. Quod verò dixi de qualitatibus primis alterandis, intendendis, & remittendis, vtpote cum humectare, ſiccare, frigeſacere, & calefacere exoptamus, idem quoque intelligimus de facultatibus ſecundis, & alijs; nam has etiã remittere cogimur, atq; intendere: & ideo quando volumus detergere corpus aliquod, & habemus medicamentum nimis robuſtum, ipſum remittere opus eſt. ponamus, quod ſim in villa, & habeam ſolum mel pro exemplo, quod eſt tenuiũ partium, & nimis robuſtè detergit, accedam ad pullarium, & accipiam luteum oui & miſcebo, atq; ita temperabo & cõponam opportunum medicamentum. Illud ipſum igitur quod dixi de hoc, dicam etiam in alijs facultatib. ſecundis, & tertijs, & quartis; nam in omnibus cogimur vel remittere, vel intendere, prout opus eſt; verbi gratia, ego habeo vulnus curandũ, opus eſt vti terebinthina, quæ cum non habeat tantam vim abſtergendi, admiſceo cum ea mel, & ita intendo.

Et quo-

Et quoniam dicebam medicum coactum eſſe componere medicamenta non tantum ratione ipſorum qualitatis, verum & ratione ſubſtantiæ, de qua dicendum eſt; ſubſtantia namque medicamentorum valde multiplex eſt,& ideo ob eam multoties ſimul medica menta miſcere opus eſt verbi gratia,eſt electuarium de dactylis,in quo ingrediuntur dactyli,qui ſubſtantiam habent craſſam & viſcoſam,niſi attenuetur illa compoſitio, vtique bona non erit, & ideo cogitur Meſues in ea acetum immiſcere, pariter oleum ad cerebrum,cum non poſſit penetrare ob eius ſubſtantiam craſſam & viſcidam,cogitur medicus miſcere ei acetũ, & ita attenuare.aliquando etiam medicamenta minus mollia ſunt, & magis dura quam conueniunt,tum ea vtpote vino emollire cogimur.aliquando inſuper aſpera ſunt,adeo vt palpari nequeant,vt metalla,quibus ad oculorum affectus,v.g.vti volumus,& tunc ea læuigamus cũ alijs,quæ talem habeant vim immiſcentes,& poſtmodum oculis apponimus;quia ſi ita aſpera & non læuigata oculis offeramus,ipſi vtique ea perferre non poſſent. quarè ego viſcida & aſpera miſceo cum mucilaginibus & albo oui in pulueres redigens,vt illam aſperam ſubſtantiam ab illis amoueam. Addatis quòd quędam ſunt medicamenta reſolubilia, & non perueniunt ad profundum, quia conſentiunt calori naturali,& ita reſoluitur ſtatim eorũ materia,vt eſt aqua vitæ,ſeu aqua ardens,quę adeo reſolubilis eſt vt ſtatim euaporet,cum velim neruũ excalefacere,ob quę cogor ego cum illis admiſcere vinũ vel ius,& ſimilia,ne vt in aqua prędicta partes eius ita facile reſoluantur:& idẽ quoque dico de oleis ſtillatitijs, vt de naphtha,oleo philoſophorũ,oleo fœniculi,anethi,& huiuſmodi.nam aduertendum eſt,ꝙ quoniam horum vis nimis reſolubilis eſt,neceſſarium eſt vt cũ eis aliquod aliud olei genus viſcidum admiſceamus:non nunquam etiam ob medicamenti ſiccitatem cogimur admiſcere humida.vt dicit Gal. 3. Methodi,in agglutinatione, vt penetrent, & verſa vice ſicca, cum humida nimis ſunt,ne fluant;aliquando etiam ob ſecundam ipſius medicamenti ſubſtantiam,vt rectè inquit Serapio, cum inquirit cur in medicamentis comminutis,& in corpuſcula diuiſis vinum ad miſcemus, vtpote in ipſa theriaca. vt igitur medicamenta aliquando comminuta & diuiſa in corpuſcula ſimul inhærere faciant, plerunque propter ſubſtantiam quoque medicamenti putreſcibilis. nam quod medicamenta plura in officinis habeamus ex melle, aut ſaccharo, & aceto compoſita, quibus tamen non indigemus, nulla alia eſt cauſa quam ne putreſcant: ſubſtantia igitur quæ putreſcibilis eſt, cogit nos vt miſceamus.

Addebam tertio quantitatem medicamenti eſſe cauſam compoſitionis, exempli gratia, egemus multo medicamento, vtpote drachma piperis, ex hac tamen habemus parum, vt duos ſcrupulos, neceſſarium eſt vt huic ſuppleamus quantitate cum alio medicamento. Poſtremo modus eſt, quo medicamentum agit, qui nos cogit commiſcere. nam cum aliquando id magis penetret, & citius agat, aliquando vero tarde & agat, & penetret; ideo admiſcemus ne tam cito, neque adeo tarde penetret. præterea egemus quandoque medicamento quod permaneat, & deferatur ad fundum ventriculi, vt eſt agaricum, quòd ſtat in ore ventriculi, cui nos admiſcemus ſalgemmę & huiuſmodi, vt ad fundum eius trahatur, & tunc habemus intentum. præterea volo quod reubarbarum non tendat ad fundum ventriculi, quod eſt contrarium eius, quòd ſupra dictum eſt, admiſcere cogor aliquid ſeminis raphani, & ita non deſcendit. Cum igitur tot habemus ex medicamentis neceſſitates, opus eſt vt omnes miſtionis modos ſciamus, omneſque ordines & genera mixtorum medicamentorum. non enim omnia vno modo componimus. Succedit iam, vt nos tria in vniuerſum perficiamus, primo quot ſint modi compoſitionis, ſc. quot modis ſimplicia inter ſe copulentur; ſecundo, qui ſint compoſitionis modi vſitati; tertio quæ ad ipſam compoſitionem præcognoſcenda ſunt.

Quot ſint modi compoſitionis medicamentorum inter ſeſe.
Cap. XIV.

QVO ad primum quidem dico, quod multiplex eſt componendorum medicamentorum modus; primus quidem ſimplex, & eſt quando medicamenta ſimplicia in minutiſſimas partes & puluerem vel in mortario, vel ſupra marmore, vel ſpatha, vel piſtillo redigimus: atque hic ſimplicior eſt componendi modus; in quo tamen dum componimus,ea aut contraria,aut diſſimilia,aut ſimilia eſſe poſſunt. cum enim miſcebimus puluerem piperis longi cum puluere piperis albi,talis modus mixtionis dicitur ſimilium quia ſimilia ſunt. cum autẽ miſcebimus piperis pulueres cum eis cariophyllorum: hęc diſſimilia ſunt: at tertio componimus piper cũ roſa,ſeu plantagine,

& contraria ſunt. ſecundus autem modus compoſitionis eſt, quando multa ſimplicia in ſimul elixamus. tertius vero fit vſtione, quando aliqua ſimplicia ſimul, vel ſimilia, vel diſſimilia, vel contraria exurimus, & tales cineres compoſitæ dicuntur. quartus modus eſt, quando putrefactione medicamenta commiſcemus; etenim multa ſunt herbarum genera, quæ cum pinguedine, & alijs putrefacimus. poſtremus modus eſt, quando per fermentationem medicamenta componuntur, atque hæc eſt pulcherrima compoſitionis ratio, de qua infra tractabo. Tot igitur ſunt modi, quibus quiſquis medicus, aut ſeplaſiarius medicamenta inter ſeſe componit, atque inter ſe differentes; nam primus non eſt ita compoſitus, vt ſecundus, & ſic de reliquis.

Quot ſint genera ſumma medicamentorum compoſitorum vſualium. Cap. XV.

ALTERVM genus erat diſcutiendum, quot ſint ſumma medicamentorum genera: quod quidē intelligere poſſumus, vel abſolutè, vel determinatè. abſolutè quidem accipere poſſumus medicamenta quæcunque ſunt in mundo, atque ea ad aliquod genus deducere, & hoc modo poſſemus appellare & diſtinguere, vt hæc alba, hæc nigra, ab vlceribus, à locis affectis, vt illa cephalica, illa hepatica, & huiuſmodi. Verum intentio noſtra tantum eſt vos docere, quæ ſint in vſu apud officinas, eaque ad genera quædam ac ſummas reducere. proponam illa ſecundum ſumma genera medicamenta compoſita, quæ apud officinas reperiuntur, hæc autem varias habent differentias, & ſumendi occaſiones, ſed illa eſt præcipua, quæ oritur à baſi.

Vnde primum genus erit in officinis aromatum compoſitio, & dicuntur aromatica; quia baſis medicamentorum eſt ipſum aroma copioſum; ita habemus in officinis aliud genus medicamentorum compoſitorum, quod appellatur opiatum: quia opium baſis eſt iſtorum medicamentorum: tertio eſt aliud genus, quod appellamus conſerua, quoniam baſis eſt, vt illa materia conſeruet: ita habemus medicamenta ſoluentia, & lenientia, quia baſis eſt medicamentum ſoluens, aut leniens: pariter habemus ſyrupos à baſi; quia baſis eſt ſuccus cichoreæ, endiuiæ, portulacæ & huiuſmodi. Sed dicet quis, à baſi aſſumis differentias, vellem vt declares quid iſta ſit baſis? credo quod vobis notum ſit, quod pars illa in ædificio baſis appellatur cui hæret columna, vel ædificium; hac eadem ratione ſe habet in medicamento. eſt enim baſis medicamentum aliquod ſimplex in compoſitione, cui tota vis hæret medicamenti compoſiti; verbi gratia, videtis oculum in quo ſunt plurimæ partes, adſunt etenim membranæ, venæ, arteriæ, muſculi, & humores: iſte oculus aptus eſt ad viſum, ſed non omnes eius partes idem agunt & eodem modo, ſed neceſſe eſt quod aliqua pars agat vnum; quia viſus eſt vnum quid: & ideo in oculo eſt humor criſtallinus, qui dicitur eſſe baſis, & vera particula viſus; aliæ vero partes, vt inſtrumentum conficiunt & adiuuant; ita in medicamento ſunt plures ſimplices partes, tamen vnum eſt quod ſe habet vt baſis. verbi gratia accipiatis electuarium roſatum Meſues, cuius vſus eſt ſoluere bilem flauam, calidam, quæ tertianam efficere ſolet; actio quidem potiſſima eſt bilem educere, ſed baſis, à qua potiſſima actio reſultat eſt ſcamonium; reliqua vero non ſunt baſis: appello igitur baſim illud, à quo actio potiſſima progreditur & efficitur. nam quamuis electuarium faciat, tamen efficit ratione ſcamonij. In qua quidem obſeruatis quod aliquando in vno medicamento compoſito ſolet eſſe vna baſis, quandoque vero plures, vt electuario roſato Meſues eſt vna tantum baſis, nempe ſcamonium; & ideo medicamentum illud compoſitum non facit niſi ad vnum vſum? quia vna eſt tantum baſis, & ob id bilem tantū flauam educit; aliquando autem eſt multiplex baſis, & hæc aut eſt eiuſdem qualitatis, aut diuerſæ: aut contrariæ; eiuſdem quidem generis vt electuario compoſito ex tribus piperibus tres ſunt baſes, quia tria piperum genera ſunt; habentur tamen hæ baſes pro vna duntaxat, quia eiuſdem ſunt qualitatis & facultatis, neque medicamentum id agit, niſi vt vnum, h.e. calefaciendo: aliquando habemus diuerſas baſes, eiuſdem tamen facultatis & naturæ, vt in triphera magna Romana ſunt diuerſæ baſes, vt opium & hyoſcyamus, & tamen eiuſdē ſunt facultatis, ac diuerſi generis, & vna eſt actio: quandoque diuerſa eſt baſis & multiplex, & diuerſæ naturæ, atque contrariæ. verbi gratia in theriaca habemus baſes, prima eſt caro viperina, quæ eſt cauſa vt obtundantur venena, ſecunda ſunt aromata, quæ ad venena, & ad calefaciendum faciunt, tertia baſis eſt illius medicamenti, quod à tota ſubſtantia agit, & deſtruit naturam carnium viperarum.

Ex quo noteris, quod huiuſmodi medicamenta ſunt opportuna ad varia morborum genera,& inter ſe etiam contraria: vnde πολύχρηστα eorum natura appellatur. ſunt igitur aliqua medicamenta, quæ vnam habent baſim, aliqua verò plures: & ideo quæ habent vnam baſim vel plures eiuſdem generis non agunt niſi vnum,& ad vnum morbum. illa verò quæ habent plures baſes inter ſe diuerſas & contrarias, opportuna ſunt ad varia affectuum genera,& ob id πολύχρηστα vocantur,quæ quidem baſis variat in quantitate. nam in hiera illa ſimplici Galeni adſunt triginta ſex drachmæ,aliorum pharmacorum ſimplicium,& centum aloes,& ideo videtis quod aloe in triplo forte alia ſuperat medicamenta, ſed hoc non eſt perpetuum, ſed aliquando minor eo quantitas baſis quàm aliorum: cum enim robuſtiſſima eſt baſis,tunc minorem ex ea ſolemus commiſcere; quando verò medioeris, mediocrem, & ſi debilis maiorem quantitatem apponimus, cuius etiam maioris quantitatis cauſa altera eſt: quoniam cum medicus celerem actionem deſiderat, tunc in maiori quantitate componitur baſis, quàm ſi non ita indigeremus actionis celeritate: vnde in electuario roſato Meſues reliqua medicamenta ſunt 72. vnciarum. baſis verò eſt vnius vnciæ cum dimidia, nimirum ipſum ſcamonium, in aliquibus verò habemus baſim in mediocri quantitate, cum cæteris medicamentis, ſed hoc differt vel ratione roboris baſis,vel actionis celeritatis medici. Ex hac autem baſi habemus in officinis genera medicamentorum differentia, vtpote genus vnum aromaticarum confectionum,& vnum genus opiatorum, & aliud genus ſoluētium,& lenientium, & ſimiliū, quæ omnia ratione baſis diſtinguuntur: ſed habemus aliud medicamentorum genus ratione figuræ vt trochiſci,& rotulæ, quæ ratione figuræ à cæteris differunt; aliquando ratione vſus diſtinguimus horum genera. nam in officinis reperietis diſtincta vaſa loch appellata,quibus vtimur ad lingēdum,etſi vos adeatis officinas, & eatis ad locum, vbi loch adeſt, videbitis ibidem omnia genera loch: propter ſubſtantiam etiam habeamus diuerſas eorum ſpecies, vtpote pulueres omnes, quæ ratione ſubſtantiæ diſtinguuntur.

Addatis,quod ab ingredientibus ea genera diſtinguere ſolemus. Debetis autem ſcire, quòd quando medicamenta componuntur,non vt aliquid agant (raro enim mel,ceram, & oleum miſcemus vt aliquid agant) inſeruiūt tamen ad alia, vtpote ad penetrationem, vel lenitionem,vel huiuſmodi,vt vnum faciant genus medicamētorum: vnde eſt oleum chamæmelinum, & oleum liliorum alborum, pariter ratione ceræ appellamus cerata, ſeu cerota, & iſtud genus ab aliis differt, non quia aliquid agat, ſed quia aliquid inſeruit. Vltimo ratione ſimilitudinis,& ideo in officinis habemus vnguētorum genera, nam antiqui vtebantur vnguentis vt vngerent,noſtri verò ad imponendum vtuntur. Sed qua ratione vnguenta appellantur? quoniam antiquorum vnguētis quam ſimilia ſunt, & ideo ob ſimilitudinem hoc genus reſultat, quamuis noſtra hæc actionib. ab aliis antiquorum diſtinguantur. Colligatis igitur, quòd omnia iſta ſumma medicamentorum genera in vniuerſum tribus rationibus differunt,vel enim liquida ſunt,vel dura,vt in puluerem redacta, vel mediocria, hoc eſt neque dura neque liquida, atque ita poſſumus omnia iſta genera ad hæc tria potiſſimum, vel ad illa, quæ ſuperius enarraui, reducere.

Quid præcognoſcendum ad medicamentorum compoſitionem. Cap. XVI.

TERTIVM erat caput, quid ſit ad medicamentorum compoſitionem præcognoſcendum. dico autem,quod quatuor requiruntur, primum quidem ſunt medicamenta ſimplicia, quæ præcognoſcenda ſunt,cuius quidem rei teſtis eſt Gal. 1. de compoſ. medic. per genera,cap. 2. vnde vellem vt eſſetis frequentes in officinis,vt ipſi ſeplaſiarij vos edocerent. nam ego dum explicabo vnū aut duo, aut tria medicamenta, non ob id omnium habebitis cognitionem. præterea habetis hortum publicum, ad quem conſulo vos,vt accedatis,vt exerceamini, ne poſtea derideamini à medicis, atque ſeplaſiarijs, dum medicamenta ordinatis. nam ſemel deriſus medicus,antequam accipiat authoritatem, difficile admodum eſt. ſecundum eſt,vt non ſolum ſciatis medicamenta,ſed & ipſorum omnes cognoſcatis facultates, & primas, & ſecundas, & tertias, & quartas,quod quidem perdifficile admodum eſt,non tamen impoſſibile. Laudemus autem Deum, quod habemus primum,ſecundum,tertium,quartum, & quintum Gal. libros de facult. ſimplic. medic. in quibus vniuerſalis componendi modus edocetur. habetis etiam 6. 7. 8. 9. & 10. eiuſdem libros, in quibus cuiuſque medicamenti qualitas

traditur,

traditur, necnon Auerr. 5. colliget ſui cap. 42. & infra: habetis & Montanum de cognoſcendis facul. ſimpl. medic. qui non ſpernendus eſt: amplius cognoſcendus eſt gradus facultatis cuiuſque medicamenti. Et quia non omnes facultates habent gradũ, tunc oportet diſtinguere & cognoſcere quodnam robuſtiorem habet facultatẽ, aut remiſsiorem; in hoc includitur etiam qualitas medicamenti, atq; hoc difficile eſt. nam dicebat Auerr. & ſi habeamus qualitatem medicamenti quod in primo ſit gradu, vt tamen in corpore humano operetur, difficile admodum eſt ſcire ipſius quantitatem, quantum enim hellebori ſit propinandum puero, & quantum adulto, arduum eſt ſcire: vos tamen ſi libros legatis, & exerceamini, quantitatem etiam congruam reperietis.

Addatis, quod vobis cognoſcenda eſt ſubſtantia medicamentorum an dura, an mollis, an viſcida, an reſolubilis ſit; non enim ſatis eſt cognoſcere elaterium huius eſſe facultatis, verum ſcire opus eſt, quod duriſſimam habet ſubſtantiam. Vnde non eſt mirum, quod aliquando non agat niſi à calore naturali diſſoluatur. Addatis, quod cognoſcendus eſt modus quo medicamenta agunt: poſtremo perpendenda eſt proportio medicamentorum in quantitate, verbi gratia. in cõponendo electuario quantũ mellis requiratur, & quantum pulueris, in ſyrupo autem componendo quantum ſacchari, & quantum ſucci, & in componendo cerato quantum ceræ, & quantum terebinthinæ: nam aliter ſi facere vellemus, neque ceratum, neque ſyrupum, neque electuarium conficiemus. atque hoc habetur præcipuè à Galeni libris de ſimplic. medic. facult. libris de compoſit. medic. libris de antidotis, & de theriaca. Tertio oportet, vt cognoſcamus naturam corporis humani, eiuſque partium. primum quidem partes ſunt dignoſcendæ, mox earum ſitus, formæ, temperamenta, connexio, numerus, ætas hominis, ac vltimo ipſa educatio. nam hæc euariant medicamentorum compoſitionem. Addatis morbos, etenim niſi cognoſcatis morbos, cauſas, & ſymptomata, ac poſtremo omnes curatiuas indicationes teneatis, nequaquam medicamenta opportuna componere poteritis. Vltimo quartum caput præcognoſcendum eſt, nempe res ipſæ non naturales, ſcilicet tempora, victus, artes, mores, conſuetudines, & huiuſmodi omnia, quæ compoſitionem medicamentorum perturbant.

Cum autem maior iſtorum pars ex Galeno colligatur, ideo moneo vos vt ſolliciti in his ſitis. primi autem à vobis legendi erunt libri de ſimplic. medicam. facult. ſecundi verò libri methodi medendi; ac tertij hi de compoſ. medic. vel localiter, vel generaliter, vel de antidotis, atque hi omnes ordinatim: nam libri iſti in triplici ſunt differentia, aliqui enim ſunt de compoſi. medicam. tantum externorum, alij de compoſitione medic. internorum duntaxat, & alij qui tradunt partim de internis, ac partim de externis: externorum quidem tractatio eſt, vbi per genera medicamenta traduntur, de compoſitione autem internorum ſunt libri de antidotis, & theriaca ad Piſonem: illa quæ externa & interna ſunt, in libris de compoſ. medicam. per locos continentur. Si autem iſtorum volueritis aliquem ordinem, legatis primo libros de compoſ. medicam. per genera, ſecundo eos de antidotis, & de theriaca, tertio libros de compoſ. medicam. per locos: quare, vt in ordinẽ vniuerſa redigantur, videndum in primis ſunt libri de ſimplic. medic. facult. ſecundo methodus, tertio hi de compoſ. medi. atque primo quidem hi per genera, mox de antidotis, ac poſtremo per locos. hoc autem totum circa horum ordinem de meo capite non dico, ſed nixus Galeni authoritatibus, prima quidem in primo de compoſ. medic. per genera, cap. 2. ſecunda verò in quarto eiuſdem cap. 1. & 7. eiuſdem cap. 8. Addatis & aliam in 3. methodi medendi, cap. 5. Ex quibus hunc ordinem reperietis. Verum adeſt illa Galeni authoritas hiſce contraria prope finem libri artis medicinalis. Vbi Galenus collocans ordinem ſuorum librorum primo proponit libros de differentijs, & cauſis morborum, ſecundo libros de facult. ſimplic. medic. & de compoſit. medic. tertio libro methodi medendi, & de ſanitate tuenda, ex qua quidem authoritate doctiſſimi medici eliciunt libros de compoſit. medic. debere præcedere libros methodi, in alijs verò locis contrarium habemus: quid igitur dicendum? non debetis dubitare quod methodus hęc præcedit. nam vt dicebam, in componendis medicamentis non poſſumus ipſa componere, niſi methodi librum habeamus, necnon indicationes apponendi pharmacum. & ſi quis neſcit quæ ſit indicatio iſta, non ſciet cauſas compoſitionis. Et ideo cogor ego librum methodi legiſſe.

Quare cum hoc viderint aliqui, vt Curtius, & non reperirent ſolutionem iſtius dubij, dicebant locũ artis medicinalis eſſe deprauatum, id quod ſæpenumero facere coacti ſumus, cum auctorum dicta cõtraria adinuenimus: & hoc modo faciebant Curtius & alij. Verum dum ego lego artẽ paruam Galeni, ea continuitate video prolata verba, ac ordine, continuataq; ſerie, vt vel eroſione, vel alio modo codicem mendoſum fieri potuiſſe,

neſciam:

neſciam: ideo hoc ſtante ſi volumus hanc ſolutionem inuenire, oportet vt videamus quid agat Gal. in lib. de compoſit. medicam. & de antidotis. Mihi igitur dicendum videtur, quod libri illi partim ſunt hiſtorici, partim rationales; nam quatenus docent methodum certam, illi ſunt rationales. ſed maior eorum pars eſt hiſtoria multorum medic. experientia comprobatorum: quare dicit Galenus, Apollonius hoc & hoc vtebatur, Archigenes vero hoc & alio, hi vtique libri ſunt hiſtoria, ſed quando Gal. in principio de compoſit. medicam. inquit, Dolor capitis fit, aut in cerebro, aut in membrana, & cum in capite ſit cranium, quod durum eſt, & compactum, & ideo oportet medicamenta componere quæ faciant ad penetrationem. Vnde oportet medicamenta perfundere vel oleo, vel aceto, hæc vtique eſt pars methodi: alia vero eſt hiſtoria.

Cum igitur in illis libris duo tradantur, dico quod vtraque Galeni ſententia vera eſt, quod hi methodum medendi præcedere, ac ſubſequi debent. nam ſi nos volumus methodice mederi, neceſſarium eſt vt nobis nota ſit materia medica, atque hæc habetur ſimplex in lib. de facult. ſimpl. med. & compoſita in libris de comp. med. quadam hiſtoria. nam cum Galen. inquit vlcus requirere conglutinatiua, dico quod præcedere debet illud, quod hiſtoria à Galeno dictum eſt ex mente Archigenis, Apollonij, & aliorum in libris de compoſitione medic. cum autem loquimur de methodo componendi medicamenta, quæ in illis habetur libris, dico quod tunc hi libri ſubſequi debent. Quare nos poſſumus illos libros diuidere in duas partes, nimirum in exempla tantum; atque hiſtoriam, & in methodum: cum autem hoc ita ſit, diuerſa ratione methodum medendi & ante, & poſt poſſumus collocare, & hæc eſt mea ſolutio atque ſententia, quæ ſi vobis non placet, fateor me ignorare ſolutionem.

Præcepta quædam præſcienda duum generum, mechanica, & rationalia, ac quæ circa ipſam quantitatem & qualitatem. Cap. XVII.

HABEMVS itaque quatuor quæ ſunt præcognoſcenda in ipſis compoſitionibus, ad quæ ſuccedunt quædam præcepta ſcitu neceſſaria, & duum ſunt generum; alia quidem mechanica, alia vero rationalia. mechanica ſunt quæ debent habere ſeplaſiarij in componendo pharmaca, vt pro exemplo quædam ſunt præcepta mechanica, quæ pertinent ad concoctionem, elixationē, mixtionem, contuſionem, & huiuſmodi, quę quidem præcepta partim apud Serapionem, partim apud Fuchſium in lib. de compoſit. medicamentorum haberis, partim etiam in theſauro officinarum, ſed quicquid dixerunt, id totum à Galeno aſſumpſerunt, qui minutiſſima quæque præcepta tradidit in libris de compoſit. medicam. vel localiter, vel per genera, vel de antidotis. Igitur præcepta iſta inde petenda ſunt. Alia vero ſunt præcepta rationalia, & medico cognita eſſe debent, primum quidem præceptum eſt circa medicamenti quantitatem. nam dicebat Auerr. 5. colliget. cap. 8. tanta eſt vis quantitatis, vt poſſit compoſitionem deſtruere, & contrarium efficere. Si quæratis rationem, reſpondet ipſe quod quantitas medicamenti tantam habet vim, vt qualitatem medicamenti adaugeat, & remittat. exempli gratia, quantitas piperis eſt in cauſa remittendi, & augendi actionem: ergo ſi medicus hanc ignoret, nunquam poterit medicamenta componere. & huius ſententiæ fuit Montanus, qui tantum tribuit quantitati, vt voluerit quod aliquando quantitas duplicata intendat dupliciter medicamenti qualitatem. Vnde vnum granum piperis dimidio minus efficiet quam duo eiuſdem grana: & erat ſententia Auerrois, quod medicamenta per quantitatem de ſuo gradu recedunt, & ad alium perueniunt. atque hi viri mouentur tribus rationibus, quæ ab experimento ortum ducunt, quorum hoc primum eſt, quia videmus quod cum exhibemus dimidium ſcrupulum piperis corpus incaleſcit in primo gradu, ſed cum exhibebimus vnam drachmam, videbimus in ſecundo calefacere, & ſi duas drachmas, tunc in tertio calefaciet. ergo ſi hoc verum eſt, vt profecto eſt (quod idem eſſe dicendum in alijs proferunt, cum omnium eadem ſit ratio) ergo medicamenta per quantitatem qualitates intendunt; atque remittunt. Alia ratio ſumpta eſt à ratione compoſitionis. nam ſi volumus componere medicamentum calidum & frigidum, accipiam vero, verbi gratia, vnam drachmam cariophyllorum, quæ in quarto calefaciunt, & poſtea addam drachmam roſarum, quæ in primo refrigerant gradu, inquiunt medici, quod tunc caryophylla in tertio gradu calefacient,

lefacient, quia roſæ vnum ſibi caliditatis gradum auferunt, at ſi addamus alteram drachmam roſarum, dicunt hi quod caryophylla per duos tantum gradus calefacient, & ſi plus ex roſis addetis, minus etiam tunc caryophylla calefacient; quòd ſi addamus quatuor roſarum drachmas, medicamentum tandem temperatum reſultabit. Si igitur hoc eſt quod ex qualitate aucta temperatum medicamentum factum ſit, tunc hoc quidem non prouenit à gradu; quoniam caryophylla erant in quarto calida, roſæ vero in primo gradu, ergo per additionem talem conſequuntur temperiem, ita vt conſequatur neceſſario, quod quantitas ſit cauſa in medicamentis mutationis, vtpote qualitatis additionis, & remiſſionis.

Tertium exemplum eſt ſumptum ex experimento (dicunt hi) eo quod eò modo faciunt medicamenta, quo facit ipſa nauis cum ab hominibus trahitur, ſi enim vnus homo trahat nauim, parum quidem trahet, ſi duo, magis, ſi tres, adhuc magis, ſupponamus autem homines hos eſſe æqualium virium, tunc decē homines eam magis trahent, quam vnum, duo, & tres: ratio eſt quoniam adaucta eſt quantitas ad huiuſmodi opus. ſi autem hoc verum eſt, itidem poſſum accipere indiuiduam quantitatem, & poſtea alteram ſimilem applicare, deinde & aliam, quoad intendatur, vel remittatur alterius facultas. His igitur rationibus Montanus & alij quantitatem medicamentorum maximam habere vim ad ipſa remittenda, & augenda concludebant. Ego tamen alterius ſum ſententiæ, dicoque hoc ipſorum placitum falſiſſimum eſſe, nimirum quod quantitas medicamentorum ipſas facultates intendat, aut remittat. nam ſi hoc eſſet, ſequeretur vnum impoſſibile, quod gradus medicamentorum eſſent figmenta quædam. nam non poſſum dicere quod roſæ agant in primo, quia ego addam tantum ac tantum, quoad in quarto gradu refrigerent: & ita omnia eſſent incerta, & labaſcent gradus. ſecundo ſi concedimus, quod facultates omnes ſint in actu quando agunt, dato quod ipſi dicunt, ſequeretur, quod ignis multus eſſet calidior pauco igne. nam ſi nos ſupponimus ignem actu in quarto gradu calefacere, ſi addamus piper, addemus ignem alium, & ſic magis ageret.

Verum non eſt dicendum vnum elementum eſſe calidius & frigidius multum pauco, & paucum multo, quoniam opus eſt quod elementorum diffinitio minimis eorum particulis competat. Addatis ſi concedimus, quod medicamenta actuentur per diſſolutionem, neceſſarium eſt, vt dicamus quod quantitas nil facit ad auctionem. nam ſupponamus, quod in qualibet parte piperis ſint tres partes ignis, & vna aquæ, ſi iſte ignis actuetur, & per tres agat gradus, & per vnum repugnet, ſi his ſtantibus accipiamus tres ſcrupulos ipſius piperis, in quibus adſunt duo ſcrupuli ignis, & aquæ vnus, & poſtea eis addamus duos alios aut tres, non video ego, quomodo ignis in caliditate adauctus ſit, & ſi eadem portio quantitatis ipſius aquæ adaucta ſit, & eadem ignis pariter portio: & ideo fieri non poteſt vt quantitas medicamenti qualitatem & facultatem adaugeat. nam vt in ſuperiori exemplo dicebam cum additis ſex ſcrupulos ignis, pariter & duos aquæ, ſi tres ſcrupuli ignis illud agebant, vt vrerent, quod quidem proprium quarti eſt gradus, ita ſex poſtea cum ſit adauctus vnus ſcrupulus aquæ, qui reſiſtit, idem agunt. Et hæc eſt ſententia Galeni in primo de antidotis 14. & fuit etiā Satyri ſui præceptoris, qui Quintum deridebat capientem loco perfecti cinnamomi duplum caſſiæ, dicebatque quod non eſt hoc ſimile, ac ſi quis duplū panis furfuracei daret loco eius quod ex albo & optimo tradere debebat. Quare ex his colligendum eſt, falſum eſſe, quantitatem augere facultatem, vel virtutem, vel vim: & notate quod quando dico virtutem, vim, & facultatem non intelligo aliquid per relationem, neque aliquid quòd ſit potentia, ſed quod eſt in actu. nam ex auctoritate Ariſtotelis illud quod agit, actu ſit oportet, & ideo piper cum agit per vim actu exiſtentem agit, eodem quoque modo, & facultatem, & virtutem appellamus. Difficultas autem eſt de qualitate in actu, non autem in potentia, & hoc eſt quod quærimus. Ego autem opinor, quod medicamenta intendantur & remittantur in actione, & per conſequens opera & effectus intendantur, ac remittantur. piper enim poteſt intendi, & remitti à quantitate ratione ſuæ actionis, id eſt, quod validius agat, & citius ratione quantitatis; minus autem, & longiori tempore aget ſi quantitas imminuatur, ſed impoſſibile eſt, quod minus vel magis q̃ in tertio agat, atque illud non videtur in potentia: quia ad hoc vt agens agat, nō requiritur tm̃ actus & facultas agentis, quia ſi hoc eſſet, omnia tandem in ignem conuerterentur, qui in quarto habet caliditatem. Sed requiruntur alia, vt ſc. paſſum ſit aptum, & quia aliqua paſſa ſunt magis apta, ideo apparet diuerſitas. verbi gratia ignis calefacit lignum, fœnum, & ſtuppam, non tamen ita reliqua calefacit. Vnde hoc? vel ratione reſiſtentiæ qualitatis, vel ratione ipſius actionis. prætерea adiungitur & tempus, vt agens ſit tale ad actionem, & paſſum ad paſſionem diſpoſitum: nam ſine actione fieri non poteſt. cum enim omnis actio ſit motus, motus

vero

vero omnis fiat in tempore, neceſſario requiritur determinatum tempus, quia exceptis ipſis primis reliquę omnes qualitates fiunt per intenſionem, vt primo quidem in primo gradu calefaciant, mox in ſecundo, ac tertio deinceps, vſque ad quartum: quare ſi hoc fit, neceſſarium eſt, vt intercedat tantum tempus, vt intenſior, & adhuc intenſior qualitas fiat, ſi autem non adſit, non poſſet fieri actio. Dimitto autem media opportuna, quibus actio efficitur, vtpote oppoſiti reſiſtentiam, ſitum & locum.

Ex his colligo, quod qualitate ipſa non mutata quantitas & actio ipſa alterari poteſt exemplo ipſius ignis. nam ignis eſt calidus in quarto, is tamen aquam calefacere non poteſt quoniam habet reſiſtentiam: Sed demus quod hoc fieri poſſit, ſed quia tantum reſiſtit aqua, ignis tangens aquam ſtatim recedit; igitur dico quod in tempore neceſſe eſt fieri huiuſmodi actionem: ergo poteſt augeri in infinitum actio ipſa. Aduertatis ſecundum meam ſententiam, quod actio augeri & diminui poteſt intra illum gradum; qui eſt idem cum gradu qualitatis agentis, verbi gratia, ignis calefacit lignum, quod hæc actio poteſt intendi, & minui ratione quantitatis intra gradum illum, hoc eſt vſque ad quartum, & ſi apponeretis alium ignem, non magis calefaceret, quam prior ignis; non creditis, probo; nulla etenim actio fit inter ſimilia, ergo cum lignũ ſit factum ignis, non poteſt amplius ignis fieri, quia lignum iam eſt ignis, & in ſummo ignis, ideo intendi non poteſt. Veritas vero eſt hæc, at deceptio ab hoc dependet, quia iſti cum viderent quod actio intendi & remitti poteſt, & aliquando robuſtior, & diminutior quandoque, credidere quod mutentur gradus, ſed hoc non eſt verum. nam agens aget quouſque intendet paſſum ad ſummam qualitatem, vltra quam ſolus Deus ſecundum actionem progredi poſſet, etiam quod adderemus infinitam quantitatem agentis, quoniam ſimile non agit in ſimile, nec à ſimili in qualitate adaugetur. Dico igitur ad primum argumentum, quod illa remiſſio, & extenſio non eſt qualitatis piperis, ſed ratione actionis piperis; quia remiſſius, & intenſius agit ratione quantitatis. Sed cur hoc eſt? dicam quia magna quantitas diuturniorem habet actionem, & quia omne agens in agendo repatitur & ratione caloris, & ratione quantitatis, & ideo minima pars piperis citius à calore naturali patietur, & citius exoleſcet, magis autem eò, diuturnius, & robuſtius calefaciet.

Ad illam vero rationem, quæ dicit, vna drachma piperis aget in ſecundo, duæ in tertio, & tres in quarto gradu, dico quod hoc verum eſt, ſed hoc eſt ratione reſiſtentiæ, & ratione maioris vnionis quantitatis. ratio eſt, quia introductio hæc fit à parte poſt partem, ob id aget in tempore, & ſi parum permanebit, in primo (verbi gratia) aget gradu, ſi diutius in ſecundo, ſi adhuc diutius in tertio, & ſic deinceps. Ex quo colligatis, quod morbus indicat rectè qualitatem, non autem quantitatem, quoniam ſi (exempli gratia) in intemperie calida lapſum ſit corpus per duos gradus, indicatio inſurgit, vt per totidem gradus medicamenta ei apponantur, at quantitatem ſecundario, prout ratione paſſi, & diuturnitate actionis compenſatur. Sed dicet quis, ſupponis, quod piper ſit calidum in tertio, nonne poſſumus exhibere homini tantũ ex eo, quod ipſum interficiat? profecto poſſumus. Quæro ego quomodo interficiet? non eſt dubium quod caliditate & ſiccitate interficiet, non poſſumus dicere quod interficiet hominem ob caliditatem & ſiccitatem in tertio gradu, ergo interficiet ratione quarti gradus. Ego quidem poſſem dicere, quod piper interficit ratione multæ quantitatis, quæ à calore vinci non poteſt. Sed hæc eſt fuga. dico autem ego, quod ſi caliditati piperis in tertio adiungatur piperi quantitas, non ſolum calefaciet ſpiritus, & partes ſuperficiales, ſed ſubſtantificas. nec in hoc dubitate, quod in 3. calefaciet, in quo anima hominis & vita conſiſtere non poterit; quia calor noſter temperatus eſt, neque in tertio gradu calidus conſiſtere poteſt: neque agit ratione qualitatis in quarto, ſed ratione habitus, qui diutius in corpore perduraret: talique introducto minimè vita conſiſteret: itidem etiam de aniſis quæ in ſecundo calefaciunt, dicendum eſt, vt & de pipere. dicatis domini, quod vera eſt ratio, ſed ex hoc non colligitur, quod ipſi volunt, ſed ideſt, quoniam roſæ incaleſcunt à pipere, ideo ab eo patiuntur, & piper ab his patitur, ideo retunditur vnus eius gradus, & ſi adiungatur roſarum drachma, tunc magis retundet non ratione qualitatis, ſed ratione qua diutius roſæ agunt in piper, quia corpuſcula roſarum, ex quib. peruenit actio, plurima ſunt; & diutius & robuſtius agunt; ſed quod qualitas roſarum adaucta ſit, hoc falſum eſt. Ad illud exemplum de naui, dico quod eſt proportio agentis & patientis, quæ has varias actiones efficit. v.g. ſit nauis quæ in extremũ celeriter à portu ad portum vna hora deduci poteſt, ita vt hæc celeritas intendi non poſſit, ſi ego volo trahere iſtam nauem à portu ad portum, vno equo traham ipſam decem horis, ſi duobus equis in nouem horis, adiungatur alius, adhuc in minori temporis ſpatio trahetur. cum autem de-

uentum

uentum ſit ad decem equos, tunc in vna hora trahetur; & ſi adiungantur centum & mille equi, tunc non celerius trahent quam vna hora, quia deuentum eſt ad illud ſummum quod poteſt agere, cum & equi non amplius trahere poſſint. Et ideo decipiuntur in exemplo. oportet enim determinate ad vnum ſummum deuenire, quod præterire non licet: nam nauis, vt nauis in minori tempori non trahetur.

Erat autem alia ratio à nobis prætermiſſa ad prædictarum corroborationem ab illis deſumpta quod in maiori quantitate maior eſt virtus. nam ex Ariſtot. author. 3. phyſicorum 42. habetur, quod dum ipſe probare intendit non dari infinita elementa hanc aſſumit probationem, aut eſt vnum, aut multa, atque hæc aut finita, aut infinita; ſi autem infinitus ſit aer, de neceſſitate reliqua elementa non corrumperentur. Videte probationem conſequentiæ, nam (inquit) accipiamus ignem infinitum, & aerem infinitum, dico aerem ignem corrumpere: ſed quia dicet quis idem robur habere finitum quod infinitum, contra inquit Ariſtot. accipiatis maiorem partem ignis, dico quod maior portio eius magis aget ratione proportionis. Et ideo eadem proportio ignis valet, quantum eadem proportio aeris, verum in decupla proportione igni reſpondens. Sed cum aer ſupponatur infinitus, igitur in eo maior virtus erit, & ita ignis virtus ab aere vincetur, ergo ſequitur quod iſta quantitas adaucta, virtutem adaugeat: quare cum vincat maius elementum non ratione virtutis, ſed quantitatis, ſequitur, quod iſtorum poſitio vera ſit. Ad rationem autem hanc ex Ariſtotele deſumptam dico ego, quod non ſequitur quod qualitas ipſa intendatur, ſed quia diuturna eſt actio aeris infiniti, & ſemper fit, ideo tunc ignis corrumpetur, ſed hoc non prouenit, quod aer totius in maiori agat gradu, quam minima eius pars. diutius enim & robuſtius agit, & ideo cum in infinito tẽpore agat, corrumpet. verum nos non habemus ab Ariſtote. quod minima pars aeris in minori gradu agat, quã eiuſdem maior. Quare dico, quod ratione actionis agat, non ratione gradus, ita tamen vt cum peruentum ſit ad ſummum, non amplius actio hæc intendi poſſit. Tenendum igitur eſt, quod quantitas adaucta medicamentorum intendere poteſt atque augere ipſorum actionem ad certum vſque gradum à natura conſtitutum ex propria temperatura, quam quidem quantitas adaugere non poſſit: tenendum quin etiam eſt, quod quantitas imminuta actionem imminuere poteſt per gradus vſque ad minimum, nõ autem quoad facultates. exempli gratia dico, quod quantitas piperis adaucta poteſt piperis actionem intendere, quouſque in tertio calefaciat, è contrario autem dico, quod diminuta quantitas piperis actum vel actionem vſque ad minimum gradum imminuere poteſt. Secundum autem pręceptum eſt, quod non addenda ſunt medicamenta vehementia in maiori quantitate ac actione, quam ſit id quod baſis compoſitionis exiſtit; nam ſi admiſceatis aliquid medicamenti quod ſit vehemens, baſis vtique naturam ſibi acquiret. Tertium præceptum eſt, quod quotieſcunque admiſcemus aliquod medicamentum quod debile ſit, ſi volumus, quæ ſit baſis, magnam ex eo quantitatem admiſcemus. Quartum vero eſt, quotieſcunque volumus admiſcere aliquod quod cito reſoluatur, debemus admiſcere magnam ex eo quantitatem. Addatis quintum, quod omne medicamentum quod eſt tardi & difficilis motus, difficile admodum reſoluitur, ob id debemus paucam ex ipſo admiſcere quantitatem, quoniam ſi multum admiſceamus, aliorum actionem corrumpet: hæc autem talia ſunt metallica, quæ tarde agunt, quorumque actio diu durat.

Sextum præceptum eſt, quod cum admiſcemus aliquod medicamentum compoſitum, quod in profundum agere debet, debetis multam permiſcere quantitatem, alioquin vſque ad locum non penetrabit. Addatis & ſeptimum, quod ſi nos volumus medicamentum agere in ſuperficie, panciſſima quantitas admiſcenda eſt, alioquin aliorum deſtruet actionem. Addatis & octauum, & nonum, quod ſi volumus admiſcere medicamentum aliquod, quod iuuet, & roboret partes ac præcipue principales vt roſæ quæ ſpiritus & cerebrum roborant, nec non hepat (inter cordialia namque medicamenta reponuntur) tunc ex ipſis magna quantitas eſt admiſcenda. neceſſarium namque eſt, vt ad illas plurimas partes inferri poſſint, contra vero ſi erit medicamentum, quod tantum ipſas partes iuuet, tunc paucam quantitatem immiſcere oportet. Addatis aliud præceptum decimum & vndecimum, quod quando nos admiſcemus in compoſitione medicamentum vnum, vt volunt ſcriptores, quòd vnum tantum ſit, & vnius naturæ, vt per id medicamentum agat, tunc plus ex eo ponatur; vt exempli gratia ſi ponamus piper tantum in vna compoſitione, nec aliud quod ſit in tertio gradu calidum & ſiccum, & volumus quod compoſitum medicamentum ſecundum hanc facultatem agat, tunc multam quantitatem admiſcere oportet. ſi vero eodem medicamento compoſito alia medicamenta ſimilis facultatis admixta erunt, tunc non erit neceſſarium augere quantitatem illius ſolius medicamenti vtpote piperis. Duodecimum vero præceptum eſt, quod obſeruemus

ſeruemus quotieſcunque admiſcemus, an præter facultatem iuuantem aliquid in medicamento adiungatur quod noceat, verbi gratia bolus orientalis magnam vim ſiccandi habet, & putredini reſiſtit, & veneno, ego volo miſcere illum in theriaca, dico quod pauca quantitas admiſcenda eſt. ratio eſt, quia in bolo orientali vltra vim ſiccandi habet etiam quod adſtringit, ac præterea facit difficultatem reſpirationis, & hoc parebit vobis, ſi conſideraueritis illos qui in multa vtuntur quantitate: igitur ratione partis nocentis, quam in ſe habet, non magnam quantitatem admiſcebitis.

Decimum tertium præceptum eſt, quod quando admiſcemus medicamentum, obſeruemus an medicamentum hoc in compoſito multa habeat ſecum contraria admixta medicamenta, nam ſi nullum habuerit contrarium, paucum ex eo eſt admiſcendum, ſi aliquod contrarium, multum. ſi multa habeat contraria, tunc plurimã miſcemus quantitatem, neque eſt aliquis medicus, qui non habeat ſua medicamenta propria experientia comprobata, quibus etiam vtuntur: quod itidem vos facere poteritis, dummodo hæc habeatis præcepta, quæ circa quantitatem ſunt obſeruanda.

Præcepta quæ ſunt obſeruanda circa ſubſtantiam medicamentorum. Cap. XVIII.

SED hæc non ſatis ſunt, ſed debetis vlterius progredi ſubſtantiam medicamentorum ſimplicium obſeruantes, quia aliquando ſubſtantia medicamentorum ſimplicium eſt vt requirat aliqua admiſcenda, & ideo cogimur quandoque ſubſtantias contrarias admiſcere, quando volumus alterius ſubſtantiam corrigere, vt exempli gratia quando volumus admiſcere, quod ſit craſſæ ſubſtantiæ, vt corrigat illud quod tenuis ſit ſubſtantiæ, vt oleum cum aceto, & econtra ſimiliter ſi habemus ſubſtantiam aliquam reſolubilẽ, cogimur admiſcere viſcidam. & ſi habemus ſubſtantiam mollem, cogimur admiſcere duram. ſi vero duram, mollem; ſed ſemper affectetis, vt ſimilia miſceantur in ſubſtantia. ratio eſt, quia inter ſimiles ſubſtantias fit mixtio, & compoſitio vniformiter, non autem quod vna pars citius, alia vero tardius in medicamento operetur, exempli gratia, laudo vt ſemper crudam ſubſtantiam cum crudis ſubſtantijs admiſceatis; quia ſi fiat fermentatio, ſemper cruda inter ſe miſcebuntur, quam cum coctum cum crudo altero admiſceatur. præterea miſcemus reſolubilia cum his quæ reſoluuntur, & craſſa craſſis: quia alterum ſi reſoluatur, pariter & alterum. itidem miſcenda ſunt tenuia cum tenuibus, & pinguia cum pinguibus. nam non ita facilè oleum cum aqua, & ſucco miſcebitur, pariter ſuccus cum ſuccis, durum cum duro, molle cum molli eſt admiſcendum. nam ſi habeatis ſuccum & puluerem, ſemper ſi poteritis dimittatis puluerem, & ſuccum accipiatis. ſi vero quandoque ratione correctionis coacti eritis contraria admiſcere, tunc non fugiatis, vt nec etiam antiqui.

Præcepta circa modum actionis, & compoſitionis medicamentorum obſeruanda. Cap. XIX.

POSTREMO in modo actionum habemus præcepta obſeruãda; dicebam etenim aliqua eſſe medicamenta quæ cito agunt, & quæ tarde; moneo autem quod quotieſcunque non ita tarda eſt actio aut celeris ſemper ſimilia commiſceatis; & ideo oportet miſcere illa ſimul quæ tardè agunt cum tardis, & cita cum celeribus; niſi velimus actionem reprimere, nimirum citam medicamenti operationem, aut tardam; tunc enim celeritas cum tarditate actionis alterius, aut tarditas cum celeritate corrigenda eſt; & niſi nimia ſit tarditas, aut celeritas, ſemper ſimilia ſunt admiſcenda. atque hoc eſt præceptũ antiquũ & obſeruandũ. Vltimo in qualitate obſeruandum eſt, an in medicamento compoſito ſit illud vnum quod quærimus; verbi gratia, an iſtud compoſitum ſatisfaciat in qualitate, an non, & an in hoc gradu ſit, nec ne; v. g. volo

volo componere confectionem pro robore ventriculi, oportet primum ſpeculari an ca lefaciet, & poſtea in tanto gradu: circa quod poſtremum (domini) magna eſt difficultas. ratio eſt, quia omnia quæ ex diuerſis componuntur, tribus modis componuntur: aut enim omnia medicamenta erunt vnius, eiuſdemque generis, verbi gratia, facio confectionem, qua volo calefacere, omnia erunt ſimplicia calefacientia, vtpote cinnamomum, cariophyllum, & zingiber: videris etenim iſta aliquando ſolere eſſe ſimilia, quæ in vno gradu calida ſint, vt cardamomum, fœniculus, & alia huiuſmodi, quæ in ſecundo agunt: aliquando ſunt ſimilia in qualitate, ſed diſſimilia in gradu, vt cinnamomum, piper & cariophyllum, iſta ſunt diuerſa in gradu. nam habeo calidum in ſecundo & tertio, & in quarto, licet dicant medici, quod nō datur calefaciens in quarto, minus calidum in compoſitione alterum magis calidum obtundit. alia erit compoſitio iuxta ſecundū modum, cum omnia medicamenta in omnibus diuerſa erunt: ſed hæc aut ſunt oppoſita inter ſe in æqualibus gradibus, aut diſſimili gradu. verbi gratia, accipio tria medicamenta, vnum erit calidum, humidum alterum, & alterum frigidum; omnia quidem poſſunt eſſe talia in ſecundo, vel poſſunt eſſe diuerſa vt vnum ſit in primo, alterum in ſecundo, & alterum in tertio; atque hæc eſt diuerſa ratio à prima. nam cum volo ventriculum calefacere, quomodo faciam? ponam ne ea quæ in æquali gradu, an quæ diuerſa? Domini, vt hoc ſciam, noſcendum in primis eſt, quomodo medicamēta contraria inter ſe agant: tractabo igitur quomodo medicamenta agant & reagant, ratione ipſorum graduum. Vltima compoſitio iuxta tertium modum eſt, quando componimus quædam & multa, quorum nonnulla ſunt ſimilia, quædam diſſimilia; vt exempli gratia, ego compono medicamentum ex contrarijs, vt calidis, & frigidis, & tria erunt calida & tria frigida, & ex his aliquot ſunt ſimilia, aliquot diſſimilia; atque hoc tribus etiam modis. nam vt omnia ſimilia erunt in eiſdem gradibus vt in primo, vel ſecundo, aut diſſimilia in gradu, vt frigida in primo, & calida in ſecundo; aut prorſus diſſimilia inter ſe ſunt, vt verbi gratia, vt vnum frigidum ſit in primo, alterum frigidum in ſecundo, & calidum in tertio. Neceſſarium igitur eſt medicum hæc optimè ſcire, hosq; tres componendorum medicamentorum modos, alioquin ſuam non aſſequetur compoſitionem; atque hæc ſunt præcipua quæ circa medicamentorum qualitatem aduertenda ſunt, circa quam nonnullæ examinandæ ſunt quæſtiones.

Quomodo medicamenta ſimul agant, & repatiantur. Cap. XX.

PRIMVM itaque neceſſarium eſt, ſi volumus prædicta ſcire, at dicebat Auer. 5. collig. cap. 58. quod nos ſciamus qualitatem medicamenti ſimplicis; nam dicebat ipſe, quod cognitio ſimplicis tibi dabit cognitionem compoſiti. ſecundum eſt, vt cognoſcamus ſi medicamenta, quæ ſunt ſimilia, aliquot ex his ſunt intenſa, & aliquot remiſſa, & an inuicem agant, & patiantur; & ſi refrangantur, quomodo refrangantur: tertium eſt, vt ſi cognouerimus quod contraria mutuo agant, & refrangantur, qualis nam ſit hæc refractio. De primo quidem hoc eſt, de cognitione ſimplicium medicamentorum nō eſt quod aliquid tradam (nam omnia ſuperius dicta ſunt) ſed vnum agunt iſti qui de compoſitione medicamentorum tractant, quod præter compoſitionem medicamentorum ingrediuntur ſimplicium pharmacorum tractationem, & circa illa conterunt tempus, cum tamen ea apud Galenum & omnes habeatis. Igitur duo reliqua videamus, an ſcilicet ſi inuicem agunt medicamenta, quorum alterum ſit intenſum, alterum verò remiſſum, intenſum à remiſſo remittatur, ſeu repatiatur: ſecundo ſi refrangantur, quo gradu fiat refractio. Ad primum duo ſunt videnda, dum dicimus quod medicamēta agunt, & reagunt, an intelligamus quod agant ſimplicia, an in mixtos verbi gratia, in theriaca, in quā medicamenta octuaginta ingrediuntur, an calidū agat in frigidum, & humidum in ſiccum, & econtra; ſecundo videndum an hæc medicamenta compoſita in corpore noſtro oppoſita ſint, an etiam agant inter ſe, ideſt, frigidum agat in calidum, & calidum in frigidum. Ad primum reſpondeo, quod nullum medicamentum ſimplex agit in aliud ſimplex in ipſo compoſito. Ratio verò huius hęc eſt; quoniam illud quod debet agere, actu exiſtit, & quod debet pati, in potentia; ſed medicamenta ſimplicia compoſita ſunt potentia, ergo non poterunt agere niſi cum actu erunt. Ex hac igitur demonſtratione colligo, quod medicamenta ſimplicia in compoſita inuicem non agunt, quia actu non ſunt, ſed in potentia, niſi per aliquam fermentationem,

& con-

& concoctionem formæ ſimplicium diſſoluantur, & ita inuicem agant. nam roſa niſi fermentetur, ac concoquatur, non aget in piper, neque piper in opium, aut econtra. Et ideo hæc fermentatio niſi detur, dico quòd nullum medicamentum in aliud aget. Ad ſecundam difficultatem, quæ erat, ſi medicamenta iſta non agunt inter ſe, quia ſunt in potentia in mixto, deinde applicita corpori in actum tandem veniunt & agunt, an iſta elementa in noſtrum corpus agant, & inuicem etiam: nam iſta actio tribus modis fieri poteſt. poteſt enim eſſe primo quod piperis partes in corpus noſtrum agant calefaciendo, & roſæ partes refrigerando. nam ſicut vidiſtis iſtos fabros lignarios qui tabulam ad ignem apponentes ipſam irrorant, vt ignis eam accendere non poſſit, ita vt aqua ignem obtundat, ignis verò aquam; ita hoc modo an fiat in medicamentis (exempli gratia) ſi hic eſſet pondus, quod alter homo ex vna parte, alter ex altera ipſum trahat, ſi illorum æquales eſſent vires, non traheretur pondus, ſed in medio maneret, & ideo non fieret actio, ſed ſi aliquis ex his eſt imbecillus, traheretur ab alio tametſi alter reſiſtere tentaret, ita piper tentat calefacere in tertio, roſa tentat refrigerare in primo. quare reſiſtet piperi, vt piper non agat niſi in ſecundo. hoc primo modo medicamenta agere poſſunt, alia verò, videlicet cum actu ignis, & terra in corpore noſtro inter ſe pugnant, & remittuntur, & alterum ſuperat alterum, vt faciunt latrones duo; nam cum non inuicem conſentiunt vnus alterum enecat.

Tertius verò modus eſt, quando illa medicamenta pugnant ratione elementorum, & etiam minimæ partes inuicem pugnant; verbi gratia, ignis tangens terram & aquam in ea agit, hæc in ignem. Cum igitur his tribus modis medicamentum in noſtro corpore agere poſſit, aliquot viri fuere, vt Montanus, qui voluere quod medicamenta in corpus noſtrum tantum agant, non autem inter ſe. Sed ego ſum iſtius ſententiæ, quod vt plurimum medicamenta in noſtrum corpus, & inuicem agant, nam quotieſcunque agens ſit applicitum paſſo, & agens in actu, paſſum verò in potentia, & receptibile, neceſſario conſequitur actio, ſed medicamēta in corpore noſtro ita ſe habent, ergo conſequitur actio. Videamus autem quomodo hoc fiat, dixi etenim quod contingit medicamenta diuidi in minima quæ agunt: quæro an iſta minima corpus noſtrum tangant necne; ſi ſemper minima particulas tangūt, & particula apta ſit ad patiendum, neceſſario ſuccedet actio. nam ſi ſe contingent, mutuo agent; quia omnia habent potentiam agendi, & patiens aptum eſt ad patiendum, hæc vtique neceſſario conſequetur actio niſi adſit impedimentum. Sed iſti aſſignent, quæſo, impedimentum, & tunc ipſis credam. Igitur primum erit ſuppoſitum, quod niſi adſit fermentatio vel elixatio, medicamenta ſimplicia inuicem non agent in ipſo compoſito. ſecundum eſt, quod medicamenta per minimas particulas imminuta, ſi corpus noſtrum tangant, in ipſum agent, & ſi illæ minimæ particulæ ſeſe contingant, inter ſeſe neceſſario agent & patientur. His ſtantibus veniamus ad propoſitum quomodo medicamentum compoſitum calefaciat, an in primo, an in ſecundo, an in tertio gradu. nam ſi calefaciet in primo, dicam vim habere calefaciendi in primo. ſed quæro ego, quæ fiat refractio inter medicamenta contraria, ad hoc omnes, & Galen. in primis, dicunt dari hanc refractionem. nam inquiunt medicamētum conſtans ex alio in ſummo, & eo quod non eſt in ſummo, non calefacere in ſummo, quia illud ſummum refrangeretur: atque hoc voluit Gal. in primo de compoſ. medicam. per genera, cap. 3. ſed ego quæro à Gal. calidum in primo refrangit calidum in tertio, per quod refrangat. Dicit Galenus, quòd in vno gradu refrangit, & ita calefaciet in ſecundo. nam accipiamus piper & chamæmelum, tunc reſultabit compoſitum in ſecundo gradu. quod autem hoc verum ſit, videte exemplum Galeni dicentis, ſi ſit medicamentū calidum in quinto cum medicamento calido in tertio fiet refractio, & id in quarto tale reſultabit. nam accipiamus aquam quæ tota in ſummo calida ſit, & miſceamus tepidam, dicit ipſe quòd vnius gradus refractio efficietur. huius autem ratio eſt, quia ſi intenſum intendit remiſſum, ergo & remiſſum remitteret intenſum. nam omne agens in agendo repatitur. nam cum remiſſum remittatur, & agat remittendo, ideo neceſſario remiſſum remittet intenſum, & ecōtra. hæc enim negare non poſſumus. nam nix frigidiſſima calidam manum remittit, & calidiſſimum quidpiam niuem remittit, & ita temperatū aliquod medicamentum illam remittet caliditatem, verbi gratia in quarto, aut tertio. Verum hæc ratio Auerroi non placuit, qui obiicit, dicens quòd ſi hoc eſſet, ſequeretur quòd eadem fieret refractio ab ipſo ſimili, quæ fit à contrario; verbi gratia, ſi nos accipiamus medicamenta in primo gradu, calidum habebimus medicamentum in potentia, vt duo. nam hoc dicebat Gal. ergo ſequitur quòd ex medicamēto calido, vt vnum, & medicamento calido vt tria, reſultet calidum vt duo. ſed dicit Auer. ſi hoc eſſet, ſequeretur medicamentum calidum agere in calidū, perinde ac in frigidum. nam ſi accipiamus medicamentum calidum vt tria,

& miſceamus frigidum vt vnum, reſultabit & fiet actio ſecundo gradu, ſicut etiam reſultabit ex medicamento calido in tertio, & calido in primo ſimul iunctis: ſed non eſt dicendum quod tanta fiat refractio à ſimili, quæ ab oppoſito, calidum enim in primo, & frigidum in primo non ſunt contraria ratione graduum, ſed qualitatibus: ergo non eſt vera Gal. ratio; & ita Auer. irridet hanc rationem. hoc enim modo medicamentorum certitudinem habere non poſſumus, neque tamen vult Gal. accuſare, ſed deceptum eſſe Alchindum ait; quoniam medici hi iſtius refractionis cauſam ignorarunt. Verum ſi ego quæram ab Auerroe, qua ratione: reſpondet ipſe, quod illud in quo maior eſt proportio contrarij poteſt refrangere illud in quo minor eſt contrarij proportio, & ideo calidum non refrangit calidũ, ſed eſt illa proportio contrarij, quæ eſt in calido, remittens. nam ſpica remittit piper, ſed ſpica remittit non quatenus calida, ſed ob quandã proportionem maiorẽ contrarij in ipſa ſpica, quod non adeſt in pipere. nam ſpica calida (exempli gratia) in primo multa adeſt frigiditas, quam in pipere calido in tertio, & ita maior eſt comparatio frigiditatis ſpicæ ad ipſius ſpicæ caliditatem; in ſpica igitur quæ dicitur calida in primo (hæc autem repeto, vt optimè hæc habeatis) adeſt tanta aquæ & terræ portio quæ caliditatem in ſpica retundit, vt niſi primo gradu agere poſſit; cauſa eſt, quia tot ſunt partes terræ & aquæ, quę ipſum ignem refrangunt, vt maior actio fieri nequeat: ergo maior eſt cõparatio terræ & aquæ quam ignis: piper vero calefacit in tertio, quia minor comparatio partium frigidarum cum calidis. inquit igitur Auer. quod remiſſum remittit intenſum, quia in ſe ipſo multas habet frigidas, vt de ſpica, & pipere à nobis dictum eſt; & ita ſequetur, vt per rationem ipſius proportionis ex medicamento calido in primo, & calido in tertio reſultet calidum in ſecũdo: iſtius autem cauſa remiſſionis ex Auer. prouenit ratione minoris qualitatis ſupra contrarium, & econtra. Hoc itaque conſtituto, cum maior ſit proportio frigiditatis, aut caliditatis: ita vt maior ſit in primo quam in ſecundo, & tertio, & in ſecundo quam in tertio, conſequitur quod ratione iſtius proportionis fiat refractio. probo autem (inquit Auer.) nam medicamentum frigidum retundit calidum in vno gradu, & poſtea vis quod calidum in primo idem agat, nonne maior eſt comparatio frigidi quam calidi, ergo non eſt remiſſio, vt dicunt. cum autem Auerroes ſibi viſus ſit hoc probaſſe, medicos deridet, inquiens intenſionem & remiſſionem non fieri ea ratione, vt ipſi putarunt. Vos autem audietis in ſequentibus quid dicat Alchindus. nam Auerrois ſententia non ſatisfacit. Sed ego miror ingenium Montani, qui volens probare quod remiſſum non remittet intenſum, probat exemplo nauis. ſupponamus, & etiam inquit ille, adeſſe nauim quæ à Socrate vt quatuor trahatur, & habeamus Platonem ex altera parte, qui trahat vt quatuor in oppoſitum, auferatur Plato, ſequetur quod Socrates trahet ſine contrarietate. adiungamus vnum alium, hoc eſt Andream qui trahet, vt & Socrates trahit per eandem partem per vnum gradũ, quis eſt qui dicat quod Andr. remittat, & impedimento ſit ne Socrates trahat? Ita in medicamentis dicendum eſt. ſi habemus medicamentum calidum in quarto, & miſceamus cum calido in primo, certum eſt, quod adiuuabit potius actionem quam ipſam remittet. Ad Gal. verum reſpondens inquit, quod non ita dixit Gal. Sed quod ſenſit rationem omnem conſiſtere in quantitate. nam ſi piper debet calefacere in tertio, oportet vt quantitas piperis ſit opportuna, aliter non calefaciet in tertio, neque in ſecundo, neque in primo. Sed habeo piper & volo calefacere corpus meum in ſecundo gradu (inquit ille) ego accipio duos piperis ſcrupulos, ſtante quod vna piperis drachma in tertio calefaciat. Sed quia tam pauca eſt piperis quantitas, vt actio non duret, ideo (inquit Montanus) admiſcebo aliquid, quo actionem conſeruare poſſim, addam enim calidum in primo, ſpicam ſcilicet, vt actio perduret, atque hanc eſſe Galeni mentem ait, quam & quibuſdam argumentis corroborat: ſed de hac inferius dicemus. Redeamus itaque ad hãc difficultatem, in qua multum laborauit Auer. 5. ſui colliget. cap. præcitato. vt autem ipſam intelligatis, opus eſt vt memorię mandetis quęcunque à nobis ſuperius dicta ſunt: ſuppoſitum namque fuit, omnia medicamenta duas habere facultates, vnã, quam compoſitam appellamus, alteram vero ſimplicem. compoſitam appellamus, id quod ex aqua, aere, terra & igne reſultat, ideſt temperamentũ, & dicitur facultas compoſita, vtpote ex primis ipſorum elementorum facultatibus conſtituta; atque hæc ſemper eſt in actu; & quotieſcunque hoc temperamentum aduenit contrarium, ſtatim agit, neque aliquod requirit, quod id ad actum perducat: ratio eſt, quia illud actu eſt mixtum, & cum ſit mixtum per illud temperamentum; ergo temperamentum erit in actu, & non indiget, vt ab aliquo in actũ perducatur, niſi attenuetur & comminuatur, vt penetrare poſſit. alia autem facultas eſt qualitas elementatis puta, & eſt vna qualitas elementum ſcilicet, & iſta non eſt actu in medicamentis.

Igitur

Igitur medicamenta quæcunque fuerint mixta (exceptis elementis puris) dicemus habere facultatem ſimplicem potentia, non actu: atque hæc latet, quia elementa etiam latent. nam videte ſi in medicamento mixto adeſt qualitas calida, & frigida, adeſt quidem quia habet terram, vel ignem: ſi autem elementa ſunt in actu, non poſſumus niſi concludere quod qualitates ſint in actu, ſed econuerſo dicamus, quod elementa inſunt in potentia, vel in eſſe refracto, quod idem eſt, valebit etiam; ergo & qualitates. Sed cum elementa non ſint in actu, ergo nec qualitates, quæ tamen conſequentia valeret, ſi elementa eſſent in actu. nam & qualitates in actu forent. Eſt igitur facultas quæ in actum reduci debet, quomodo autem ad actum reducatur, probaui; quia calor noſter diſſoluebat compaginem illam, & temperamentum, & tunc omnia elementa agunt, & in noſtro corpore actu reperiuntur: ideo reſultat in noſtro corpore actus, & actio illius elementi, quod magis prædominatur. aniſum enim recipitur in noſtrum corpus, attenuatur, mollitur, diſſoluitur in elementa, & diſſipatur mixtum, diſſipato autem mixto omnia elementa agunt: & quia in aniſo eſt plus ignis, ideo qualitate ignea agit, hoc eſt calida. quod autem dixi de calido, hoc idem quoque de alijs dicendum eſt.

De Proportione ſimplicium medicamentorum in ſe, & vt in mixtis reperiuntur ſecundum duas ſententias Auerrois & Alchindi Arabis. Cap. XXI.

HOC conſtituto, Galenus cum pulcherrimè obſeruaſſet, quod cum medicamentis calefit noſtrum corpus, aliquando valde calefit, ſi prius medicamentum contritum ſit, aliquando autem minus, ac quandoque adhuc minus, pariter quod homo frigeſcit & cum rigore, & aliquando cum voluptate. cumq; vidiſſet has latitudines in ipſis actionibus, diuiſit medicamẽta in quatuor gradus & claſſes, dixitque medicamenta aliquando calefacere in primo, quandoque in ſecundo, & quandoque magis in tertio, ac aliquando in quarto, cum adurunt, ſimiliter dixit de alijs qualitatibus frigidis, humidis, & ſiccis. Præterea Galenus, & alij poſuerunt proportionem, quæ eſt inter iſtam intenſionem & remiſſionem, & notate quod geminę fuerunt ſententię medicorum, vna quidem Auerrois & Galeni, altera verò Alchindi Arabis doctiſſimi viri. Gal. & Auerr. diuiſere, & totam iſtam latitudinem. nam cum incaleſcat corpus parum, magis, & adhuc magis, & maximè, medicamenta ipſa in quatuor partes æquales diuiſerunt, voluerunt q; quod medicamenta calefaciant in primo ob vnam caloris partem, in ſecundo verò, quia duas habent partes, in tertio, quia tres caloris partes habent, & in quarto, quia quatuor habent, atque hoc pacto talem ipſis diſtribuerunt proportionem, quæ eſt talis, vt tantum diſtet ſecundus gradus à primo quantum ſecundus à tertio, & tertius à quarto. nam primus ſicut vnam habet partem caloris, ita & ſecundus, ac tertius & quartus differunt; quia eſt differentia vnius à reliquis per vnam partem, & æqua eſt in omnibus partibus diſtantia. Si autem quæratis quomodo poſſit ſciri hæc diſtantia (inquit Auerr.) Quod tanta eſt diſtantia primi ad ſecundum, quanta primi ad temperatum, & tanta inquã quanta ſenſus qualitatem illam percipere poſſit; quod ſi duplicetur, ſecundum efficit gradum, ſi verò triplicetur, facit tertium, & ſi quadruplicetur, quartũ gradum facit. His verò conſtitutis hæc eſt proportio quarti gradus ad primum quadrupla, tertij verò ad primum triplex proportio. Sed aliquis veſtrum quęret: ſtante iſta proportione, & quod iſti gradus reſultant ratione vincentis elementi, in medicamentis calidis quodnam eſt illud quod calefacit? Reſpondeo quod eſt ignis: ſed qua ratione fit quod ignis qui eſt in medicamento primi gradus, calefacit primo, & qui in eo ſecundi gradus, in ſecundo, & qui in eo tertij, in tertio, non autem quod in medicamento primi gradus, vel ſecundi in quarto calefaciat. Aduertatis quod non eſt dubitandum, quod medicamenta agunt per elementa, ſed dico quod ignis aliquando parum calefacit, aliquando multum, & quandoque maximè. nam quicquid calefit in mundo, aut calefit ratione luminis, aut ratione attritionis & motus, aut ratione præſentis corporis calidi. medicamenta autem calefaciunt ratione tertij, hoc eſt ratione præſentis calidi, hoc autem calidum remiſsè, vel robuſtè agit vel ratione diſtantiæ loci, vt accedo ad ignem prope, is vtique exuret, ſi verò ab eo recedo, minus calefaciet; at ſi maximè ab eo recedam, parum vel nihil calefacit; & ideo diſtantia loci vel præſentia eſt cauſa remiſſæ, intenſęve actionis, vel ratione temporis. nam tempus ipſum eſt etiam huius cauſa. nam accedo ad ignem, & ſtatim incaleſco,

ſed ſtatim recedo, tunc corpus non eſt exuſtum, accedo poſtea ad ignem, & diu maneo, corpus exuritur. tertia autem cauſa erit motus ipſe, quia aliquando medicamentũ minus craſſum eſt, aliquando vero minus tenue, & ideo robuſte calefaciet, atque remiſſe: nam accedens quis ad ignem per medium aerem maximè calefit, ſi vero ſit tela, minus, & ſi lignum adhuc minus, & ſi marmor nihil penitus. vltimo huius cauſa eſt præſentia contrarij. nam accedo ad ignem, & ſufflet ventus frigidus, hac ratione ignis non vrit ob venti contrarij frigidi præſentiam. Hoc ſtante quærimus, quę eſt cauſa cur medicamenta agant in primo, aut ſecundo, cum deberent agere in quarto gradu: hoc quidẽ nõ prouenit, niſi per adauctam aliam rationem, hoc eſt, per adauctum contrarium: & ideo non calefacient niſi in primo, & ſecundo gradu, quia adeſt contrarium, hoc eſt aqua & terra, quæ impediunt vt non agant in tertio, & quarto, neque exurant, agunt autem in quarto, & exurunt, quando non habent terram, vel aquam, vel aliud contrarium. Sed quanta eſt quantitas ignis, quæ poſſit exurere? hoc quidem exacte ſcire non poſſumus. nam ſcintilla ignis corpus noſtrum non exuret: ſed demus, quod quatuor ſcintillæ exurant corpus noſtrũ: ego volo, quod non exurat, ſed parum calefaciat, accipioq; medicamentum, in quo ſint exempli gratia quatuor minima aquæ, ſic vtique nulla ferme fiet actio, quia quantum aget vnum, tantum in contrarium aget aliud, & ſic nulla fiet actio, aut ſi fiet, temperata. Dicet aliquis, nolo temperatam actionem, ſed volo quod calefaciat in primo. Auerr. & Gal. ex ſententia Ariſtotelis in tertio phyſ. contex. 42. vbi de elementis contrarijs loquitur, dicebat quod ſi nos accipiamus vnam partem ignis, & tantundem aeris, vel aquæ vel terræ, hoc eſt quatuor minima, vt inquit Ariſt. quæ eſt horum maior vis in quatuor minimis, ignis ne an aeris? terminemus & dicamus quod in quatuor particulis ignis adeſt, verbi gratia, virtus per centũ gradus, & aeris per quinquaginta, volo facere quod pares ſint virtutes (inquit Ariſt.) accipiam centum ignis, quæ faciunt pro quatuor particulis, & quinquaginta aeris, quæ faciunt quatuor particulas aeris, & ita adæquo quatuor particulas ignis, quæ centum valent. hoc ſtante inquit Gal. nos diuiſimus illam latitudinem in quatuor partes. ita etiam diuidenda eſt tota medicamentorum materia in quatuor partes, dicemus igitur quod quatuor minimis ignis exuret corpus, ſi vero addamus tantundem frigidi, nulla ſuccedet actio, aut temperata, quia tanta eſt vis calefaciẽdi in ignis minimo quãta refrigerãdi in minimo terræ: igitur ſi volumus augere calorẽ, accipiã quatuor minima calidi, & tria minima frigidi, & tunc dico quod reſultabit calidum in primo gradu, quia vna eſt differentia vnius tantum partis, quæ proportio trium ad quatuor dicitur. quòd ſi ego voluero calefacere in ſecundo, remoueam vnam frigidi partem, & ſic medicamentum id in ſecundo calefaciet, ſi vero in tertio, auferam adhuc aliam partem, ſicut cum voluero in quarto calefacere, auferam omnes frigidi gradus. hoc ſtante videatis proportionem in temperato, quæ non eſt eadem cum illa primi gradus; ſeſquitertia autem nominatur hæc, in ſecundo autem gradu eſt proportio dupla; quia eſt caliditas vt duo, & frigiditas vt duo: in tertio vero eſt proportio quadrupla, quia omnes caloris partes adſunt. in quarto autem gradu nulla adeſt proportio. Eſt aũt notandum quod hæc non fiunt à medico, ſed à natura. nam hoc non eſt datum nobis facere. In gradib. igitur talis datur proportio ignis, cum medicamenta agunt aut in primo, aut in ſecundo, aut tertio, aut quarto gradu, prout alterũ magis, vel minus habet ex oppoſito elemento, vtpote calidum ex frigido, atque hoc ab Auer. diffuſe admodum explicatum eſt: à Gal. vero clare non habetur, ſed eſt vna duntaxat patuula ſententia, à qua hoc elici poteſt, & Auerrois ipſe elicere potuit. Eſt autem alia Alchindi Arabis opinio, qui varie gradus proponebat: & ratio talis erat, quia ſupponebat Alchindus illud quod ſupponit Gal. & Auer. quod in temperato medicamento tantundẽ adeſt calidi, & tantundem frigidi, pariter de humido & ſicco, quotieſcunque medicamẽta habent æquales vires, vt tantum vnus aeris ſcrupulus agat quantũ vnus gradus ignis: ſupponebat iterũ Alchindus, quando medicamenta a temperato recedunt, vt exempli gratia in caliditate, tunc fit medicamentum calidum in primo, ſecundo, tertio, & quarto; quia additur calidum ipſi temperato. ſi enim additur parum calidi, reſultabit calidum in primo; ſi vero addas adhuc maiorem calidi quantitatem, erit adhuc magis tẽperato calidum, vtpote in ſecundo, vel tertio; ſi vero maxima in quantitate calidum addatur, medicamentũ calidiſſimum & in quarto reddetur. Secundũ Alchindum igitur gradus calidiores in latitudine eadẽ fiebant, quia maior quantitas vt puta calidi ſupra temperatum erat, & hoc ſcdm ipſum concedendũ eſt, quia maior quantitas eſt in primo gradu, quã in temperato, ſicut ꝙ minor quantitas ſit in primo gradu ꝙ̃ in ſecundo, & ita de tertio, & quarto dicatur. Vnde eliciebat cõcluſionem, quod in ipſa latitudine à temperato vſque ad calidum, in quarto ſemper fit auctio, & à temperato vſque ad primũ incrementũ minimum

nimum

nimum eſt,quod quidem verum eſt,quia minor caliditas eſt in primo quàm in ſecundo. Adiungebat etiam, quòd quamuis iſtud medicamentum in primo minimum ſit ſecundum latitudinem,eadem tamen eſt proportio in omnibus,& inter gradus, vt tanta ſit diſtantia primi ad ſecundum, quanta ſecundi ad tertium, & ſic de cæteris: & ſi hoc non fieret,nō caderet æqualitas,neque hi gradus per ęquas portiones partiri poſſent: Verum omnes medici gradus in partes æquales partiuntur. Poſtea ad hanc inueniendam proportionem Alchindus inquit, hanc proportionē inueniamus à primo gradu ſupra temperatum, quod quidem diximus minimum habere incrementum. ita vt ſi temperatum debeat accipere gradum caliditatis, vt minor gradus quàm in primo nō reperiatur,paucum ſit incrementum,vt nihilominus eſſe poſſit:hoc autem ſuppoſito qua proportione adiungetur hoc minimum incrementum? reſpondet ipſe quòd aliqua incrementa ſunt magna, aliqua verò parua. Sed loquamur de minimo, quia minimum incrementum aut eſt Geometricum, aut Arithmeticum, ſed Arithmeticum eſt indiuiſibile; nam vnitas quæ facit incrementum eſt indiuiſibilis;& ideo vnitas additur vnitati,& fiet duplum; igitur minimum incrementum erit duplicatio. nam cum vnitas eſt indiuiſibilis, & non poſſit fieri hoc incrementum niſi per minimum, minimum verò ſit vnitas: ergo vnitas ſi debet increſcere,opus eſt vt ei indiuiduæ addatur, & minimum ſit incrementum: ego modo quæro quæ ſit hæc proportio? Reſpondet Alchindus quod eſt dupla.nam ego ſupra temperatum addam minimum minimo,quæ erit pars dupla: hoc conſtituto ſi debet eſſe eadem proportio inter ſecundum & primum, quæ à primo ad temperatum,erit adhuc dupla; pariter & quæ inter ſecundum & tertium,& ipſum tertium ac quartum; erit igitur proportio primi ad ſecundum,ad partes duas caloris & vnam frigoris, quouſque ad quartum aſcendamus ſecundum eādem proportionem,vt tandem in quarto ſint ſexdecim partes caloris & vna frigidi: & ita in primo gradu duæ erunt partes caloris & vna frigidi: in ſecundo autem quatuor calidi & vna frigoris: in tertio verò octo caloris & vna frigoris;ac in quarto ſexdecim calidi & vna frigoris: ita & in reliquis dicendum eſt. In medicamentis igitur vtpote calidis ſecundum Alchindum ijdem gradus frigidi ſemper manent, intenditur verò calidum.Secundum verò Auerr. ſemper eſt eadem proportio caldi, ſed adaugetur frigidum.

Confutatio opinionis Alchindi. *Cap. XXII.*

VERVM ex his opinionibus illa Auerrois, quàm ex Galeno elicit, meo quidem iudicio verior eſt.nam Alchindus iſte cum peruenit ad conſtituendum minorem proportionem, errat, & erroris cauſa eſt; quia ſupponit quod minimum incrementum eſt incrementum dupli. Sed ego dico,quod minimum incrementum eſt quod minimum eſt, & nihil minus eſſe poteſt. ego enim habeo hic quatuor caliditatis partes, volo augere, addo vnam partem caliditatis, & ſic augeo minimo incremento tantum vnitate aucta. Alchindus verò inquit,quod duplum eſt: hoc quidem falſum eſt, quia tantum vnitas addita eſt. O dicet Alchindus, quod temperato ſi addatur minima pars, tunc fiet dupla proportio. hoc quidem verum eſt, ſed reliqua poſtea vera non ſunt; quia per vnitatem debet eſſe à primo ad ſecundum auctio, & vnus ſemper gradus adiungitur. Sed deceptio huius eſt, quia accepit indiuiſibiles vnitates. hoc enim falſum eſt quod ſit numerus, aut res numerata, etſi habeamus numerum infinitum,hoc eſt,quia res numeratæ ſucceſſione infinitæ ſunt; quare dico, quod illę partes gradus ſunt partibiles,non autem indiuiduæ. Deceptus quinetiam eſt,quia vult quod eadem ſit proportio inter primum & ſecundum, quæ eſt inter tertium & ſecundum, & inter tertium quartum. ſed nugæ ſunt iſtæ. nam quamuis concedamus quod quædam ſit proportio in calidis & alijs, non tamen eſt eadem proportio. ſed eſt bene idem incrementum; nam ſi in quarto gradu ſunt quatuor caloris gradus,non tamen eadem eſt proportio,ſed idem incrementum.Amplius ſi daretur hæc poſitio,ſequeretur quod primus gradus ſuas partes non haberet quæ habent ſecundus, tertius, & quartus gradus, ſed in ſecundo gradu eſſent maiores, & in tertio adhuc maiores, vti & in quarto. nam hæc vnitas vel eſt partibilis, vel non. in primo quidem non poteſt partiri, in ſecundo verò poteſt partiri, in tertio adhuc magis, & in quarto etiam, quia ſexdecim ſunt. Verum hic non cognoſcebat medicamenta; videbat enim ſublimatum adurere corpus, non tamen cognoſcebat quomodo.

Confutatio opinionis Montani de interſione & remiſſione medicamentorum. Cap. XXIII.

REDEVNDO igitur ad id quod primo propoſueramus diſcutiendum, an ſcilicet remiſſum remittat intenſum, dixi duas eſſe opiniones; altera quidem Galeni in primo de compoſit. medic. per genera, cap. 3. qui inquit, quod remiſſum remittat intenſum, vt ſi ſpica miſceatur cum pipere, piper non adeo calefacit in 3. vt ſi ſola ſit. probatur autem hoc. nam ſi quid calidum admoueo ad ignem, id vtique magis incaleſcit, ſicut econtra cum minus calido appropinquatur. probo autem hanc cõſequentiam; quoniam omne agens in agẽdo repatitur. ergo remiſſum intenſum remittet, & econtra: præterea experientia comprobat Gal. qui accepit aquam calidiſſimam, & non admodum calidam, & ex vtraque facta eſt minus calida. Altera verò eſt opinio illorum qui hoc negãt, & inter hos fuit Montanus inquiens, quod potius adiuuat quàm remittat. probabat prædicto exemplo; ſi enim hic ſit nauis, quæ trahatur ſurſum, & deorſum, ſurſum quidem à Platone, deorſum verò à Socrate per æquales vires, tunc non mouebitur nauis illa, quia vterque trahit per quatuor gradus (exempli gratia) æquales; ſi verò auferatur Plato, remaneat autem ex altera parte Socrates, adiungitur autem ipſi Socrati, qui trahit vt quatuor, canis, qui trahat vt vnum, tractio vtique hæc non remittetur, ſed potius adaugebitur: ſimiliter in propoſito, ſi loco Socratis ſit piper, & ſi adiungamus chamæmelum, quid prohibet quod piper in tertio non calefaciat? verum (domini) decepit Montanum exemplum, & cauſa erroris fuit, quod elementa in corpore noſtro inuicem non agunt: & ideo ad Galenum inquit, quòd Galenus aut rem iſtam non bene vidit, aut non obſeruauit. Sed ſi obſeruauit, hæc ſua mens eſt, quod remiſſum intenſo adiungitur, non vt remittat, ſed vt caloris naturalis ſit pabulum. deceptus autẽ eſt: quia non facit mentionem eius quod facere debebat, quando imminuit quantitatem. nam volebat Galenus corpus calefieri in ſecundo gradu: verbi gratia, cum vna drachma euphorbij ſit quę in quarto calefacit, & hanc diuido, & mediam tantum corpori exhibeo: at cum huic euphorbio adiungo chamæmelum (inquit ille) nunc illi admiſcetur quod pabulum caloris exiſtat, & vt euphorbium agere poſſit, ac in actione perdurare: & ideo hæc mixtio fuit ratione caloris, vt pabularetur, & actio permaneret. Ad illam verò rationẽ, de aqua (inquit Montanus) quod aliud eſt admiſcere medicamenta, quæ ſunt extra corpus, & aliud ea quæ intra. nam multa ſiunt intra corpus, quæ extra non fiunt. nam ſumamus Socratem, qui trahat vt quatuor, ſed demamus ipſi Socrati vires ita vt trahat, vt duo, & adiungamus Platonem qui trahat vt vnum, non renuet, ſed adiuuabit. Verum deceptus eſt, & cauſa erroris fuit gemina, altera quidem quia nimis exemplis fiſus eſt, atq; illis falſus; altera verò quia falſum ſupponit. quod autem in ſuis exemplis fuerit deceptus oſtendo. nam ego habeo Socratem, qui trahit, nõ eſt dubium, quod eſt remiſſibilis, ego accipiam Socratem, qui celerrimè trahat nauim quantum fieri poteſt: quæro quæ erit actio celerrimi tractus? Domini non reperietis tractionem celeriorem quàm illam, qua homo ſeſe mouere poſſit: ſupponamus igitur quòd quam velociter moueri poſſit nauis, ita trahatur à Socrate, ſicuti in medicamento eſt maxima vis vt vrat, vt ignis: iſta velocitas in Socrate eſt curſus, quo nauis velociſſimè trahatur; adiungamus puerum, qui vt moueri poteſt, trahat, videndum eſt an pueri curſus cum homine proportionatus ſit. Videbitis quidem quod puer parum nauim retardabit, & ita actionem validioris Socratis, qui validiſſimè, & velociſſime trahit, parum impediet. quod autem falſum ſupponat, manifeſtum eſt. nam medicamenta non tantum ſecundum Galenum in corpus noſtrum agunt, ſed & inter ſeſe, quod quidem ipſe negauit. Et ideo non eſt mirum, ſi falſum quoque ſubſequatur. nam probabam medicamenta in ſe agere & in corpus noſtrum, cum diſſoluta erat eorum vis. Ad rationem verò illam dico, quod non valet ſimilitudo ab internis, & ita nego ſimilitudinem. nam aliud agitur in exterioribus, & aliud in internis. Videte ad quod incommodum vos deducat ratio: ego quidem concedo in exterioribus tepidam aquã remittere, ac retundere feruentem, in interioribus verò non, ſequetur enim quod aqua feruens ebibita ventriculum exuret. ſi enim verbi gratia accipiamus calidum in quarto, & calidum in primo, non refrangentur, quia aliud fit in intimis, & aliud in extimis: quare cum accipio partem vnam aquæ feruentis, & aliam tepidæ, & ex ea bibatur, tunc exuret: quod quidem non eſt dicendum. præterea legatis Galenum in primo de

Digitized by Google

compoſ. medicamentorum per genera, cap. 3. vbi videbitis, quod non habet locum gloſſa Montani, & eſt vera ſententia Galeni, ſed non loquitur de pabulo, ſed de neceſſitate compoſitionis, & inquit quod cogimur miſcere medicamenta compoſita, quia non habemus aliquod ſimplex tale: & ideo videtis quod nullam fecit de pabulo mentionem. Colligamus igitur nos contra hunc, quod remiſſum temperat intenſum, & in extimis, & in intimis, quia non eſt diuerſa ratio; quoniam prædictum conſequeretur incômodum. Si igitur remiſſum remittit intenſum, qua proportione remittit? Inſurgit duplex proportio, vna quidem Alchindi, alia verò Galeni, & Auer. quia quidem Alchindi reprobatur à Conciliatore, & ab Auer. Et ita non poſſumus per viam Alchindi hanc habere proportionem. nam ſi calculabimini per viam Alchindi ſi miſceatur gradus non reſultabit tertius gradus, vt ſi miſceamus medicamẽtum calidum in primo cum medicamento in quarto, reſultabit in quarto incipiente, vel in tertio intenſo: ſed hoc non eſt verum, quia eſt vna pars frigidi, & duæ calidi. Sed notate vnum in illo loco Auerr. 57. cap. 5. colliget. quando Auerr. ponit quod primus gradus frigiditatis retundet ſecundum vſque ad tertium. Domini non credatis, quod Auerr. loquatur ſecundum ſuam poſitionem, quia eſſet falſum, ſed deducit ad incommodum ſecundum legem Alchindi. nam ex eius ſententia primus gradus frigidi retundit calidum per quatuor.

De proportione medicamentorum inter ſe ſecundum ueram ſententiam. Cap. XXIV.

ITAQVE quando Auerr. deducit Alchindum ad impoſſibile, deducit per ſuas poſitiones, & hæc vna erit poſitio: cum igitur ſequantur hæc incommoda ad Alchindum, conſtituemus normam ex Auerr. & Gal. authoritatibus. vellem autem quod meo exemplo quanta ſit varietas harum ſentẽtiarum quiſque perpenderet, cum increpant ea quæ ab alijs dicuntur. nam cum primum rem iſtam tractaſſem, & eſſem inuolutus propter Conciliatorem. deueniebam ad hoc, quod ſententia Alchindi vera eſſet, non equidem erubeo meum errorem confiteri, ſed ad rem accedamus. ex Auer. ſententia talis eſt norma, quod ſi miſceatis calidum in primo cum calido in quarto, reſultabit calidum in tertio medio. nam accipio ſcrupulum vnum ſpicæ, & vnum euphorbij, & in vnum miſceo, dico quod calefacit in tertio medio; quia maior eſt proportio frigidi in medicamento quàm in corde: ſecundo calidum in primo gradu mixtum cum calido in tertio faciet medicamentum calidum in ſecundo intenſo, vt exempli gratia, ſi ego accipiam vnum ſcrupulum ſpicæ, & vnum piperis habeo calidum medium in ſecundo intenſo. ſimiliter ſi ego accipiã ſcrupulum ſpicæ, & alium fœniculi, & miſceam, tunc corpus in ſecundo medio calefaciam. Notare autem quod cum dico quodpiam eſſe in tali gradu, ſemper ego intelligo illum intentum. Addatis, quod accipiam medicamentum calidum in ſecundo, & cum calido in quarto commiſceam, id vtique calefaciet in tertio; ſi verò capiam medicamentum calidum in ſecundo, & miſceam cum alio in tertio, reſultabit vnum in tertio medio, vt verbi gratia, ſi miſceatur vna drachma fœniculi, & vna piperis, reſultabit medicamentum in tertio medio: vltimo ſi miſceam aliquod tertij gradus caloris cum altero in quarto, dico quod eſt mixtum in quarto medio: quia euphorbium eſt calidum in quarto intenſe, & piper in tertio intenſe.

Nunquid remiſſio & intenſio reperiatur in ſecundis, & tertijs & quartis qualitatibus. Cap. XXV.

HABETIS igitur quotieſcunq; miſcemus calida cum magis calidis quid faciant. ſed vnum quæritur, ſi hoc eſt verum in primis facultatibus, vtrum verum ſit etiam in ſecundis, & tertijs & quartis qualitatibus, vtrum ſcilicet quod minus detergit obtundat id quod magis detergit: atque hoc tandem quæſitum eſt, vtrum in huiuſmodi medicamentis intenſio & remiſſio efficiatur. Secundum leges Montani non eſt verum, quod remiſſum remittat intenſum, non concedunt & alij. inter quos fuit vnus qui appellatur Iulius Delphinus, vir hercle doctus, qui ſcripſit libros de modo præſcribendorum medicamẽtorum, qui cum deueniſſet ad mixtionem medicamentorum,

torum, & incepiſſet hanc quæſtionem, negat ſecundas qualitates ſe inuicem remittere, adducitque nonnullas rationes, quarum vna deſumitur ex authoritate Auerr. 5. colliget capite 57. Auerr. namque ibidem ambigit, & negat hoc fieri in ſecundis & tertijs qualitatibus. ſecunda autem ratio ipſius eſt, quia iſtæ ſecundæ facultates inuicem non agunt, ergo multo minus illæ agere debent quæ ſimiles ſunt: ſi enim ſecundę & tertiæ facultates (inquit ille) vt adſtringens & aperiens non pugnant; ergo multo magis pugnabunt ſimiles, vt aperiens cum aperiente, & adſtringens cum adſtringenti. probat autem hoc, quoniam roſa non aperit apium, neque apium roſam; ergo non inuicem pugnant: tertio probat idem. nam tantum abeſt quod illud quod eſt remiſſum remittat intenſum, vt potius adaugeat, quod quidem oſtendit ex authoritate Auerrois in eodem loco. nam inquit Auerroes, quando volumus exhibere apium, vt lotium ſubducamus, & timemus caliditatem eius, opus eſt vt habeamus aliquam qualitatem frigidam, vt illam qualitatem obtundat, ſed non obtundet diureticam vim, & accipio ſemina melonis, quæ frigida ſunt: ſed vis diuretica in melonis ſeminibus aut adeſt intenſior, aut remiſſior apio; ſi remiſſior aut remittit, aut non (inquit Auerr.) non remittit autem, quia dixi quòd non debent ea remittere, ergo remiſſum in his intenſum non remittit. Alij verò, è quibus ego ſum, alterius fuere ſententiæ, & moueor quibuſdam rationibus ſuſtinens facultates has quantum fieri poteſt, ſeipſas remittere. & cum hoc tenemus, non ob id dicimus quod medicamentum in actu ſit, & verè actuatum. nam caliditas, frigiditas, & huiuſmodi ſunt in potentia, fiunt autem poſtea in actu in ipſo corpore; alia verò vt temperamentum dicitur eſſe in actu, reliquæ verò ſecundæ qualitates nihil ſunt. ſed ſunt quædam quæ ad primas conſequantur. nam detergendi facultas dependet à calido, illud autem detergens non eſt actu tale, & nihil eſt; ſed quia videmus quoſdam actus & actiones ad primas conſequentes, ob id ſecundas qualitates dicimus, cum tamen reuera non ſint, ſed ad primas ſolum conſequantur. Et ideo bene dixit Delphinus ille, quod non pugnant, quia cum non ſint, ergo pugnare non poſſunt. ſecundo cum dicit, quòd iſtæ facultates agunt in corpus noſtrum decipitur, domini, quia quod non eſt in re, ſed mente, in corpus noſtrum agere non poteſt. Sed dices, quòd videmus medicamenta adſtringere, & aperire: verum hoc conſequitur ad primas facultates. nam calidum & tenue aperit, & ideo iſtæ ſecundæ facultates quidam ſunt affectus ex primis qualitatibus, quæ inuicem remittuntur, & tunc reſultant gradus remiſſi in corpore noſtro ex mixtione remiſſi, hoc eſt adſtringentis. Quod autem hoc fieri poſſit, conſulatis ipſum guſtum. nam retunditis amarum cum minori amaro. accipiatis enim abſinthium, quod eſt amariſſimum, & miſceatis cum amaro debili, videbitis ipſum non eſſe intensè amarum; ſimiliter accipiatis vinum maxime adſtringens, & miſceatis cum minus adſtringenti, guſtabitis vinum remiſsè adſtringens: pariter ſi accipiatis alumen quod aſtringit in quarto, & ſuccum roſarum ei admiſceatis, videbitis quod non adſtringet in quarto amplius alumen: experiamini guſtu, & hæc intelligetis. Et ideo in his etiam erit verum, quod remiſſum remittat intenſum, non ratione tamen horum, ſed ratione primarum qualitatum, ex quibus reſultant effectus intenſiores, remiſſioresve. Ad rationem verò Auerrois in eo capite, quòd quando loquutus eſt de remiſſione primarum qualitatum, ſtatim ſubiungit, quod illud idem fit in ſecundis: atque id apertis verbis teſtatur: legatis locum, & videbitis. Ad ſecundam verò rationem, quod ſi hoc non fit in oppoſitis facultatibus, ergo neque in ſimilibus: concedo roſam non adſtringere apium, neque apium aperire roſam. pariter dico, quod piper non calefacit ſpicam, neque ſpica piper, quia neque piper, neque ſpica calida ſunt, niſi cum actuata in corpore ſunt. ergo verum eſt, quod piper non calefacit roſam, neque roſa piper exterius, ſed actuata in corpore noſtro: quod ſi hoc non fiet, ergo vana eſt iſta ſecunda ratio. vltima erat ratio, quod remiſſum non remittat intenſum in ſecundo, ſed adaugeat. nam ſemen melonis adauget apium diureticum, ergo &c. Pro reſponſione ad hanc rationem, notate domini; & ſcribatis hæc literis aureis, quod concluſio prima talis eſt, vt nos debeamus eſſe diligentiſſimi actuum, qui in corpore noſtro reſultant; quoniam aliquando ex remiſſis & intenſis maior fit actio quàm ex intenſis duntaxat, atque hoc ratione paſſibilitatis corporis, vel quia neſcimus facultates medicamentorum, & veros gradus; & ideo fallimur: nam credimus quòd medicamenta ſint inuenta, attamen non ita rei veritas eſt: ſecunda autem regula eſt, quòd medicus dum obſeruat illos actus in corpore noſtro, obſeruat vt remiſſum remittat intenſum; ſed aliquando corpus aliquod magis aptum erit, vt à remiſſo quam intenſo patiatur. nam (verbi gratia) corpus noſtrum magis humectabitur à pinguedine humana, quàm ab oleo oliuarum, quamuis oleum intensè humectet: hoc ſtante, ſi ſemen melonis aliquando adauget, hoc eſt propter

paſſibi-

paſſibilitatem corporis, vel propter ignorantiam facultatis, ſed concluſio eſt vt remiſſum remittat intenſum, ſed aliquibus poſtea propter dictas cauſas videtur contrarium: quare ſi applicabimus adſtringens robuſtum cum remiſſo, remiſſum vtique intenſum remittere videbitis.

An facultates medicamentorum contrariæ inter ſe agant, tam primæ, quàm ſecundæ, & quomodo. Cap. XXVI.

REMANET autem quartum diſcutiendum, quod eſt an pariter facultates iſtorum medicamentorum contrariæ inter ſe agant, ita vt calidum in frigidum, & frigidum in calidum agat: ſecundo an ſecundæ facultates inuicem agant; pro qua re diſcutienda notandum eſt, quod multæ ſunt poſitiuæ contrarietates, & multæ negatiuæ, nos autem loquimur de poſitiuis, non autem de negatiuis. Reperiuntur igitur complures poſitiuæ contrarietates in medicamentis, caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, de quibus quærimus an iſtæ primę qualitates in ipſis medicamentis ſuis contrarietatibus inuicem ſe expellant, & agant: aliæ verò ſunt contrarietates quæ dicuntur ſecundæ, vt deterſiuæ, inquinatiuæ, abraſiuæ, repulſiuæ, apertiuæ, & conſtrictiuæ: & aliæ facultates tertij generis ſunt, in quibus aliqui ſunt qui ponunt contrarietatem poſitiuam, ſed reuera non ſunt poſitiuę. nam aliquod medicamentum, quod carnem gignit, non habet contrarium poſitiuum, ſed negatiuum, quod ſcilicet non gignit carnem. In quarto verò genere reperiuntur contrarietates poſitiuæ, venenum namque poſitiuè ab antidotis expellitur: ſed in his non habemus certos gradus, & ideo tantum de mutua actione & paſſione illarum contrarietatum, quę ſunt in primis & ſecundis facultatibus, quęrimus an ſcilicet facultates primæ medicamentorum contrariæ inuicem agant. Omnes medici conſentiunt quod ad inuicem agant, & reperiantur. & quamuis aliqui ex his ſint, qui volunt quod medicamenta in corpus noſtrum tantum agãt, obliti tamen ſuiipſius, dicunt quod refranguntur inter ſe, quæ quidem refractio eſt actio agentis in paſſum: omnes igitur concedunt quod iſta medicamenta refrangantur, ita vt calidum retundat frigidum, & econtra. Qua autem proportione? omnes fermè medici ſequuti Auerroem colligunt vnum gradum refrangere vltimum gradum oppoſiti medicamẽti, vt ſi accipiamus drachmam vnam medicamenti calidi in quarto, & indigeamus calido tantum in tertio, vult Auerrois quod accipiamus medicamentum frigidum in primo gradu, & ſic retundimus vnum gradum calidi, & tunc habemus medicamentum calefaciens in tertio; quod autem dico de vno gradu frigidi qui retundit vnum calidi, idem dicendum eſt de duobus gradibus, quòd duo hi duos alios retũdunt; itidem & de tribus. ego namque habeo euphorbiũ, volo vt calefaciatis in primo, admiſceo medicamentum frigidum in tertio, & remanebit medicamentum calefaciens in primo, idem quoque in quarto gradu dico, quod hoc vltimum fuit occaſio ſcandali Auerroi, & omnibus medicis, quia falſa eſt eorum poſitio. nam cũ viderent quòd vnus gradus caloris retundit gradum, ideſt, quod accepto calido in primo, & frigido in primo, reſultat temperatum, dixerunt, quod accepto calido in quarto, & frigido in quarto reſultat temperatum, attamen non eſt vera ſententia. nam ſi nos accipiamus medicamentum calidum in quarto, & frigidum in primo cum eo miſceamus, reſultabit caliditas tertij gradus intenſi: atque hoc, domini, falſum eſt, & ſecundum proportionem Alchindi. nam ſecundum hanc poſitionem remanet calidum in tertio incipiente: videte differentiam: ſecundum principia Auerr. non ſolum non eſt calidum in tertio incipiente, ſed ſecundo intenſo tantum: credo quod intelligatis: & hæc opinio falſa eſt per Auerroes poſitiones: ſi autem quæratis cur iſta opinio falſa eſt? Domini, quia non habet oculum ad proportionem contrarietatis. nam ſi habuiſſet oculum, vidiſſet Auerrois, quòd non ſemper vnius gradus ad alterum æqualis remiſſio efficitur: & ideo eadem actio, & reactio eſſe non poteſt; roſa enim quæ frigida in primo magis retundet euphorbium, quàm aniſum, videretur autem contrarium, & tamen eſt verum: cauſa autem eſt, quia in aniſo quamuis adſit tanta caliditas, tamen adeſt & frigiditas: & ideo roſa non multum agit: in euphorbio verò quia nihil adeſt frigiditatis, ideo multum agit roſa, quæ eſt frigida; quia maior eſt proportio calidi, & frigidi, & ideo frigiditas roſæ plus agit. Quotieſcunque igitur accipimus aliquod contrarium, & cum altero cõtrario admiſceamus, neceſſarium eſt vt iſtas combinemus proportiones, verbi gratia, accipiamus ſecundum Auerr. medicamentum calidum in

quarto,

Digitized by Google

quarto, & medicamentum frigidum in primo; in vno quidem reperiuntur quatuor partes caliditatis, & in alio vna pars frigiditatis, & tres caliditatis, componamus autem iſta duo, fiatque confuſio, quot erunt calidæ, & quot frigidæ? Dico quod calidæ ſunt ſeptem, quatuor in euphorbio exempli gratia, & tres in roſa, frigidæ verò in roſa vna duntaxat: ſecundum verò Alchindum dicendum eſt medicamentū calidum in quarto habere ſexdecim partes, duplam frigidi, & vnā calidi, vt colligere poſſimus, quod, aut procedamus ſecundum Alchindi proportionem, aut Auerr. placitum, falſum ſit vnum gradum retundere vnum gradum; vera tamen eſt regula à quarto ad ſecundum, aliter autem non eſt vera, quæ peruenit ratione proportionis illius inæqualitatis, quę eſt inter oppoſitas qualitates. An verò ipſæ facultates ſecundæ hoc modo oppoſitæ inter ſe agant & ſimul alterentur, diſcutiendum ſupereſt, ita vt aſtringens retundere aperiens videatur, & vice verſa. Qui hoc teſtantur primo hanc afferunt rationem, quod non eſt inconueniens vnam eandemque partem poſſe pati adſtrictionem, & apertionem ſimul, & ſemel, vtpote à duobus contrarijs; ergo ſequitur, vt iſta non ſe mutuo alterent, atque immutent. nam ſi vna pars non poſſet pati in eodem momento contrarias affectiones, neceſſarium erit vt prius refrangantur ſimul, & quoddam tertium reſultet. at iſtę pati poſſunt contrarias affectiones, ergo. Vt autem intelligatis do exemplum, verbi gratia, ſi vna particula cutis non poſſit pati in eodem tempore adſtrictionem & apertionem, neceſſarium eſt, vt aſtringens & adaperiens inuicem retundantur, & fermè quoddam tertium reſultet, ſed omnes particulæ poſſunt pati contrarium, ergo non eſt neceſſarium, vt mutuò agant, & tertium reſultet: probo quod poſſunt pati contrarias qualitates. nam videmus oculum eodem tempore perpeti à corpore albo & nigro, in eadem enim particula, eodemque tempore, vtpote in ipſo cryſtalloide ſunt contrariæ ſpecies, ergo ſequitur quod particulæ corporis noſtri contrarias qualitates pati poſſunt: ſecunda ratio eſt, quod natura ſagax eſt, cognoſcit enim inſtinctu naturali medicamentorum vires, hinc fit, vt particulæ attrahant quæ ſibi proſint. ideo natura pro arbitrio ſuo, & ſagacitate habet adſtringens, vt adſtringat, & poſtea aperiens vt aperiat; ergo non opus eſt, vt medicamenta ſe mutuò refrangant, quia inutilis eſt illa refractio, neque concedi poteſt. Tertia verò ratio eſt, quia nunquam eadem particula eſt adſtringenda, eademque aperienda, quia nunquam tales ſunt indicationes. nam quamuis in tumore magno imponenda ſunt adſtringentia, & reſoluentia, nunquam tamen eadem particula eodem tempore hæc duo patietur. ſi enim erit verbi gratia adſtrictio, indicabitur per oſcula venarum eſſe aperiendam, & ita aperiens illud efficit apertionem & reſolutionem; ergo cum non ſit vna particula aperienda, & adſtringenda, neceſſarium eſt vt iſta medicamenta eodem robore integra permaneant, neque refrangantur. Quartum argumentum ſumitur ab authoritate & ſententia medicorum, omnes enim medici quæ de facultatibus primis intenſis & remiſſis loquuti ſunt, dixerunt quod inuicē agunt, ita vt caliditas in primo remittat eā in quarto. prætetea concedunt, quod facultates primæ contrariæ ſe inuicem retundunt, ſed nil vnquam ſcripſerunt de iſtis ſecundis facultatibus; ergo dicendum quod iſtę ſecundę facultates integræ remanent. indicio autem eſt, quod tota medicorum ſchola tanquam certum accepit, quod iſta medicamenta non caſtigentur. Iſtæ ſunt rationes negantium has facultates remitti atque retundi. Alij verò ſunt, vt Auerr. qui voluit quod inuicem pugnent, & quoddam tertium in corpore noſtro reſultet? prima autem ratio eſt, quoniam vt ſe habet in naturalibus, ita ſe habet in artificialibus; ſed in animalibus quotieſcūque pugnent contraria, neceſſarium eſt vt reſultet actio & paſſio. ita etiam ſe habebit in artificialibus. quare ſi miſceamus medicamenta contraria, neceſſarium eſt vt actio reſultet: Demus, quod in actu ſit medicamentum aſtringens & aperiens, ſimul ſint & contraria, neceſſario inuicem agent: & ita dabitur actio, & reactio: ſecunda eſt ratio, quia impoſſibile eſt vt in eodem ſubiecto, eodem tempore, & ſecundum vnam eandemque particulam paſſiones contrariæ reperiri poſſint formales, & poſitiuæ. ſi hoc eſt, multo minus reperiri poterunt contraria poſitiua materialia, qualia ſunt iſta. nam adſtrictio, & apertio ſunt paſſiones materiales & poſitiuæ: ſi autem hoc eſt, ergo neceſſarium eſt vt iſtæ facultates ſecundæ ſe inuicem refrangantur. probo autem hoc, nam neceſſarium eſſet vt adſtrictio & apertio eodem tempore fierent in eadem particula, & eodem ſubiecto, & reciperet ſubiectum contraria materialia poſitiua, quod quidem abſurdum eſt, nec valet quod illa in particulas varias agant, concedo etenim; ſed ego quæro, ſi adſtringens vt adſtringat, tranſit per cutim, nonne adſtringit, & aperiens tranſiens per eundem porum ſimiliter aperit? vtrunq; autem nonne actuatur? ſi hoc eſt, nonne eadem particula ab ambobus contrarijs perpetietur? ſed hoc eſſe non poteſt; quare neceſſe eſt ſe inuicem refrangant. Tertia verò ratio eſt; nam ſecundæ facultates non ſunt, ſed tales quia

reſultant

reſultant à primis, ergo ſi primæ facultates inter ſeſe refranguntur, & ipſæ quoque, quoniam ad primas conſequuntur, & quia nihil ſunt, ſed quidam actus conſequentes ad primas facultates: quare ſi primæ integræ ſunt, ita & ſecundæ, ſi primæ refranguntur, ita & ſecundæ. Quarta ratio, quamuis non fortaſſe concedetur, eſt, quod ſi in mixtis à natura tertia quædam forma reſultat, quæ dicitur temperamentum, pariter in mixtis ab artificio reſultabit: hoc autem reſultare non poteſt, niſi mutuo inter ſe agant, & repatiantur. quod autem reſultet temperamentum in naturalibus patet, quod autem in arte factis idem ſequatur, ex naturalibus manifeſtum eſt, ex quo etiam colligimus has mutuo ſeſe refrangere. atque hæ ſunt rationes quibus hanc approbant poſitionem: in qua quidem mihi multum probatur medicorum authoritas, cum inquiunt, quod in tumore augeſcente imponimus adſtringentia & aperientia, quod quidem non fieret niſi inter ſeſe refrangerentur. Quare puto quod ſe remittant, & in diuerſas partes agant; nam ſi admiſceamus aperiens & adſtringens fiet quoddam tertium; verbi gratia, indigeo reſpectu cutis aperiente, & reſpectu neruorum adſtringente. nam ex inflammatione cutis adſtringitur, venæ verò aperiuntur. ego miſcebo adſtringens & aperiens, ex quibus reſultabit quoddam tertium, quod adſtringet, & aperiet; aperiet quidem cutim, venas verò adſtringet, id enim quod reſultabit tertium temperamentum aget in magis adſtrictum locum, & magis aptum: & ita qualitas iſta aget tantum præter naturam aperiens, & in cutem præter modum conſtipans: quod ſi cutis non ſit conſtipata, neque venæ adapertæ, nil aget medicamentum, quia erit temperatum; temperatum autem non agit in temperatum, ſed in exceſſum, quia temperati eſt pugnare in omnem exceſſum præter naturalem tam frigidum quàm calidum, tam adſtringens quàm aperiens: verum aliquando accidet, vt magis indigeamus adſtrictione quàm apertione; & tunc nos miſcebimus quod magis adſtringit quàm quod aperiat: & ita ego ſum iſtius ſententiæ cum Auerr. quod agant in diuerſas particulas per quoddam tertium temperatum.

Ad primam autem rationem reſpondet Auerr. quod exemplum non valet. nam diuerſificatur ratio receptionis. nam inquit, qualitates iſtæ, quas dicemus, facultates ſecundæ ſolent recipi in ſubiecta materialia forti coniunctione, quia ſunt qualitates materiales: aliæ verò qualitates ſenſibiles, vt viſibiles non connectuntur forti connexione cum ſubiectis, & ita poſſunt eſſe ſimul. nam ſignum erit, quod ablato obiecto albo ſtatim ceſſat ſpecies in oculo, ablato nigro obiecto ceſſat ſpecies nigra: at in alijs ablato adſtringente remanet adſtrictio, quia ſunt innexa materiæ forti connexione, & ita non valet ſimilitudo.

Ad ſecundum argumentum quod natura ſagax eſt, & trahit adſtringens quando opus eſt, reſpondet Auerroes, quod natura ſagax eſt, ſed natura trahit illud, quando eſt, ſed non quod non eſt. probo autem, nam ſi accipiamus adſtringens & adaperiens, certum eſt quod non poteſt attrahere, niſi cum eſt. at iſta medicamenta adhuc non ſunt, quia ſunt in potentia non actuata, ergo non attrahet: ideo oportet, vt prius attrahat, & poſtea adſit. nam attrahit prius quàm actuetur: poſſumus autem aliter reſpondere, quod natura non agit cum cognitione, quod eſt contra omnes.

Ad tertiam rationem concedo (inquit Auerroes) quod natura non attrahet in eadem particula, in diuerſis tamen particulis id fieri poteſt. nam quod adſtringit, eſt in venis, quod verò aperiens in cuti, & hoc nos credimus. Sed ego dico, quod in eadem cuti aget aperiens & adſtringens, & quod magis aperiens agit in vena, ſi magis adſtricta ſit, quia vtrunque hoc medicamentum debet per cutim pertranſire, & cum pertranſeat corpus actuatur, & ita vtrunque aget in cutim: præterea ſi apetiens citius tranſit, ergo aperiens magis venas, & adſtringens, quod poſterius veniet, robuſtius erit, & diutius immorabitur.

Ad argumentum, quod medici non fecerint mentionem de his ſecundis facultatibus, reſpondet Auerroes, quod iſtæ ſunt ignoratæ à medicis, quia actiones iſtæ non ita manifeſtæ ſunt ad ſenſum, ſicut primarum qualitatum actiones: præterea non potuerunt gradus in his facultatibus, ideo non opus fuit vt has cognoſcerent refractiones: non potuerunt verò gradus in his ſecundis qualitatibus, quia eos ſtatuere non potuerunt, non enim tanta adeſt latitudo vt in primis: ſecundo, quia ſenſus non eſt magiſter in cognoſcendis hiſce facultatibus, & gradibus; in primis autem facultatibus ad ſenſum cognoſcemus; & ideo non ſunt accuſandi medici, cum in his non conſtituerint gradus, quia poſſent de facili falli in his ponendis, itaque Auerr. ſimul & ſemel reprobat prædictam opinionem, & probat alteram, ſecundas has facultates inuicem refrangi.

Num medicamenta extra corpus in maſſam redacta inuicem agant, & refrangantur. Cap. XXVII.

HOC igitur conſtituto conſequēter quęrimus num medicamenta frigida, & calida poſtquam aſſumpta ſunt in corpus inuicem agant, an ita extra corpus in maſſam redacta inuicem pugnent & refrangantur, & faciant vnū medicamentum, ac formam mixti. quæ ſanè quæſtio difficilis admodū eſt, & eo difficilior cum diſſenſio ſit. prima quidem opinio eſt, quæ ait, quod vna ſit forma mixti. ratio eſt; quoniã ars æmulatur naturam, quæ ſi non aſſequitur aliquod, ſaltem id aſſequi conatur, & quandoque etiam aſſequitur, vt chymiſtę ex ferro faciunt æs: addamus & famoſam opinionem, quæ omnium eſt Philoſophorum & chymiſtarum quod ex hydrargyro aurum fieri poſſit. meritò igitur ars aſſequi poteſt illud quod natura facit. ſed natura facit vt ex pluribus contrarijs temperatum reſultet, atque vna forma, ita & ars in medicamentis mixtis facere poterit. ſecunda ratio aſſumitur à ſenſu. accipiamus enim mel, & miſceamus cum vino, & decoquamus: poſtquam ebullierint, tertium eſt, non autē mel, neque vinum. Similiter in oxymelite accipiamus mel, aquam, & acetū, & decoquamus, poſtea ſi odoremur & guſtemus, non mel ſentimus, neque aquam, neque acetum, ſed medium quod tertium; & ideo mixtum vnam habet tertiam formam atque naturam. Tertio confirmant hanc opinionem authoritate Auic. 5. ſui canonis. vbi aſſerit vnam eſſe formam mixti, quæ ratione cognoſci non poteſt: ſi autem hoc eſt, neceſſarium quoque eſt vt vna ſit forma atque temperamentū, quod cognoſci non poteſt niſi per experimentum. quare neceſſarium eſt vt vna ſit forma & natura: alioqui cognoſceremus eam, quam per experientiam. Addatis authoritatem Auerr. 5. colliget. cap. 58. & 59. qui aſſerit quod ſicut natura miſcet oppoſita medicamenta, & facit vnum, ita ars. & ſubdit quod hoc temperamentum aliquando ratione cognoſci poteſt, aliquando verò non, cum ſequitur ipſam compoſitionem; ſed experientia (verbi gratia) ſi miſceamus medicamentum calidum & frigidum, hoc eſſe temperatum, idq; verum eſſe cognoſcimus. aliquando autem (inquit Auerr.) accidit, quod medicamentis quædam proprietates adiūt, quæ mixtionem inſequuntur, vel ratione putredinis vel alterius talis, quas quidem proprietates nos ignoramus, ſed experimento cognoſcimus. Addatis etiam authoritatem Galeni in lib. de Theriaca ad Piſonem, c. 2. in quo loco teſtatur Galenus vim vniuſcuiuſque medicamenti in compoſito non ſeruari integram, ſed potius vnam ex quoque medicamento reſultare; ita vt ex ea authoritate facile colligi poſſit in omni mixto vnam formam conſurgere. Alij verò oppoſitam tuentur opinionē, qui dicunt facultates medicamenti integras ſeruari vſque ad medicamenti integritatem, & ſui corruptionem. Sed notandum eſt, quod cum quærimus num in medicamentis aliud tertium reſultet, quæſitum noſtrum eſt de primis qualitatibus, ſecundis, tertijs, & alijs, ſed non de temperamento quod eſt in actu. nam exempli gratia, cum accipimus roſam & chamæmelum cognoſcimus planè & proprium roſæ temperamentum, & ipſius chamæmeli, & quod vtrunque eſt in actu. quæ autem ſit hæc forma, ego neſcio. poſtea ego cognoſco in roſa elementa refracta, & gradum ipſorum, & quod quando diſſoluuntur, tunc tam frigidum roſæ, quàm calidum chamæmeli, agunt: tertio cognoſco quod terreum, quod eſt in roſa eſt terreum crudum: igneum verò in chamæmelo igneum coctum: & ideo roſa adſtringet, & chamæmelum aperiet. ob id poſſumus quærere de primo, de ſecundo, de tertio, & reſpondendo dico, quod temperamenta in actu exiſtentia miſcentur, & qui tenent hæc non dari in compoſitis medicamentis hoc modo ſtruunt primam rationem: quia quamuis ſint in actu formæ, tamen non ſunt contrariæ. nam forma roſæ non eſt contraria ipſi formæ chamæmeli: & ideo non mutuo agent, neque refrangentur, & ita non reſultabit vna forma. neque enim compoſita efficere poſſumus, quæ ex oppoſitis conſtent formis. ſecunda ratio eſt, quod illa quæ debent miſceri, neceſſarium accipiunt magis & minus: temperamenta autem non accipiunt magis & minus: ergo non poterit reſultare vna forma. Dices, nonne ſi miſceamus roſam, & chamæmelum, vtrunque corrumpetur? concedo (inquiunt hi) ſed non propter hoc fiet tertium. nam quando erit corruptio iſtorū duorum, non erit latenter corruptio, ſed ex toto corrumpentur formæ, quod quidem in mixtione fieri non poteſt. nam in mixtione non corrumpuntur, quæ miſcentur, ſed refranguntur & remittuntur. Si verò intelligamus vel de primis vel ſecundis,

reſpon-

Digitized by Google

reſpondentes dicamus, ꝙ cum miſcemus, intelligamus quod huiuſmodi qualitates primæ & ſecundæ ſe inuicem miſcentur. Contra hanc opinionē, domini, ſormetis demonſtrationem illam ex Galeno deſumptam, iſtæ qualitates primæ & ſecundæ non ſunt in actu extra corpus noſtrum, ergo mixtio fieri non poteſt; quia non poterit fieri actio eius quod eſt in potentia, cum mixtio ſit eius, quod eſt in actu, non autem eius quod eſt in potentia; non enim agere ad inuicem poſſunt, quia ſi miſcentur, oportet vt alterentur; alterantur verò per ſacultates in actu, ergo agere non poſſunt. Addatis authoritatem Galeni in 1. de compoſ. medic. cum reddit rationem Gal. cur illos ſcripſerit libros: inquit enim quod ſcribit eos ob illos qui negabant medicamenta habere quaſdam naturas proprias, & negabant etiam compoſitionem medicamentorum cuius quidem cauſa ſuit, vt alios libros componeret. nam ſi miſcentur medicamenta, nos quidem neſcimus quid reſultet, reſultat autem tertia qualitas, quæ nobis ignota eſt. & ſubdit, quod in mixto remanent formæ elementorum, & non immutantur, neque naturam ſuam amittunt: ex hoc ſequitur, quod medicamenta in compoſitis non alterātur, ſed ſeruantur. ſecundo addatis author. Gal. in 1. de antidotis, c. 5. vbi inquirit Gal. qua ratione componantur medicamenta, & cur tam multa habeamus medicamenta, & cur vtamur theriaca in omnib. fermè affectibus, & cur in ea tot adſint vires: & inquit, quod hoc prouenit ratione virtutū medicamentorum quæ ſunt in ipſa, ſed virtutes ſunt multæ; ideo reſultant plures actiones; ergo non reſultat vna forma in actu, quia non reſultarent tot effectus. Quid igitur dicendum? Ego, domini, ſum iſtius ſententiæ, ꝙ reuera non detur iſta mixtio, ita vt ex varijs mixtis medicamentis vna forma medicamentorum compoſitorum reſultet. & me mouet illa ratio, quia non habebimus medicamenta πολύχρηστα, quæ ſcilicet tot generib. morborū ſint opportuna. Dicet ille, hoc ſaciet ratione temperamenti temperati, ꝙ agat contrarios effectus: hoc quidē eſſe non poteſt, quia non ſcaterent tot & infiniti effectus. præterea damus in hydrope & hepatis affectibus, & in multis alijs theriacam: præterea videmus in theriaca apertam vim opij, & cum vetuſta eſt theriaca; ſomnum enim facit, ſi autem reſultaret vna forma ſomnum non faceret: amplius ſi vna reſultaret forma, ita vt ſimul pugnarent, ſuccedaneorū vſus bonus non eſſet, hoc eſt, dum ponitur quidpiam vice alterius in cōpoſitis medicamentis. nam non haberent formas eaſdem, neq; eādem naturam, veruntamen vtimur ſuccedaneis, & rectè ſuccedit; ergo ſequetur ꝙ id inditum ſit, proptereaq; vna non reſultat forma. item ſi deberet fieri vna forma, requirerētur præcipuè eædē ſubſtantiæ, alioquin non fieret vna forma. at videmus fieri per ſuccedanea, ergo. tertio ſi reſultaret vna forma, ea vtique reſultaret non niſi deficiente aliqua forma medicamenti, ſed hoc eſſe non poteſt, ergo. quinimò componimus aliquod medicamētum, in quo aliquod ingrediens non ponitur, & tamen illud idem facit medicamentum, perinde ac ſi in eo adderetur medicamentū deficiens. nam in Mithridatico nō habemus opobalſamū, & loco eius aliqui nil apponunt, alij verò nucem muſcatam. veruntamen Mithridatica cōpoſitio illud quod promittit efficit. at non ſaciet, quia caret illo medicamento, ſi verū eſſet quod illi aſſeuerant: atq; hac ratione colligo ego quod in Mithridatico vna non eſt forma, neq; in alijs medicamentis. Ad rationem autē primam, quando dicitur ars imitatur naturam; natura facit κρᾶσιν, ergo & ars. facit enim natura ex ferro æs, pariter & ars, aſſumptū falſum eſſe dicimus. nam probetur quod natura faciat ex ferro æs, bene ars ex ferro æs facit; at ignoramus ex qua materia æs fiat: & quando probamus per famoſam opinionem, dico quod eſt famoſa apud illos, ſed apud nos ignotum. Sed demus ꝙ ars ex hydrargyro faciat aurum, at natura facitne hoc modo? nequaquam. nam per ſimilitudinē natura facit hominē, & homo hominē pictum, & ideo per quandā ſimilitudinem ars facit illud quod facit natura; nunquam autem ars facier ex mixtis medicamentis vnam formam licet miſceat & contundat quantum velit, vt ipſa natuta. Ad ſecundam rationem de oxymelite neceſſarium eſt vt reſpondeamus, vt & Ariſt. in 2. de gener. & corrup. cap. vlt. quod non eſt mixtio vna, ſed mixtio quoad ſenſum. nam ſi quis eſſet oculis lynceis, conſpiceret vtique minima illorum medicamentorum. at in carne, ſi quis oculis eſſet lynceis, minima ipſius non proſpiceret; quia facta eſt mixtio vera, & confuſio. at in iſtis confuſis nō bene miſcemus; nam ſi ſimul miſceamus farinam, & alia, quis erit qui confuſionem diſtinguere valeat? nullus certè eſt qui dicat illam eſſe mixtionem, ſed cōfuſionem potius. ex quo colligo quod ad hoc vt aliquid dicatur mixtum, vltra ꝙ concurrat ſenſus, debet etiā concurrere ratio. nam ſi miſceamus mel & acetum, ſenſus dicit ꝙ mixta ſunt. at ratio inquit, aduertas quod illud minimū mellis eſt in potentia, & minimum aceti pariter in potentia, & ideo poſſunt miſceri. concedo tamen ꝙ in oxymelite fiet confuſio. nā demus oxymel ruſtico, is profecto dicet in hoc mixto adeſſe mel, & acetum, & ideo ſignum eſt quod adhuc integra manent minima vtrorumque.

Sed demus ꝙ guſtus non diſcernat,non ob id erit mixtio,ſed confuſio,& ad ſenſum tantum mixtio.ſed demus,quod & mel & acetum tantum miſceantur temporis diuturnitate,ſed quando hoc fiet : longiſſimo temporis ſpatio,quia diuturno tempore alterarẽtur, ex qua quidem alteratione vna forma reſultare poteſt. Me mouet autem Auerr.authoritas 4.metheororum,cap.4. & in 2.collig.cap. 1. vbi dicebat quod mixtio & complexio fit per modum decoctionis; nam calore naturali alterantur,& ita reſultat vna forma. ex quo colligo quod in hac mixtione fit quædam concoctio,qua medicamenta ad innicem alterentur ; & quod ipſa habent inſtrumentum hoc mixtionis,quæ eſt cõcoctio,& quod mihi videtur quod vna forma reſultare poſſit,quia neceſſarium ex mutua actione,& reactione quendam reſultare actum : ſi autem hoc fieri poteſt,non eſt dubium quod reſultabit vna tantum mixtio, cum habeamus elixationem, & concoctionem. per elixationem verò intelligo alterationem alicuius corporis ex calore extrinſeco agente in humidum ; per fermentationem verò intelligo alterationem,quæ fit à calido humido,ſed interno & in humidum concepro. cum igitur nos poſſumus facere decoctionem per fermentationem & elixationem,ideo mihi videtur quod vna mixtio fieri poſſit. Sed addatis, quod iſta fermentatio, & elixatio neceſſario requirunt longam & diuturnam conſeruationem,quæ non facile ab arte fieri poteſt, vt tandiu agant ſimul in diſſolutione humidi, quouſque mixtio efficiatur. nam ſi volumus elixare donec fiat mixtio, & ſemper addamus vnum humidum extrinſecum, non poterimus facere mixtionem, quia ſi non volumus facere noſtro calore,ei quidem adiũgitur extrinſecus calor igneus, qui nullam habet cum noſtro calore proportionem, nimiſq; potens eſt, & exurit : & ideo elixationis facimus aſſationem ; & licet aliquando aliud addamus humidũ,illud tamen crudum eſt,& opus eſt vt concoquatur. Dicet iterum quis,ego ponam maximam humidi quantitatem. Domini ſi hoc fiat,tunc non adetit proportio humidi ad illa corpora. quare ex hoc colligo, quod non detur mixtura & temperamentum in ipſis medicamentis. Sed obijcies de chymiſtis,quod pauca lucerna hanc faciunt. Dico quod carent bono inſtrumento. nam ignis non eſt bonum inſtrumentum,ſed adurit & potens eſt,& non proportionatum ; ſed bonum inſtrumentum eſt calor ille innatus,quod facit mixturã. Sed fortaſſe poſſemus hoc aſſequi vaſe circulationis. Quare niſi ex longa & diuturna conſeruatione in mixtione fermentario,& vna forma fieri poteſt:& hinc eſt quod video theriacam decem & quindecim annorum amplius non agere, quia vnam acquiſiuit formam, deperditæq; ſunt medicamentorum vires. Deperditur igitur actio theriacæ ratione formæ iam acquiſitæ, acquiritur autem hæc forma per concoctionem cum medicamenta alterentur, ita vt primum eorum temperamentum diſſoluatur, vigeantq; qualitates primę,quæ iterum agentes inter ſe efficiunt vnam formam,quę eſt temperamentum.Quare dico, quod quandiu medicamentum vires ſuas habet, non habet vnam formam, ſed quando amplius non agit,tunc dico quod vnam acquirit, atque hoc per longum temporis interuallum.Ad authoritatem Auicen.(domini)non habeo quid dicam,quia eam neſcio ſoluere. Ad authoritatem verò Auerr. de arte dico, quod Auerr. non loquitur de temperamento acquiſito ipſa compoſitione, quia quærebat Auerro. an reſultaret vnus actus ex contrarijs medicamentis in corpus noſtrũ aſſumptis.nam ponebat Auer.vtrum reſultet vna mixtura in corpore noſtro, & temperamentum ex medicamentis intus aſſumptis : ſed nos quærimus de concoctione & elixatione quæ foris fit, non autem quæ intra ex his quæ intus aſſumuntur.Quod autem hoc verum ſit,Auer.dixit quod in compoſito multę ſunt proprietates:ſi igitur plures habet proprietates medicamentum,quod conſtat ex pluribus ſimplicibus,ſequitur quod non ſit vna forma. nam (inquit) volo addere theriacæ aromatica, quæ ignorauit Galenus, ergo ſi addit, ſignum eſt quod vult non vnam ſequi formam. Ad authoritatem Galeni in libro de Theriaca ad Piſonem, ego poſſum (vt alij dicunt) negare illum librum eſſe Galeni. ſed ſi non eſt Galeni,fuit tamen magni viri. ſed nos poſſemus dicere, quod vult quod theriaca agat in varia præmiſſa ratione medicamentorum. ſi autem hoc eſt, tunc non aget ratione ſuæ formæ ; quare ſi vult vt agat in venenum ratione trochiſci viperini, hoc non poſſet eſſe ; quia tunc non adeſſent neque vigerent trochiſci illi, cum iam ſint omnia corrupta per generationem formæ, & nullum adſit veſtigium medicamentorum. tunc enim non amplius aget theriaca. Concludo itaque quod vt plurimum in medicamentis compoſitis,in quibus elixatio & fermentatio fieri poſſit, eo quia adſit humiditas quæ deeſt, non reſultat vna forma ; ſed quia ambiens aer diuturnitate temporis hanc fermentationem, & elixationem facere poteſt,tunc vna mixtio & forma fieri poteſt,ſed ſi hoc accidat,tunc medicamentum euadet ineptum ad actiones priores per formam interuenientem, & corruptionem proprietatum & facultatum medicamentorum, & quotieſcunque durant proprietates,

prietates, eo vſque non accedit noua forma, neque fermentatio & temperamentum. De humidis verò & ſiccis dicendum eſt, quod hæc humida & ſicca nunquam vnam formam acquirent. Sed vnum eſt quod dicendum cenſeo de inſtrumento empirico, nam empitici aliquando miſcent medicamentum, vt augeant vires, & faciunt experimenta duntaxat; nam in vnum ponunt plurima & pluri ma, vt aliquod medicamentum ſaltem agat: ſi enim vnum non aget, aliud aget. Et ita fecit Ioannes de Vigo, quem in hoc laudo; quia cum non ſemper in praxi ſpeculari poſſimus, non erit abſonum eius compoſitiones præ manibus habere.

Circa particularia compoſita quem ſit inſequuturus, & quot, & quæ compoſitiones, & de quibus primum.
Cap. XXVIII.

HIS viſis, ſupereſt vt ad ipſamet compoſita medicamenta deueniamus; & quoniam omnia compoſita medicamenta aut ſunt inuenta antiquorum, aut poſteriorum aut recentiorum; præterea nonnulla aut perierunt, aut exoleuerunt, aut in vſu ſunt. ego quidem ſi vellem de omnibus tradere, fieri non poſſet vt tractatio hæc non niſi quinquennio, & pluri ſpatio abſoluatur. ob id cum vos nil aliud niſi artem affectetis, ſatis eſſe putaui de his tantum medicamentis compoſitis à me peragendum eſſe quæ in officinis ſeruantur, & vſui ſunt; tractemus igitur de his, atque præſertim de facilioribus ac ſelectioribus, necnon recentioribus. nam cum hæc à pluribus deſcribantur, atque ex his nonnulli in eis abundent, quidam verò deficiant, & alij multa quæ in vſu non ſunt proponant, operæpretium eſſe duxi, vt vnum ex dictis ſcriptoribus ſeligerem, qui in eis non abundet: ſcriptus autem eſt liber à Nicolao Alexandrino; ſcripſit & alterum Meſues, & Galenus multos de compoſ. medic. per loca, necnon illos de Antidotis. Recentiores verò Luminare maius compoſuerunt, verum hi aut deficiunt, aut falſo medicamenta ipſa deſcribunt. Ego verò dimiſſis omnibus alijs accepi Valerij Cordi libellum, qui diſpenſatorium vocatur, ſiquidē Cordus omnia medicamēta diſpenſat, ac ſi menſam diſpenſaret. ita enim is barbara voce diſpenſatoriū libellum quem explicabo, nuncupauit; verum cum medicamenta omnia in duo genera diſtinguantur, aut quę intus aſſumuntur, aut extra applicātur, illa quidem quæ interius aſſumuntur, à Græcis generis nomen obtinuerunt, nimirum vt antidota nuncupentur. omne namq; medicamentum quod qualitatibus corporis prauis opponitur, antidotum nominatur, id autē traditur aut ratione aſſumpti veneni, ictusve venenoſi, aut ratione morbi in corpore noſtro concepti, aut tertio loco ſi quis male vſus fuerit victus ratione, vel aere, vel ſomno, vel venere, vel alijs huiuſmodi, ex quibus poſtmodum morbus efficiatur. cum enim ex aliqua dictarum cauſarum affligitur homo, ſtatim aliquod antidotum (vt teſtis quoque eſt Galenus) ipſi propinamus. reſiſtimus enim antidoto aut morbo, aut venenis, aut ſex rebus non naturalibus, aut tribus ſimul, quemadmodum theriaca quæ ictibus venenoſis, veneno aſſumpto, & morbis conceptis opitulatur. proinde genus hoc antidotum dictum recentiores in varias diſtinxere ſpecies; primo in confectiones; ſecundo in electuaria; tertio in opiata; quarto in trochiſcos; quinto in ſyrupos; ſexto in loch (ita enim appellantur ſpecies medicamentorum ſeu antidototum quæ per os aſſumuntur) & quoniam permulti ad multa reſpiciunt, ob id mirum non eſt ſi ea varia nomina ſortita ſunt. vocantur enim electuaria nonnulla, quia coaceruantur, & confectiones propterea quod ſaccarum admittunt; opiata autem, cum in his opium ingrediatur; trochiſci, quia in rotulis deſumpta ſunt. videatis igitur nominum occaſionem. Nos verò ea nominabimus prout ipſi ipſa nominarunt, & loquemur prout ipſi fuerunt loquuti, atque in primis de aromatum confectionibus dicemus, quæ tali vocabulo appellantur; quoniam cum ſaccaro conficiuntur & componuntur, ita vt ſaccari ſapor remaneat. nam etſi multa ſint compoſita quę ſaccarum admixtum habent, non tamen confectiones dicuntur, vt ſyrupi ex ſaccaro, & electuaria ex ſaccaro; atque ob id intelligimus has confectiones ex ſaccaro fieri, vt conſiſtentiam habeant, non autem vt liquida ſint, veluti ſyrupi & ipſa electuaria. De his itaque quæ medicamenta aromatica vocantur, pertractandum eſt; ſiquidem materia medicamentoſa quę in his reperitur vt plurimum aromatica eſt, qualia autem ſint ex libris Dioſcoridis habetis; omnia etenim odorata talia ſunt. quæ quod magnas obtinent vires tum in corpore conſeruando, tum etiam adiuuando,

aeria inſuper ſunt; quoniam ſuauiter & maximè redolent, ac pretioſa, ἀρώματα namq; Græcis pretioſum quid indicat, vt teſtatur Aetius lib. 7. cap. 19. vbi de collyrio aromatico mentionem facit.

De aromatici roſati deſcriptione Gabrielis. Cap. XXX.

IN primo autem loco proponitur aromaticum cariophyllatum ex Meſue, & licet omnes iſtæ confectiones aromaticæ dicantur, aliquę tamen ſunt quę nomen proprium non habent, ſed nomen generis, vt hæc prior quæ cariophyllatum appellatur, cum multam cariophyllorum quantitatem recipiat. Verum quoniam hęc medicina non valde in vſu eſt, quamuis ſit apud Meſuem deſcripta, proptere a eam relinquo, & ad ſecundam deuenio, quæ eſt aromaticum roſatum Gabrielis, qua quidem medici valde vtuntur. hoc autem medicamentum aſſumptum eſt ex libro Meſues Antidotario inſcripto; inſcribitur verò aromaticum roſatum Gabrielis, quoniam tota confectio fragrat odorem roſarum, cum in eam magna roſarum copia ingrediat. ſciatis autem quod tria ſunt aromatica roſata, tres aromaticæ confectiones apud Meſuem deſcriptæ, prima quidem communi vocabulo nominatur; ſecunda verò Gabrielis; & tertia aromaticum minus: ex his tamen omnibus obtinuit vſus, vt id ſolum Gabrielis antidotum in officinis pateret, ac merito quidem; quandoquidem aliæ confectiones deficiunt, opusque eſt ſuccidaneis in eorum compoſitionibus vti. Tantus autem iſtius eſt vſus, vt ſemper Gabrielis nomen in ore detineamus: qua autem ratione haud conſtat. opinor autem ego, aut quia Gabriel fuerit medicus celeberrimus, aut quod hoc antidotum ab Angelo Gabriele reuelatum. non eſt autem deſcriptio antiqua, quia recipit muſcum, & alia antiquis ignota. His viſis conſideremus ſcopum: hoc pulcherrimum moris genus ſeruatum à Cordo, vt ſemper in fine compoſitionis proponatur ſcopus: Legatis illius verba, inquit enim [*Ventriculo imbecillo, alijsque nutritioni deſeruientibus inſtrumentis ſuccurrit. Ventriculi humiditatem, omnemque in eo putredinem emendat, concoctionem iuuat, & ex morbo conualeſcentibus auxiliatur.*] primus ſcopus eſt, vt refrigerata omnia viſcera calefaciamus; ſecundus autem, vt humiditatem ventriculi auferat; tertius verò, vt prohibeat putredinem: præterea concoquit, & defert alimentum, & hic eſt quartus ac poſtremus ſcopus, qui à Cordo derelictus eſt; cerebrum enim & cor corroborat, & quotieſcunque ſpiritus deficiunt, vtpote vitales atque animales (inuentum namque eſt hoc medicamentum vt prædicti ſpiritus reparentur) Videte igitur ſi merito hoc medicamentum fuerit inſtitutum: at quod multi ſit vſus, ſiue πολύχρηστον, hoc palam eſt, cum etiam apud nos multum in vſu ſit. Hoc ſtante non poſſumus nos in iſto medicamento ſupponere vnam tantum baſim, quia multi ſcopi, quibus ipſum ſatisfacit: ideo non vna eſt baſis, verum vna eſt, quæ dat nomen, & fuere roſæ; quia in hoc plurima roſarum quantitas adeſt, non autem quod alia medicamenta roſarum ratione fuerint impoſita, ideo primo ſunt roſæ, ſecundum aromata muſci, tertio ambræ; reliqua verò quæ adduntur ratione iſtarum baſium apponuntur. perpendamus omnia hæc, & primo roſas. Circa quod quidem aduertendum eſt, quod aſſumuntur roſæ rubræ tum ratione ſpirituum, tum ratione putredinis, tum etiam exſiccationis ratione; cum enim roſa odorata ſit, confert ſpiritibus, exſiccat quinetiam, & putredini reſiſtit, cum cordiale ſit medicamentum: & ideo multum in hoc medicamento vſum facit. De vſu autem roſarum miratur Plinius de tam vario ipſarum vſu, primus autem vſus ad coronas erat, ſecundus ad menſam, & tertius ad medicinam, atque iuxta hunc tertium vſum aut ad olea, aut collyria, aut emplaſtra, aut electuaria, aut ſyrupos, & decoctiones, aut & ſolæ aſſumuntur roſæ, & ex roſis ſacculi conficiuntur. Addatis, quod cum in hac compoſitione aſſumuntur, ratione odoris aſſumuntur, & ratione ſiccitatis. nam ſicca eſt in ſecundo, vt dicebat Galen. in primo de ſimplic. medicam. facult. habet autem roſa partes diſſimilares terreſtres, aqueas, & aereas; verum eſt frigidum medicamentum in primo, & ſiccum in ſecundo: & ideo Gal. in tertio de facult. ſimplic. medicam. oleum roſarum ratione frigidum eſt. habemus autem illa argumenta, quod roſa calida ſit, quia amara eſt & odorata: Verum diximus, quod diſſimilaris eſt partis. Habet itaque vim infrigidandi & ſiccandi, & ſoluit etiam ventrem, quod quidem antiquitas nequaquam cognouit. nam ſi Galenus cognouiſſet multa dixiſſet: iſta autem vis ſolutiua conſiſtit in parte illa roſæ aquoſiore; at cum exſiccata eſt, non amplius ſoluit: ideo tota vis roſæ ſolutiua in illa parte aquoſa ſolutiua conſiſtit:

ſiſtit: habemus quidem multas roſarum ſpecies, quæ non omnes bonæ ſunt: reperietis enim in Theophraſto alias eſſe ſpecies ſylueſtres, alias non. de ſylueſtribus quidem eſt prima ſpecies, quæ à Plinio deſcribitur, & appellatur *κυνόῤῥοδον*, hoc eſt, (roſa canina) & facit ſpinas, & pungit. in Hetruria vero nuncupatur *petenegolo*, ſecunda roſæ ſylueſtris ſpecies eſt illa quæ adnaſcitur in rubis & ſpinis, de qua loquitur Dioſcorides, lib. primo, cap. 211. & differt hæc ab illa Theophraſti: tertia vero roſæ ſpecies eſt, quæ *ῥόδον κάμπιον*, ideſt roſa campalis à Myrepſo vocatur, & in tota Italia hæc roſa campeſtris in agris oritur: iſtę quidem omnes ſpecies non ſunt bonę, noſtroque antidoro minimè accommodantur; verum aliæ ſunt & fermè infinitæ roſarum ſpecies: aliç enim ſunt *damaſcenæ albæ*, quæ non ſunt bonæ; & aliæ *damaſcenæ rubræ*, quæ optimæ ſunt, & primum obtinent locum. Notate autem quod aliquot ſunt regiones in quibus roſa non reperitur, vt frigidæ regiones, & ideo ex alio loco deferuntur, & in Neapoli multæ ſunt roſæ, ac præſtantiſſimæ, ita vt optimum ſaccarum roſaceum in his regionibus conficiatur, & ex illis locis poſtea ad alias deferatur. In frigidiſſimis ergo locis roſę prouenire nequeunt, ideo opus eſt, vt vtamur incarnatis mixtis ſcilicet ex rubris & albis. Omnis igitur compoſitio quæ recipit illa quæ ſimul componuntur, varijs de cauſis conſtituta eſt. aut enim quę in eis ingrediuntur tanquam baſes, & ideo aromata, roſa, muſcus, & ambra baſes ſunt, quæ in medicamento recipiuntur; aut vt omnia ſimul optimè confundantur, medicamenta euaporent, facileque diſſoluantur. nam cum v. g. medicus ſcribit, Recipe aromatici roſati drachmam vel vnciam vnam, quod quidā non poteſt continuo facere ſeplaſiarius, oportet ipſum paratū habere vt diu conſeruetur; aliquando autem admiſcemus quædam ratione baſis, vt ipſa baſis per aliquas partes pertranſeat, aut nō facilè penetret, aut vt non ita cito deſcendat. baſis ergo in hoc eſt roſa, ambra & muſcus; quid in iſta deſideratur? primum quidē vt ſimul conſeruentur; ſecundo cum hoc medicamentum ſit optimum pro ventriculo, ne citius deſcēdat, ideo glycyrriza roſæ accedit, quæ quidem viſcoſum eſt medicamentum. pręterea admixtum eſt lignum aloes ratione ſuę aromaticitatis; quia purgat multum ſpiritus animales: accipiamus autem aloen, quod ſit lignum nigrum, graue admodum, ita vt cum ponitur in aqua, ſtatim fundum petat, aromaticū, & odoratum valdè, atque amarum: ſi enim non ſit nigrum, ſed rubeum, leue, & in aqua appoſitum fundū non petat, ſciatis haud ita eſſe bonum; coctum namque eſt. Quare ſi habemus alterum, illud tutius accipiamus. eſt autem à vobis ſciendum quod aliud eſt lignum aloes, & aliud aloe. ipſum lignum enim aloe eſt, quod ſupradictum eſt à Dioſc. *ἀγάλλοχον* appellatum; at aloe ſuccus eſt qui ſaporem habet admixtum ex adſtringente & amaro, hepatis modo coactus, vt clare apud officinas videre licet: ſunt & in hoc medicamento ſandali machoziri, hoc eſt citrini, qui eſt ex ligno quod ex Indijs ad nos defertur, tale autem lignum eſt genus medicamenti Græcis antiquis ignotum, quamuis Luminare maius contrarium dicat. Iſtud lignum triplex eſt ſpecie, alterum quidem rubrum ſandalum dicitur, ſeu flauum; alterum verò album; & tertium citrinum, quod quidam appellant *machoziron*. in officinis autem habemus ſandalum tertium citrinum. Addit [*cinnamomi electi*] ideſt, caſſiæ illius communis, quæ electior haberi poteſt. nam verum non habemus cinnamomum: ſubdit [*Macis*] ſciatis, quod per macer non intelligimus macem Græcorum, ſed per macis intelligimus pelliculam tenuem, quæ reperitur in nuce muſcata. nam ſciendum eſt quod nux muſcata vt & noſtra nux quatuor habet partes; primo namque reperietis cutamen acerbum, & craſſum; ſub hoc cutamine continetur pellicula quædam, qua continetur nucleus, ita in nuce muſcata habemus cutamen, poſtea pelliculam odoratam, & poſtea teſtam, ac poſtremo nucleum; cutamen non eſt in vſu neque teſta, ſed tantum pellicula iſta [*cariophyllorum*] hoc eſt præſtans medicamentum. nam roborat caput [*Gummi arabici, traganthi*] quod appellatur in officinis gummi draganthi: habemus & in compoſitione gummi arabici, eo quod ex Arabia defertur præſtantiſſimum: verum non habetur hoc gummi in officinis, vel accipitur illud ex perſicis, vel ex prunis, quod præſtantiſſimum eſt. & ſciatis quod hæc gummi prout magis & minus coquuntur, ita ſunt rubri & albi coloris: adiunguntur autē hæc in medicamento vt infarciant, & conſeruent illud in ventriculo, vt agat illud quod requirimus. ponitur autē nux muſcata, quæ bona eſt, & de qua inferius agemus [*cardamomi minoris*] expungatis illud *minoris* quod eſſe non debet; pro quo ſciatis non eſſe accipiendum granum paradiſi, quo vtuntur ſeplaſiarij non ſine errore; alius autem eſt error quod vtuntur nigella maiori [*Galangæ an. drach. 1.*] habemus duplex genus galangæ, alterum quidem maius, alterum verò minus, quod antiquis Græcis fuit ignotum [*ſpicæ Indicæ*] vt diſtinguatur ab arabica, & gallica, quam copioſam habemus in officinis [*Ambræ griſeæ*] expungatis illud *griſeæ*. quod non reperitur apud Meſuem [*Muſci drach. 1.*] de quo poſtea a-

gam [*Saccharaq. ſ.*] in hac quidem compoſitione debetis adnotare quod omnes antiqui compoſitores ſeruabant hanc proportionem, vt ſemper doſes & pondera in principio eſſent maiora, & deinde ſenſim & ſenſim minora, vt teſtatur Democritus; quod itidem ſeruatur in hoc medicamento; eam namque antiquorum proportionem hoc loco Gabriel æmulatus eſt, tanquam quod Græca norma, quam Arabes quoque ſequuti ſunt. Aliud etiam notandum eſt, quod Meſues aſſumit ſyrupum roſatum, & de corticibus citri ad hoc conficiendum medicamentum; noſter vero author aſſumit ſaccharum: vnde colligatis, quod hoc medicamentum reperitur dupliciter paratum, vel in electuario, vel in rotulis, & confectione: in electuario quidem paratum componitur cum ſyrupo roſato, vel cum ſyrupo de corticibus citri: in confectione verò paratur cum ſaccharo. Sed quæ eſt ratio melior? dico quod melius eſt pharmacum in electuario paratum, primo quidem pro reuerentia ſcriptoris & antiquitatis; nam Meſues ita fecit. præterea alia de cauſa, quia facilius conſeruatur medicamentum. nam ſi conficimus in rotulis, rotulæ aliquando à carie corrumpuntur, quod quidem non accidit electuario. Addatis & aliam rationem, dixit Auic. quod doſis iſtius medicamenti eſt duarum drachmarum vſque ad tres: ſi autem demus duas aut tres drachmas rotularum, eſt tantum vnus ſcrupulus ſpecierum. Sed quando conficimus medicamentum in electuario pro omni libra mellis vel ſyrupi, addimus tres vncias puluerum, & ſpecierum: quare in duplo maior eſt quantitas ſpecierum, meliorque confectio hæc quam prior. nam ſi volumus ſequi vſum antiquorum, illud vtique medicamentum præſtantius erit. hi etenim non indulgebant ſenſui, quo fit vt maior ſpecierum quantitas in eo ingrediatur. Aliquis verò quæret à me, quid magis probas ſyrupum roſatum, an ſyrupum de corticibus citri? Reddam ego cauſam huiuſce diuerſitatis. nam medicamētum appellatur aromaticum roſatum quod eſt eius baſis, ob id vt haberemus aliquod euiſdem generis, mandauit Meſues vt ſyrupus roſatus acciperetur, verum cum hoc medicamentum prohibeat putredinem, ideo acceptus eſt ſyrupus de corticibus citri qui præſtantiſſimus eſt, & hoc melius eſt medicamentum, ſyrupumque hunc de corticibus citri magis laudo quotieſcunque volueritis, vt putredini obſiſtat: laudo etiam vt ad electuarii formam conficiatis quotieſcunque volueritis vt maior ſpecierum quantitas adſit, tunc enim pro quaque libra mellis poteritis ponere tres vncias ſpecierum, vel minus prout opus erit. Quantitas autem exhibendi eſt à duab. drachmis vſque ad tres, in pueris verò ad drachmam vnam: at in rotulis nos aſcendimus ad vnciam vnam, & vnam cum dimidia.

De Diambra. Cap. XXXI.

MISSO autem medicamento *Rhodon*, quod non eſt in vſu, aggrediamur quod ſubſequitur, appellatur autem & hoc medicamentum de ambra ſiue diambra: oportet autem primum remouere æquiuocationem quandam. nam Serapio deſcribit medicamentum ex ambra, quod non placet. Auicenna autem lib. 5. ſub hoc nomine vnum aliud habet quod & ex ambra dicitur, & recipit opium: & ideo de hoc non loquitur. Actuarius duo habet medicamenta diambra dicta, quæ non ſunt iſta. Nicolaus Mirepſus antidoto 137. habet medicamentum præſtantiſſimum, ſed eſt iſtud quod à Meſue deſcribitur. Vocatur autem diambra, quia habeat ambram, non quod maior pars ſit ambra, & baſis ſola ſit ambra, ſed dicitur diambra, quia ambra præſtantiſſimum eſt, & pretioſiſſimum medicamentum, quod confortat ſtomachum, cerebrum, cor, & omnia membra roborat. Et ſi quis interroget quodnam eſt medicamentum quod confortet omnia membra? Roboramus enim membra dupliciter, vel per adſtrictionem ſubſtantiæ membrorum; vel adaugendo ſpiritus & calorem naturalem: Dicam quod hoc medicamentum ſecundo modo confortat; nam gignit plurimos ſpiritus, & calorem, & ſi quod eſt, quod poſſit hoc efficere, eſt ipſa ambra: & ideo diambra dictum eſt: præterea adiuuat digeſtionem, hoc eſt concoctionem, & membra calefacit. ſecundus enim ſcopus hic eſt, vt omnia corpora refrigerata calefaciat, & foueat, & præcipuè matricem. Et aduertatis, quod ex centum medicamentis, quæ pro vtero aſſumuntur, nonaginta nouem diambram adhibent. In ſumma generatio ſpirituum, depuratio ſpirituum, reſtitutio vteri, & partium calefactio ſunt ſcopi iſtius medicamenti. Et cum omnia ſint vnius euiſdemque generis perficiuntur ex aromatibus: ideo vnius formæ & naturæ eſt medicamentum, & vna tantum baſis, vt ſcilicet incaleſcant

membra:

membra : & fiant ſpiritus : hinc eſt quòd non habemus in hoc niſi aromata, & primum eſt cinnamomum, ſecundum doronicum : ſed notandum, quod dubium eſt, vtrum habeamus hoc doronicum in officinis, de his quidem Arabes loquuti ſunt, Græci autem non ſcripſerunt. Voluit Ruellius quod ſit planta, vel radix illa quæ deſcribitur à Paulo, & dicitur mamira; ſed lis adhuc ſub iudice eſt, benè verum eſt, quicquid ſit, mea ſententia eſt, quod nequaquam ea ſit planta, vel radix; alij dixere quod cannabadiũ in Actuario eſt doronicum : quod quidem fortaſſe poſſumus dicere, ſed non poſſumus ita apertè teſtari, nam eſt radix geniculata calida, & ſicca in tertio, ſed in officinis eam non habemus : & ideo ſubſtituuntur duæ radices loco doronici, vna quidem apud Luminare maius, & appellatur dulcigini, quam nonnullis eſſe * Dioſcóridis : ſed non poſſunt hoc apertè teſtari, radicula enim eſt, quæ oritur in agro Veronenſi & Sicilia; alia vero radix eſt, quæ doronici nomen retinet, & ſeruatur in officinis, cum tamen verè doronicum non ſit : quod autem me mouet, vt non putem eam eſſe verum doronicum, vnum eſt, quia ſcriptores pro Zedoaria alba ſubſtituerunt doronicum. at zedoaria amara inſignitet eſt, & habet acredinem, odorem acrem & acutum, vt ex hoc ſequatur talis quoque naturę eſſe debere doronicum, quare non eſt noſtrum Italicum; quare non laudo vt pro doronico arabico accipiatur Italicum; id enim non eſt calidum niſi in principio ſecundi gradus. loco autem eius videatis ſuccidanea. nam doronicum cum ponatur loco Zedoariæ, ita etiam vice verſa Zedoariam loco doronici tutius apponere poſſumus [*Cariophyllorum*] de quibus alias dicam, pariter & de nuce muſcata [*Poly*] non eſt dubium quod ipſum in officinis non habemus, de quo etiam dicam. Et quia deferuntur ex oriente quædam quæ ſubſtituũtur pro polio, quæ tamen rara ſunt, ideo ſubſtituendum eſt ſuccidaneum. antiqui enim ſubſtituebant aut ſpicam, aut caſſiam ligneam. In hoc autem caſu ſi quid ſubijciendum foret, caſſiam ligneam ſubſtitueris, hoc eſt cinnamomum quoddam craſſum & durum. Et ſi poteritis habere cinnamomum illud ex oriente delatum, præſtantiſſimum eſt medicamentum, quod quidem libentiſſimè ſubſtituo; ſpicæ namque nimis acutus eſt odor [*Galangæ*] per Galangam intelligimus rubram, tenuem, non albam, & craſſiorem [*ſpicæ indicæ*] quam nos habemus quamuis plures eius ſint differentiæ : nam hæc habet odorem ferme intolerabilem [*cardamomi maioris, & minoris*] ſciatis, quod cæcitas officinarum fecit, vt vice cardamomi maioris vterentur meneghetta herba, & pro minori nigella. Medici verò oculos aperuerunt, & veram ſubſtituerunt : ſed quia non habent cardamomum maius, ideo ponunt ſemen paradiſi, vel meneghetta, ſed nos poſſumus habere cardamomum maius & minus, quæ habent illas differentias a Raſi deſcriptas. per cardamomum autem maius, & minus intelligimus cardamomum Arabum, maior autem maiorem habet ſiliquam, minor verò minorem. & ſi non haberentur hæc, laudo meneghetta pro maiori, & nigella pro minori, ſed cubebe præſtantiſſimum eſt medicamentum, & veluti idem videtur [*piperis longi*] hæc omnia quæ in hac compoſitione continentur, eiuſdem ſunt formæ atque naturæ, & ideò non fuit ſeruati modi illi in compoſitione, vt ſcilicet maiora pondera primum conſtituerentur, deinde minora, ac poſtremo minima [*Ambræ 3.1.*] quæ ſit, explicandum eſt. Deberis ſcire, quod ſub nomine ambræ nos intelligimus varia, primo quidem carabe officinarum, electrum Græcè, & Latinè ſuccinum, & vulgo ambra vocatur. & quamuis variæ fuerint opiniones : aliqui enim opinati ſunt eſſe excrementum animalium, alij gummi arborum, tamen reuera eſt bitumen, & metallum, quod in locis maritimis & frigidiſſimis colligitur reductum ab vnda maris ad littora; ex hac autem duplex eſt ſpecies, vna lutea, aut alba, aut nigra, aut rufi coloris, & iſta non ponimus in medicamentis. nam parantur monilia, & coronæ mulierculis, & vidiſtis eam, ſed de hac non loquimur, quia vulgaris eſt. Altera verò eſt ambra, de qua loquimur, & de qua variæ ſunt opiniones, vt dictum eſt. alij enim putarunt eſſe ſuccum plantæ, alij gummi, & alij excrementum animalium. Sed veritas eſt quod hæc ſit metallum, ab Aetio ambra vocatum, ambracani verò vulgo. Hermolaus verò Barbarus appellauit ſuccinum orientale, & eſt ex ſpeciebus bituminis metallici, cuius indicio ſunt Auic. & Auer. Sed nos non habemus niſi eam ambram ex animalibus, vtpotè ex ventre cete piſcis marini. nam quotieſcunque in oceani littore euenit cete, ex dorſo eius remouent materiam illam : & ideo aliqui credidere eſſe materiam ex cete, ſed ego dico quod regurgitatur à cete in littore maris, & inibi concreſcit. Sed quicquid ſit precioſum eſt medicamentum, & ſuperat precio aurum. nam vncia vna venditur 30. & 40. ſcutatis, vaporoſum eſt medicamentum, petit viſcera, ſtatim cerebrum confortat, ipſum calefacit, & ideò in omnibus antidotis Arabum ponitur. Doſis huius medicamenti eſt vſque ad tres drachmas. verum ſi nos exhibebimus in rotulis, exhibebimus dimidiam vnciam, vel vnam : igitur in electuario ab vna ad

tres

tres drachmas,in confectione verò & rotulis à dimidia vncia ad vnam : Verum in officinis habentur ſpecies ita vt poſſimus altero horum modorum eas componere : & ſi iſtæ ſpecies ſeruatæ vobis ab officinis offerantur,eas abijciatis,quia iſtæ ſpecies non diu perdurant , quare mandate ſeplaſiatijs vt ſæpe conficiant medicamentum , non autem ipſum diutius ſeruent.

De Diacalamento Meſues & altero Galeni. *Cap. XXXII.*

PRAETERMITTAMVS conſulto medicamentum Diarhamaron , ſeu Diacameron ſecundum deſcriptionem Nicolai capite 161. quoniam id apud nos in vſu non eſt , & ad duas Diacalamenti deſcriptiones accedemus, primam quidem eſſe Meſues ait,ſecundum verò Galeni,neque expectetis à me,vt in omnibus ſingula pharmaca examinemus, hāc enim ſeruabimus normam in omnibus, vt vnum ſimplex expendamus, in alijs dicamus hoc impoſitum eſt de hac cauſa,vt progredi poſſimus.& licet Diacalamentum hoc deſcribatur ſecundum Galenum, vt & Auicenna quinto ſui canonis,vtrunq; tamen à Galeni Diacalamento euariat, non modo doſi, ſed & ingredientibus medicamentis : propterea Cordus noſter duas deſcriptiones vtriuſq; Diacalamenti & Meſues,& Galeni ponit. Baſis huius medicamenti eſt ipſum calamentum,ex quo ventriculus caleſit,& flatus diſcutiuntur ; quinetiam his auxiliatur qui ægrè ſpirant:nam calamentum licet multarum ſit ſpecierum,duæ tamen præcipuè in medicamentū ingrediuntur,montanum ſcilicet calamētum,& campeſtre. montanum quidem calamentum prima eſt ſpecies,quæ à Dioſcoride deſcribitur, raro autem apud officinas habetur : eſt enim calamentum illud ocymo ſimile frondib. ſubalbidis, ſeu albicantibus, guſtu valde acre,& aliquantiſper amarum, ita vt Galenus lib.7.de facult.ſimplic.medic. ipſum calidum & ſiccum in tertio conſtituat. Campeſtre verò calamentum quid ſit,variæ ſunt opiniones . alij enim quod ſit ſecunda calamenti ſpecies, alij quod ſit herba illa quæ gattaria vulgò dicitur, quia gattæ ipſæ libenter eam comedunt. Sed dicamus quod eſt vſualis calamintha , quæ in campis naſcitur , quæ quidem magis efficax eſt ea , quæ prope loca humida naſcitur . Neque putandum eſt , quod ſit illa gattaria , cum non habeat notas ſimiles calamento noſtro vſuali , ſed potius dicendum eſt quod ſit herba illa quæ nepeta apud Latinos vocatur , pulegio ſimilis . odorem namq; & ſaporem pulegij redolet. Cum igitur in hoc medicamentū vtrunq; calamentum ingrediatur,ſtudendum eſt, vt & montanum,& campeſtre habeatur,nam vtrunq; haberi poteſt,& montanū incipiunt ad nos deferre ; quod ſi non habebimus verum calamentum , non ob id proficiet, quod tentare cupimus, cum id baſis ſit totius medicamenti: montanum enim calamentum cum valde calidum ſit,& tenuium partiū, poterit ventriculi nauſeæ opitulari diſcutiendo materias craſſas,quæ affectum illum parere ſolent ; præterea flatus diſcutiet,quæ tibi faſtidium plerunque efficiunt, ac tormina in ipſis inteſtinis , & ideo ventriculum & viſcera illa omnia inferiora excaleſacit , ita vt, ſi quæ ſit obſtructio in illis partibus, aperiantur viæ,atque meatus;& ob id etiam ſpirationi valde prodeſt, cum impedimenta remoueat, quibus difficilis ſpiratio reddi ſolet . cum enim materias craſſas attenuet , quæ ſpirationem difficilem reddunt,tollitur quinetiam difficultas in ipſa ſpiratione.Reliqua autem medicamenta quæ in hanc compoſitionē ingrediuntur,baſem hāc adiuuant.nam ſeſeli , quod etiam ſiler montanum nuncupatur apud officinas , tenuium eſt partium, & calidum & ſiccum in ſecundo. Eſt autem aduertendum, quod licet in pluribus officinis verum ſeſeli,ac optimum reperiatur,in nonnullis tamen & aliud habetur cimicum odorem habens , quod quidem à vobis abijciendum eſt {*Petroſelini Macedonici*} hoc quidem in Italia non naſcitur , ſed raro videtur quædam petroſelini ſpecies Macedonico ſimilis: nam vſuale noſtrum non eſt petroſelinum,ſed apium domeſticum : propterea debemus inquirere illam ſpeciem petroſelini , quæ inter ſaxa reſidet , vt illa quæ magis accedit ad Macedonicum petroſelinum {*Zingiberis*} in hoc potiſſimum euariat hæc compoſitio ab ea Galeni, quia in illam non ingreditur zingiber {*Apij*} intelligit autem ſemine ipſius apij,vt in Meſue videre licet. eſt autem apium noſtrum vſuale,petroſelinum,vt ſupra dicebamus. {*Comarum thymi*} hoc eſt ſummitatum , eſt autem thymum valde calidum & tenuium partium, vt materias craſſas incidat, & flatus diſcutiat, notum quidem apud nos, & apud officinas quam facile haberi poteſt : accipiendæ autem ipſius ſummitates, quoniam flores tardè apparent, & ideo in eius ſummitatib. vires magis apparent.

{*Ligu-*

Digitized by Google

[*Liguſtici ℥.vi.*] Vir hic non obſeruauit ordinem, quem antiqui in cõponendis ſuis pharmacis conſtituerunt, ſed poſt comas thymi, & ſemina apij quæ in compoſitione ponuntur, ad ℥.ij. ponit liguſtici ℥.vj. cum in Meſue verus ſeruetur ordo. Is enim in proprio antidotario ponit liguſtici ℥.vj. prope ea quæ pariter ponuntur in eadem doſi. Huius medicamenti doſis erit vt & ſuperiorum, in minori tamen quantitate vel maiori, prout vel ipſum paramus cum ſaccaro, vel cum melle, hoc eſt, vel in confectionibus vel in electuario. Huic ſimile eſt & aliud diacalamentum Galeni. verum vt dictum eſt differens à prædicto, tum quoad ingredientia, tum quoad pondus medicamentorum. deſcribitur autem à Galeno 4. de tuend. ſanit. vbi poſtquam ingredientia poſuit, & quæ nam ex medicamentis illis optima ſint, modum componendi docet; accipienda enim ea ſunt (inquit) ad medicamentum herbarum folia ſubtiliſſima ac virentiſſima. adhæc & flores, & quæ cum his vna ſunt minutiſſimæ, tenuiſſimæque feſtucæ, quæ omnia cum malis medicamentis ſimul tundenda, cribrandaque ſunt tenui cribro, vt in totum corporis habitum penetrent: atque ob id dicebat Galenus, quod antè cibum medicamentum hoc erat exhibendum, non autem poſt cibum. non enim tunc diſtribui, aut rectè concoqui poteſt. Nicolaus autem cap. 179. vnam aliam ponit deſcriptionem Diacalamenti, quæ cum ingredientibus ferme coincidit cum illa Meſues, licet quod pondus euariet, quod quidem medicamentum Diacalamentum minus, ſicut alterum c. 177. quod appellat maius, varium & ipſum ab his.

De Diacymino. Cap. XXXIII.

DIACYMINVM ſecundum deſcriptionem Nicolai inter confectiones aromaticas, vel inter electuaria, vel antidotos contineri clarum eſt; eſt medicamentum πολύχρηστον, quia varium habet vſum: & dicitur Diacyminum, quia habet cymini magnam quantitatem, dicitur & Nicolai, quia ſunt & aliæ aliorum deſcriptiones Diacymini, quæ à cymino dicuntur: nam apud Nicolaũ Myrepſum tres cõpoſitiones Diacymini narrantur, vna quidem quæ eſt in lib. de antidotis, cap. 308. & habet vim ſoluendi, quia accipit diagridium; c. vero 100. eſt altera, & habetur alia c. 101. & hæc eſt penitus eadem cum hac Nicolai. Meſues noſter & ipſe deſcripſit duplex Diacyminum, alterum quidem quod prius eſt, habens aliquam ſimilitudinem cum iſto, alterum verò poſterius, quod eſt Diaſpoliticon ab Aetio deſcriptum, lib. 9. cap. 24. & à Paulo lib. 7. vbi loquitur de antidotis. Iſtud igitur eſt idem cum eo Diaſpoliticos, quod quidem varijs modis conficitur, tum quo ad ingredientia, tum etiam quoad pondus: habemus tamen ipſius deſcriptionem à Galeno, cap. 5. quarti de tuend. ſanit. quod quidem caput legito, quia in eo habentur plurima præcepta, ſed de eo hoc loco non loquimur. Actuarius deſcribit & ipſe cap. 19. inter antidotos Diacyminum, cuius forma eſt eadem cum his. fuit quidam inter recentiores magnæ quidem authoritatis Gilbertus Anglicus in cap. vbi tractat de ſtrictura pectoris, qui habet triplicem Diacymini deſcriptionem, quarum prima eſt huic ſimilis, ſecunda, & tertia penitus diſſimilis. Raſis ad Almanſ. lib. 9. cap. de illis quæ confortant ſtomachum, ponit deſcriptionem aliam, quæ ab hac differt, & ſimiliter omnes deſcriptiones ab Auic. in 5. ſui canonis poſitas, ſed inter cæteras hanc laudo, quam ex Nicolao præpoſito adiungimus, & ideo laudo hanc, ſed volo vt reſtituantur pondera illa quæ ſunt apud Myrepſum. In vſu eſt & aliquando ſeruatur in electuario, aliquando in rotulis, & hoc plus eſt in vſu. tertius autem vſus eſt vt ſeruentur ſpecies, & pulueres iſtius compoſitionis. ſcopus medicamenti deprauatus quodammodo deſcribitur à Cordo. Legatis Meſuẽ in antidotario magno, inuenietis hunc eſſe ſcopum (nam Cordi deſcriptio ſuſpecta eſt) quod ad pectoris, capitis, & ſtomachi frigiditatem conſerat, & inteſtinorum ventoſitatem ſoluat, quotieſcunque viſcera reſtigerata ſunt: addatis, quod quartanarijs cum vino vncia vna ex medicamento prædicto prodeſt: tertio quod in febribus, & obſtructionibus felici ſucceſſu ipſum exhibemus, aperit namque, & digerit, diſtribuitq; alimentum per vniuerſum corpus. Vna autem eſt tantum baſis iſtius medicamenti. nam ſi facit ad varios vſus, non tamen contrarios, & ideo vna tantum baſis adiungitur, adiunctis ſcilicet virtutibus aromatum, & appellatur Diacyminum, non quia ſit baſis ſola cuminum, ſed quia magna ipſius quantitas ingrediatur [*Recipe cumini præparati & infuſi in aceto*] ita omnes dicunt, ſed dicunt cuminum carmenum: pro quo notandum eſt quod nos habemus tria genera cumini,

mini, vnum quidem ſolet ſeri in Hetruria, alterum autem ex Alexandria, alterum verò ex Creta aduehitur: ſed differunt ratione locorum, nam præſtantiſſimum eſt ex Alexandria, ſecundum locum tenet illud ex Creta, imbecillum autem eſt noſtrum ex Italia. Dioſcorides autem laudauit cyminum ex Aethiopia: Plinius etiam 59. cap. octaui libri nunc quidem Aphricanum, nunc verò Aegyptiacum commendat [*infuſi in aceto*] primum quidem aceto maceretur, ſi quæratis, qua ratione? Domini, credo fieri primo vt aliquantiſper acredo medicamenti remoueatur, ſecundo vt ſubſtantia attenuetur, quia oleoſum & viſcidum eſt cyminum: poſtea ſiccatur, & ſtatim in compoſitionem miſcetur: qua ratione? quia experientia compertum eſt, quod medicamenta macerata in aceto, ſi diutius ſeruentur, fiunt acida maxime, & corrumpuntur [*Cariophyllorum drach. 2. & ſcrup. ß.*] ſic enim vult dicere, & ideo emendate, [*Melanopiperis, zingiberis, galangæ minoris*] & vbi legitur ana drach. 2. & gra. 5. expungatis has omnes. [*Thymbræ, eius loco ſume Satureiam*] Cordus in hac parte fuit indoctus, quaſi quod ſatureia Latinorum non ſit thymbra Grecorum; eſt etenim reuera, nam quod à Dioſcoride appellatur thymbra, à Plinio ſatureia appellatur; alius eſt error, quia inquit [*Thymbræ, eius loco ſume Satureiam*] quaſi velit vt intelligatur de Satureia ſylueſtri, quod quidem falſum eſt.

Sed notate, quod Græci per vocem thymbræ non intelligunt vnum, ſed multiplex genus, verum thymbra eſt apud Græcos, quam Latini Satureiam nominant, à Meſue verò Hyſſopus dicitur. Diſtinguitur autem omnis thymbra in ſatiuam, & ſylueſtrem, atque montanam, illa quæ à Columella appellatur, cunila ſatiua eſt Satureia apud Latinos, & à Græcis thymbra ſatiua, & vulgò ſauoregga vocatur, & peuperella, & de hac non loquitur noſter ſcriptor. Alia eſt thymbra, quæ à Dioſcoride lib. 3. cap. 65. deſcribitur, à Columella verò cunila tranſmarina, a Sereno in carmine ſuo cunila capitata, quam habetis in horto ſimplicium, quæ ſerpylli haber odorem, & thymi ſimilitudinem. & de hac intellexit Nicolaus Myrepſus. Vltima ſpecies, quæ montana ſaturcia, vel thymbra à Plinio vocatur, & iſta eſt quæ hyſſopus montanus appellatur à Meſue: & ſum iſtius ſententiæ, quòd hyſſopus hortenſis Meſues ſit illa ſatiua cunila Columellæ: & montanus etiam ſit Meſues montana, quæ montana thymbra vulgò *Satureia* nuncupatur. Sed notate vnum, quod non omne epithymum, quod habetis in officinis, eſt purum epithymum, ſed epithymbra eſt, & quamuis hoc ſit verum, tamen illud facit quod deſideramus: ex his autem tribus generibus thymbram tranſmarinam primo accipimus, deinde montanam, tertio ſatiuam, cum deſunt reliquæ ſpecies ſeu genera [*Calaminthæ*] montanæ [*ana drach. 1. & ſcrup. 2. Ammeos*] & pro hoc non accipiatis noſtrum, ſed ex Alexandria, quod ſaporem habet origani [*Liguſtici an. drach. 1. gra. 18.*] non accipiatis liguſtici ſemen [*Spicæ Indicæ, Cardamomi, Nucis Muſcatæ*] & per hanc intelligimus nucleum. Compoſitio hæc conficitur melle, & ſaccaro, melle quidem ad electuarij formam, & ſaccaro in rotulis.

Doſis eſt à tribus drachmis vſque ad integram vnciam, minor igitur doſis eſt trium drachmarum, maior verò eſt vncia vna. Notate autem vnum, quod hanc compoſitionem exhibere debemus poſt cœnam ac cibum: atque hoc obſeruate, quod ſi volumus vt faciat ad diſtributionem alimenti, oportet vacuo ſtomacho eam exhibere, at ſi eam cũ cibo vna exhibeamus, faciet ad concoctionem, vt in hoc noſtro propoſito caſu.

De Diacinnamomo ſecundum deſcriptionem Meſues. Cap. XXIV.

DIACINNAMOMVM hoc eſt ſecundum deſcriptionem Meſues, multæ enim ſunt compoſitiones, quæ à cinnamomo nomen accepere, & inſcribuntur vel electuaria, vel confectiones, & nomen ſuſcipiunt à cinnamomo. reperiuntur autem hæ apud Græcos præcipuè apud Myreptum, prima quidem in lib. de antidotis, antidoto 40. alia deſcribitur in eodem antidoto 467. tertia antidoto 468. vocatur autem ſecunda manus Dei, quia in affectibus ventriculi ita cito aufert dolorem, vt manus Dei videatur: iſtæ quidem tres compoſitiones eiuſdem fermè generis ſunt, quarta deſcribitur antidoto 406. quæ diſtat toto cęlo à præcedentibus, nam habet vim ſoluendi aluum.

Vltimo vbi idem loquitur de pilulis ſectione 26. ponit vnum pilularum genus, quod Diacinnamomum appellatur. Apud Arabes & Auicennam libro primo, fen. 3. tracta. 3.

reperitur

reperitur electuarium,quod diacinnamomum appellatur : altera eſt compoſitio de qua tractamus, & eſt apud Meſuem in ſuo antidotario, & inſcribi debet confectio ex cinnamomo, & deſcribitur ex cinnamomo,quia quarta fere pars,quæ in ea ingreditur,eſt cinnamomum , & maxima odoris pars dependet à cinnamomo , non quod baſis ſit cinnamomum. Quis fuerit deſcriptor,non ita conſtat;ſed nos habemus apud Meſuem,quod medicamentum hoc quoad eius ſpecies apud antiquos ponebatur in cibarijs. Scopus eſt, vt aduerſetur humiditati ventriculi , & putrefactioni , quæ in eo efficitur , phlegma digerat , & digeſtionem adiuuet : per putrefactionem verò intelligimus humorum putredinem. Scopus vnus eſt,calefactio,exſiccatio vna cum attenuatione, & conſeruatione caloris innati, quod quidem proprium eſt medicamentorum aromaticorum: inquit igitur, [*Recipe cinnamomi ſubtilis*] addatis vos & electi , nam quamuis hæc vera ſententia ſit quod omne bonum cinnamomum ſubtile eſt , hoc eſt habet corticem ſubtilem , poteſt tamen eſſe ſubtile , & vetuſtum. At dicet aliquis , nonne ſatis erat dixiſſe cinnamomi electi ? dico quod non. nam non ſatis eſt accipere cinnamomum electum , quia poſſumus accipere craſſum electum , ideo ſubtile adiecit [*cinnamomi craſſi*] Apud Meſuem non legimus craſſi , ſed *darſeni*..

Et ideo Manardus inquit corruptam eſſe ſcripturam,vt ſit legendum, *Darſeſan*, hoc eſt aſpalathi. ratio eſt,quia primum ob ſimilitudinem vocis facilis fuit corruptio; ſecundo, quia tales ſunt vires in aſpalatho quales requiruntur ad ſcopum . prohibet namque putredinem & exſiccat ventriculum. Fuere gemini fratres Franciſcani , qui cum multum inſudaſſent in rebus aromatum , ſcripſere librum in Meſuem , & cum vidiſſent ſcripturam Manardi illam improbant, & dicunt pariter eſſe corruptum locum, & nolunt vt legamus (darſeni cinnami) loco cinnamomi craſſi & cymini,& quod hęc compoſitio appelletur Diacinnamomum,quia recipit duo genera cinnamomi: iſta autem duo genera cinnamomi ſunt , alterum quidem cinnamomum ſubtile , *cannella* ſcilicet vulgò dictum; alterum ſylueſtre , quod à Græcis cinnamum vocatur, & pſeudocinnamomum, & ideo has duas ſpecies ponit hunc in modum [*Recipe cinnamomi ſubtilis, darſeni cinnami*] hoc eſt cinnamomi ſylueſtris, & per darſeni intelligimus vocem genericam , ideſt cinnamomum. per cinnami verò ſpecificatur cinnamum ſylueſtre . hæc eſt ſententia Monachorum , quæ ab illis confirmatur ; quoniam aiunt ſe reperiſſe multos codices manuſcriptos in quibus ita legitur. Sed hæc non mihi placet,non enim aſſentio vt expungatis cuminum, & faciatis *cinnamum* : quare eam ſcripturam non ita corrumpatis , ſed legatis *darſeni craſſi*, vel ſimpliciter *darſeni*. Et ſi vellemus caſtigare,deſcribatis vel *darſii*, vel *darſimi* .& me mouet Raſis in 26. continentis, vbi loquitur de ſpeciebus cinnamomi, qui diſtinguit ipſum in ſylueſtre & natiuum;natiuum quidem appellat cannellam,quod habet corticem ſubtilem,& odoratum eſt;ſylueſtre autem quo vtimur pro ſpeciebus,& appellatur darſimi, vel darſij,quod eſt inutile ad compoſitionem medicamentorum,ſed tantum pro ſpeciebus. Et ideo ego dico,quod aut non eſt immutanda lectio,aut ſi immutanda eſt,dicatur *darſeniſi*, vel *darſii*, & eſt illa ſpecies cinnamomi, quæ vulgò *ſcauezzoni* appellatur : ſed dicetis,cur imponit cinnamomum craſſum? non dixerim vt illud quod habet minores vires & obtundat maiores,ſed dico quod apponit illud vt roboret ſubſtātiam ventriculi ; quia terreſtrius eſt altero, & habet partes plurimas adſtringentes,quas non habet ſubtile (*Cymini, enulæ*) per enulam intelligimus enulam campanam.

Et ſciatis,quod ſi quod eſt medicamētum quod poſſit robur ventriculo inferre, enula campana eſt [*Galangæ, cariophyllorum*] hæc ponuntur ad exſiccationem [*Cardamomi maioris, & minoris*] quid ſit maius & minus cardamomum iam dictum eſt ; & non ſinatis vt pro cardamomo vtantur ſeplaſiarij *meneghetta*.nam huius nominis meneghettæ facta eſt mentio à Myrepſo [*Zingiberis, nucis muſcatæ, ligni aloes ana drach*.3.] Monachi dicunt ſe legiſſe in quibuſdam codicibus, an.drach.2. ſed mihi magis placet noſtra (*croci*) crocus enim ingreditur in hac compoſitione non ad eundem ſcopum,ſed vel ad iucunditatem coloris (quia color citrinus multum oblectat) vel vt medicamentum facilius petat caput [*Sacchari tabarzet, ideſt electi, drach*.5.] neſcio vbi habebat caput Cordus,cum hanc deſcriberet compoſitionem , vt putaret tam paucam quantitatem ſaccari ſufficere poſſe ad conſeruandos pulueres : prætērea non poteſt conſeruari .

Deinde hoc medicamentum in puluerem non eſt redigendum ; quia puluis non conſeruatur. Sed debetis vos ſcire, quod iſta compoſitio apud antiquos duobus modis parabatur,aut cum melle in electuarij formam, aut in puluerem . primo quidem modo ea vtebantur pro medicamento ; ſecundo verò pro cibarijs condendis.id enim vocabulum *ſuffu* ſignificat pulueres illos , qui cibarijs ſuperſperguntur . nam in robore ventriculi , ideſt ſi inſpergatur duplicata ſacchari quantitas,multum valet in cibarijs. Et ideo legatis

[*Sacchari electi unc.i ſs.*] Notate autem quod hoc medicamentum non ſeruatur vbique, ſed aliquot locis, & ſeruatur in ſpeciebus pro cibatijs. Si verò in electuarij formam redigatur, doſis erit à drachma vna vſque ad duas ſi æſtas ſit; ſi verò hyems vſque ad ſemiunciam.

De Diantho ſecundum deſcriptionem Nicolai. Cap. XXXV.

SVBSEQVITVR antidotus Dianthus ſecundum deſcriptionem Nicolai, cuius quidem compoſitionis licet multæ habeantur deſcriptiones à Nicolao Myrepſo; nam libro ſuo de antidotis vnam ponit Galeno attributam, cap.452. ab hac diuerſam, quæ forte Galeni nunquam fuit. alteram verò cap.454. quæ & in rebus ingredientibus quodammodo, & in pondere ab hac euariat: attamen cap.64. vnam aliam conſtituit huic à noſtro authore ſimilem, variam tamen ſecundum aliqua pondera.

Hanc etiam deſcribit Actuarius quemadmodum ſcriptor noſter. Baſis huius medicamenti, & ſcopus vnus eſt, vt ſpiritus rectè conficiantur atque multiplicentur: nam particulares poſtmodum alij ex hoc emanant, non tamen diuerſi, ſed ad illum priorem conſpirantes, vt inquit Author noſter, prodeſt enim præter rationem tribulans, cardiacis, & animi lætitiam auget, roborat quinetiam imbecilles à morbo longo, & ventriculum emendat. Addatis vos, quod cerebrum ipſum ob flores ipſius roris marini corroborat. Recipit igitur hæc compoſitio [*Florum roris marini*] ab his floribus ob excellentiam compoſitio nominata fuit. roris marini diuerſæ ſunt ſpecies, vt Galenus lib.7. de facult.ſimplic.medicam. aſſerit, vna quidem ſterilis, duæ verò quæ fructum producunt, apud nos autem vna ſpecies videtur, quæ tertia eſt Dioſcoridis ſpecies, quam Actuarius, & Nicolaus dendrolibanon vocant, quaſi coronariam: huius autem herbæ flores valde aromatici ſunt, & amari, vt humores craſſos incidant atque abſtergant, ex quorum tenuitate facilius partes corporis nutriuntur, & ſpiritus generantur: calefaciunt quinetiam ſui caliditate, ac adſtrictione ventriculum corroborant. [*Violarum*] hoc eſt purpurearum, ex quibus conficitur ſyrupus violaceus, & reliqua quæ in medicamentis vſui ſunt, poſitæ autem hoc loco ſunt vel ad remittendam reliquorum medicamentorum caliditatem, vel quia ſiccæ, corroborant ventriculum, & cordis ſpiritus exhilarant. Reliqua etiam quæ in hac compoſitione ſunt, ad eundem faciunt ſcopum, ne omnia examinare cogamur. Anethi, ideſt ſeminis, ana ſcr. quatuor. Nicolaus Myrepſus ab hoc pondere euarians habet ſcr. vnum; quod quidem pondus valde paruum eſt. Actuarius verò loco ſcr.quatuor, habet drach. quatuor, & tunc valde præpotens eſſet medicamentum. Meſues vnam habet compoſitionem dianthos, vt & ſaccari roſati abſque alijs ingredientibus, hoc enim medicamentum cordi, & ſtomacho opitulatur, ac cerebro, necnon flatus expellit.

Hæc noſtra compoſitio & ad electuarij formam, & in rotulis cum ſaccaro confici poteſt; ſi ad electuarij formam doſis eſt à drachma vna, vſque ad drachmas tres, ſi verò in rotulis poſſumus ex ea exhibere vſque ad ſemunciam, reſpicientes tamen ſemper viri temperiem, ætatem, ac reliqua, quæ ſæpius animaduertenda eſſe diximus.

De Diagalanga ſecundum deſcriptionem Meſues. Cap. XXXVI.

HABEMVS pharmacum vt plurimum in rotulis, & ſæpius in ſpecieb. reperitur, & dicitur diagalanga, quia plurimum galangæ recipitur. nam medicamentum hoc recipit drach. ſex. Et quamuis ligni aloes eadem portio ingrediatur, tamen diagalanga appellatum eſt, quia galanga eſt illa quæ magis guſtu apparet. Hoc medicamentum deſcribitur varijs modis, vno quidem modo à Myrepſo, quæ deſcriptio eadem eſt cum Meſue, Nicolaus Alexandrinus aliam habet, quæ non eſt eadem cum hac. Auicenna etiam ipſum deſcribit, & eſt ab hac diſtincta deſcriptio. Valet hoc medicamentum ad hos ſcopos: primo quidem roborat vires ventriculi, & hepatis

refrige-

refrigerationi aduerſatur: ſecundus ſcopus eſt, vt corrigat errores & ventriculi, & hepatis, ſi cruditates adſint: tertius ſcopus eſt, quod omnem flatum diſcutit. In ſumma ſi volumus redigere hos ſcopos ad vnum, eſt quod calefaciendo, ſiccando, & detergendo frigidum ventriculum, & hepar adiuuet.

Et omnia quæ ingrediuntur habent eandem vim. aſſumit etenim galangam, cuius hiſtoria dubia eſt. nam multi dicunt galangam maiorem, eſſe acorum Dioſcoridis. Sed ſciatis, quod acorum Dioſcoridis eſt calamus aromaticus officinarum; habemus poſtea galangam deſcriptam à Serapione c. 50. ab Auicenna in duobus capitibus: tamen quid ſit neſcio, & apud Auicennam, & apud Serapionem. nam Serapio dicit habere venam rubram, & corticem nigrum, ſed non adſunt notæ quæ competunt galangæ. Meſues ita breuiter explicauit, vt nil breuius, ex quo nos colligimus galangam Auicennæ, & acorum Gręcorum nil habere commune cum galanga officinarum, quia deſiderantur multa. nam etſi calidum & ſiccum ſit in tertio, & rubrum, & acre, tamen alia deſcribuntur quæ ſunt aromatica, & has habent notas.

Quare non nego neque affirmo eſſe eadem, ſed in officinis habemus radicem quę in medio eſt bilbuloſa ſubalba, hoc eſt inter albedinem & rubedinem mediam colore. æmulatur etiam iridis radicem. vtraque enim odoratiſſima eſt, & ſuauiſſimi odoris, & hac vtimur pro galanga. Quod autem ſit ſpecies iridis non dixerim, neque quod calamus aromaticus, neque quod acorus, neque aliud ex dictis, ſed ſatis eſt quòd duplex eſt, altera minor, & altera maior: verum minore vtimur; odoratiſſimum enim eſt medicamentum (*calami aromatici*) calamum enim aromaticum diximus eſſe acorum Dioſcoridis (*Menthæ ſiccæ*) in Myrepſo habetur, ſucci menthæ (*ſeminis ſarui*) loco huius legitur apud Myrepſum çarnabadij, ſed idem eſt.

Conficiebat medicamentum hoc Meſues cum melle ſpumato, & doſis eſt ab vna drachma ad duas vſque, ſed quia vt plurimum eſt in puluere, ideò raro excedimus drachmam vnam exhibendo.

De Diapenidio ſecundum deſcriptionem Nicolai. Cap. XXXVII.

DVM loquuntur de ſaccaro puro, aliud conficiunt medicamentum ex ſaccaro puro, aliud ex impuro: penidia quidem conficiuntur ex ſaccaro impuro, in quo eſt magna vis detergendi, & magna vis dulcedinis: & ideò medici conficiunt penidia primum quidem vt iucundior ſit aſpectus medicamenti, penidia namque ſunt candidiora, & quam ſaccarum craſſius, & impurius; ſecundo ſaccarum craſſius, & impurius viſcoſius eſt quam penidia. Sed ſi quæratis an aliquid addant? non, dicam ego. nam accipiunt ſaccarum craſſum, & impurum, & eliquant, & poſtea habēt clauum ferreum, circa quem agitatur per aliquod tempus, ex qua quidem agitatione fit medicamentum tenuium partium, & minus viſcoſum. nam viſciditates diſrumpuntur & diſſipantur, & tandem albedinem acquirit, & ita penidia conficiunt. Deſcribitur hoc medicamentum à Myrepſo antidoto 97. ab Actuario verò capit. 19. Nicolaus Alexandrinus deſcripſit ipſum cap. 92. & appellatur maius: & ab hac varia eſt. Vſus iſtius medicamenti proponitur à Cordo ſatis depranate: & ideò caſtigetis hoc modo.

Valet aduerſus omnem pulmonis noxam, tuſſim, vocis raucedinem ex ſiccitate, non dicatis autem vocis iacturam ex frigiditare [*tabidis*] hoc expungatis [*& purulenta excreantibus ſuccurrit*] hoc benè habet. Ex quibus omnibus colligimus, vt thoracem humectet, iuuet excremenrorum coctionem, & alia. nam recipit penidia, quæ vim habebant detergendi, & concoquendi [*Amygdalarum amararum*] nos non legimus apud Nicolaum amararum, ſed dulcium, ſed additæ ſunt amaræ ratione maioris deterſionis [*cinnamomi*] quod calefacit [*ſeminis cucumeris*] hoc eſt ſeminis anguriæ, citrullus autem officinarum eſt verus cucumis Græcorum [*camphoræ*] camphoram additam eſſe credo, vt deferat vim medicamēti per vniuerſum corpus, & præcipuè ad cap. [*Saccari albiſſim. q. ſ.*] Domini, vt plurimū hoc medicamentum ſeruatur ad formam electuarij, & ſi volumus conficere in rotulis, poſſumus quidē vt Actuarius facit, ſi auferamus pineas, & amygdalas; nam oleoſa ſunt.

Er ideò melius eſt vt conficiamus cum melle ex pręcepto aliorū, quia diutius durabit pharmacum. Notate autem, quod ſemper in parua quātitate conficitur. nam ranceſcit.

Vſus iſtius eſt vt exhibeatur & matutina & veſpertina hora; & quandoque in cibis, & mihi placet, & ſi non febricitet, poſſumus ex medicamento quid exhibere cum vino. Verum vſus noſtri temporis eſt, vt vtamur eo pro eclegmate, & ideò vt reuoluatur in os, & lambendo ſenſim deglutiatur, & hoc laudo, non autem vt deglutiatur.

De Diaireos Salomonis ex Nicolao. *Cap. XXXVIII.*

DESCRIBITVR hoc medicamētum varijs modis, verum huiuſmodi deſcriptio aſſumpta eſt & à Nicolao Alexandrino, & à Serapione, & quamuis deſcribatur à Myrepſo, & ab Actuario cap. 19. tamen varia eſt deſcriptio. Verum Auicenna deſcribit vnam libro quinto, ſui canonis tract. 6. ſummæ primæ, ſed valdè differt. illa autem quæ deſcribitur à Nicolao Alexandrino, cap. 229. & à Myrepſo antidoto 394. ſunt eadem penitus. Noſter Cordus addit [*Salomonis*] neſcio quis iſte fuerit Salomon: ſed ſat eſt, quod compoſitio integra eſt, & ſolet parari vel in rotulis, vel in electuario; & ideò habet duo nomina. in rotulis quidem Diairis de ſaccaro, in electuario verò Diairis de melle.

Non eſt autem frequentiſſimus vſus medicamenti, ſed nobiliores ſolent vtrunque conficere. Vocatur autem Diaireos, quia habet magnam quantitatem Iridis in ſe, in qua eligenda eſt Iris, & quamuis omnes magis laudent Illyricam, deinde Thracicam, tamen in his noſtris regionibus habetur etiam præſtans, & dum confero alteram alteri, video ſimiles notas, & qualitates [*pulegij, hyſſopi*] vtrumque tuſſi confert; & ideò pulegium & hyſſopum ad hoc magnam vim habent: & intelligimus hyſſopum præcipuum montanum [*pinearum, cinnamomi, zingiberis, piperis*] hæc omnia faciunt ad lenitionem [*carnium dactylorum & paſſularum*] hæc deſiderantur in Actuario, quia ipſe conficit medicamentum in rotulis, quæ non durarent, ſi prædicta apponerentur; at ſi volumus id efficere cum melle, ea apponere oportet: & per paſſulas nucleares intelligimus paſſulas illas magnas, non autem paruas [*Styracis calamitæ rubeæ drach. 2. ſcrup. 1.*] ſi nos vellemus conficere medicamentum ex præcepto Græcorum, nos deberemus accipere ſtyracem candidam.

Sed quia efficimus medicamentum præcepto Arabum, ideò cum rubra efficiemus illud. Datur cum decocto caricarum, ſeminis maluæ & huiuſmodi, & poſſumus dare matutina hora ieiuno ſtomacho: ſed ego laudo vt demus ipſum loco eclegmatis: vt lambendo deglutiatur ſenſim & ſenſim, & hoc modo principaliter ad thoracem pertingit, & iuuat quam ſi confertim ipſum deglutiamus.

De tragacantho frigido ſecundum deſcriptionem Nicolai. *Cap. XXXIX.*

A PLVRIMIS deſcribitur hoc medicamentum, primum quidem à Nicolao Myrepſo antidoto 98. quæ fermè deſcriptio eadem eſt cum hac. altera deſcribitur ab eodem, antidoto 99. & altera ab Actuar. verum hæc eſt in vſu quæ eſt Nicolai Alexandrini. Appellatur Diatragacanthum propter gummi, quod fit à radice ſpinæ, quæ vocatur ſpina tragacantha, ſeu barba hircina, vnde & gummi draganthi nomen ſuſcepit. à gummi igitur ex tali ſpina progrediente dicitur hoc medicamentum tragacanthum, & vocatur frigidum, quia eſt aliud medicamentum tragacanthum calidum.

Scopus huius noſtri propoſiti his verbis deſcribitur [*Medetur omnibus pulmonum, & thoracis vitijs aridis, maximè tabidis, macie confectis, inflammatione lateris laborantibus, omnibuſque tuſſibus calidis & ſiccis, exaſperationi linguæ, & faucium*] nam in omni affectu calido faucium & pulmonis conuenit (*deuoratum tandiu ægrotans in ore contineat, quoad liquefactum perfectè exugatur*) vſus iſtius medicamenti eſt, vt ſit eclegma, ita vt non ſtatim deuoretur,

ſed

ſed ſenſim ac ſenſim. In ſumma tria facit hoc medicamentum, infrigidat, humectat, & emplaſticam vim habet. *(Recipe gummi tragacanthi albiſſimi, gummi Arabici)* vtrunque enim habet vim humectandi, & refrigerandi, lenit etiam, quia ambo emplaſtica ſunt. *(Cucumeris)* ablutis, hoc non reperitur. nam in hoc medicamento adeſt citrullus, qui eſt idem quod cucumer, & ideo legitur *(Nucleorum ſeminis cucurbitæ, citrulli, & melonis ana drach. 2.)* ſubdit autem in antidoto *(Camphoræ ſcr. 4.)* recentiores opinati ſunt camphoram habere vim refrigerandi: verum camphora calefacit, & exſiccat, & quamuis non faciat ad ſcopum, tamen quia pauca quantitas adeſt, eſt vehiculum aliorum, & ideo ponenda eſt.

In hoc medicamento debetis adnotare, quod maior pars ſeplaſiariorum ſolent conficere diatragacanthum ex amylo, & puro dragantho, & ſaccaro. Et ideo non rectè conficiunt. Addatis quod plurimi neſciunt conficere ipſum. Vera igitur præparatio eſt, vt præcoquatur ſaccarum vt poſſit concreſcere, deinde infundatis ſaccarum in mortario, & cum incipit concreſcere, imponatis ſpecies, neque ſinatis vnquam quietum, ſed ſemper reuoluatur.

Admoneatis autem ſeplaſiarios, vt non conterant tragacanthum, quia non bene ſuccedet. ſolent aliqui ſeplaſiarij non admiſcere nucleos illorum ſeminum cucurbitæ & citrulli, ne fiat ita oleoſum medicamentum: ſed non placet, quia nos volumus humectare. Sed ego dico, quod conficiamus hæc ſemina cum penidijs, & ita bene valet. Verum habemus in officinis cum bolo, quia habet bolum Armenum admiſtum, & frequētiſſimus eſt vſus in ſputo ſanguinis, & cum pulmo requirit adſtrictionem. Solent autem ſeplaſiarij conficere illud ex bolo armeno orientali, & ex bolo armeno noſtro, quod eſt rubrica fabrilis: verum hæc non placet, quia nimis ſordidum medicamentum efficit, & ideo bolus orientalis optima eſt. Doſis eſt, vt pro vncia Diatragacanthi ſcrupulus vnus boli, & quandoque drachma admiſceatur.

De tragacantho calido ſecundum deſcriptionem Nicolai. Cap. XL.

TRAGACANTHVM verò calidum dicitur, quia calefacit: ſed hoc medicamentum non habetur deſcriptum à Nicolao Myrepſo, ſed habetur vnum aliud antidoto 99. quod variat in pondere. Et ideo miror cur illud non deſcripſerit Cordus, ſicut deſcribit Nicolaus Myrepſus: ſed medicamentum non deſcribitur, neque fit in aromatatijs, ſed deſcribitur vnum medicamentum diatragacanthum calidum, quod aſſumitur ex Gilberto de Anglia in cap. de ſtrictura pectoris, & hoc eſt in vſu, & deſcriptio talis eſt hoc loco poſita. Sed ſi quis me interrogaret quale eſt melius? dico quod id Nicolai melius eſt. Vſus iſtius proponitur in ipſo ſcopo, cum ait *(valet tuſſientibus ex frigido phlegmate, & non valentibus eijcere, aſthmaticis, empyicis, anheloſis, ſuſpirioſis, peripneumonicis, phthiſicis)* & in ſumma ſubdit *(ad omnem coarctationem pectoris: ſtomachum confortat, & digeſtionem procurat)* accipiuntur autem in hac compoſitione hyſſopum, amygdalæ amaræ, & cinnamomum, quæ faciunt ad calefactionem: ad humectationem verò faciunt gummi draganthi, & alia iſtiuſmodi.

De manu Chriſti perlata. Cap. XLI.

MANVM CHRISTI perlatam habemus in officinis medicamentum hunc in modum appellatum. neſcio autem qua ratione tale fuerit appellatum, niſi quia ita valenter facit, vt ſere ſit manus Chriſti in reuocando ægrotantem ab ægritudine, aut à morte.

Iſta compoſitio manus Chriſti conficitur ſimplexq; & compoſita; ſimplex quidem ex ſaccaro puro, & ſimpliciter manus Chriſti appellatur, quæ ruſus tribus ſit modis; vel roſata, vel violata, vel bugloſſata; manus quidem Chriſti roſata dicitur, quia ſaccarum depuratum eſt, concoctum cum aqua roſacea: eadem ratione vocatur violata, quia dum coquitur infundimus guttatim aquam violatam, ita quoque de bugloſſata eadem ratione.

Altera eſt compoſita, cuius inuentio refertur in Antonium Guainerium cap. de cura quartanæ, & de melancholia, & dicitur manus Chriſti perlata, quia in ea ingrediuntur perlæ: appellatur etiam *trazzea* perlata. Sed ſciendum eſt quod optimè debent contundi omnia, ne cum manduntur fiat ſtrepitus inter dentes.

Scopus igitur huius medicamenti eſt, vt dicitur in contextu (*Medetur deiectis viribus, ardentibus febribus, & imaginationes falſas abolet*) Notandum autem eſt, quod quandocunque volumus dulcorare cibaria ægrotantium, tunc apponimus manus Chriſti compoſitionē, & niſi rúſtici vterentur manu Chriſti, putarent ſe eſſe mortuos, tantum hoc æſtimant medicamentum, atque in ipſo confidunt.

De Dialacca maiori ſecundum deſcriptionem Meſues.
 Cap. XXXXII.

INTER alia medicamenta eſt dialacca, eo quia ingreditur medicamentum, quod lacca vocatur, cuius medicamenti deſcriptiones plures ſunt, & primus fuit Meſues qui hoc compoſuit. Auicenna autem lib. 5. ſui canonis tract. 1. duas habet deſcriptiones, quæ non parum ab hac differunt. Serapio in 7. tract. cap. 8. habet ipſe duas deſcriptiones, aliquantulum ab hac differentes. Haliabbas & ipſe deſcripſit hoc medicamentum. Inter Græcos autem primo habemus Nicolaum Alexandrinū, qui deſcripſit capit. 183. Dialacca maius, & cap. 185. ipſum Dialacca minus. Præterea habemus Myrepſum in antidoto 173. Habemus etiam deſcriptiones recentiores: quare multum eſt probatum medicamentum. Scopus eius deſcribitur deprauatus à Cordo; reſtituatis hoc modo (*confert ad debilitatem ſtomachi, hepatis, & ad ægritudines factas in eis, oppilationem tollit, renum & veſicæ lapidem frangit, & vrinam prouocat, & eſt ad hydropiſim, & cachexiam ſublime*) Ex his elicimus medicamētum hoc facere ad violentam apertionem, ad deterſionem violentam, & ad ſubductionem lotij violentam. nam quædam recipit, quæ habent maximam vim aperiendi, & detergendi. etenim in eo multa ingrediuntur, quæ maximam vim habent detergendi, vt quandoque cruorem educat.

Videamus an ſit tale. Recipit igitur primo laccæ præparatæ. In hoc conſentiunt omnes. Nicolaus autem Myrepſus intelligit laccas, quibus vtuntur tinctores ad inficiendam lanam. Nam debetis ſcire, quod duo laccæ genera habemus, primum quidem eſt, quod oritur ex grano tinctorio, in cuius medio oritur vermis, ex quo efficimus colorem cremeſinum, quem ex hoc grano conficiunt tinctores cum lanam tingunt; verum laccam hanc ingredi in hoc medicamentum non conſtat: ego enim ſum huius ſententiæ, vt ſumamus laccam non artificialem ſed naturalem, qualis eſt apud Serapionem. Aliud igitur eſt ſecundum laccæ genus, quod naturale dicitur, de quo loquitur Serapio cap. 181. & ipſum ſub hoc nomine laccæ deſcribit, & omnia aſſumpſit ex capite Dioſcorid. & Gal. de canchamo, & pariter ab Auicen. cap. 382. vbi loquitur de canchamo ſub nomine cheichen, & ab eodem quoque cap. 424. in 2. canonis, dum loquitur, de lacca ſub nomine Lu in quo refert opiniones quorundam, & adſcribit facultates, quæ canchamo adſcribuntur: & ideò dico quod cheichen, lacca, & Lu apud Auicennam idem ſunt, neque ob id eſt accuſandus quod in diuerſis capitibus de eodem agat, quia quando ſcripſit de Lu, id fecit vt alios accuſet. Quid autem ſit iſtud canchamum, hic eſt difficultas. fuere namque quidam, qui opinati ſunt eſſe quandam lacrymam, ſeu reſinam allatam à Luſitania, vt à Petro illo habetur qui totam illam regionem explicauit, & dixit vocari à Luſitanis, agnimen, & eſſe reſinam quæ reſultat ex arbore ficulnea, quæ maximo pretio carior eſt: nam eſt arbor, quæ expreſſa facit vinum, quo acido facto fit acetum, in medio verò eſt farina qua fit panis, & ſiccæ hæ faciunt pro obſonio. Ego verò dico hos decipi & ratione loci, & omnium qualitatum. Quare dico, quod lacca quam Græci canchamum dicunt, eſt lacca ipſarum officinarum, qua ipſi vtuntur. Inquit Meſues lotæ: Serapio autem vult vt abluatur vno modo, quo potius ipſam diſſiparemus.

Quare Cordus maxima induſtria docet quō ſit lauanda, & locus eſt inferius [*Squinanti*] Cordus dixit foliorum ſquinanti, vt acciperemus paleam ſquinanti, & verum eſt (*Eupatorij*) Cordus dixit ſucci eupatorij Meſues, vt diſtingueret eupatorium Græcorum ab eupatorio Meſues. Sed quia ipſe non nouit eupatorium Meſues, ideò deceptus eſt in ſuis annotationib. nā herba illa gratia Dei, ſcilicet de qua meminit, habet vim vomitoriā

maximam, ſubducit ventrem ferme vt ſcamoniũ, & ſeſamois vocatur à Dioſc. & hęc nõ eſt eupatorium Meſues. Sed eupatoriũ Meſues eſt illa herba quæ habet flores luteos, & folia inciſa, & à Dioſcoride ageraton appellatur, & eſt odorata valde, & hanc accipiatis.

Sed aduertatis, ne accipiatis eupatorium Auicennæ, ſeu cannabem ſylueſtrem [*Ariſtolochia longa & rotunda*] errauit Cordus, & non errauit: errauit quidem, quia à Meſue poſita eſt tantum Ariſtolochia; ego verò dico Ariſtolochiam longam accipiendam eſſe: adiunxit autem Meſues hyſſopi ſiccæ, vt non intelligeremus montanam [*Bdellij*] quia bdellium non habemus, vice huius ammoniacum ſumamus [*Zingiberis*] nam Meſues accipiebat cum vino. doſis pharmaci eſt vna drachma ad tres drachmas.

De Diacurcuma ſecundum deſcriptionem Meſues. Cap. XLIII.

DIACVRCVMA inſcribitur, & male, eo quod nil habet commune cũ curcuma. Sed quia crocoma fortaſſe à croco poterat dici, ideo prauè translatum eſt à translatore. Et quia alij volunt defendere, dicunt curcuma eſſe rubiam tinctorum. Verum vt intelligatis, tria curcuma habemus, vnum in ſomnijs & eſt rubia tinctorum, quia neſcio vbi inuenerint hoc: aliud ſcribitur ab authoribus, & eſt deſcriptum ab aliquo, non ſub nomine curcumę: legatis Dioſcoridem, in cap. de cypero, vbi dicit, quòd eſt radix ſimilis gingidij, crocei coloris, & amari ſaporis. tertium verò curcuma eſt illud quod deſcribitur à Serapione, quod nil aliud eſt quàm chelidonium maius, & minus.

Sed à nullo horum Diacurcuma dicitur hoc medicamentum. Quare dicatis, & caſtigetis Diacrocoma, vel vt Cordus Diacrocuma maior, quæ deſcribitur à Serapione tracta. 7. cap. 8. & minor vocatur. Nicolaus Myrepſus deſcripſit quatuor, primum ex Galeno, antidoto 119. Sed Domini apud Galenum non reperitur: poſtea adiungit ſecundam, tertiam & quartam deſcriptionem. Sed tertia eſt huic maximè ſimilis. Nicolaus autem Alexandrinus cap. 221. & ipſe deſcripſit diacurcuma, & mihi videtur valde ſuſpecta, quia omnes aliæ habent crocoma, hic verò dixit diacurcuma, & eſt eadem fermè cum alijs. quare neceſſarium eſt vt corrupta ſit deſcriptio, & loco curcuma, dicamus crocoma. proinde medicamentum hoc eos habet ſcopos, quos appoſuit Cordus. ſed addatis vnum quod prætermiſit ex Meſue: quod ſi quis eſt qui habeat fœdum colorem in facie, vel ex regio morbo, hoc vtatur medicamento [*Petroſelini Macedonici*] ſi non habueritis Macedonicum, accipimus noſtrum. nam habet vim aliquanto minorem (*Carpobalſami*) loco horum vtor cubebis, quæ habemus in officinis, quæ à me ignorantur quæ ſint, ſcio bene eſſe aromaticas, & poſſe ſubſtitui pro carpoballamo (*Succi eupatorij Meſues. i. gratiola*) expungatis gratiolæ (*Opobalſami*) non vtamini loco huius oleo cariophyllorum, quia nimis eſt acre: ſed loco opoballami ponamus oleum abietinum ſtillatitium, quod iucundiſſimum eſt pharmacum, & habet qualitates balſami: quod ſi vultis maiorem facultatem, accipiatis terebinthinam, cypriam, diſſolutam, vel ſublimatam (*Scordij veri*) apud Meſuem non legitur illud veri, ſed optimè fecit author noſter, quia ſuperioribus annis vtebantur alio, & multa erat confuſio, poſtea inuentum eſt ſcordium, quod præſtantiſſimum eſt medicamentum in febribus peſtilentibus, in quo quidem multum fido, atque eo maximè, quoniam habemus frequentiſſimum, natum in locis paluſtribus, quæ reliqua ſunt, innoteſcunt.

De Diapraßiu ſecundum deſcriptionem Nicolai. Cap. XLIV.

HAEC deſcriptio eſt Nicolai præpoſiti: nam vt aliàs audiuiſtis, nos habemus triplicem Nicolaum, præpoſitum quidem, qui ſcripſit antidotarium, Nicolaum Alexandrinum, & Nicolanm Myrepſum, ſed tamen vnus ſunt. nam omnia quæ ſunt in Myrepſo, ſunt in Alexandrino, & præpoſito. Igitur hæc compoſitio ſcribitur à Nicolao: verum & alij deſcripſerunt, vt Aetius, Paulus, & Alexander Trallianus. nam ſi legetis Trallianum, lib. 5. cap. 4. non reperietis hanc, ſed aliquantiſper variatam. Paulus lib. 7. c. 2. habet ipſe eandem, necnon Aetius, lib. 8. vbi duas vobis tradidit cõpoſitiones Diapraſſiu, hoc eſt Marrubij, vna quæ eſt maior, & eſt ſimilis huic cap. 54.

eius

Digitized by Google

eius libri:altera verò minor cap.64. Nos poſtmodum habemus has deſcriptas à Nicolao Alexandrino, maiorem quidem vnam cap. 164. minorem verò cap. 165. à vero autē fonte, hoc eſt à Myrepſo habemus tres deſcriptiones:alteram, quæ deſcribitur antidoto 89. quæ valde huic ſimilis eſt, ſecunda, quæ dicitur magna, deſcribitur antidoto 90. & tertia quæ dicitur parua, antidoto 91. prima & ſecunda ſunt ſimiles cum hac. Ex quo colligamus ipſum medicamentum antiquum eſſe: verum non eſt in frequentiſſimo vſu, ſunt tamen aliquot qui conficiunt ipſum: eius vſus multi ſunt, qui deſcribuntur à Cordo [*Stomachi, & hepatis &c.*] expungatis omnia quæ deſiderantur apud ipſos ſcriptores. cum igitur tot & tanta faciat, poſſumus dicere ſcopum eſſe exſiccationem capitis, & expurgationem ipſius. nam deſiccando caput, eleuat caligines, & ſedat dolores dentium, præterea habet vim depurandi ſpiritus animales, vltimo detergit robuſtè.

